# LIBRI SYMBOLICI
# ECCLESIAE
## ROMANO-CATHOLICAE.

*AD FIDEM OPTIMORUM EXEMPLORUM RECENSUIT, VARIANTES LECTIONES ADNOTAVIT, DOCUMENTA NECESSARIA ADDIDIT, INDICE DOGMATUM ET DECRETORUM ETC. INSTRUXIT*

J. T. L. DANZ,

THEOL., JUR. UTR. ET PHILOS. D., THEOL. PROF.

VIMARIAE,
APUD GUILIELMUM HOFFMANN
MDCCCXXXVI.

# GREGORIO XVI.

## PONTIFICI MAXIMO
## ECCLESIAE ROMANO - CATHOLICAE PRAESULI
## S.

---

Miraberis profecto, Sanctissime Pater, si ex fronte libri muneris et officii mei rationem cognoveris, qui fiat, ut ego non solum in edendis libris Ecclesiae Tuae symbolicis curam et operam posuerim, sed ipsos etiam nomini Tuo sanctissimo inscribere non dubitaverim. Nimirum duplicem personam gerens ad Sedem Tuam accedo, sperans fore, ut Tu pro cura et amore, quo Ecclesiam in tutela et praesidio Tuo collocatam amplecteris, et pro officio, quod in provincia Vicarii Christi tuenda susceperis, satisfaciendo, quae et doctor theologus et homo christianus Tibi offert, boni consulas. Nihil enim Ecclesiae Tuae, quae ut Tibi videtur, tamquam columna est et firmamentum veritatis, opportunius accidere potest, quam ut illius plane cognoscendae

penitusque perspiciendae aditus in animos etiam eorum comparetur, qui non eadem Tecum stant sententia; id ipsum autem nulla alia via tutius et securius consequi posse, quam augendis et facilius comparandis iis libris, in quibus placita et decreta hujus Ecclesiae sunt deposita, quis est, qui non videat? Quam viam vero quod aperuerit alienae a Tua Ecclesiae doctor theologus, argumento Tibi esse debet, in castris Protestantium degentes neutiquam formidare, omnium judicio, qui judicare possunt et volunt, exponere ea, quibus a Tuae Ecclesiae asseclis divulsi sunt et distant, longe in hac re diversi ab iis, quibus consuetudo in causa religionis palam agendi res periculi plena esse videtur, quique hac de causa Indicum librorum damnatorum et expurgandorum auctores exstiterunt, nec non ab iis, qui parietes exstruere necesse habent, ne vel murmur et susurrus alienae doctrinae ad aures Suorum transvolet.

Quanto autem superior doctori theologo, qui rem christianam in fidei dogmatibus eruendis et exstruendis praecipue promovere studet,

homo est christianus, cujus est Christum ipsum in animi sensibus et in omnibus vitae suae actionibus referre; tanto superior est Pontifici Romano, cui Ecclesiae suae regimen concreditum est, Vicarius Christi, cujus est, virtutem et mores et sensus amoris ipsius Christi effingere et repraesentare. Amore ergo Jesu Christi, Domini sui et Salvatoris, totam mentem perfuso quid exoptatius, quid carius evenire potest, quam genibus ejus advolutus, qui Christi ipsius personam, tam gravem, tam severam, tam benevolam, post ejus ipsius in coelum abitum, in terris tuendi, officii sui duxit, intimos animi sensus ei aperiundi occasionem arripere, et quae ipsum animo injecta scrupula, curae et dubitationes premunt anguntque, et quae ipsi in votis implendis sunt, explicare.

Angor autem et excrucior eo, quod Patres, qui se Tridenti in Spiritu Sancto congregatos esse gloriabantur, omnem secessum in doctrinis et caeremoniis ab Ecclesia sua et Tua tam male ferre potuerant, ut praeeunte Cardinali Romano in anathematis sententia cunctis haereticis ferienda solemniter concla-

mando, coronam quasi longorum annorum labori imposuerint, et Tu, Sanctissime Pater, ad hunc etiam usque diem locum sanctum et tempus sanctum hujus anathematis scandalo profanari patiaris. Hoc enim non est Christi vice fungi, qui, ut vult Petrus Tuus, nobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, oves errabundas humeris ad gregem reportari jussit, et omnes, qui fratres suos pro fatuis tantum declarassent, reos facit ignis Gehennae. Hoc non est quod Paulus a Christianis poscit, ambulare spiritu, cum fructus spiritus sint charitas, pax, patientia, mansuetudo, modestia. Cave, Sanctissime Pater, ne iterando hoc anathemate ipsius Christi sententiam damnatoriam incurras, et cogita, quibus de causis Patres Tui Tridentini tantopere in nos excanduerint. Quia scilicet nos mandata Dei mandatis hominum anteponimus, et id tantum pro vero habemus, quod Christus ipse pro vero habuit; quia nos non credimus nisi ea, quae ex Scriptura Sacra demonstrari possunt, et ab omnibus traditionibus humanis, ut ab incompertis et non satis exploratis, ab-

stinemus; quia nos caeremoniarum plures, quibus cultus Ecclesiae Tuae divinus plus quam abundat, a nobis tamquam irritabula impietatis, vel certe ad generandam in cordibus veram pietatem nihil facientes, rejicimus; quia nos Ecclesiam, cui Tu praees, non pro unica salvifica habemus, sed in eo fiduciam nostram ponimus, quod, testibus Psalmista et Petro, in omni gente, qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus sit Deo; quia Te solum in tantum aspicimus et veneramur, in quantum Tu, vere Successor Petri, Domino Tuo vere dicere potes: Scis Domine, me Te diligere, et ut Vicarius Christi eum repraesentas Christum qui, magnitudine et vi amoris erga genus humanum nulli secundus, vel mortem pro salute hominum oppetere non recusavit.

In id igitur incumbe, Sanctissime Pater, ut in fastigio dignitatis et potentiae, ad quod divini numinis gratia evectus es, verae saluti Ecclesiae Tuae pro muneris et officii ratione ita consulas, ut omnes cujuscumque sint status, conditionis, Ecclesiae, fidei, opinionis, magis magisque ad officia amoris christiani

imbuas, ita ut, si non in uno templo et una Ecclesia congregari possimus, in uno certe coelo apud unum Christum, quem omnes ut Dominum nostrum sequimur, et ut salutis nostrae auctorem veneramur, conveniamus. Ne amplius sis in causa, quod regnum coelorum divisum contra se desolationis periculo expositum sit; cohibe furore atque amentia impulsos, ne amplius vexent et persequantur eos, qui non per eandem cum ipsis januam ad colendum Deum intrant; depone iram anathematibus armatam, dignitate Tua plane indignam, et indue sicut Electus Dei, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: complectere benevolentia Tua omnes, qui Christi nomen confitentur, et vitam agunt christianam, etiam eos, qui Tuo imperio se subtrahere per satellites Sedis Tuae coacti sunt, judicium de iis, quae non in hominum cognitionem cadunt, ei committendo, qui recte judicat.

Scribebam Jenae, ipso nativitatis Servatoris nostri die festo a. MDCCCXXXV.

# Praefatio.

Maxima omnes de rerum ecclesiasticarum statu sollicitos tenebat exspectatio, quidnam esset, quod Concilium generale, tam saepe efflagitatum, tam diu promissum et tandem Tridenti in Sp. S. congregatum ad haeresin exstirpandam, ad schisma tollendum, ad pacem restituendam, ad reformationem et in universum ad salutem Ecclesiae afferret. Antequam ergo Romae Canonum et Decretorum Concilii generalis in urbe Tridentina celebrati editio authentica pararetur, plurium vel omnium hujus Concilii Sessionum Acta variis in locis typographi juris publici fecerunt.

Et primum omnium quidem typis exscripta sunt, sine loci et anni mentione Decreta de canonicis scripturis et editione et usu librorum sacrorum, sub titulo: *Decreta tertiae* (vel potius quartae) *Sessionis Concilii Tridentini*, 8 Aprilis 1546., in 4^to^. Plagula, quae est summae raritatis, ex typographia quadam germanica exiisse videtur.

Secuta sunt eam Antverpiae in 8^vo^, addita nota a. 1546, *Acta Concilii Tridentini, quibus Bulla indictionis Concilii*, *nonnullae Orationes et Decreta IV priorum Sessionum continentur*; et paulo post quintam d. 17. m. Jun. 1546. celebratam Sessionem libelli duo, quibus priores quinque Sessiones continentur: unus *Antverpiae, typis Mart. Nutii*, in Variantibus per *Antv.* 1. notatus, alter *Parisiis ex officina Reginaldi Calderii* nota *Par.* 1. distinctus, uterque in 8^vo^. Qui

libelli, etiam in mendis typographicis, ita inter se conveniunt, ut facile intelligas, unum ex altero esse exscriptum. Sic §. 4. uterque habet *vitiosi* pro *vinosi*; §. 12. *traditionibusque ipsius Christi, quae ab Apostolis acceptae* pro *traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae*; §. 31. *sacraeque doctrinae* pro *sanae doctrinae*; §. 35. *recipiens* pro *respiciens* etc.

Nondum Sessio Concilii sexta, d. 13. m. Jan. 1547. celebrata erat, cum sine mentione loci quidem, sed sine dubio in Germania, *Acta Concilii Tridentini a.* 1546. *celebrati, una cum annotationibus piis et lectu dignissimis*, in 8$^{vo}$ publicarentur, ni fallitur Chr. A. Saligius in *Hist. Concilii Tridentini T. I. p.* 432., curante Petro Paulo Vergerio, ideo praecipue memoratu digna, quod in iis *Decretum de Justificatione* forma exstat, longe dissimili ea, quam postea in ipsa Sessione sexta induit. Cf. Saligius *l. c. p.* 545 *sqq.*

Ante d. 3. m. Martii a. 1547. celebrabatur Sessio Concilii septima et paucis post diebus, Sessione octava publicabatur Decretum de translatione Concilii ex Tridento in civitatem Bononiensem. Quae translatio occasioni fuit *Martino Nutio* et *Michaeli Vascosano*, illi Antverpiae, huic Parisiis, addendi Acta sextae et septimae Sessionis, supplementi loco, Actis priorum quinque Sessionum a. 1546. evulgatis. Titulus libelli Parisiensis hic est: *Decretum de Justificatione factum in gener. Conc. Tridentina Synodo; item aliud Decretum de Sacramentis Ecclesiae et de Residentia ac reformandis in Ecclesia moribus in VIa et VIIa Sessione.* Supplementum Antverpiense in Variantibus designatum est per *Antv.* 2., Parisiense autem per *Par.* 2.

Eodem anno, quo Concilium, ex Tridento in Bononiam trajectum fuit, duae aliae ejus Actorum editiones publici juris factae sunt, quarum prima Mediolani in forma octava, secunda autem, eadem forma, Lovanii vulgata

est. Mediolanensis, ex apographo correctiori per accuratiorem typographum expressa, ut mihi quidem videtur, a *Philippo Archinto*, Episcopo Salutiarum, procurata continet priores VII Sessiones, et prima est inter catholicas*), quae §. 26. phrasin habet de conceptione b. Virginis Mariae, et unica quae §. 53., propius ad textum Vulgatae accedens, *aspiciebat* dat pro *respiciebat*, quod deinde etiam a Romana editione a. 1763. receptum est. Verba §. 60. *et judicanda* non consulto, sed errore, §. 136. autem verbum *gradu* non errore sed consulto omissa esse videntur. §. 99., ubi de correctione Clericorum per Ecclesiarum Praelatos agitur, unice habet *Clericus secularis cujusvis gradus vel regularis*, et §. 103. vocem *confirmationem* pro *consummationem*, Prooemii conceptioni magis congruam. Lovaniensis ex typographia *Mart. Rotarii* prodiit, et praeter Decreta de reformatione Sessionis VI. et integra Sessionis VII. Acta nihil exhibet. Ea cum Parisina 2. et Veneta 1. plures lectiones unicà communes habet. Mediolanensis in Variantibus indicatur nota *Mèdiol.*, Lovaniensis autem siglo *Lov.* 1.

Sessiones Concilii nova et decima Bononiae mensibus Aprilis et Junii a. 1547. celebratae sunt; quibus finitis a. 1548. Bononiae in folio editio *Decretorum Concilii Tridentini* procurata est, qua Acta Concilii inde a prima usque ad decimam Sessionem continentur.

Anno 1552, paulo postquam Concilium, quod Bononiae per aliquot menses a laboribus et anathematibus vacaverat, Tridenti resumtum esset, adornata est Venetiis, sub signo Spei, Decretorum editio, easdem, quas Mediolanensis, Sessiones comprehendens. Quinque priores Sessiones ad editionem Parisinam primam, sexta

*) *Antidotum Calvini*, quod §. 26. in Variantibus occurrit, habet titulum: *Les Actes du Concile de Trente avec le remède contre la* (sic) *poison par M. Jean Calvin.* (Génève) 1548. 8. et phrasis notata legitur p. 130.

autem et septima ad secundam expressae sunt. In serie Variantium sistitur nota *Ven.* 1.

Nondum finito Concilio, initio m. Novembris a. 1563, publicata est in forma quarta ejus Actorum editio Brixiensis, typis *Jo. Bapt. Bozolae* in 4$^{to}$. Inter rarissimas refertur et hunc prae se fert titulum: *Universum S. S. Concilium Tridentinum annis* 1545 — 1563 *celebratum, nunc recens multo quam antea limatius, emendatiusque in lucem prodit. Brixiae, cura et impensis Jo. Bapt. Bozolae.* 1563. *Accedunt: Doctrinae et Canones, cum aliis concernentibus Sacramentum Matrimonii.* Complectitur haec editio XXIII priores Sessiones, et praeter textum Canonum et Decretorum varia ad Acta Concilii pertinentia. In prioribus VII Sessionibus utplurimum refert lectiones editionum Antverpiensis 1., Paris. 1. et Ven. 1., habet tamen ex Mediolanensi §. 26. Prima est, quae §. 176. pro *idololatras* mendose habet *idolatras*, quod mendum deinde plures a. 1564. editiones evulgatas occupavit, et quae §. 184. cum suis *criminibus* pro *criminalibus* omnes, praeter Romanas, editiones a. 1564. praeivit. Nota ejus in Variantibus est *Brix.*

Finito tandem d. 4. m. Decembris a. 1563. Concilio, multae simul editiones Canonum et Decretorum nostri Concilii in publicum prodierunt, quae omnes notationem a. 1564. in titulo habent.

Prima fuit ea, quae Patavii apud *Christoph. Gryphium* lucem vidit in 4$^{to}$, et novem posteriores Concilii Sessiones inde a decima septima usque ad vigesimam quintam, continet, hoc titulo: *Omnia Acta in S. Concilio Tridentino sub S. D. P. Pio IV. in novem Sessiones digesta, a die* 18. *Jan.* 1562. *usque ad diem* 4. *mens. Dec. a.* 1563., *cum Bulla apertionis Concilii.* Plurimis hujus editionis exemplaribus addita invenitur tabula, consessum Concilii repraesentans, sed proprie ad alium librum hujus typographi pertinens, cui titulus:

*Catalogus Legatorum, Patrum, Oratorum, Theologorum, qui convenerunt in Tridentina Synodo.*

Hanc Patavinam subsequente tempore plures aliae subsequutae sunt editiones, scilicet:

1) Virdunensis, in 4$^{to}$, quam cum orbe catholico communicandam procuravit unus e Tridentinis Patribus, *Nic. Psalmaeus (Psaulme)*, Episc. Virdunensis, qui primo Sessionibus XI—XV., sub Julio III. habitis, et inde a d. 13. Novemb. a. 1562, quo rursus Tridentum venerat, Sessionibus XXIII—XXV. interfuit *). Haec editio ordine plane singulari, methodo ipsius Psalmaei digesto, sistit Decreta reformationis. In quinque prioribus Sessionibus sequitur Antverpiensem primam, in sequentibus ad Brixiensem quam saepissime accedit. Ecce tibi ejus titulum: *Canones et Decreta Concilii Tridentini sub Paulo III, Julio III et Pio IIII. PP. MM. Additus est sub finem index rubricarum, decretorum et capitum totius operis, auctore R. D. N. Psalmaeo, Episc. Virdunensi.* In Variantibus indicatur hoc modo: *Vird.* **).

Ad Virdunensem composita est editio Rhemensis, ejusdem anni 1564. et ejusdem formae cum illa, inter Variantes notata signo *Rhem.* Ex Virdunensi descripta quoque est Parisiensis a. 1564. in 8$^{vo}$.

2) Antverpiensis in 8$^{vo}$, ex aedibus *Jo. Streelsii* ***), et

3) Coloniensis, per *Maternum Cholinum* cum titulo: *Universum sacrosanctum Concilium Triden-*

*) De eo vid. Sarpi *Hist. Conc. Trid.* Lib. VIII. p. 1242.

**) Vid. Baumgarten ad Saligium l. c. p. 255 sq.

***) Aliam ejusdem anni editionem Antverpiensem, apud viduam *Mart. Nutii* ad insigne Ciconiarum expressam memorat Baumgarten ad Saligii *Hist. Conc. Trid.* III, 254. In ea verba, quae in fine p. 249. leguntur, ita se habent: *Placuit omnibus* etc. *tribus duntaxat exceptis, qui confirmationem se non petere dixerunt* etc.

*tinum sub Paulo III. anno* 1545, 1546 *et* 1547, *et sub Julio III. anno* 1551 *et* 1552, *et sub Pio IV. anno* 1562 *et* 1563., ambae vix inter se differentes. Ad designandam priorem adhibita est nota: *Antv.* 5., ad designandam posteriorem nota: *Col.*

4) Lovaniensis, quae typis *Jo. Bogardi* in 8vo prodiit, et titulum habet: *Canones et Decreta SS. Conc. Tridentini, Catalogus Patrum, cum Pii IIII. P. M. confirmatione, quae ad calcem reperitur, et indice.* Distinguitur in Variantibus signo *Lov.* 3.

5) Dilingensis in 8vo, quae hoc titulo in publicum exiit: *Canones et Decreta SS. oecumenici et generalis Concilii Tridentini sub Paulo III.* etc. (*Opus nunc primum in Germania excusum*). *Adjectus est index librorum prohibitorum, cum regulis confectis per Patres a Tridentina Synodo delectos, authoritate Pii IIII. comprobatus.* Elaborata est ad fidem Autographi Venetique exemplaris; a prioribus editionibus saepe discrepat, sed inter omnes ea est, quae cum authentica optime convenit. Valde memoratu digna est lectio §. 238. *poena externa* pro *poena aeterna*, quam nulla alia editio cum hac communem habet. Ejus Variantibus additae sunt literae: *Dil.* Praeter hanc editionem Dilingensem eodem anno 1564 alia Dilingae exiit editio in 12mo, non ubique cum hac nostra conveniens.

Praeter quinque allatas plures etiam eodem anno Romae *typis Manutianis* in triplici forma, evulgatae exstant editiones, in summa undecim *). Inter quas ea, quae prima et originalis judicatur, est in folio, habet paginas 239, notis numerorum Romano more distinctas, et hunc prae se fert titulum: *Canones et Decreta sacrosancti oecumenici et generalis Concilii Triden-*

*) Vid. Ant. Aug. Renouard *Annales de l'imprimerie des Alde. Ed. 2.* Tom. II. p. 35 sqq.

*tini sub Paulo III, Julio III, Pio IIII, Pontificibus Max. Romae, apud Paulum Manutium, Aldi F. M. D. LXIIII. Cum Privilegio Pii IIII. Pont. Max.* Nullum ea continet indicem nec dogmatum, nec reformationis, et abest ab illa Bulla Confirmationis. Privilegium pontificium, quod pag. 2. reperitur sub hoc titulo: *Exemplum privilegii*, quodque initialia habet verba: *Motu proprio etc. Cum nuper ad hujus almae Urbis ornamentum* etc., et subjecta haec: *Placet motu proprio*, sine die dati privilegii, toto coelo differt ab eo, quod in aliis editionibus Romanis, folii magnitudine aequantibus et eodem anno vulgatis, occurrit. Hujus editionis et secundae in folio plura exstant exemplaria, in quibus menda typographica manu correcta sunt; et ad hujus editionis exemplar expressa est editio Lovaniensis in 4^to^, quae inter Variantes signo *Lov.* 2. occurrit, quamque edidit *Petr. Zangrius*, Tiletanus, hoc titulo: *Canones et Decreta S. S. et generalis Concili Tridentini; omnia sedis apostolicae auctoritate confirmata, et ad romanum exemplar, etiam antequam a Mazarello et Sociis, ab erratis typographicis esset correctum.*

Editio in quarta folii parte, *Rom.* 1. in Variantibus, eodem anno iisdemque typis prodiisse videtur ante reliquas anni 1564. Romanas editiones; eumdem, quem praecedens exemplar, prae se fert titulum; abest ab ea index dogmatum et reformationis; abest Bulla Confirmationis: sistit tamen ut praecedens Confirmationem Concilii; paginas habet 284 notis numerorum arabicis distinctas; Privilegium pontificium, quod pag. 2. occurrit, idem est cum eo, quod in praecedente editione conspicitur. Occurrunt etiam in ea, ut in priori exemplari, menda quaedam circa distinctionem et ordinem quorundam Capitum. Sic Sess. XIII., de Reform. tantum exhibet VI Capita; septimum enim et octavum sine ulla distinctione juncta reperiuntur Capiti sexto. In Sessione XIV., Cap. I. Decreti de Reform.

sine ulla Prooemii nota, initialia habet verba: *Cum proprie Episcoporum*, et finitur his: *restitutio suffragetur.* In eadem Sessione XIV. de Reform., titulus Decreti post Cap. XIII. non designatur per Cap. XIII., sed per verba: *Indictio futurae Sessionis.* Sessione XXI., Prooemium Decreti de Reform. jungitur Capiti I., sine ulla Prooemii mentione: in Sessione XXII., Cap. I. de Reform. incipit a verbis: *Eadem sacrosancta Synodus*, id quod denuo occurrit Sessione XXV. in exordio Decreti de Regularibus et Monialibus. Ad hanc editionem impressa est Romae alia in 8vo, paginis 336 constans, et alia Venetiis in 8vo, quae inter Variantes nomen *Ven. 2.* habet, sine privilegio, et sine ulla alia notatione in titulo, quam Anchorae et dati et nominis Aldi.

Cum autem prioris editionis exemplaria minus in aliquibus Autographo convenire comperta essent, *Angelus Massarellus*, qui Concilio a Secretis fuerat, ea emendanda suscepit. Itaque adhibitis duobus ejusdem Concilii Notariis, editionem hanc cum Autographo diligenter contulit, atque, ubi discrepare animadverterat, aut sua aut Notarii manu correxit, utque fides emendationi rite peractae constaret, ad calcem correcti voluminis testimonium sequens apponi curavit:

*Nos sacri oecumenici et generalis Concilii Tridentini Secretarius et Notarii infrascripti, Decreta ipsius sacri Concilii in praesenti volumine contenta cum Originalibus contulimus. Et quia cum eis concordare reperimus, ideo hic in fidem manu propria subscripsimus.*

*Ego* Angelus Massarellus, *Episc. Thelesinus, sacri Concilii Tridentini Secretarius.* ✠.

*Ego* Marcus Antonius Peregrinus, *Clericus Comensis, sacri Concilii Tridentini Notarius.*

*Ego* Cynthius Pamphilus, *Clericus Camerin. Dioecesis, sacri Concilii Tridentini Notarius.*

Ad hujus peractae a Massarello et Notariis Concilii correctionis normam *Paul. Manutius* eod. anno 1564. aliam editionem folii magnitudine concinnavit, cujus titulus ita se habet: *Canones et Decreta sacrosancti oecumenici et generalis Concilii Tridentini sub Paulo III. Julio III. Pio IIII. Pontificibus Max. Index Dogmatum et Reformationis. Romae, apud Aldum Manutium, Aldi F. MDLXIIII. In Aedibus Populi Romani.* Sistit haec editio loca, quae in primo exemplari calamo correcta erant, typis expressa; habet eandem Secretarii et Notariorum subscriptionem; paginae notis numerorum Romanis distinctae numero paginarum primae editionis respondent, et Bulla Confirmationis, ut in praecedentium editionum exemplaribus, abest. Hoc tamen interest, quod huic editioni subjectus fuerit *Index dogmatum et reformationis breviter collectus*, qui paginas XI, nullis numeris notatas, occupat. Privilegium Pii IV., quod in ea pag. II. reperitur sub titulo: *Motus proprius Pii IV. Pont. Max.* initialia habens verba: *Motu proprio etc. Cum nuper nos dilecti filii Pauli Manutii* etc. et subjecta haec: *Placet motu proprio D. N. Papae. C. Cardinalis Borromeus. Datum Romae apud Sanctum Petrum, quarto Idus Aprilis, anno quinto*, in totum differt ab eo, quod in duabus praecedentibus editionibus conspicitur, et idem est, quod in omnes editiones Manutianas, postea evulgatas, transiit. Menda quaedam in quarumdam Sessionum titulis incorrecta habet. Sic pag. 122. Sessio XVIII. celebrata dicitur *XVI. Februarii* 1562 pro *XXVI. Februarii* 1562; pag. 127. Sessio XIX. *die XXIIII. Martii* 1562 pro *XIIII. Maji* 1562; et pag. 129. Sessio XXI. *die XXVI. Julii* 1562 pro *die XVI. Julii* 1562. Utcumque haec editio, quae in Variantibus nota *Rom.* 2. distincta occurrit, loca, quae in primo exemplari calamo correcta, impressa sistat, variis tamen in locis varietas quaedam deprehenditur. Ad hanc editionem formatae sunt non solum ea, quae Venetiis in 8vo ex typographia *Aldi*

*Manutii* in 8^vo^, foliis 184 numeris arabicis notatis et foliis 24 non notatis, prodiit *), et in serie Variantium per *Ven.* 2. indicatur, sed etiam duae Antverpienses, in forma quarta, quarum una titulum habet: *Canones et Decreta Concilii Tridentini in forma authentica, uti a Pontifice missum est;* altera vero hanc prae se fert inscriptionem: *Canones et Decreta Concili Tridentini, nunc demum ad prototypa et originalia Acta collati et jam postremum summa fide et diligentia excusi.*

Editio tandem, quae Variantibus interest sub signo *Rom.* 3., eumdem habet cnm praecedente et titulum et formam, nisi quod in illa annus editionis hoc modo indicetur: *Romae MDLXIV.* Paginas numerat 239, omnes numeris Arabicis distinctas: reperitur in ea *Bulla Confirmationis* cum subscriptionibus Cardinalium IV paginas occupans, nulla tamen Secretarii aut Notariorum subscriptio; reperitur p. 2. *Pii IV. Privilegium*, nisi quod nomen Cardinalis *Borromei* mendose exprimatur hoc modo: *C. Cardinalis Boriomeus;* reperitur *Index dogmatum et reformationis* XI paginas explens, cum hoc tamen discrimine, quod in ejus titulo non legantur verba *breviter collectus*, et Index ipse finiatur cum littera X, in haec verba: *Xysti IIII. Decretum de conceptione B^tae^ Mariae Virginis . . . Fol. 25.*, cum praecedentis editionis Index finiatur cum littera V, in haec verba: *Vota Regularium 204. Monialium.... 215.*; reperitur tandem §. 160. denuo *peculiaris Spiritus Sanctus*, qui jam in prima editione sistebatur, sed a Correctoribus ejectus erat. — Haec editio mater fuit trium aliarum editionum typis Manutianis Romae in 8^vo^ evulgatarum, quae omnes annum impressionis 1564. prae se ferunt, et duarum Venetiis a. 1565. itidem in 8^vo^ expressarum, quarum posterior Bullam Confirmationis et aliam declaratoriam habet, quae priori desunt.

---

*) Vid. Renouard *l. c.* p. 40.

Praeter adductas editiones inter Aldinas notatu digna adhuc obvenit ea, quae Venetiis a. **1567** in 8$^{vo}$, luci exposita est sub titnlo: *Canones et Decreta S. S. generalis Concilii Tridentini, quibus adjunximus christianorum Principum ad sacrum Concil. literas et mandata, Legatorumque ab illis missorum Orationes, una cum S. ipsius Synodi responsis, Bullas Pii IIII. super consummatione gener. Concil. Tridentini.* Additamenta etiam separatim edita habentur, cum praefatione *Dominici Farrii* (*de Farris*). Vid. Renouard *l. c.* p. **63.** sq. Repetita est haec editio a. **1595.** apud ipsum *Dominicum de Farris*, additis Bullis Pii IV. et V. Decreta quaedam explicantibus et Indice librorum prohibitorum (ultimo eorum, qui *Tridentini* nomen gerunt) a Deputatione ipsius Concilii confecto. Iisdem *Venetiis* ap. *Jo. Zilettum* anno praeterito **1566.** typis descripta est editio, cui titulus: *Canones et Decreta — cum Citationibus ex utroque Testamento et juris pontificii Constitutionibus, aliisque Conciliis, quae ab Ecclesia Rom., omnium Ecclesiarum matre et magistra, maxime probantur, collectis ab* Hor. Lutio. *Additis Pii IIII. Bullis*, in 8$^{vo}$. Laudatur haec editio a diligentia et accuratione typographi. Prima fuit cum Citationibus et Annexis. Post descriptionem Civitatis Tridentinae Catalogus occurrit curiosus, opera diversa sistens in Concilio composita.

Ex eadem typographia, ex qua a. **1590.** primum prodierant Biblia sacra vulgatae editionis ad Concilii Tridentini praescriptum emendata *), ex typographia scilicet apostolica Vaticana, in octava folii parte lucem vidit editio, quam in Variantibus per notam *Rom.* **4.** significavimus, et cujus titulus ita se habet: *Canones et Decreta — ad exemplar primae edit. Romanae, cum ipso originali collatum; additae sunt Constitutiones omnes hactenus editae huc spectantes;* quae vero

*) Vid. Renouard *l. c.* p. 164 sqq.

Romana quinta *(Rom. 5.)* a nobis nominata est, est ea, quae a. **1763**, eadem forma, ex typographia *Mainardi*, altera vice exiit. Haec, ut praefatiuncula ait, quam diligenter collata fuit non solum cum emendationibus a *Massarello* confectis, sed etiam cum authenticis Actis ipsius Concilii, in tabulario Arcis S. Angeli servatis. Subscriptiones Patrum ei subjectae eadem prorsus ratione ordineque *Mainardus* collegit, quo visuntur in authenticis Actis, nec in ullis aliis editionibus exstant. Ejus titulus hic est: ***Canones et Decreta Conc. Trident., cum Patrum subscriptionibus; accesserunt notae ab eruditis Viris, praesertim a Card. Lanfredino adjectae. Editio secunda.*** Si verum est, quod Mainardus in praefatione affirmat, et de quo dubitare nefas esset; necesse est, Massarellum et Socium, cum ab ipsis correcta exemplaria permultis in locis non conveniant cum editione Mainardina, vel in corrigendis exemplaribus debitam diligentiam non adhibuisse, vel alia Acta ad manus habuisse, ac typographus Romanus.

In Hispania prima Decretorum editio demum post octo a finito Concilio annos, a. **1571**. Salmanticae in 8^vo^ procurata est. Magnam nimirum vim exemplarium primae Romanae editionis Patres Hispanici secum in patriam attulerant *), multa ex Antverpia advenerant.

Editio saepius repetita, et ad cujus typum permultae aliae Actorum Concilii editiones in Belgio, in Gallia, in Italia, in Germania expressae sunt, est ea, quae primo a. **1640**. Antverpiae typis Plantinianis in forma duodecima prodiit, opera et cura Phil. Chiffletii, Abb. Balernensis et Eccl. Vesontinae Canonici, et quae hoc modo inscripta est: ***S. S. et oecumenici Concilii Tridentini Canones et Decreta, studio*** **Phil. Chiffletii**, ***qui***

*) Vid. *Catalogue des principaux Canonistes*, in Mr. du Puy *Commentaire sur le traité des libertéz de l'Eglise gallicane de M. Pierre Pithou* p. 142. „Cette édition fut envoyée par ordre du S. Siége à tous les Evêques du monde avec certificat de l'authencité de ce texte.“

*Annotationes, Titulos et Argumenta, it. Constitutiones XXVI ex antiquo jure desumptas, et alias Pii IV. Indices insuper adjecit.* Notulae ad marginem positae, magnam partem excerptae sunt ex Bellarmini *Observationibus* et ex Augustini Barbosae *Remissionibus*, et Lectores remittunt ad fontes, ex quibus res vel phrases Concilii haustae sunt. Quae a. **1644.** exiit pro correctissima habetur *).

Collationem variarum editionum, praesertim earum, quae nondum absoluto Concilio, adeoque ante a. **1564.** prodierant, nec non earum, quae mox a fine Concilii, ipso a. **1564.**, sed nondum adhibita authentica, multis in locis publicatae sunt, instituit Jodocus le Plat, in Universitate Lovaniensi J. V. Doctor et SS. Canonum Prof. ordin., eo consilio, ut refelleret, si fieri posset, eorum opinionem, qui existimarunt, plura Decreta vel immutata vel obtruncata esse, nec in editionibus finito Concilio vulgatis prodire, prout ab ipso Concilio constituta sunt. Contulit ergo sollicite varias, quae studiosius conquiri solent editiones cum Romana originali, variantes s. discrepantes illarum ab hac lectiones sedulo annotavit, et editioni, quam Antverpiae ex architypographia Plantiniana a. **1779.** forma quarta, prodire jussit, partim textui subjecit, partim annexit, ut ita quisque ipse judicare possit, num Lectiones hae ita a textu originali discrepent, ut iis sensus vere mutetur. Editio, cui in exprimendo textu summa religioni inhaesit, etiam quod interpunctiones attinet, utcumque hae, variis in locis, ipsi abundare viderentur, et a qua vel in minimo recedere nefas judicavit, est ea, quam inter Romanas primo loco descripsimus, cum correctionibus *Marci Antonii Peregrini*, Concilii Tridentini Notario. Textui subjecit praeter Variantium delectum Notas Chiffletii, sed suae integritati restitutas, et Animadversionibus additis, quibus sollicite notavit

*) Plura de hac editione habent Salig l. c. p. 214 sqq. 257. et le Plat *Praef.* §. XXII sqq.

spurios Gratiani textus, ad quos Chiffletius lectorem remittit, variosque alios non suis Auctoribus apud Gratianum adscriptos veris restituit; textus e Scriptura Sacra adductos non tantum per Capita, sed et per Capitum Versus citavit, Conciliorum vero textus, perperam saepe citatos, in suum statum reduxit. ARGUMENTA s. Summaria CAPITUM Patres Concilii non nisi Capitibus *de Justificatione, Poenitentiae et extremae Unctionis Sacramentis*, ac demum *de Communione sub utraque specie et Parvulorum* praeposuerunt, neque alia in editionibus Romanis a. **1564.** apparent. Quae leguntur apud JODOCUM LE PLAT partim ex exemplari Romano descripta, partim ex editione Romana a. **1763.** hausta sunt. PROCESSUS quos vocant VERBALES variis Sessionibus praemissos ex editione Concilii Trid., quae in *Generali Conciliorum Collectione* PHIL. LABBEI et GABR. COSSARTI exstat, huc translati sunt. Curavit praeterea Professor Lovaniensis, ut, quantum licuit, subnecterentur singulis Sessionibus NOMINA PATRUM, qui praemissae Sessioni interfuerunt, et, ubi iis locus esset, INDICES, qui editioni Chiffletianae additi sunt, sc. Index Extravagantium juris novissimi, quae sparsim in notis Chiffletianis citantur, Index Sessionum, Canonum et Decretorum, nec non Capitulorum Concilii Trid., et Index dogmatum et reformationis ex editione Romana Mainardi auctus. Cum autem potissimum in Belgarum suorum utilitatem editionem suam concinnaverit, Praefationi subjecit PETRI STOCKMANNI, olim in Acad. Lovan. Legum Professoris, *Relationem gestorum circa Concilii Tridentini in Belgio promulgationem et receptionem*, quae extat ad calcem operis, cui titulus: *Jus Belgarum circa Bullarum pontificiarum receptionem.* Utilitati inserviturus Belgarum et Non-Belgarum stat in fine Praefationis: *Ordo legendi Decreta reformationis per Concilium Trid. facta, distinctus per Titulos et Capita.*

Ad hanc hucusque descriptam editionem Plateanam formata jam est nostra, omissis tamen, quae ad rem

nostram minus facere viderentur. Quae in ejus Praefatione de editionibus Canonum et Decretorum Concilii Trid. leguntur, in hac nostra aliter disposita et auctiora reddidimus.

---

Longe aliter, quam cum editionibus Canonum et Decretorum Concilii Tridentini, res se habet cum editionibus librorum, qui ex decreto Concilii elaborati sunt, inter quos praecipuus est CATECHISMUS ROMANUS. Cum enim editioni authenticae Canonum et Decretorum multae aliae praeivissent, usui privato destinatae et nulla alia auctoritate pollentes, quam ea, quae iis ab editoribus adjungere poterat; Catechismi Romani editio, quae primum publici juris facta est, statim authentica fuit. Exiit autem haec editio hoc titulo: *Catechismus, ex Decreto Concilii Tridentini, ad Parochos, Pii Quinti Pont. Max. jussu editus. Romae, in aedibus Populi Romani apud Paulum Manutium M. D. LXVI.* in fol. 359 pagg. Privilegium Pii V. datum VII. Kal. Oct. huic editioni praefixum inter alia haec habet verba: „Qui liber cum Deo juvante perfectus in lucem edendus sit, providendum duximus, ut quam diligentissime et fidelissime imprimatur. Itaque in hac alma Urbe eum potissimum imprimi voluimus dilecti filii Pauli Manutii diligentia, qui alios ecclesiasticos libros hic imprimere solet.“ *) Paulo post in eadem typographia impressa est editio in 8vo, 650 pagg. constans, et in omnibus ab editione in folio facta dependens. Exiit ea duobus privilegiis Philippi II.,

---

*) PIUS V. Ep. ad Card. Stanisl. Hosium d. d. 28. Sept. 1566., qua illum ad curandam Catechismi versionem polonicam excitabat, ap. JAC. DE LADERCHIO in *Annal. eccl.* a. 1566. n. 343. „Quod prohibuimus, ne cui praeter Manutium liceret, eum (Catechismum) intra certum tempus conversum in vulgarem sermonem imprimere, id eo consilio fecimus, quod veriti fuimus, ne quis aut parum fideliter conversurus, aut indiligenter impressurus esset.“

Regis Hispaniae et Siciliarum, munita, quorum unum ad regnum Neapolitanum, alterum ad Ducatum Mediolanensem spectat, eamque plures aliae Romanae, praetermissis etiam his privilegiis, sequutae sunt, usque ad numerum paginarum huic simillimae.

Simul cum editione in 8$^{vo}$, ejusdem Pauli Manutii opera et cura, typis expressa est *Versio* Catechismi *italica*, ideo hic prae caeteris memoranda, quod ipsius Pontificis Rom. jussu facta et publicata est. Titulus, quo signatur, hujusmodi est: *Catechismo, cioe Instruttione, secondo il decreto del Concilio di Trento, a' Parochi, publicato per comandamento del santiss. S. N. Papa Pio V. et tradotto poi per ordine di S. Santità in lingua volgare dal reverendo Padre frate Alesso Figliucci. Roma, MDLXVI.* in 8$^{vo}$, 606 pagg. cum Indice XVI pagg. Pauca sunt in hac versione, quae cum originali minus concordare videntur, sed non talis sunt momenti, ut speciatim indicari mereantur. Editiones hujus versionis, quae proxime sequentibus annis quam saepissime, praesertim Venetiis in 4$^{to}$ et in 8$^{vo}$ lucem viderunt, nil nisi repetitiones, plus minus accuratae, prioris Romanae sunt.

Ad usum faciliorem deerant editioni authenticae partim Distinctiones textus in Capita cum argumentis Capitum, partim accuratior locorum S. S. in textu allegatorum designatio *). Quibus incommodis et difficultatibus removendis primus animum adjecit *Joannes de Comitibus*, qui Catechismum in IV Libros certaque Capita distributum, pluribus divinarum Scripturarum et Patrum testimoniis ad marginem additis, edidit Coloniae a. 1572. in 4$^{to}$.

---

*) Pius V, Ep. laud. ad *Stanisl. Hosium:* „Illud admonemus, ut librum cures in totidem partes, quot sunt res, quae ejus initio explicandae ponuntur, dividendum, et unamquamque earum partium suis capitibus apte distinguendam, quod in prima ejus editione, quorundam incuria, parum diligenter factum fuisse, moleste tulimus."

Paulo aliam rationem in dividendo per Capita Catechismo secutus est *Andreas Fabricius*, Leodius, Praepositus Collegii Canonicorum Ecclesiae Oettingensis, magnus Ecclesiae Lutheranae adversarius, qui interpositis Quaestionibus, ad quas responsiones ipsis Catechismi verbis dantur, Catechismum, continua serie doctrinae capita proponentem, in plures Sectiones divisit et Lovanii a. **1570**, in forma octava, hoc titulo typis mandavit: *Catechismus Romanus, ex decreto Concilii Tridentini et Pii V. Pont. Max. jussu primum editus; nunc vero luculentis quaestionibus, quae mox rei propositae materiam oculis subjiciant, distinctus, brevibusque annotationibus illustratus, studio et industria* Andreae Fabricii, *Leodii, illustriss. Principum Alberti et Ernesti ejus filii, Comitum Palatinorum Rheni, ac utriusque Bavariae Ducum, Consiliarii.* In fine legitur testimonium *Thomae Gozei a Bellomonte,* sacrae theologiae Professoris his verbis conceptum: „Video hic per omnia servari textum Catechismi Tridentini: et quaestiones ac marginales annotationes deprehendi lectoribus utilissimas fore. Actum Lovanii, **26** Augusti. Anno **1570**." Optimae hujus editionis reimpressiones sunt eae, quae Antverpiae ex officina Plantiniana prodierunt. Quibus causis permotus manum operi admoverit, ipse refert Fabricius in Praefatione ad *Othonem*, Episc. Card. Praenestinum et Augustanum. Scribit enim: „Causis — maximis, perinde ac honestissimis incitatus — coepi cogitare, qua ratione divitiae coelestes Catechismo — conclusae pluribus communicare possent. Commentariis prolixioribus eundem explicare videbatur non modo operosum, verum etiam multis, qui brevitate potissimum capiuntur, minus gratum futurum: detrahere autem quicquam illi operi, quod doctissimorum totius orbis christiani hominum consensus approbasset, piaculi loco habuimus. Nec satis prudenter visus est nobis posse agere, qui occupatus ut Pastorum promoveat studia, aliquid illi doctrinae subdu-

cat, quam praecipuae quaeque religionis columnae inter docendum sequendam et ad Pastorum institutionem necessariam judicassent. His et aliis gravissimis causis permotus operae pretium duxi, *relicta Catechismo ordinis et rerum sua majestate*, eum dumtaxat luculentis quaestionibus distinguere, ex quibus rudiores quid per singula capita totoque contextu investigare ipsos oporteat confestim intelligant; et qui doctiores sunt alterius labore suos allevient, rebusque aliis ad curas ecclesiasticas necessariis impendere possint. Eo etiam magis hanc ingredi viam placuit, quod intelligerem κατήχησιν esse eruditionem vocalem, apostolicamque catechizandi rationem, cujus speciem in mysteriis Baptismi etiamnum retinet Ecclesia, interrogationibus et responsionibus constitisse. Unde etiam factum est, ut qui rudimenta fidei tradebat κατηχιστὴς, et qui religionis candidatus erat κατηχούμενος diceretur.“ Stetit Fabricius promissis. Praeter ea, quae forma quaestionum quam elegit necessario mutanda secum tulit, tantum transitus formulas, quibus usus est Catechismus, passim variavit, et quaedam, sed quae sunt nullius plane momenti, hic inseruit, illic omisit et tertio loco transposuit. Marginalibus, quas addidit Annotationibus praeter rerum summam, loca affinia sibique mutuo respondentia et quae per Synodum Tridentinam sunt explicata, indicantur.

Textus nostrae editionis respondet, si interpunctionem et scribendi rationem a nobis receptam excipias, editioni authenticae, quae nobis, intercedente Viro illustrissimo, *Chr. Guil. Schweitzero*, Magno Duci Saxoniae a Consiliis intimis, praesidio et dulci decore nostro, ex Bibliotheca regia Dresdensi summa cum benevolentia concredita est. Variantes lectiones addere non erat, quod operae pretium duceremus, cum earum annotatio nullum omnino momentum ad constituendam historiam textus habere possit. Magis vero e re nostra esse judicavimus, praemittere textui Anonymi, vel potius *Antonini Re-*

*ginaldi* *), *Apparatum ad Catechismum*, in quo ratio, auctores, auctoritas, approbatores et usus ejus declarantur, et qui primus editioni Catechismi Lovaniensi a. 1678 in 8vo additus invenitur.

---

Professionum fidei, quas in nostra Collectione exhibuimus, non unius ejusdemque sunt generis: aliae enim sanctione pontificia gaudent, et, ita jubente Sede apostolica, ab hominibus certae conditionis et negotii sunt edendae, aliae vero hac sanctione destitutae a Synodis provincialibus factae, vel etiam a privatis, quibus jus et potestas ejusmodi professiones faciendi per se non erat, profectae sunt.

Quae sanctionem habent pontificiam leguntur p. 307, 310, 321 et 341. Earum prima, quae incipit verbis: *Injunctum nobis apostolicae servitutis officium*, quaeque juxta Concilii Tridentini dispositionem (§. 441.) et articulos a Sede apostolica praescriptos concepta et contexta est, e *Magni Bullarii Romani*, quod juxta exemplar Romanum Luxemburgi a. 1727. excusum est, *Tomo secundo* huc translata est. Eadem etiam in Actis Conciliorum quam saepissime occurrit, et primo quidem in *Actis Concilii Toletani* a. 1565. habiti, deinde vero in Actis Conciliorum *Mediolanensis IV.* a. 1576, *Rhemensis*, *Burdigalensis* et *Turonensis* a. 1583, *Bituricensis* a. 1584, *Aquensis* a. 1585 et pluribus aliis. Quae sub nomine *Symboli fidei* in Actis Concilii Toletani habetur, in quibusdam Articulis non parum differt ab authentica, prout in Bullario exhibita est. Articulus VII. enim, quo fatemur, sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi, plane

---

*) Vid. J. Chph. Köcher *Catechet. Gesch. der päbstischen Kirche* p. 92 sq.

omissus est; et in Artic. VIII. pro *venerandos atque invocandos esse* legitur tantum *venerandos esse*, et in Artic. X., ubi sunt verba *omnium Ecclesiarum matrem et magistram* omittit *et magistram*, et in fine *et viro*; Articulus autem XI. plane aliter sonat apud Toletanos Patres, quam in Professione, in hunc scilicet modum: „Cetera item omnia, qua a sacris Canonibus et oecumenicis Conciliis, ac praecipue ab eadem sacrosancta Tridentina Synodo diffinita sunt, tam in his, quae ad exstirpandas haereses, quam in iis, quae ad morum reformationem pertinent, ejusdem sanctae Synodi Decretum secuta recipit et omnino recipienda ab omnibus esse decrevit, haeresesque omnes ab iisdem sacris Canonibus et generalibus Conciliis, et praesertim ab eadem sancta Synodo Tridentina damnatas, detestatur et anathematizat. *)" Forma Professionis, quae p. 310. proposita est, ejusdem *Bullarii Tom. II.* continetur; Decreta vero et Articuli fidei jurandi per Episcopos etc., quorum notitia p. 321. datur, *Odoricus Raynaldus* ex Card. *Spadae* Actis Consistorii msptis nobis servavit, et in *Annalibus ecclesiast. Baronii continuatis*, sub a. 1560. n. 64. publici juris fecit, hac nota praemissa: „(Pius IV.) publicavit Decreta et Articulos fidei jurandos per Episcopos et alios Praelatos in susceptione muneris Consecrationis, et mandavit in expeditione literarum addi, in solita forma juramenti, ac registrari in Quinterno Cancellariae tenoris hujus." Professionem orthodoxam fidei a Graecis emittendam, quae ultimum inter nostras Professiones locum tenet, e *Bullario Magno*, T. II. p. 429., quod eam sine omni introductione proponit, recudendam curavimus.

Earum Professionum, quae sanctione pontificia non sacratae sunt, in Additamentis tres numero dedimus. Quae primo loco posita invenitur ex *Actis Concilii Lo-*

*) Saligius l. c. p. 180.

*viliensis*, a. 1556. habiti, *Edm. Martene* et *Ursin. Durand* in suam *Veterum Scriptorum et Monumentorum — amplissimam Collectionem*, Tom. VIII. p. 1446 sq. receperunt, et exinde nos eam nostrae Collectioni inseruimus. Canones super abusibus Sacramenti Ordinis, qui tertium locum in Additamentis implent, ex *Actis Concilii Tridentini*, ab *Angelo Massarello*, Concilii Secretario et *Johanne Curtenbrosche*, Anglo, qui Concilio interfuit, conscriptis per eosdem *Martene* et *Durand* l. c. p. 1325 sqq. in nostram notitiam venerunt. Confessio tandem romano-catholica in Hungaria Evangelicis publice praescripta, vulgo *das Ungarsche Fluchformular* nominata, ex G. Chr. F. Mohnike *Urkundliche Gesch. der sogenannten Professio fidei Tridentinae* *) p. 88 sqq. typis describi curavimus, et Lectorem, qui plura de hac Professione et ejus origine et auctoritate scire cupit, ad hunc librum et ejus Appendicem: *Zur Geschichte des Ungarschen Fluchformulars* **), remittimus.

---

De Chrestomathia symbolica, quam Documentis Ecclesiae romano-catholicae symbolicis annectere non alienum esse a consilio nostro duximus, breviter nos explicare possumus. Non propterea solum adesse eam voluimus, ut exinde eluceat, quam diversum sit opinionum arbitrium in causa religionis et Ecclesiae christianae, et quam oppositae sint inter se fidei doctrinae, quas variae inter Christianos Ecclesiae confitentur; sed hoc etiam spectavimus, ut formae Professionum vel Symbolorum varietas appareat, et quis sensus humanitatis, quaeque ratio religionis, quae doctores christianos maxime deceat, in auctoribus eorum fuerit, palam fiat.

*) Gryph. 1822.
**) Ibid. 1823.

Quae primo loco in hac Chrestomathia leguntur, desumta sunt e libro: *Ὀρθόδοξος Ὁμολογία τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας τῆς ἀνατολικῆς* inscripto, qui cum versione latina *Laurentii Normanni*, quam pro textu originali, lingua neo-graeca conscripto, dedimus, Lipsiae a. 1695. in 8$^{vo}$ ap. Thom. Fritschium luci publicae expositus est. In textu originali Quaestio 1. ita se habet:

*Ἐρώτησις ά.*

*Ὁ ἄνθρωπος ὁ χριστιανὸς ὁ ὀρθόδοξος καὶ καθολικὸς, τὶ χρεωστεῖ νὰ φυλάττῃ, διὰ νὰ κληρονομήσῃ τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον;*

*Ἀπόκρισις.*

*Πίστιν ὀρθὴν, καὶ ἔργα καλά. Διατὶ ὁποῖος τὰ δύο ταῦτα κρατεῖ εἶναι καλὸς χριστιανὸς, καὶ ἔχει βεβαίαν ἐλπίδα τῆς αἰωνίου σωτηρίας· μαρτυρούσης τῆς ἁγίας Γραφῆς· Ὁρᾶτε ὅτι ἐξ ἔργων δικαιοῦται ἄνθρωπος, καὶ οὐκ ἐκ πίστεως μόνον· καὶ ὁ λόγος κατώτερον· Ὥσπερ γὰρ τὸ σῶμα χωρὶς πνεύματος νεκρόν ἐστιν, οὕτω καὶ ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρά ἐστι· καὶ ἀλλαχοῦ ὁ Παῦλος ὁ θεῖος λέγει τὸ αὐτό. Ἔχων πίστιν καὶ ἀγαθὴν συνείδησιν· ἥν τινες ἀποσάμενοι περὶ τὴν πίστιν ἐναυαγῆσαν· καὶ ἀλλαχοῦ· Ἔχοντες τὸ μυστήριον τῆς πίστεως ἐν καθαρᾷ συνειδήσει.*

Quibus Graecorum succinta sint pectora curis docet Quaestio 91.

Quae sequuntur sub literis B. C. et D. expressa sunt e *Corpore et Syntagmate Confessionum fidei, quae in diversis regnis et rationibus Ecclesiarum nomine fuerunt authentice dictae, in celeberrimis Conventibus exhibitae, publicaque auctoritate comprobatae,*

quod altera vice Genevae, sumptibus *Petri Chouët*, in 4to prodiit. Moderationis et modestiae, quibus laetemur, multa in iis insunt documenta.

Quaestiones, sub E., ex *Catechismo Heidelbergensi* s. *Palatino*, qui Neostadii in Palatinatu per *Matth. Harnisch* a. 1585. in 8vo excusus est, huc translatae sunt.

Sub F. inveniuntur ROB. BARCLAII *Theses de doctrina Quackerorum*. Fons, ex quo in nostram Collectionem fluxerunt, fuit CHR. EBERH. WEISMANNI *Introductio in Memorabilia ecclesiastica historiae sacrae N. T.*, ubi edit. 2. Tom. II. p. 581 sqq. leguntur.

Catecheseos Racoviensis Excerpta, quae septimum locum implent, expressa sunt ad typum *Catechesis Racoviensis*, quam ad fidem editionis primae a. 1609. recensuit *Ge. Lud. Oederus*, et Francofurti et Lipsiae ap. *Jo. Ad. Schmidium* a. 1739. typis mandari curavit, collata tamen editione rarissima, quae a. 1659. Irenopoli i. e. Amstelodami, in lucem exiit ita inscripta: *Catechesis Ecclesiarum Polonicarum, Unum Deum Patrem, illiusque Filium unigenitum, una cum Spiritu Sancto ex S. Scriptura confitentium Anno Chr.* 1609. *in lucem primum emissa, et post per Viros aliquot in eodem Regno correcta. Iterumque interpositis compluribus annis a* JOH. CRELLIO, *Franco, ac nunc tandem a* JONA SCHLICHTINGIO A BUCOWIEC *recognita, ac dimidia amplius parte aucta.* Verba, quibus Editor Praefationi suae finem statuit, prae multis digna sunt, quae saepius in animo Doctoris theologi agitentur, quare et Nos nostrae Praefationi iis finem faciamus. Sunt autem haec: „Non erubescendum putamus, si Ecclesia nostra in quibusdam proficiat. Non ubique clamandum: Credimus; sto in filo; hic pedem figo, hinc me dimoveri ne tantillum quidem patiar. Stoicorum enim est, omnia mordicus defendere, et in sententia praefracte atque obstinato animo permanere. Christiani Philosophi, seu

sapientiae illius superne venientis Candidati est, εὐπειθὴν esse non αὐθάδη, persuaderi facilem esse non pertinaciter sibi placentem, paratumque cedere sententia, ubi alia vicerit melior. Hoc animo semper nostra edimus: et nunc scito, Lector, Catechesin hanc subjici tuo judicio et examini. Si qua in re Nos extra veri viam ferri censes, amice mone; ubi Nos justis ac solidis rationibus conviceris, certus esto, Nos non fore veritati refractarios, qua Nobis nihil est antiquius. Utinam hoc animo sint omnes qui Christi nomine censeri amant! facilius vinceret veritas. — Quod superest, comprecamur Deum omnis gratiae, ut pulsis errorum tenebris, quae incubant christiano orbi, faxit pro sua misericordia, ut omnes inoffenso pede decurramus fidei ac pietatis stadium, brabeumque aeternae salutis obtineamus in glorioso adventu Domini ac Servatoris nostri Jesu Christi, cui una cum Deo Patre sit laus, honor et gloria in omnem seculorum perennitatem. Amen."

I.

# CANONES ET DECRETA

## CONCILII TRIDENTINI.

# BULLA INDICTIONIS
## SACRI OECUMENICI ET GENERALIS
# CONCILII TRIDENTINI,
## SUB PAULO III. PONT. MAX.

Paulus Episcopus, *servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.* Initio nostri huius pontificatus, quem non ob merita nostra, sed propter suam magnam bonitatem Dei omnipotentis providentia nobis commisit, cernentes jam tum, in quas perturbationes temporum quotque incommoda rerum fere omnium nostra pastoralis solicitudo et vigilia esset vocata, cupiebamus quidem mederi christianae reipub. malis, quibus illa jam dudum vexata et propemodum oppressa est, sed ipsi etiam, ut homines circumdati infirmitate (*Hebr. V,* 2.), ad tantum onus tollendum impares vires nostras esse sentiebamus. Nam cum pace opus esse intelligeremus ad liberandam et conservandam a plurimis impendentibus periculis remp., omnia invenimus odiis et dissensionibus plena, „*dissentientibus*" praesertim principibus iis inter se, quibus summa rerum pene omnis a Deo permissa est. Cum unum ovile et unum pastorem dominici esse gregis (*Joan. X,* 16.), ad integritatem christianae religionis et ad caelestium bonorum spem in nobis confirmandam, necessarium duceremus; schisma-

VARIANTES.

Al. *dissidentibus.*

tis, dissidiis, haeresibus erat christiani nominis divulsa jam pene et lacerata unitas. Cum tutam atque munitam ab infidelium armis atque insidiis remp. optaremus, nostris erratis nostraque cunctorum culpa, Dei videlicet ira peccatis nostris imminente, Rhodus fuerat amissa, Hungaria vexata, conceptum et meditatum contra Italiam contraque Austriam et Illyricum terra marique bellum: cum impius et immitis hostis noster Turca nullo tempore requiesceret, nostrorumque inter se odia et dissensiones suam bene gerendae rei occasionem duceret. Igitur, ut dicebamus, in tanta haeresum, dissensionum bellorumque tempestate, tantisque excitatis fluctibus, cum essemus ad moderandam et gubernandam Petri naviculam vocati, nec viribus ipsi nostris satis fideremus, primum conjecimus in Domino cogitatus nostros, ut ipse nos nutriret *(Psalm. LIV,* 23.), animumque nostrum firmitate et robore, mentem consilio sapientiaque instrueret. Deinde animo repetentes, majores nostros, sapientia admirabili et sanctitate praeditos, saepe in summis christianae reipub. periculis remedium optimum atque opportunissimum, oecumenica Concilia et Episcoporum generales conventus adhibuisse; ipsi quoque animum ad generale habendum Concilium adjecimus, exquisitisque Principum sententiis, quorum nobis videbatur utilis inprimis et opportuna ad hanc rem esse consensio; cum eos tunc non alienos ab hoc tam sancto opere invenissemus, oecumenicum Concilium et generalem eorum Episcoporum aliorumque Patrum, ad quos pertineret, conventum in civitate Mantuae indiximus, anno incarnationis Domini. sicut litteris et monumentis nostris testatum est. M. D. XXXVII., pontificatus nostri tertio, ad X. Kal. Jun. inchoandum; spem prope certam habentes, fore ut, cum illic in nomine Domini essemus congregati, ipse, sicut promisit Dominus *(Matth. XVIII,* 20.*)* in medio nostrum affuturus, et bonitate ac misericordia sua omnes temporum procellas omniaque pericula spiritu oris sui facile depulsurus esset. Sed, ut semper insidiatur piis actionibus humani generis hostis, primum contra omnem spem et expectationem nostram denegata fuit nobis Mantuana civitas, nisi aliquas conditiones subiremus, ab institutis majorum nostrorum et conditione temporum, nostraque ad hujus S. Sedis ac nominis ecclesiastici dignitate libertateque prorsus alienas. quas in aliis nostris litteris expressimus. Quapropter alium invenire locum aliamque deligere civitatem necesse habuimus: quae

cum non statim nobis occurreret idonea et apta, ad sequentes Kal. Nov. prorogare Concilii celebrationem fuimus coacti. Interim saevus et perpetuus hostis noster Turca ingenti classe Italiam adortus, aliquot oppida in littoribus Apuliae cepit, vastavit, diripuit, praedas hominum abegit: nos in maximo timore et periculo omnium, muniendis littoribus nostris finitimisque auxilio juvandis fuimus occupati: nec tamen interea destitimus consulere et hortari christianos Principes, ut, de idoneo ad habendum Concilium loco quid sentirent, nobis exponerent: quorum cum essent incertae variaeque sententiae, tempusque diutius, quam erat opus, videretur extrahi, nos optimo animo atque, ut arbitramur, etiam consilio Vicentiam elegimus, urbem copiosam, et Venetorum, qui eam nobis concedebant, virtute, auctoritate, potentia cum aditum patentem, tum stationem omnibus liberam atque tutam inprimis in se habentem. Sed cum jam tempus longius progressum esset, novaeque urbis electionem omnibus significari conveniret, jamque Kal. Nov. appetentes facultatem hujus divulgationis excluderent, hiemsque esset propinqua; rursus altera prorogatione tempus Concilii differre in proximum sequens ver, Maiique futuras Kalendas, compulsi fuimus. Qua re firmiter constituta atque decreta, cum et nos ipsos et cetera omnia ad eum bene agendum, Deo juvante, celebrandumque conventum pararemus, plurimum reputantes interesse cum celebrationis Concilii, tum universae christianae reipub. christianos Principes pace inter se et concordia consentire; carissimos in Christo filios nostros, Carolum Romanorum imperatorem, semper augustum, et christianissimum regem Franciscum, duo praecipua christiani nominis firmamenta atque subsidia, orare atque obsecrare institimus, ut ad colloquium inter se et nobiscum una convenirent; quorum quidem apud utrumque litteris, nuntiis et a latere nostro missis ex venerabilium fratrum nostrorum numero legatis, saepissime egeramus, ut ex simultate et dissidiis ambo in unum foedus et piam amicitiam vellent convenire, labentibusque succurrere christianis rebus, quarum servandarum cum esset illis potestas ab Deo praecipue tributa, si id non agerent, et ad commune Christianorum bonum sua consilia non dirigerent, acris et severa ratio eidem Deo ab ipsis reddenda esset. Qui aliquando precibus nostris annuentes, Nicaeam se contulere. Quo nos quoque longum iter et senili aetati nostrae vehementer contrarium, Dei et pacis

conciliandae causa, suscepimus; neque praetermisimus interea, cum tempus Concilii praestitutum, Kalendae videlicet Maiae, appropinquarent, tres legatos summae virtutis ac auctoritatis a latere nostro, de numero eorumdem fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Vicentiam mittere, qui initium Concilii facerent, Praelatosque undique venientes exciperent, et ea, quae judicarent esse opus, agerent et tractarent, quoad nos ab itinere et negotio pacis reversi, omnia accuratius dirigere possemus. Interim vero in illud sanctum opus maximeque necessarium, tractationem videlicet pacis inter Principes, incubuimus, et quidem omni animi studio, omni pietate ac diligentia. Testis est nobis Deus, cujus freti clementia nosmetipsos itineris et vitae periculo exposuimus. Nostra testis conscientia, quae nihil habet in hac re quidem, in quo nos arguat aut praetermissae, aut non quaesitae ad pacificandum occasionis. Principes ipsi testes, quos tam saepe tamque vehementer nuntiis, litteris, legatis, monitis, hortatu, precibusque omnibus obsecraveramus, ut simultates deponerent, ut societatem coirent, ut christianae reipub. in maximum et propinquum iam adductae discrimen, communibus studiis et subsidiis opitularentur. Jam vero testes illae vigiliae atque curae, illi diurni nocturnique animi nostri labores gravesque solicitudines, quas ob hanc rem et causam plurimas jam suscepimus: nec tamen ad optatum exitum nostra consilia et acta adhuc perducta sunt. Ita enim visum Domino Deo est, quem tamen non desperamus aliquando optata nostra benignius respecturum. Ipsi quidem, quantum in nobis fuit, nihil, quod esset nostro pastorali officio debitum, in hac re omisimus. Quod si qui sunt, qui actiones pacis nostras in aliam interpretentur partem, dolemus quidem, sed tamen in dolore nostro gratias Deo omnipotenti agimus, qui ad exemplum et doctrinam patientiae nostrae suos voluit Apostolos haberi dignos, qui pro nomine Jesu, qui pax nostra est, contumeliam paterentur *(Act. V, 41.)*. Verum in illo congressu colloquioque nostro, quod Nicaeae habitum est, etsi, peccatis nostris impedientibus, inter duos Principes vera et perpetua pax non potuit confici, induciae tamen decennales factae sunt: quarum opportunitate nos sperantes et sacrum Concilium commodius celebratum iri, et deinde ex Concilii auctoritate perfici posse pacem; apud Principes institimus, ut et ipsi venirent ad Concilium, et Praelatos suos praesentes ducerent, absentesque accerserent.

Qui cum de utroque se excusassent, quod et ipsis redire in regna sua tum necesse esset, et Praelatos, quos secum habuissent, itinere atque impendiis fessos atque exhaustos recreari et refici oporteret, nos hortati sunt, ut aliam quoque prorogationem temporis habendi Concilii decerneremus. Qua in re concedenda cum essemus aliquantum difficiles, litteras interim a legatis nostris, qui Vicentiae erant, accepimus, transacto jam et longius praeterito Concilii ineundi die, unum vix aut alterum ex externis nationibus Praelatum Vicentiam se contulisse. Quo nuntio accepto, cum videremus eo tempore nulla jam ratione haberi Concilium posse, ipsis Principibus concessimus, ut differretur tempus agendi Concilii usque ad S. Pascha, diemque festum futurae dominicae resurrectionis. Cujus nostri praecepti expectationisque decretae litterae Genuae, anno incarnationis Domini M. D.XXXVIII. IV. Kal. Jul. factae publicataeque sunt. Atque hanc dilationem eo propensius fecimus, quod pollicitus est nobis uterque Princeps, legatos suos Romam ad nos se missurum, ut ea, quae ad perfectionem pacis reliqua essent, neque Nicaeae ob brevitatem temporis potuerant omnia confici, Romae commodius coram nobis agerentur et tractarentur. Et ob hanc rationem etiam a nobis ambo petierunt, ut haec pacificationis procuratio Concilii celebrationi praeponeretur, cum ipsum Concilium, pace facta, multo deinde utilius et salutarius christianae reip. futurum esset. Semper enim haec pacis spes nobis injecta Principum nos voluntatibus assentiri hortata est. Quam spem vehementer auxit post discessum a Nicaea nostrum ipsorum duorum Principum inter se benevola amicaque congressio, quae maxima nostra cum laetitia a nobis intellecta, confirmavit nos in bona spe, ut tandem aliquando nostras preces apud Deum exauditas, et vota pacis accepta esse crederemus. Hanc igitur pacis conclusionem cum et expeteremus et urgeremus; nec solum duobus antedictis Principibus, verum etiam carissimo in Christo filio nostro, Ferdinando, regi Romanorum, videretur, actionem Concilii, nisi pace facta, suscipi non oportere, cunctique a nobis per litteras suosque oratores contenderent, ut alias rursus temporis prorogationes faceremus, praecipue autem instaret serenissimus Caesar, promisisse se demonstrans iis, qui a catholica unitate dissentiunt, se operam suam apud nos interpositurum, ut aliqua concordiae ratio ini-

retur, quod ante suam in Germaniam profectionem apte non posset fieri; nos eadem semper spe pacis et tantorum Principum voluntate adducti, cum praesertim cerneremus, ne ad dictum quidem resurrectionis festum alios Praelatos Vicentiam convenisse, prorogationis nomen jam fugientes, quod tam saepe frustra fuerat repetitum, celebrationem generalis Concilii ad nostrum et sedis apostolicae beneplacitum suspendere maluimus; itaque fecimus, et de suspensione hujusmodi litteras ad singulos supradictorum Principum decima die Jun. M. D. XXXIX. dedimus, sicut ex illis perspicue potest intelligi. Ea itaque suspensione necessario per nos facta, dum tempus illud magis idoneum a nobis, pacisque aliqua conclusio expectatur, quae et dignitatem postea frequentiamque Concilio, et christianae reip. praesentiorem salutem erat allatura; christianae interea res in deterius quotidie prolapsae sunt, Hungaris, rege ipsorum mortuo, Turcam vocantibus; Ferdinando rege bellum in eos movente; Belgis ad defectionem a Caesare ex parte quadam incitatis, cujus defectionis comprimendae causa per Galliam amicissime, et cum rege christianissimo concordissime, magno benevolae inter eos voluntatis indicio, transiens in Belgas serenissimus Caesar, et illinc deinde in Germaniam profectus, conventus Germaniae Principum et Civitatum tractandae ejus, quam dixerat, concordiae causa habere coepit. Sed cum, spe pacis jam deficiente, ille quoque modus curandae in conventibus tractandaeque concordiae ad majores potius discordias concitandas aptus esse videretur; inducti fuimus ad pristinum Concilii generalis remedium reverti, idque per Legatos nostros, S. R. E. Cardinales, ipsi Caesari obtulimus, quod etiam postremo, et praecipue in Ratisponensi conventu egimus; cum illic dilectus filius noster, Gaspar tit. S. Praxedis, Cardinalis Contarenus, summa doctrina et integritate, Legatum nostrum ageret. Nam cum, id quod ne accideret antea veriti eramus, ex ejus conventus ſententia peteretur á nobis, ut ab Ecclesia dissentientium quosdam articulos tolerandos declararemus, quoad per oecumenicum Concilium illi excuterentur et deciderentur; idque nobis, ut concederemus, neque christiana et catholica veritas, neque nostra et sedis apostolicae dignitas permitteret; palam potius Concilium, ut quamprimum fieret, proponi mandaimus. Neque vero in alia unquam sententia et volun-

tate fuimus, quam ut primo quoque tempore Concilium oecumenicum et generale congregaretur. Sperabamus enim ex eo et pacem populo christiano, et christianae religionis integritatem posse recuperari; verumtamen id cum bona gratia et voluntate christianorum Principum habere volebamus. Quam voluntatem dum expectamus, dum observamus tempus absconditum, tempus beneplaciti tui, o Deus *(Psal. LXVIII, 14.)*, aliquando tandem decernere compulsi sumus, omne esse tempus beneplacitum Deo, cum de rebus sanctis et ad christianam pietatem pertinentibus consilia ineuntur. Quapropter videntes, maximo quidem animi nostri cum dolore, rem christianam quotidie in pejus ruere, Hungaria a Turcis oppressa, Germanis periclitantibus, ceteris omnibus metu moeroreque afflictis, nullius jam Principis consensum expectare, sed tantum Dei omnipotentis voluntatem et christianae reip. utilitatem attendere constituimus. Itaque cum Vicentiam amplius non haberemus, cuperemusque cum universae Christianorum saluti, tum Germanicae nationis incommodis in eligendo per nos novi Concilii habendi loco consulere, aliquotque locis propositis ipsam Tridentinam civitatem ab ipsis desiderari videremus; nos etsi in citeriore Italia commodius omnia tractari posse judicabamus, ad eorum tamen postulationes nostram voluntatem paterna caritate defleximus. Itaque Tridentum civitatem elegimus, qua in civitate oecumenicum Concilium ad proxime venturas Kalendas Novemb. haberetur, idoneum locum illum statuentes, quo ex Germania quidem aliisque Germaniae finitimis nationibus facillime, ex Gallia, Hispania ceterisque provinciis remotioribus non difficiliter Episcopi et Praelati convenire possent. Dies autem Concilii ea a nobis spectata est, quae spatium in se haberet et publicandi per christianas nationes nostri hujus decreti et facultatis omnibus Praelatis ad veniendum tribuendae. Quo minus autem annuum tempus praefiniremus mutando Concilii loco, sicut quibusdam constitutionibus aliis praescriptum est *), ea res fuit in causa, quod longius extrahi spem sanandae aliqua in parte christianae reip. quae tot detrimentis et calamitatibus affecta est, noluimus; et tamen videmus tempora, agnoscimus difficulta-

*) *Concil. Constant.* Sess. XXXIX. Decretum de Conciliis generalibus.

tes, quid sperari possit ex consiliis nostris, incertum esse intelligimus. Sed quia scriptum est: *Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet (Psal. XXXVI, 5.)*, magis Dei clementiae et misericordiae confidere, quam nostrae imbecillitati diffidere, constituimus. Saepe enim fit in bonis operibus incipiendis, ut, quod humana consilia non valent, divina virtus efficiat. Hujus igitur ipsius Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus S., ac beatorum ejus Apostolorum, Petri et Pauli, auctoritate, qua nos quoque in terris fungimur, freti atque subnixi, de venerabilium item fratrum nostrorum, S. R. E. Cardinalium, consilio et assensu sublata, amotaque suspensione, de qua supra commemoratum est, quam per praesentes tollimus et amovemus, sacrum oecumenicum et generale Concilium in civitate Tridentina, loco commodo et libero, omnibusque nationibus opportuno, ad Kalend. proximas Novemb. anni praesentis ab incarnatione Domini M. D. XLII. incipiendum, prosequendum, et, eodem Domino adjuvante, ad ipsius gloriam atque laudem, et christiani totius populi salutem absolvendum perficiendumque indicimus, annuntiamus, convocamus, statuimus atque decernimus; omnes omnibus ex locis tam venerabiles fratres nostros Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos et dilectos filios Abbates, quam alios quoscumque, quibus jure aut privilegio in Conciliis generalibus residendi et sententias in eis dicendi permissa potestas est, requirentes, hortantes, admonentes, ac nihilominus eis vi jurisjurandi, quod nobis, et huic S. Sedi praestiterunt, ac sanctae virtute obedientiae, aliisque sub poenis jure aut consuetudine in celebrationibus Conciliorum adversus non accedentes ferri et proponi solitis, mandantes arcteque praecipientes, ut ipsimet, nisi forte justo detineantur impedimento, de quo tamen fidem facere compellantur, aut certe per suos legitimos procuratores et nuntios sacro huic Concilio omnino adesse et interesse debeant. Supra autem dictos, Imperatorem, Regemque christianissimum, nec non ceteros Reges, Duces, Principes, quorum praesentia, si alias umquam, hoc quidem tempore maxime sanctissimae Christi fidei et Christianorum omnium futura est salutaris, rogantes atque obsecrantes per viscera misericordiae Dei et Domini nostri Jesu Christi, cujus veritas et religio et intus et extra graviter jam oppugnatur, ut, si salvam volunt christianam

esse remp., si se Domino obstrictos et obligatos pro maximis illius erga se beneficiis intelligunt, ne deserant ipsius Dei causam et negotium; ipsimet ad sacri Concilii celebrationem veniant, in quo ipsorum pietas atque virtus communi utilitati, salutique suae ac ceterorum, et temporali et aeternae, plurimum est profutura. Sin autem, id quod nollemus, accedere ipsi non poterunt, at graves saltem viros legatos cum auctoritate mittant, qui personam Principis sui quisque et cum prudentia, et cum dignitate possint in Concilio referre. In primis vero ut id curent, quod ipsis facillimum est, ut ex fuis cujusque regnis ac provinciis Episcopi et Praelati, sine tergiversatione et mora, ad Concilium proficiscantur. Quod maxime quidem a Praelatis, Principibusque Germaniae Deum ipsum, atque nos impetrare aequum est; ut cum eorum praecipue causa ipsisque cupientibus Concilium indictum sit, et in ea civitate indictum, quae ab eis est desiderata, non graventur ipsi sua cunctorum praesentia id celebrare et ornare; quo melius atque commodius quae ad integritatem et veritatem christianae religionis, quae ad bonorum morum reductionem emendationemque malorum, quae ad christianorum inter se tam Principum, quam Populorum pacem, unitatem concordiamque pertineant, et quae ad repellendos impetus barbarorum et infidelium, quibus illi universam christianitatem obruere moliuntur, sint necessaria, Deo nostris consultationibus praeeunte, et lumen sapientiae suae ac veritatis mentibus nostris praeferente, agi in dicto sacro oecumenico Concilio, et conspirante omnium caritate consuli, tractari, confici, ad optatosque exitus deduci quamprimum et quamoptime possint. Atque ut nostrae hae litterae, et quae in eis continentur, ad notitiam cunctorum, quorum oportet, perveniant, ne quis illorum ignorantiae excusationem praetendat, cum praesertim etiam non ad omnes eos, quibus nominatim illae essent intimandae, tutus forsitan pateat accessus, volumus et mandamus, ut in Basilica Vaticana principis Apostolorum, et in Ecclesia Lateranensi, cum ibi multitudo populi ad audiendam rem divinam congregari solita est, palam clara voce per curiae nostrae cursores aut notarios aliquos publicos legantur, lectaeque in valvis dictarum Ecclesiarum, itemque Cancellariae apostolicae portis, et Campi Florae solito loco affigantur, ubi ad lectionem et notitiam cunctorum aliquam-

diu expositae pendeant, cumque inde amovebuntur, earum nihilominus exempla in eisdem locis remaneant affixa. Nos enim per lectionem, publicationem, affixionemque hujusmodi, omnes et quoscumque, quos antedictae nostrae litterae comprehendunt, post spatium duorum mensium a die litterarum publicationis et affixionis, ita volumus obligatos esse atque adstrictos, ac si ipsimet illae coram lectae et intimatae essent, transumptis quidem earum, quae manu publici notarii scripta aut subscripta, et sigillo personae alicujus ecclesiasticae, in dignitate constitutae, munita fuerint, ut fides certa et indubitata habeatur, mandamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae indictionis, annuntiationis, convocationis, statuti, decreti, mandati, praecepti et obsecrationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae ap. S. Petrum anno incarnationis dominicae M. D. XLII., XI. Kalend. Jun., pontificatus nostri anno VIII.

Blosius.

Hier. Dand.

# SESSIO PRIMA
## SACROSANCTI OECUMENICI ET GENERALIS
# CONCILII TRIDENTINI,
### SUB PAULO III. PONT. MAX. CELEBRATA
die XIII. mensis Dec. anno Dom. M. D. XLV.

*In nomine Domini, Amen.*

Anno a nativitate ejusdem Domini nostri M. D. XLV. indictione tertia, die vero dominica tertia adventus Domini, in qua fuit festum Luciae, die XIII. m. Decembris, pontificatus Pauli, Papae tertii, a. XII. pro felici inchoatione Tridentinae Synodi fuit facta processio generalis in civitate Tridentina ab Ecclesia S. et individuae Trinitatis ad Ecclesiam cathedralem, assistentibus in ea tribus sedis apostolicae Legatis, et *Christoph. Madrucio,* tit. S. Caesarii S. Romanae Eccl. presbytero cardinali et Episc. Tridentino, nec non Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Doctoribus, ac illustr. et nobilib. viris, cum multis aliis doctoribus tum in theologia, tum in utroque jure, etiam cum magno numero Baronum et Comitum, nec non cum Clero et Populo dictae civitatis. Qua finita, Cardinalis *de Monte*, primus Legatus, celebravit missam de S. Spiritu in cathedrali Ecclesia, et Episc. Bitontinus habuit orationem. Deinde finita missa, Dom. de Monte Cardin. dedit benedictionem populo. Postmodum comparuit coram Legatis et Praelatis Mag. *Zorrilla*, Secretarius *Didaci de Mendoza*, Oratoris Caesareae et praesentavit litteras excusatorias super ejus absentia, quae fuerunt lectae alta voce. Interea lectae fuerunt bullae indictionis Concilii, postmodum *de Monte* Legatus vertit se ad Patres Concilii, dicens:

## SESSIO I.

### *Decretum dè inchoando Concilio.*

§. 1. Placente vobis, ad laudem et gloriam S. et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus S., ad incrementum et exaltationem fidei et religionis christianae, ad extirpationem haeresum, ad pacem et unionem Ecclesiae, ad reformationem Cleri et Populi christiani, ad depressionem et extinctionem hostium christiani nominis, decernere et declarare, sacrum Tridentinum et generale Concilium incipere, et inceptum esse? Responderunt, Placet.

*Indictio futurae sessionis.*

§. 2. Et cum proxima sit celebritas nativitatis Domini nostri J. Chr., et subsequantur aliae festivitates labentis et incipientis anni, placetne vobis primam futuram sessionem habendam esse die Iovis post Epiphaniam, quae erit septima mensis Ian. anno Domini M. D. XLVI.? Responderunt, Placet.

Postremo *de Monte* benedixit Synodum, et deinde Cantatores cantaverunt *Te Deum.* Super quibus omnibus *Hercules Severolus,* ipsius Concilii promotor, petiit a *Claudio de la Casa,* Clerico Virdunensis dioecesis et Notario eiusdem Concilii, et ab aliis Notariis, unum vel plura fieri instrumentum seu instrumenta.

## SESSIO SECUNDA,

celebrata die VII. mensis Ian. M. D. XLVI.

Anno a nat. Dom. M. D. XLVI., die VII, m. Ianuarii, Episcopus Castellimaris celebravit missam de Spiritu S. in Ecclesia cathedrali et in loco sessionis. Qua finita, Episcopus S. Marci habuit orationem. Deinde Cardinales et alii Praelati acceperunt pluvialia et mitras, fueruntque cantatae litaniae. Postea Card. *de Monte* benedixit Synodum, et fuerunt factae ceremoniae in sessionibus publicis fieri solitae. Deinde Episc. Castellimaris legit decretum. Quo lecto, interrogavit Patres, utrum haec placerent: qui responderunt: Placent, cum aliquibus additionibus, per aliquos ex Patribus additis. Deinde interogavit eos: Placet, quod proxima sessio fiat quarta Februarii proxime futura? Qui responderunt: Placet.

*Decretum de modo vivendi, et aliis in Concilio servandis.*

§. 3. Sacrosancta Tridentina Synodus in Spiritu S. legitime congregata, in ea praesidentibus *„eisdem tribus"* apostolicae sedis Legatis, agnoscens cum b. Jacobo Apostolo *(Jac. I, 17.)*, quod *omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum, qui iis, qui postulant a se sapientiam, dat omnibus affluenter, et non improperat eis,* et simul sciens, quod *initium sapientiae est timor Domini (Prov. I, 7. IX, 10. Psal. CX, 10. Eccles. I, 16.)*; statuit et decrevit, omnes et singulos Christi fideles, in civitate Tridentina congregatos, exhortandos esse prout exhortatur, ut se a malis et peccatis hactenus commissis emen-

VARIANTES.

§. 3. tribus *Ven. 1. 2. Ant. 1. Dil. et Lov.* eisdem, *Antv. 6. et Col.*

dare, ac de cetero in timore Domini ambulare, et desideria carnis non perficere (*Gal. V,* 16.), orationibus instare, saepius confiteri, eucharistiae sacramentum sumere, Ecclesias frequentare, praecepta denique dominica, quantum quisque poterit, adimplere, nec non quotidie pro pace Principum christianorum et unitate Ecclesiae privatim orare velint; Episcopos vero et quoscumque alios in ordine sacerdotali constitutos, oecumenicum Concilium in ea civitate concelebrantes, ut assidue in Dei laudibus incumbere, hostias, laudes et preces offerre, sacrificium missae quolibet saltem die dominico, in quo Deus lucem condidit et a mortuis resurrexit, ac Spiritum S. in discipulos infudit (*Act. II.*), peragere satagant, facientes, sicut idem Spiritus S. per Apostolum (1 *Tim. II,* 1. 2. 3.) praecipit, obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro sanctissimo domino nostro Papa, pro Imperatore, pro Regibus et ceteris, qui in „*sublimitate*" constituti sunt, et pro omnibus hominibus, ut quietam et tranquillam vitam agamus, pace fruamur et fidei incrementum videamus. Praeterea hortatur, ut jejunent saltem singulis sextis feriis in memoriam passionis Domini, et eleemosynas pauperibus erogent; in Ecclesia autem cathedrali singulis quintis feriis celebretur missa de Spiritu S., cum litaniis et aliis orationibus ad hoc institutis; in aliis vero Ecclesiis „*eadem die*" dicantur ad minus litaniae et orationes; tempore autem, quo sacra peraguntur, collocutiones et confabulationes non fiant, sed ore et animo celebranti assistatur.

§. 4. Et quoniam oportet Episcopos esse irreprehensibiles, sobrios, castos, domui suae bene praepositos (1 *Tim. III,* 2. 3. 4.), hortatur etiam, ut ante omnia quilibet in mensa servet sobrietatem (2 *Tim. III,* 8. *Tit. II,* 2.) moderationemque ciborum. Deinde, cum in eo loco saepe otiosi sermones oriri soleant, ut in ipsorum Episcoporum mensis divinarum scripturarum lectio admisceatur: familiares vero suos unusquisque instruat et erudiat, ne sint rixosi, „*vinosi*", impudici, cupidi,

VARIANTES.

§. 3. dignitate *Antv. 1. et Par. 1. Ven. 1.*
eadem die — *Ant. 1. et Par. 1. Ven. 1.*

§. 4. vitiosi *Antv. 1. et Paris. 1.*

elati, blasphemi et voluptatum „*amatores*"; vitia demum fugiant et virtutes amplectantur, et in vestitu et cultu et omnibus actibus honestatem prae se ferant, sicut decet ministros ministrorum Dei.

§. 5. Ad haec, cum hujus sacrosancti Concilii praecipua cura, solicitudo et intentio sit, ut, propulsatis haeresum tenebris, quae per tot annos operuerunt terram, catholicae veritatis lux, Jesu Christo qui vera lux est (*Joan. I, 9.*) annuente, candor puritasque refulgeat, et ea quae reformatione egent reformentur; ipsa Synodus hortatur omnes catholicos „*hic*" congregatos et congregandos, atque eos praesertim, qui sacrarum litterarum peritiam habent, ut sedula meditatione diligenter secum ipsi cogitent, quibus potissimum viis, et modis ipsius Synodi intentio dirigi, et optatum effectum sortiri possit, quo maturius et consultius damnari damnanda et probanda probari queant: ut per totum orbem omnes uno ore, et eadem fidei confessione glorificent Deum et patrem Domini nostri Jesu Christi.

§. 6. In sententiis vero dicendis, juxta Toletani Concilii statutum, in loco benedictionis considentibus Domini sacerdotibus, nullus debeat aut immodestis vocibus perstrepere aut tumultibus perturbare; nullis etiam falsis vanisve aut obstinatis disceptationibus contendere, sed quidquid dicatur, sic mitissima verborum prolatione temperetur, ut nec audientes offendantur, nec recti judicii acies perturbato animo inflectatur.

§. 7. Insuper ipsa S. Synodus statuit, ac „decernit", quod, si forte contigerit aliquos debito in loco non sedere, et sententiam, etiam sub verbo, Placet, proferre, congregationibus interesse, et alios quoscumque actus facere, Concilio durante, nulli propterea praejudicium generetur, nullique novum jus acquiratur.

*Indictio futurae sessionis.*

§. 8. Deinde indicta fuit futura sessio ad diem Iovis, quartam mensis Februarii proxime venturi.

VARIANTES.

§. 4. auctores et amatores *Antv. 1. et Par. 1.*

§. 5. in civitate hac *Antv. 1. et Paris. 1. et Ven. 1.*

## SESSIO TERTIA,

celebrata die IV. mensis Febr. M. D. XLVI.

Anno a nat. Dom. M. D. XLVI. IV. m. Febr., fuit sessio generalis, et celebrata missa de Sp. S. per Archiepisc. Parnormitanum; Mag. *Ambrosius Catharinus* habuit orationem, et Archiepisc. Turritanensis legit decretum, et interrogavit Patres, an placeret, responderuntque, sed aliqui cum certis additionibus, Placet.

### *Decretum de Symbolo fidei.*

§. 9. *In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus S.*

Haec sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu S. legitime congregata, in ea praesidentibus „*eisdem*“ tribus apostolicae sedis Legatis, magnitudinem rerum tractandarum considerans, praesertim earum, quae duobus illis capitibus de extirpandis haeresibus et moribus reformandis continentur, quorum causa praecipue est congregata; agnoscens autem cum Apostolo *(Eph. VI, 12.)*, non esse sibi colluctationem adversus carnem et sanguinem, sed adversus „*spiritales*“ nequitias in caelestibus, cum eodem omnes et singulos in primis hortatur, ut confortentur in Domino et in potentia virtutis ejus, in omnibus sumentes scutum fidei *(Eph. VI, 16.)*, in quo possint omnia tela nequissimi ignea extinguere, atque galeam spei salutis accipiant, cum gladio spiritus, quod est verbum Dei. Itaque, ut haec pia ejus solicitudo principium et progressum suum per Dei gratiam habeat, ante omnia statuit et „*decernit*“, praemittendam esse confessionem fidei, Patrum exempla in hoc secuta, qui sacratioribus Conciliis hoc scutum contra omnes haereses in principio suarum actionum „*apponere*“ consuevere, quo solo aliquando et infideles ad fidem traxerunt, haereticos expugnarunt et fideles confirmarunt. Quare Symbolum fidei, quo S. Romana Ecclesia utitur, tamquam prin-

VARIANTES.

§. 9. eisdem — *Rom. 1. Vird. Rhem. Dil. Ven. 2.*

spirituales *Rom. 2. 3. 4. 5. Antv. 1. 2. 5. Ven. 1. 2. Par. 1. Brix. Lov. 3. Col. Dil.*

decrevit *Antv. 1. 5. Par. 1. Ven. 1. Brix. Vird. Rhem. Lov. 3. Col.*

opponere, *Antv. 1. Par. 1. Ven. 1. Mediol.*

cipium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, necessario conveniunt, ac fundamentum firmum, et unicum, contra quod portae inferi numquam praevalebunt (*Matth.* XVI, 18.), totidem verbis, quibus in omnibus Ecclesiis legitur, exprimendum esse censuit. Quod quidem ejusmodi est:

§. 10. Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium; et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis, et incarnatus est de Spiritu S. ex Maria virgine, et homo factus est; crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus, et sepultus est, et resurrexit tertia die secundum scripturas, et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris; et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis; et in Spiritum S. Dominum, et vivificantem. qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas; et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, et expecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Amen.

§. 11. Eadem sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu S. legitime congregata, in ea praesidentibus eisdem tribus apostolicae sedis Legatis, intelligens multos Praelatos ex diversis partibus accinctos esse itineri, nonnullos etiam in via esse, quo huc veniant, cogitansque omnia ab ipsa sacra Synodo decernenda eo majoris apud omnes existimationis et honoris videri posse, quo majori fuerint et pleniori Patrum consilio, et praesentia sancita et corroborata, statuit et decrevit, futuram sessionem post praesentem celebrandam esse die Iovis, quae subsequetur dominicam Laetare, proxime futuram; interim tamen non differri discussionem et examinationem eorum, quae ipsi Synodo discutienda et examinanda videbuntur.

## SESSIO QUARTA,

celebrata die VIII. m. April. M. D. XLVI.

Anno a nat. Dom. M. D. XLVI d. VIII m. Apr., praesidentibus eisdem tribus apostolicae sedis Legatis, *Salvator Alexius* Archiepisc. Turritanensis, celebravit missam de S. Sp. in Ecclesia cathedrali, et loco sessionis. Deinde Generalis Servorum habuit orationem. Qua finita, Cardinales et Praelati acceperunt pluvialia et mitras: et Cantores inceperunt cantare antiphonam: *Exaudi nos, Domine, quoniam benigna est misericordia tua.* Qua finita, Diaconus clamavit, *Orate!* Quo dicto, omnes Praelati flexerunt genua et orarunt. Deinde Subdiaconus clamavit: *Erigite!* Tunc *de Monte*, primus Praesidens, dixit hanc orationem: *Adsumus, Domine Sancte Spiritus.* Qua finita, idem Diaconus dixit iterum: *Orate:* et paulo post dixit, *Erigite.* Deinde idem Praesidens dixit hanc orationem: *Mentibus nostris quaesumus, Domine, aspirando etc.* Quibus peractis, Cantores inceperunt litanias. Et cum venerunt ad illum locum, *Vt domnum apostolicum*, Praesidentes, qui flexis genibus erant, surrexerunt, et Cardinalis *de Monte* primus Praesidens vertit se ad congregationem, dans benedictionem, et dixit: *Ut hanc sanctam Synodum etc.* Cantores responderunt: *Te rogamus audi nos.* Completis vero litaniis Diaconus dixit: *Flectamus genua:* et Subdiaconus respondit: *Erigite.* Deinde idem Praesidens dixit hanc orationem: *Da quaesumus Ecclesiae tuae misericors Deus, ut Spiritu Sancto congregata.* Quibus peractis, Diaconus cantavit evangelium: *Attendite a falsis prophetis.* Quo finito, praefatus Praesideus incepit hymnum: *Veni creator Spiritus.* Quo finito, idem dixit hanc orationem: *Deus, qui corda.* Deinde praefatus Archiepiscopus legit decretum, et quaesivit ex Patribus, utrum haec placerent. Qui omnes responderunt: Placet, cum aliquibus additionibus. Postremo, utrum placeret, quod prima futura sessio celebraretur die Iovis post festum pentecostes. Qui responderunt: Placet.

Quo quidem decreto, ut praemittitur, lecto, postquam Patres in Concilio praesentes responderunt, Placet, *Angelus Massarellus*, ipsius Concilii Secretarius, legit deputationem Oratorum caesareae et catholicae majestatis, in personam D. *Didaci de Mendoza* et D. *Francisci a Toleto* ad Concilium Tridentinum, ad faciendum ea, quae caesarea Majestas faceret, si praesens esset.

### *Decretum de Canonicis Scripturis.*

§. 12. Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem tribus apostolicae sedis Legatis, hoc sibi perpetuo „*ante oculos*“ proponens, ut sublatis „*erroribus*“ puritas ipsa evangelii in Ecclesia conserve-

VARIANTES.

§. 12. ante omnia *Antv. 1. 5. Par. 1. Ven. 1. Vtrd. Rhem. Col. Brix. Lov. 3.*

omnibus erroribus *Antv. 1. 5. Par. 1. Ven. 1. Col. Brix. Lov. 3.*

tur; quod promissum ante per prophetas (*Jerem. XXXI, 22.*) in Scripturis sanctis Dominus noster Jesus Christus, Dei Filius, proprio ore primum promulgavit, deinde per suos Apostolos, tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae, omni creaturae praedicari (*Matth. XXVIII, 19 s. Marc. XVI, 15.*) jussit; perspiciensque hanc veritatem, et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto „*traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab Apostolis*“ acceptae, aut ab ipsis Apostolis (2 *Thess. II, 14.*), Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt; orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, necnon traditiones ipsas, tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tamquam vel ore tenus a Christo vel a Spiritu sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur.

§. 13. Sacrorum vero librorum indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo „*suscipiuntur.*“ Sunt vero infra scripti. Testamenti Veteris, quinque Moysis, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, „*Esdrae primus et secundus*“, qui dicitur Neemias, Thobias, Iudith, Hester, Iob, Psalterium Davidicum centum quinquaginta psalmorum, „*Parabolae*“, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae minores, id est, Osea, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Naum, Abacuch, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, duo Machabaeorum, primus, et secundus. Testamenti Novi,

VARIANTES.

§. 12. traditionibusque ipsius Chr., quae ab Ap. *Par. 1. Ven. 1.* traditionibus, quae ex ipsius Chr. ore ab Ap. *Lov. 3. Antv. 5. Col.* traditionibus, quae ipsius Chr. ore, quae ab Ap. *Brix. Vird. Rhem.* traditionibus, quae ipsius Chr. ore ab Ap. *Rom. 1.*

§. 13. suscipiantur *Antv. 1. 5. Par. 1. Ven. 1. Brix. Vird. Rhem. Lov. 3. Col.*

Esdrae duo, primus scilicet et secundus *Antv. 1. 5. Par. 1. Ven. 1. Brix. Vird. Rhem. Lov. 3. Col.*

Parabolae Salomonis *Ant. 1. 5. Par. 1. Ven. 1. Brix. Vird. Rhem. Lov. 3. Col.*

quatuor Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, et Ioannem; „*Actus* Apostolorum a Luca Evangelista *conscripti*"; quatuordecim epistolae Pauli Apostoli, ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; Petri Apostoli duae, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli una, Iudae Apostoli una et Apocalypsis Ioannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit; anathema sit.

§. 14. Omnes itaque intelligant quo ordine et via ipsa Synodus, post jactum fidei confessionis fundamentum, sit progressura, et quibus potissimum testimoniis ac praesidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus, sit usura.

*Decretum de editione et usu sacrorum librorum.*

§. 15. Insuper eadem sacrosancta Synodus, considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex „*omnibus*" latinis editionibus quae circumferuntur sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit, et „*declarat*", ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat vel praesumat.

§. 16. Praeterea ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus „*contorquens, contra*" eum sensum, quem tenuit et tenet

VARIANTES.

§. 13. Acta — conscripta *Antv. 1. 5. Par. 1. Ven. 1. Brix. Vird. Rhem. Lov. 3. Col.*

§. 15. multis *Antv. 1. 5. Par. 1. Col. Ven. 1. Vird. Rhem. Lov. 3.*

decrevit *Ant. 1. Par. 1. Ven. 1. Brix. Lov. 3.*

§. 16. contorqueat, aut contra, *Antv. 1. 5. Par. 1. Col. Ven. 1. Vird. Rhem. Brix.*

sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo umquam tempore in lucem edendae forent. Qui contra venerint, per Ordinarios declarentur et poenis a jure statutis puniantur.

§. 17. Sed et impressoribus modum in hac parte, ut par est, imponere volens, qui jam sine modo, hoc est, putantes sibi licere quidquid libet, sine licentia „*superiorum Ecclesiasticorum*", ipsos Sacrae Scripturae libros, et super illis annotationes et expositiones „*quorumlibet indifferenter*", saepe tacito saepe etiam ementito prelo, et, quod gravius est, sine nomine auctoris imprimunt; alibi etiam impressos libros hujusmodi temere venales habent; decernit et statuit, ut posthac Sacra Scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et vulgata editio, quam emendatissime imprimatur, nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario, sub poena anathematis, et „*pecuniae* in canone Concilii novissimi Lateranensis (I) *apposita.*" Et si regulares fuerint, ultra examinationem et probationem huiusmodi, licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, juxta formam „*suarum*" ordinationum. Qui autem scripto eos communicant vel evulgant, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem poenis subjaceant, quibus impressores. Et qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur. Ipsa vero huiusmodi librorum probatio in scriptis detur; atque ideo in fronte libri, vel scripti vel impressi, authentice appareat; idque totum,

VARIANTES.

§. 17. superiorum et Ecclesiasticorum, *Antv. 1. 5. Par. 1. Col. Ven. 1. Brix. Vird. Rhem. Lov. 3.*

quomodolibet indifferentes, *Antv. 1. 5. Par. Col. Ven. 1. Vird. Rhem. Brix. Lov. 3.*

poenae — appositae, *Antv. 1. 5. Par. et Col. Ven. 1. Vird. Rhem. Mediol. Brix. Lov. 3.*

istarum, *Antv. 1. 5. Par. Col. Ven. 1. Vird Rhem. Brix. Lov. 3.*

hoc est, et probatio et examen, gratis fiat; ut probanda probentur et reprobentur improbanda.

§. 18. Post haec, temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quaeque convertuntur, et torquentur verba et sententiae Sacrae Scripturae, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos; mandat, et praecipit ad tollendam huiusmodi irreverentiam et contemptum, ne de cetero quisquam quomodolibet verba Scripturae Sacrae ad haec et similia audeat usurpare; ut omnes hujus generis homines temeratores et violatores verbi Dei, juris et arbitrii poenis per Episcopos coërceantur.

*Indictio futurae sessionis.*

§. 19. Item haec sacrosancta Synodus statuit et decernit, proximam futuram sessionem tenendam et celebrandam esse feria quinta post sacratissimum festum proximum pentecostes.

## SESSIO QUINTA,

celebrata die XVII. mensis Iun. M. D. XLVI.

Anno a nat. Dom. M.D.XLVI die XVI. m. Iunii, praesidentibus eisdem tribus apostolicae sedis Legatis, *Alexander de Picolominibus*, Senensis, Episcopus Pientinus in Tuscia, celebravit missam de Sp. S. in cathedrali Ecclesia et loco sessionis. Deinde Mag. *Marcus Laurens* Calaber, frater ord. Praedicatorum, habuit orationem. Qua finita, Cardinales et alii Praelati acceperunt pluvialia et mitras, fueruntque factae ceremoniae in aliis sessionibus fieri solitae: lectum fuit etiam decretum.

*Decretum de Peccato originali.*

§. 20. Ut fides nostra catholica, sine qua impossibile est placere Deo *(Hebr. XI, 6.)*, purgatis erroribus, in sua sinceritate integra et illibata permaneat, et ne populus Christianus omni vento doctrinae circumferatur *(Ephes. IV, 14.)*: cum serpens ille antiquus humani generis perpetuus hostis *(Gen. III.)*, inter plurima mala, quibus Ecclesia Dei his nostris temporibus perturbatur, etiam de Peccato originali ejusque remedio non solum nova, sed vetera etiam dissidia excitaverit: sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Syno-

dus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem tribus apostolicae sedis Legatis, jam ad revocandos errantes et nutantes confirmandos accedere volens, Sacrarum Scripturarum et sanctorum Patrum ac probatissimorum Conciliorum testimonia, et ipsius Ecclesiae judicium et consensum secuta, haec de ipso peccato originali statuit, fatetur ac declarat.

§. 21. 1. Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua „*constitutus*“ fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam praevaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus (*Gen. II,* 17.), et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium (*Hebr. II,* 14.), hoc est diaboli, „*totumque*“ Adam per illam praevaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse: anathema sit.

§. 22. 2. Si quis Adae praevaricationem sibi soli, non ejus propagini asserit nocuisse (*Rom. V,* 12. 1 *Cor. XV,* 21. 22.), et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum, mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae: anathema sit, cum contradicat Apostolo dicenti (*Rom. V,* 12.): *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

§. 23. 3. Si quis hoc Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione non imitatione „*transfusum omnibus, inest*“ unicuique proprium, vel per humanae naturae vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per „*meritum*“ unius mediatoris Domini nostri

VARIANTES.

§. 21. positus *Antv. 1. 5. Par. 1. Ven. 1. Brix. Vird. Rhem. Lov. 3. Col.*
solumque *Antv. 1. Par. 1. Brix. Vird. Rhem.*
§. 23. transfusum, in omnibus inest *Antv. 1. 5. Par. Ven. 1. Col.* transfusum et omnibus inest *Vird. Rhem.* transfusum et in omnibus inest *Brix.* transfusum in omnibus inest *Lov. 3.*
medium, *Brix. Vird. Rhem. Lov. 3.*

Jesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo (1 *Tim. II,* 5. 6. *Col. I,* 22. *Rom. V,* 10. 11.), factus nobis justitia, sanctificatio et redemptio (1 *Cor. I,* 30.); aut negat ipsum Christi Jesu meritum per Baptismi sacramentum in forma Ecclesiae rite collatum, tam adultis quam parvulis applicari: anathema sit: *Quia non est aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (*Act. IV,* 12.). Unde illa vox (*Joh. I,* 29.): *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et illa (*Gal. III,* 27.): *Quicumque baptizati estis, Christum induistis.*

§. 24. 4. Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint a baptizatis parentibus orti; aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam; unde „*fit*" consequens, ut in eis forma Baptismatis in remissionem peccatorum non vera sed falsa intelligatur: anathema sit: quoniam non aliter intelligendum est id, quod dixit Apostolus (*Rom. V,* 12.): *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt;* nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, „*ideo*" in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur quod generatione contraxerunt. *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* (*Joh. III,* 5.).

§. 25. 5. Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam Peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari: anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem (*Rom. VI,* 3. 4.): qui non secundum carnem ambulant (*Rom. VIII,* 1.), sed veterem

VARIANTES.

§. 24. sit *Antv. 1. 5. Par. 1. Ven. 1. Brix. Vird. Rhem. Col.*
ideo — *Rom. 1. Ven. 2. Lov. 2. Dil.*

hominem exuentes et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes *(Col. III, 9. 10. Eph. IV, 24.)* innocentes, immaculati, puri, innoxii ac Deo dilecti effecti sunt, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi *(Rom. VIII, 17. cf. Gal. III, 29. IV, 7.)* ita ut nihil prorsus eos ab ingressu caeli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, haec sancta Synodus fatetur et sentit: quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed *„viriliter"* per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet: quin imo *qui legitime certaverit, coronabitur* (2 *Tim. II,* 5.). Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus *(Rom. VII,* 14.) Peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam catholicam numquam intellexisse Peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit; anathema sit.

§. 26. „Declarat tamen haec ipsa sancta Synodus, non esse suae intentionis, comprehendere in hoc Decreto, ubi de Peccato Originali agitur, beatam et immaculatam virginem Mariam, Dei genitricem, sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Xysti Papae IV. (II.), sub poenis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat."

## *Decretum de reformatione.*

## CAPUT I.

### *De instituenda lectione Sacrae Scripturae et liberalium artium.* (§. 375 sqq. 445.)

§. 27. Eadem sacrosancta Synodus, piis summorum Pontificum et probatorum Conciliorum Constitutionibus

VARIANTES.

§. 25. sed viriliter *Rom. 1. 4. Ven. 2. Lov. 2. et Dil. Reliquae editiones* et viriliter.

§. 26. *Tota haec periodus abest ab editt. Antv. 1. Par. 1. Ven. 1., nec reperitur in Summa Conciliorum Carranzae, qui Tridentino interfuit, ut probant illius editiones, Parisiensis 1550., Antverpiensis 1556. et Paris. 1600. Non reperitur etiam in Collectione adornata a Petro Crabbe, Ordinis Franciscanorum, edita Coloniae 1551. Reperitur tamen in Actis Concilii Tridentini primo per Melanchthonem editis anno 1546., uti et in Antidoto Calvini edito 1547.. Prima catholica editio, in qua haec periodus legitur, est Mediolanensis 1547., cui concordant editiones Romanae anni 1564. et omnes aliae posteriores.*

inhaerens easque amplectens et illis adjiciens, ne caelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat, statuit et decrevit, quod in illis Ecclesiis, in quibus praebenda aut praestimonium, seu aliud quovis nomine nuncupatum stipendium pro lectoribus sacrae theologiae deputatum reperitur, Episcopi, Archiepiscopi, Primates et alii locorum Ordinarii eos, qui praebendam aut praestimonium seu stipendium hujusmodi obtinent, ad ipsius Sacrae Scripturae expositionem et interpretationem per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum Substitutum ab ipsis Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus et aliis locorum Ordinariis eligendum, etiam per subtractionem fructuum, cogant et compellant. De cetero vero praebenda, praestimonium aut stipendium hujusmodi non nisi personis idoneis, et quae per se ipsos id munus explicare possint, conferantur, et aliter facta provisio nulla sit et invalida.

§. 28. In Ecclesiis autem metropolitanis vel cathedralibus, si civitas insignis vel populosa, ac etiam in collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius dioecesis, si ibi Clerus numerosus fuerit, ubi nulla praebenda aut praestimonium, seu stipendium hujusmodi deputatum reperitur, praebenda quomodocumque, praeterquam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatibile „*injunctum*“ non sit, ad eum usum ipso facto perpetuo constituta et deputata intelligatur: et quatenus in ipsis Ecclesiis nulla vel non sufficiens praebenda foret, Metropolitanus vel Episcopus ipse per assignationem fructuum alicujus simplicis beneficii, ejusdem tamen debitis supportatis oneribus, vel per contributionem beneficiatorum suae civitatis et dioecesis, vel alias, prout commodius fieri poterit, de Capituli consilio ita provideat, ut ipsa Sacrae Scripturae lectio habeatur, ita tamen, ut quaecumque aliae lectiones, vel consuetudine vel quavis alia ratione institutae, propter id minime praetermittantur.

§. 29. Ecclesiae vero, quarum annui proventus tenues fuerint, et ubi tam exigua est Cleri et Populi multitudo, ut theologiae lectio in eis commode haberi non

VARIANTES.

§. 28. Junctum *Antv. 1. 5. Par. 1. Ven. 1. Lov. 3. Col.*

possit, saltem Magistrum habeant ab Episcopo cum consilio Capituli eligendum, qui Clericos aliosque Scholares pauperes grammaticam gratis doceat, ut deinceps ad ipsa Sacrae Scripturae studia, annuente Deo, transire possint. Ideoque illi Magistro grammatices, vel alicujus simplicis beneficii fructus, quos tamdiu percipiat, quamdiu in docendo perstiterit, assignentur; dum tamen beneficium ipsum suo debito non fraudetur obsequio: vel ex capitulari vel episcopali mensa condigna aliqua merces persolvatur, vel alias Episcopus ipse aliquam rationem ineat suae Ecclesiae et Dioecesi accommodam, ne pia haec utilis atque fructuosa provisio quovis quaesito colore negligatur.

§. 30. In Monasteriis quoque Monachorum, ubi commode fieri queat, etiam „*lectio*" Sacrae Scripturae habeatur. Qua in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum, in hoc ut Sedis apostolicae delegati, eos ad id opportunis remediis compellant. In conventibus vero aliorum Regularium, in quibus studia commode vigere possunt, Sacrae Scripturae lectio similiter habeatur. Quae lectio a Capitulis generalibus vel provincialibus assignetur dignioribus Magistris.

§. 31. In Gymnasiis etiam publicis, ubi tam honorifica et ceterorum omnium maxime necessaria lectio hactenus instituta non fuerit, religiosissimorum Principum ac Rerumpublicarum pietate et caritate, ad catholicae fidei defensionem et incrementum, „*sanaeque*" doctrinae conservationem et propagationem instituatur, et ubi instituta foret et negligeretur, restituatur.

§. 32. Et ne sub specie pietatis impietas disseminetur, statuit eadem sancta Synodus, neminem ad hujusmodi lectionis officium tam publice, quam privatim admittendum esse, qui prius ab Episcopo loci de vita, „*moribus*" et scientia examinatus et approbatus non fuerit: quod tamen de Lectoribus in claustris Monachorum non intelligatur.

§. 33. Docentes vero ipsam Sacram Scripturam, dum publice in scholis docuerint, et Scholares, qui in

VARIANTES.

§. 30. praelectio *Antv. 1. Par. 1. Ven. 1.*
§. 31. sacraeque *Antv. 1. Par. 1. Ven. 1.*
§. 32. moribus — *Brix. Lov. 3. Vird. Rhem.*

ipsis scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, praebendarum et beneficiorum suorum in absentia a jure „*communi*“ concessis, plene gaudeant et fruantur.

## CAPUT II.

*De verbi Dei Concionatoribus et Quaestoribus eleemosynariis.* (§. 304. 426 sq.)

§. 34. Quia vero christianae reipublicae non minus necessaria est praedicatio Evangelii, quam lectio, et hoc est praecipuum Episcoporum munus; statuit et decrevit eadem sancta Synodus, omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, et omnes alios Ecclesiarum Praelatos teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad praedicandum sanctum Jesu Christi Evangelium. Si vero contigerit, Episcopos et alios „*praedictos*“ legitimo detineri impedimento, juxta formam generalis Concilii, viros idoneos assumere teneantur ad hujusmodi praedicationis officium salubriter exequendum (III.). Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtae subjaceat ultioni.

§. 35. Archipresbyteri quoque, Plebani et quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes, Ecclesias quocumque modo obtinent, per se vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis; docendo ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare et virtutes quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere et caelestem gloriam consequi valeant. Id vero si quis eorum praestare negligat, etiam si ab Episcopi jurisdictione quavis ratione exemptum se esse praetenderet, etiam si Ecclesiae quovis modo exemptae dicerentur, aut alicui monasterio, etiam extra dioecesim existenti forsan annexae vel unitae, modo re ipsa in dioecesi, sint, provida pastoralis Episcoporum solicitudo non de-

VARIANTES.

§. 33. communi — *Antv. 1. Par. 1. Ven. 1.*

§. 34. praelatos *Antv. 1. 5. Par. 1. Ven. 1. Lov. 3. Col.*

sit, ne illud (*Jerem. thren. IV*, 4.) impleatur: *Parvuli petierunt panem, et non erat, qui frangeret eis.* Itaque ubi ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur, ita ut etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id praestet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse „*resipiscens*" officium suum impleat.

§. 36. Si quae vero parochiales Ecclesiae reperiantur subjectae monasteriis, in nulla dioecesi existentibus, si Abbates et regulares Praelati in praedictis negligentes fuerint, a Metropolitanis, in quorum provinciis dioeceses ipsae sitae sunt, tamquam quoad hoc sedis apostolicae delegatis, compellantur. Neque hujus decreti executionem consuetudo, vel exemptio, aut appellatio, aut reclamatio, siue recursus impedire valeat, quousque desuper a competenti judice, qui summarie et sola facti veritate inspecta procedat, cognitum et decisum fuerit. Regulares vero cujuscumque ordinis, nisi a suis superioribus de vita, moribus et scientia examinati et approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum ordinum, praedicare non possint; cum qua licentia personaliter se coram Episcopis praesentare, et ab eis benedictionem petere teneantur antequam praedicare incipiant. In Ecclesiis vero, quae suorum ordinum non sunt, ultra licentiam suorum superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur; sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum ordinum nullo modo praedicare possint. Ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant.

§. 37. Si vero, quod absit, Praedicator errores aut scandala disseminaverit in populum, etiam si in monasterio sui vel alterius ordinis praedicet, Episcopus ei praedicationem interdicat. Quod si haereses praedicaverit; contra eum secundum juris dispositionem aut loci consuetudinem procedat; etiam si Praedicator ipse generali vel speciali privilegio exemptum se esse praetenderet. Quo casu Episcopus auctoritate apostolica, et tamquam sedis apostolicae delegatus procedat. Curent autem Episcopi, ne quis Praedicator vel ex falsis

VARIANTES.

§. 35. recipiens *Inlv. 1. Par. 1. Ven. 1.*

informationibus vel alias calumniose vexetur, justamve de eis conquerendi occasionem habeat.

§. 38. Caveant praeterea Episcopi, ne aliquem vel eorum, qui, cum sint nomine regulares, extra claustra tamen et obedientiam religionum suarum vivunt, vel Presbyterorum saecularium, nisi ipsis noti sint et moribus atque doctrina probati, etiam quorumlibet privilegiorum praetextu, in sua civitate vel dioecesi praedicare permittant, donec ab ipsis Episcopis super ea re sancta sedes apostolica consulatur, a qua privilegia hujusmodi nisi tacita veritate, et expresso mendacio ab indignis extorqueri verisimile non est.

§. 39. Quaestores vero eleemosynarii, qui etiam Quaestuarii vulgo dicuntur, cujuscumque conditionis existant, nullo modo nec per se nec per alium praedicare praesumant: et contra facientes, ab Episcopis et Ordinariis locorum, privilegiis quibuscumque non obstantibus, opportunis remediis omnino *„arceantur.“*

*Indictio futurae sessionis.*

§. 40. Item haec sacrosancta Synodus statuit et decernit, primam futuram sessionem *„tenendam, et“* celebrandam esse die Iovis, feria quinta post festum beati Jacobi Apostoli.

Prorogata deinde fuit sessio ad diem XIII. mensis Ianuarii, M. D. XLVII.

## SESSIO SEXTA,

celebrata die XIII. mensis Ian. M. D. XLVII.

*In nomine Domini Jesu Christi. Amen.*

Anno a nat. Dom. M.D.XLVII die XIII. m. Ianuarii, Tridenti in Ecclesia cathedrali, in loco eminentiori ipsius Ecclesiae, ad Concilium celebrandum et sessiones habendas deputato, celebrata est sexta publica sessio sacrosancti oecumenici et generalis Concilii Tridentini, praesidentibus in ea nomine Papae dominis *Jo. Maria de Monte* Episcopo Praenestino, et *Marcello* tituli s. Crucis in Ierusalem Presbytero, S. Rom. Eccl. Cardinalibus, et apostolicis de latere Legatis. In qua quidem sessione, post celebratam missam de Sp. S. per Ar-

VARIANTES.

§. 39. coerceantur *Antv. 1. Par. 1. Ven. 1.*

§. 40. tenendam, et — *Brix. Lov. 3. Antv. 5. Col.*

chiepiscopum Spalatrensem, et habita oratione per Episcopum Salpensem, nec non peractis per Cardinalem *de Monte* solitis ceremoniis, publicatum est decretum de justificatione tenoris infrascripti.

*Decretum de Justificatione. Prooemium.*

§. 41. Cum hoc tempore non sine multarum animarum jactura et gravi ecclesiasticae unitatis detrimento, erronea quaedam disseminata sit de Justificatione doctrina; ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, Ecclesiae tranquillitatem et animarum salutem, sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea nomine sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Pauli divina providentia Papae tertii, reverendissimis Dominis, Dominis Joan. Maria Episcopo Praenestino de Monte, et Marcello tit. S. Crucis in Ierusalem, Presbytero, sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus et apostolicis de latere Legatis; exponere intendit omnibus Christi fidelibus veram sanamque doctrinam ipsius Justificationis, quam sol justitiae (*Malach. IV*, 2.) Christus Jesus, fidei nostrae auctor et consummator (*Hebr. XII*, 2.), docuit, Apostoli tradiderunt, et catholica Ecclesia, Spiritu sancto suggerente, perpetuo retinuit; districtius inhibendo, ne deinceps audeat quisquam aliter „*credere*“, praedicare aut docere, quam praesenti decreto statuitur ac declaratur.

## CAPUT I.

*De naturae, et legis ad justificandos homines imbecillitate.* (§. 62. 66.)

§. 42. Primum declarat sancta Synodus ad Justificationis doctrinam probe et sincere intelligendam, oportere, ut unusquisque agnoscat et fateatur, quod cum omnes homines in praevaricatione Adae innocentiam perdidissent (*Rom. V*, 12. 1 *Cor. XV*, 22.), facti immundi (*Jes. LXIV*, 6.), et, ut Apostolus (*Ephes. II*, 3.) inquit, *natura filii irae*, quemadmodum in decreto de peccato originali exposuit, usque adeo servi erant peccati, et sub potestate diaboli ac mortis (*Rom. III. VI.*

VARIANTES.

§. 41. tradere *Ven. 1.*

*Heb. II.)*, ut non modo gentes per vim naturae, sed ne Judaei quidem per ipsam etiam litteram legis Moysi, inde liberari aut surgere possent; tametsi in eis liberum arbitrium minime extinctum esset, viribus licet attenuatum et inclinatum.

## CAPUT II.

### *De dispensatione, et mysterio adventus Christi.*

§. 42a. Quo factum est, ut caelestis Pater, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis (2 *Cor. I*, 3.), Christum Jesum, filium suum et ante legem et legis tempore *(Gen. XLIX*, 10. 18. *III*, 15. *XII*, 15 *sqq. Deut. VIII*, 15 *sqq. al.)* multis sanctis Patribus declaratum ac promissum, cum venit beata illa plenitudo temporis, ad homines miserit, ut et Judaeos, qui sub lege erant, redimeret *(Gal. IV*, 4. 5.*)*, et gentes, quae non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent *(Rom. IX*,30.*)*, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris *(Rom, III*, 25. *V*, 1. 9. 10. 11. *Col. II.* 1 *Tim. II*, 4. 5. 6. 2 *Tim. I*, 9. 10.*)*, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi *(*1 *Joh. II*, 2.*)*.

## CAPUT III.

### *Qui per Christum justificantur.* (§. 62.)

§. 43. Verum, etsi ille pro omnibus mortuus est *(*2 *Cor. V*, 15.*)*, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur. Nam, sicut revera homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cum ea propagatione, per ipsum dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant; ita, nisi in Christo renascerentur, numquam justificarentur, cum ea renascentia per meritum passionis ejus gratia, qua justi fiunt, illis „*tribuatur*." Pro hoc beneficio Apostolus *(Col. I*, 12 *sqq.)* gratias nos semper agere hortatur Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, et eripuit de potestate tenebrarum, trans-

VARIANTES.

§. 43. attribuatur *Antv.* 5. *Col. Lov.* 3. retribuatur *Vird. Rhem. Brix.*

tulitque in regnum filii dilectionis suae, in quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum.

## CAPUT IV.

*Insinuatur descriptio Justificationis impii, et modus ejus in statu gratiae.*

§. 44. Quibus verbis Justificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam, Jesum Christum salvatorem nostrum (*Gal. IV.* 1 *Cor. XV. Tit. III.*): quae quidem translatio post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non potest, sicut scriptum est (*Joh. III,* 5.): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

## CAPUT V.

*De necessitate praeparationis ad Justificationem in adultis, et unde sit.* (§. 64. 145.)

§. 45. Declarat praeterea, ipsius Justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur; ut, qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiae libere assentiendo et cooperando, disponantur: ita, ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. Unde in Sacris Litteris (*Zach. I,* 3. *Joel II,* 12 *s.*) cum dicitur: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos;* libertatis nostrae admonemur. Cum respondemus (*Thren. V,* 21.): *Converte nos Domine ad te, et convertemur;* Dei nos gratia praeveniri confitemur.

## CAPUT VI.

*Modus praeparationis.* (§. 56. 199 sqq.)

§. 46. Disponuntur autem ad ipsam justitiam dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu conci-

pientes (*Rom. X, 17.*), libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt; atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quae est in Christo Jesu (*Rom. III, 24.*): et „*dum*“ peccatores se esse intelligentes, a divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque tamquam omnis justitiae fontem (*Psal. XLI.*) diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam poenitentiam, quam ante Baptismum agi oportet; denique, „*dum*“ proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam et servare divina mandata. De hac dispositione scriptum est (*Hebr. XI, 6.*): *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit.* Et (*Marc. II, 5. Matth. IX, 2.*): *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et (*Eccles. I, 27.*): *Timor Domini expellit peccatum.* Et (*Act. II, 38.*): *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum, in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum et accipietis donum Spiritus sancti.* Et (*Matth. XXVIII, 19 s. Marc. XVI, 15.*): *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos „servare“ quaecumque mandavi vobis.* Denique (*1 Reg. VII, 3.*): *Praeparate corda vestra Domino.*

## CAPUT VII.

*Quid sit Justificatio impii, et quae ejus causae.* (§. 51. 70. 101.)

§. 47. Hanc dispositionem seu praeparationem Justificatio ipsa consequitur, quae non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae, et donorum, unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit heres secundum spem vitae aeter-

VARIANTES.

§. 46. tamen *Antv. 5. Col. Vird. Rhem. Brix. Lov. 3.*
dum *Ven. 1. Antv. 5. Col. Vird. Rhem. Brix. Lov. 3.*
servare ea *Par. 2.* servare omnia *Ven. 1. Lov. 3. Antv. 5. Col.*

nae (*Tit. III*, 7.). Hujus Justificationis causae sunt, finalis quidem, gloria Dei et Christi ac vita aeterna; efficiens vero, misericors Deus, qui gratuito abluit et sanctificat, signans et ungens Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostrae (1 *Cor. VI*, 11 *Tit. III*, 5. *Eph. I*, 13.); meritoria autem, dilectissimus unigenitus suus, Dominus noster Jesus Christus, qui, cum essemus inimici, propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit (*Eph. II*, 4. 5. *Rom. V*, 10.); instrumentalis item, sacramentum Baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli umquam „*contigit*" Justificatio (*Hebr. XI.*); demum unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult (1 *Cor. XII*, 11. *Eph. IV*, 7.) et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem.

§. 48. Quamquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicentur (*Phil. III*, 9. 10.): id tamen in hac impii Justificatione fit, dum ejusdem sanctissimae passionis merito per Spiritum sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus (*Rom. V*, 5.) eorum qui justificantur, atque ipsis inhaeret: unde in ipsa Justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, „*fidem*" spem et caritatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit. Qua ratione verissime dicitur (*Jac. II*, 17. 20.), fidem sine operibus mortuam et otiosam esse: et (*Gal. V*, 6. *VI*, 15.), in Christo Jesu neque circumcisionem aliquid valere neque praeputium, sed fidem, quae „*per*" caritatem operatur. Hanc fidem ante Baptismi sacramentum ex Apostolorum traditione Catechu-

VARIANTES.

§. 47. contingit *Ven. 1. Lov. 3. Antv. 5. Col.*

§. 48. per fidem *Ven. 1. Antv. 5. Col. Lov. Brix. Lov. 3. Vird. Rhem.*

per — *Lov. 3. Antv. 5. Col.*

meni „*ab Ecclesia*“ petunt, cum petunt fidem, vitam aeternam praestantem: quam sine spe et caritate fides praestare non potest; unde et statim verbum Christi (*Matth. XIX, 17.*) audiunt: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Itaque veram et christianam justitiam accipientes, eam ceu primam stolam (*Luc. XV, 22.*) pro illa, quam Adam sua inobedientia sibi et nobis perdidit, per Christum Jesum illis donatam, candidam et immaculatam jubentur statim renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, et habeant vitam aeternam.

## CAPUT VIII.

*Quo modo intelligatur, impium per fidem et gratis justificari.* (§. 70.)

§. 49. Cum vero Apostolus (*Rom. IV.*) dicit, justificari hominem per fidem et gratis; ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et expressit: ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis Justificationis, sine qua impossibile est placere Deo (*Heb. XI, 6.*), et ad filiorum ejus consortium pervenire: gratis autem justificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quae Justificationem praecedunt, sive fides sive opera, ipsam Justificationis gratiam promeretur. Si enim gratia est, jam non ex operibus (*Rom. XI, 6. Eph. II, 8. 9. Tit. III, 5.*): *alioquin*, ut idem Apostolus inquit, *gratia jam non est gratia.*

## CAPUT IX.

*Contra inanem haereticorum fiduciam.* (§. 73. 74.)

§. 50. Quamvis autem necessarium sit credere, neque remitti neque remissa umquam fuisse peccata, nisi gratis divina misericordia propter Christum: nemini tamen fiduciam et certitudinem remissonis peccatorum suorum jactanti, et in ea sola quiescenti, peccata dimitti vel dimissa esse dicendum est: cum apud haereticos et schis

VARIANTES.

§. 48. ab Ecclesia — *Mediol.*

maticos possit esse, immo nostra tempestate sit, et magna contra Ecclesiam catholicam contentione praedicetur vana haec „*ab omni*“ pietate remota fiducia. Sed neque illud afferendum est, oportere eos, qui vere justificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere se esse justificatos, neminemque a peccatis absolvi ac justificari, nisi eum, qui certo credat se absolutum et justificatum esse, atque hac sola fide absolutionem et justificationem perfici, quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis et resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet, sic quilibet dum seipsum, suamque propriam infirmitatem et „*indispositionem*“ respicit, de sua gratia formidare et timere potest; cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

## CAPUT X.

### *De acceptae Justificationis incremento.* (§. 47. 85.)

§. 51. Sic ergo justificati et amici Dei ac domestici *(Eph. II, 19.)* facti, euntes de virtute in virtutem *(Psal. LXXXIII, 8.)*, renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem, hoc est mortificando membra carnis suae *(Col. III, 5.)*, et exhibendo ea arma justitiae in sanctificationem *(Rom. VI, 13. 19.)*, per observationem mandatorum Dei et Ecclesiae, in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt atque magis justificantur: sicut scriptum est *(Apoc. XXII, 11.)*: *Qui justus est, justificetur adhuc.* Et iterum *(Eccl. XVIII, 22.)*: *Ne verearis usque ad mortem justificari.* Et rursus *(Jac. II, 34.)*: *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum.* Hoc vero justitiae incrementum petit sancta Ecclesia cum orat: Da nobis Domine, fidei, spei et caritatis augmentum.

VARIANTES.

§. 50. et ab omni *Rom. 4. 5. Med. Par. 2. Ven. 1. 2. Brix. Lov. 2. 3. Vird. Rhem. Dil. Antv. 5. Col.*

dispositionem *Med.*

## CAPUT XI.

*De observatione mandatorum, deque illius necessitate et possibilitate.* (§. 79. 80. 86. 92.)

§. 52. Nemo autem, quantumvis justificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet; nemo temeraria illa et a Patribus sub anathemate prohibita voce uti; Dei praecepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis; et adjuvat, ut possis. Cujus mandata gravia non sunt *(Joan. V, 3.)*, cujus jugum suave est et onus leve (*Matth. XI, 30.*). Qui enim sunt filii Dei, Christum diligunt, qui autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, servant sermones ejus *(Joan. XIV, 23.)*. Quod utique cum divino auxilio praestare possunt. Licet enim in hac mortali vita quantumvis sancti et justi in levia saltem et quotidiana, quae etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi. Nam justorum illa vox *(Matth. VI, 12. Luc. XI, 4.)* et humilis et verax: *Dimitte nobis debita nostra.* Quo fit, ut justi ipsi eo magis se obligatos ad ambulandum in via justitiae sentire debeant, quo liberati jam a peccato, servi autem facti Deo *(Rom. VI, 22.)*, sobrie, juste et pie viventes *(Tit. II, 12.)* proficere possunt per Christum Jesum, per quem accessum habuerunt in gratiam istam *(Rom. V, 2.)*. Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.

§. 53. Itaque nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide sola se heredem esse constitutum hereditatemque consecuturum, etiam si Christo non compatiatur, ut et conglorificetur *(Rom. VIII, 17.)*. Nam et Christus ipse, ut inquit Apostolus (*Hebr. V, 8. 9.*), *cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quae passus est, obedientiam, et consummatus, factus est omnibus, obtemperantibus sibi, causa salutis aeternae.* Propterea Apostolus ipse monet justificatos, dicens *(1 Cor. IX, 24. 26. 27.)*: *Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium: sic currite, ut comprehendatis. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Item princeps

Apostolorum Petrus *(2 Petr. I, 10.)*: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis; haec enim facientes, non peccabitis aliquando.* Unde constat eos orthodoxae religionis doctrinae adversari, qui dicunt, justum in omni bono opere saltem venialiter peccare, aut, quod intolerabilius est, poenas aeternas mereri; atque etiam eos, qui statuunt, in omnibus operibus justos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, et sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur aeternam; cum scriptum sit *(Psal. CXVIII, 112.)*: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem.* Et de Mose dicat Apostolus *(Hebr. XI, 26.)*, quod *„respiciebat“* in *„remuneratione.“*

## CAPUT XII.

### *Praedestinationis temerariam praesumptionem cavendam esse.*

§. 54. Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinae Praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero praedestinatorum; quasi verum esset, quod justificatus aut amplius peccare non possit, aut si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat *(Ezech. XVIII. Gal. III.)*: nam nisi ex speciali revelatione, sciri non potest, *„quos“* Deus sibi elegerit.

## CAPUT XIII.

### *De Perseverantiae munere.* (§. 76. 77.)

§. 55. Similiter de Perseverantiae munere, de quo scriptum est *(Matth. X, 22. XXIV, 13. Ezech. XXXIII.)*: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit:* quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui po-

VARIANTES.

§. 53. aspiciebat *Med. Rom. 5.*

remunerationem *Rom. 4. 5. Antv. 2. 5. Par. 2. Ven. 1. 2. Brix. Lov. 3. Vird. Rhem. Col.*

§. 54. quot *Rom. 1. Dil. Ven. 2.*

tens est eum qui stat statuere, ut perseveranter stet, et eum qui cadit restituere *(Rom. XIV, 4.)*; nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur: tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet operans velle et perficere *(Phil. I, 6. II, 13.)*. Verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant *(1 Cor. X, 12.)*, et cum timore ac tremore salutem suam operentur *(Phil. II. 12.)* in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus et „*oblationibus*", in jejuniis et castitate. Formidare enim debent, scientes quod in spem gloriae, et nondum in „*gloria*" renati sunt (1 *Pet. I*, 3.) de pugna, quae superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent, dicenti *(Rom. VIII, 12. 13.)*: *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus: si enim secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

## CAPUT XIV.

*De Lapsis et eorum reparatione.* (§. 46. 84. 90. 193. 199 sqq. 222.)

§. 56. Qui vero ab accepta Justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum excitante Deo, per Poenitentiae sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint. „*Hic*" enim Justificationis modus est lapsi reparatio, quam secundam post naufragium deperditae gratiae tabulam sancti Patres apte nuncuparunt. Etenim pro iis, qui post Baptismum in peccata labuntur, Christus Jesus sacramentum instituit Poenitentiae, cum dixit *(Joan. XX, 22. 23. Matth. XVI. 19.)*: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Unde „*docendum*" est, chri-

VARIANTES.

§. 55. ablationibus *Antv. 5. Col.*
gloriam *Rom. 2. 3. 4. 5.*
§. 56. hinc *Rom. 1.*
dicendum *Med. Ven. 1. Brix. Lov. 3. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.*

stiani hominis poenitentiam post lapsum multo aliam esse a baptismali, eaque contineri non modo cessationem a peccatis et eorum detestationem, aut cor contritum et humiliatum *(Psal. L, 19.)*, verum etiam eorumdem sacramentalem Confessionem *„saltem"* in voto, et suo tempore faciendam, et sacerdotalem absolutionem: itemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes et alia pia spiritualis vitae exercitia: non quidem pro poena aeterna, quae vel sacramento vel sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro poena temporali: quae, ut sacrae litterae docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiae Dei quam acceperunt ingrati, Spiritum sanctum contristaverunt *(Ephes. IV, 30.)*, et templum Dei violare *(1 Cor. III, 17.)* non sunt veriti. De qua poenitentia scriptum est *(Apoc. II, 5.)*: *Memor esto unde excideris: age poenitentiam, et prima opera fac.* Et iterum *(2 Cor. VII, 10.)*: *Quae secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur.* Et rursus *(Matth. III, 2, IV, 17. Luc. III, 8.)*: *Poenitentiam agite, et facite fructus dignos poenitentiae.*

## CAPUT XV.

*Quolibet mortali peccato amitti gratiam, sed non fidem.* (88.)

§. 57. Adversus etiam hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium *(Rom. XVI, 18.)*, asserendum est, non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam Justificationis gratiam amitti: divinae legis doctrinam defendendo, quae a regno Dei non solum infideles excludit *(1 Tim. I, 9. 10.)*, sed et fideles quoque, fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces *(1 Cor. VI, 9. 10.)* ceterosque omnes, qui letalia committunt peccata: a quibus cum divinae gratiae adjumento abstinere possunt *(Phil. IV, 12. 2 Cor. XII, 9.)*, et pro quibus a Christi gratia separantur.

VARIANTES.

§. 56. saltem — *Ven. 1.*

## CAPUT XVI.

*De fructu Justificationis, hoc est, de merito bonorum Operum, deque ipsius meriti ratione.* (§. 87.)

§. 58. Hac igitur ratione justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo „*conservarint*“, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba *(1 Cor. XV, 58. Hebr. VI, 10. X, 35.)*: „*Abundate*“ *in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Et. *Nolite amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem.* Atque ideo bene operantibus usque in finem *(Matth. X, 22.)* et „*in Deo*“ sperantibus proponenda est vita aeterna, et tamquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda *(Psalm. CII. Rom. V, 21.)*. Haec est enim illa corona justitiae, quam post suum certamen et cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus *(2 Tim. IV, 8.)*, a justo judice sibi reddendam, non solum autem sibi, sed et omnibus, qui diligunt adventum ejus.

§. 59. Cum enim ille ipse Christus Jesus tamquam caput in membra, et tamquam vitis in palmites (*Joan. XV, 1 sqq.*), in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quae virtus bona eorum opera semper antecedit, comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent: nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quo minus plene illis quidem operibus, quae in Deo sunt facta, divinae legi pro hujus vitae statu satisfecisse, et vitam aeternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, vere promeruisse censeantur: cum Christus salvator noster (*Joan. IV, 13. 14.*) dicat: *Si quis biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum, sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* „*Ita*“ ne-

VARIANTES.

§. 58. conservaverint *Rom. 1. 4. 5. Antv. 2. 5. Med. Par. 2. Ven. 1. 2. Brix. Lov. 2. 3. Dil. Vird. Rhem. Col.*
abundantes *Brix. Vird. Rhem. Lov. 3. Antv. 5. Col.*
ideo *Brix.*
§. 59. itaque *Ven. 1. Brix. Lov. 3. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.*

que propria nostra justitia, tamquam ex nobis propria statuitur (*Rom. X.*), neque ignoratur aut repudiatur justitia Dei. Quae enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhaerentem justificamur, illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum.

§. 60. Neque vero illud omittendum est quod licet bonis operibus in sacris litteris usque adeo tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquae frigidae dederit, promittat Christus (*Matth. X*, 42. *Marc. IX*, 40.), eum non esse sua mercede cariturum; et Apostolus (2 *Cor. IV*, 17.) testetur, id, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operari in nobis: absit tamen, ut christianus homo in se ipso vel confidat vel glorietur, et non in Domino (1 *Cor. I*, 31. 2 *Cor. X*, 17. *Gal. VI*, 14. *Jerem. IX*, 23. 24.): cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quae sunt ipsius dona. Et quia in multis offendimus omnes (*Jac. III*, 2.), unusquisque sicut misericordiam et bonitatem, ita severitatem et judicium ante oculos habere debet, neque se ipsum aliquis, etiam si nihil sibi conscius fuerit, judicare (1 *Cor. IV*, 3. 4.): quoniam omnis hominum vita non humano judicio examinanda „*et judicanda*" est, sed Dei, qui illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium (1 *Cor. IV*, 5.): et tunc laus erit unicuique a Deo, qui, ut scriptum est (*Matth. XVI*, 27. *Rom. II*, 6.), *reddet unicuique secundum opera sua.*

§. 61. Post hanc catholicam de Justificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter firmiterque receperit, justificari non poterit, placuit sanctae Synodo hos Canones subjungere, ut omnes sciant, non solum quid tenere et sequi, sed etiam quid vitare et fugere debeant.

## DE JUSTIFICATIONE.

### CANON I. (§. 41. 43.)

§. 62. Si quis dixerit, hominem suis operibus, quae vel per humanae naturae vires vel per legis doctrinam

VARIANTES.

§. 60. et judicanda — *Med.*

certo, et absque ulla haesitatione propriae infirmitatis et indispositionis, peccata sibi esse remissa; anathema sit.

## CANON XIV.

§. 75. Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi, ac justificari ex eo quod se absolvi ac justificari certo credat, aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum, et hac sola fide absolutionem et justificationem perfici; anathema sit.

## CANON XV. (§. 54. 55.)

§. 76. Si quis dixerit, hominem renatum et justificatum teneri ex fide ad credendum se certo esse in numero Praedestinatorum; anathema sit.

## CANON XVI. (§. 54. 55.)

§. 77. Si quis magnum illud usque in finem Perseverantiae donum se certo habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc speciali revelatione didicerit; anathema sit.

## CANON XVII.

§. 78. Si quis Justificationis gratiam non nisi Praedestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate Praedestinatos ad malum; anathema sit.

## CANON XVIII. (§. 52 sq.)

§. 79. Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam justificato, et sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia; anathema sit.

## CANON XIX. (§. 53.)

§. 80. Si quis dixerit, nihil praeceptum esse in evangelio praeter fidem, cetera esse indifferentia, neque praecepta neque prohibita, sed libera, aut decem praecepta nihil pertinere ad Christianos; anathema sit.

### CANON XX. (§. 52 sq.)

§. 81. Si quis hominem justificatum, et quantum libet perfectum dixerit non teneri ad abservantiam mandatorum Dei et Ecclesiae, sed tantum ad credendum, quasi vero evangelium sit nuda et absoluta promissio vitae aeternae sine conditione observationis mandatorum: anathema sit.

### CANON XXI.

§. 82. Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant; anathema sit.

### CANON XXII. (§. 55.)

§. 83. Si quis dixeris, justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse; anathema sit.

### CANON XXIII. (§. 56.)

§. 84. Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur et peccat, numquam vere fuisse justificatum, aut contra posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de „*beata Virgine*“ tenet Ecclesia; anathema sit.

### CANON XXIV. (§. 51.)

§. 85. Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam „*non*“ augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse Justificationis adeptae, „*non autem*“ ipsius augendae causam; anathema sit.

### CANON XXV. (§. 53.)

§. 86. Si quis in quolibet bono opere justum faltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est,

VARIANTES.

§. 84. virgine Maria *Brix. Lov. 3. Antv. 5. Col.*
§. 85. non — *Rom. 4.*
non etiam *Par. 2. Ven. 1. Med. Antv. 5. Col. Lov. 3.*

certo, et absque ulla haesitatione propriae infirmitatis et indispositionis, peccata sibi esse remissa; anathema sit.

## CANON XIV.

§. 75. Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi, ac justificari ex eo quod se absolvi ac justificari certo credat, aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum, et hac sola fide absolutionem et justificationem perfici; anathema sit.

## CANON XV. (§. 54. 55.)

§. 76. Si quis dixerit, hominem renatum et justificatum teneri ex fide ad credendum se certo esse in numero Praedestinatorum; anathema sit.

## CANON XVI. (§. 54. 55.)

§. 77. Si quis magnum illud usque in finem Perseverantiae donum se certo habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc speciali revelatione didicerit; anathema sit.

## CANON XVII.

§. 78. Si quis Justificationis gratiam non nisi Praedestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate Praedestinatos ad malum; anathema sit.

## CANON XVIII. (§. 52 sq.)

§. 79. Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam justificato, et sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia; anathema sit.

## CANON XIX. (§. 53.)

§. 80. Si quis dixerit, nihil praeceptum esse in evangelio praeter fidem, cetera esse indifferentia, neque praecepta neque prohibita, sed libera, aut decem praecepta nihil pertinere ad Christianos; anathema sit.

## CANON XX. (§. 52 sq.)

§. 81. Si quis hominem justificatum, et quantum libet perfectum dixerit non teneri ad abservantiam mandatorum Dei et Ecclesiae, sed tantum ad credendum, quasi vero evangelium sit nuda et absoluta promissio vitae aeternae sine conditione observationis mandatorum; anathema sit.

## CANON XXI.

§. 82. Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant; anathema sit.

## CANON XXII. (§. 55.)

§. 83. Si quis dixeris, justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse; anathema sit.

## CANON XXIII. (§. 56.)

§. 84. Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur et peccat, numquam vere fuisse justificatum, aut contra posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de „*beata Virgine*" tenet Ecclesia; anathema sit.

## CANON XXIV. (§. 51.)

§. 85. Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam „*non*" augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse Justificationis adeptae, „*non autem*" ipsius augendae causam; anathema sit.

## CANON XXV. (§. 53.)

§. 86. Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est,

VARIANTES.

§. 84. virgine Maria *Brix. Lov. 3. Antv. 5. Col.*

§. 85. non — *Rom. 4.*
non etiam *Par. 2. Ven. 1. Med. Antv. 5. Col. Lov. 3.*

mortaliter, atque ideo poenas aeternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem; anathema sit.

### CANON XXVI. (§. 58.)

§. 87. Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quae in Deo fuerint facta, expectare et sperare aeternam retributionem a Deo per ejus misericordiam et Jesu Christi meritum, si bene agendo et divina mandata custodiendo usque in finem *(Matth. XXIV, 12. 13.)* perseveraverint; anathema sit.

### CANON XXVII. (§. 57.)

§. 88. Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio quantumvis gravi et enormi, praeterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti; anathema sit.

### CANON XXVIII.

§. 89. Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti, aut fidem quae remanet non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum, qui fidem sine caritate habet, non esse Christianum; anathema sit.

### CANON XXIX. (§. 56.)

§. 90. Si quis dixerit, eum, qui post Baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere, aut posse quidem, sed sola fide amissam justitiam recuperare sine sacramento Poenitentiae, prout sancta Romana et universalis Ecclesia, a Christo Domino et ejus Apostolis edocta, hucusque professa est, servavit et docuit; anathema sit.

### CANON XXX. (§. 212 sqq. 462.)

§. 91. Si quis post acceptam Justificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti et reatum aeternae poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exolvendae, vel in hoc saeculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna caelorum aditus patere possit; anathema sit.

4

### CANON XXXI. (§. 53.)

§. 92. Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur; anathema sit.

### CANON XXXII.

§. 93. Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem atque etiam gloriae augmentum; anathema sit.

### CANON XXXIII.

§. 94. Si quis dixerit, per hanc doctrinam catholicam de Justificatione a sancta Synodo hoc praesenti decreto expressam, aliqua ex parte gloriae Dei vel meritis Jesu Christi, Domini nostri, derogari, et non potius veritatem fidei nostrae, Dei denique ac Christi Jesu gloriam illustrari; anathema sit.

## *Decretum de reformatione.*

### CAPUT I.

*Praelatos convenit in Ecclesiis suis residere, si secus fecerint, juris antiqui poenae in eos innoventur, et novae decernuntur.* (§. 417 *sqq.* 353 *sqq.* 139.)

§. 95. Eadem sacrosancta Synodus, „*eisdem praesidentibus, et apostolicae sedis Legatis*“, ad restituendam collapsam „*admodum*“ ecclesiasticam disciplinam, depravatosque in Clero et Populo christiano mores emendandos se accingere volens, ab iis, qui majoribus Ecclesiis praesunt, initium censuit esse sumendum. Integritas enim praesidentium salus est subditorum. Confidens itaque, per Domini ac Dei nostri misericordiam providamque ipsius Dei in terris Vicarii solertiam, omnino

VARIANTES.

§. 95. eisdem praesidentibus et apostolicae sedis Legatis — *Vird. et Rhem.* eisd. praesidentibus apost. sed. Leg. *Med.*

admodum — *Med.*

futurum, ut ad Ecclesiarum regimen, onus quippe angelicis humeris formidandum, qui maxime digni fuerint, quorumque prior vita, ac omnis aetas a puerilibus exordiis usque ad perfectiores annos per disciplinae stipendia ecclesiasticae laudabiliter acta, testimonium praebeat; secundum venerabiles beatorum Patrum sanctiones assumantur: omnes patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis et cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quovis nomine ac titulo praefectos monet ac monitos esse vult, ut, attendentes sibi et universo gregi, in qua Spiritus sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo *(Act. XX, 24.)*, vigilent, sicut Apostolus praecipit *(2 Tim. IV, 5.)*, in omnibus laborent, et ministerium suum impleant: implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus a supremo judice requirendus *(Ezech. XXXIII, 6. XXXIV.)*, custodiae minime incumbant; cum certissimum sit non admitti pastoris excusationem, si lupus oves comedit, et pastor nescit.

§. 96. Ac nihilominus quia nonnulli, quod vehementer dolendum est, hoc tempore reperiuntur, qui propriae „*etiam*" salutis immemores, terrenaque caelestibus ac divinis humana praeferentes, in diversis „*curiis*" vagantur, aut in negotiorum temporalium solicitudine, ovili derelicto, atque ovium sibi commissarum cura neglecta, se detinent occupatos; placuit sacrosanctae Synodo antiquos canones, qui temporum atque hominum injuria pene in desuetudinem abierunt, adversus non residentes promulgatos innovare, quemadmodum virtute praesentis decreti innovat, ac ulterius pro firmiori eorumdem residentia, et reformandis in Ecclesia moribus, in hunc, qui sequitur, modum statuere atque sancire.

§. 97. Si quis a patriarchali, primatiali, metropolitana seu cathedrali Ecclesia sibi quocumque titulo, causa, nomine seu jure commissa, quacumque ille dignitate, gradu et praeeminentia praefulgeat, legitimo impedimento et seu justis et rationabilibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam dioecesim mo-

VARIANTES.

§. 96. etiam — *Mediol.*
curis *Lov. 1. Par. 2. Ven. 1.*

rando abfuerit; quartae partis fructuum unius anni, fabricae Ecclesiae et pauperibus loci per superiorem Ecclesiasticum applicandorum poenam ipso jure incurrat. Quod si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittat. Crescente vero contumacia, ut severiori sacrorum canonum censurae subjiciatur, Metropolitanus suffraganeos „*Episcopos*“ absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub poena interdicti „*ingressus*“ Ecclesiae eo ipso incurrenda, infra tres menses per litteras seu nuntium Romano Pontifici denuntiare teneatur, qui in ipsos absentes, prout cujusque major aut minor contumacia exegerit, suae supremae sedis auctoritate animadvertere, et Ecclesiis ipsis de pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire.

## CAPUT II.

*Nulli beneficium exigens personalem residentiam obtinenti abesse licet, nisi justa de causa ab Episcopo approbanda, qui tum etiam Vicarium, subducta parte fructuum, substituat, ob curam animarum.* (§. 134.)

§. 98. „*Episcopis*“ inferiores, quaevis beneficia ecclesiastica personalem residentiam de jure sive consuetudine exigentia, in titulum sive commendam obtinentes, ab eorum Ordinariis, quemadmodum eis pro bono Ecclesiarum regimine et divini cultus augmento, locorum et personarum qualitate pensata, expediens videbitur, opportunis juris remediis residere cogantur, nullique privilegia seu intulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis, suffragentur. Indulgentiis vero et dispensationibus temporalibus, ex veris et rationabilibus causis tantum concessis, et coram „*Ordinario*“ legitime probandis, in suo robore permansuris: quibus casibus

VARIANTES.

§. 97. Episcopos — *Brix. Dil. Lov. 3.*
et ingressus *Vird. Rhem. Brix.*

§. 98. Episcopi *Par. 2. Dil. Lov. 3. Antv. et Col.*
Ordinario loci *Med. Brix. Lov. 3. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.*

nihilominus officium sit Episcoporum, tamquam in hac parte a sede apostolica delegatorum, providere, ut per deputationem idoneorum Vicariorum, et congruae portionis fructuum assignationem, cura animarum nullatenus negligatur, nemini, quoad hoc, privilegio seu exemptione quacumque suffragante.

## CAPUT III.

*Excessus saecularium Clericorum et regularium agentium extra monasteria, ab Ordinario loci corrigantur.* (§. 247. 248.)

§. 99. Ecclesiarum Praelati ad corrigendum subditorum excessus prudenter ac diligenter intendant, et nemo „*saecularis Clericus, cujusvis personalis vel regularis*“ extra monasterium degens, etiam sui ordinis privilegii praetextu, tutus censeatur, quo minus, si deliquerit, ab Ordinario loci, tamquam super hoc a sede apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari et corrigi valeat.

## CAPUT IV.

*Ecclesias quascumque Episcopi et alii majores Praelati, quoties opus fuerit, visitent, omnibus, quae huic decreto obstare possent, sublatis.* (§. 247. 504.)

§. 100. Capitula cathedralium et aliarum majorum Ecclesiarum, illorumque personae, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, concordiis, quae tantum suos obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint, quo minus a suis Episcopis et aliis majoribus Praelatis per se ipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adjunctis, juxta canonicas sanctiones, toties quoties opus fuerit visitari, corrigi et emendari, etiam auctoritate apostolica, possint et valeant.

VARIANTES.

§. 99. Clericus secularis cujusvis gradus, vel regularis *Med.* Clericus secularis, vel cujusvis ordinis personalis *Lov. 1. Ven. 1. Lov. 3. Antv. 5. Col.* Clericus secularis cujusvis personalis, vel regularis *Par. 2.* Clericus, saecularisve, cujusvis ordinis personalis *Vird. Rhem.* Clericus, secularisve, cujusvis ordinis personalis vel regularis *Brix.*

## CAPUT V.

*Episcopi in aliena dioecesi nec pontificalia exerceant, nec ordines conferant.* (§. 245. 246.)

§. 101. Nulli Episcopo liceat, cujusvis privilegii praetextu, pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subjectas tantum; si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab executione ordinum sint ipso jure suspensi.

*Indictio futurae sessionis.*

§. 102. Placetne vobis, proximam futuram sessionem celebrari die Jovis, feria quinta post primam dominicam subsequentis Quadragesimae, quae erit dies tertia mensis Martii? Responderunt, Placet.

# SESSIO SEPTIMA,

celebrata die III. mensis Martii M. D. XLVII.

*In nomine Domini. Amen.*

Anno a nat. Dom. M. D. XLVII die III. m. Martii, Tridenti in Ecclesia cathedrali, in loco eminentiori ipsius Ecclesiae, ad Concilium celebrandum et sessiones habendas deputato, celebrata est septima publica sessio sacrosancti oecumenici et generalis Concilii Tridentini, praesidentibus in ea, nomine Papae, *Jo. Maria de Monte* et *Marcello*, S. Rom. Eccl. Cardinalibus et apostolicis de latere Legatis. In qua quidem sessione, post celebratam missam de Sp. S. per Archiepisc. Corcyrensem (non fuit enim habita oratio, quia Episc. S. Marci Neapolitanus, qui eam habiturus erat, erat raucus), nec non post peractas per Card. *de Monte*, solitas ceremonias, publicata fuerunt duo decreta seu certi canones super Sacramentis in genere, et super Baptismo et Confirmatione in specie, nec non certi alii canones super residentia, tenorum infrascriptorum.

*Decretum de Sacramentis.*

### PROOEMIUM.

§. 103. Ad „*consummationem*“ salutaris de justificatione doctrinae, quae in praecedenti proxima sessione uno omnium Patrum consensu promulgata fuit, consentaneum visum est de sanctissimis Ecclesiae Sacramen-

VARIANTES.

§. 103. confirmationem *Med.*

tis agere, per quae omnis vera justitia vel incipit vel coepta augetur vel amissa reparatur: propterea sacrosancta „*oecumenica et generalis*" Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, „*praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis Legatis*", ad errores eliminandos et extirpandas haereses, quae circa sanctissima ipsa Sacramenta, hac nostra tempestate, tum de damnatis olim a Patribus nostris haeresibus suscitatae, tum etiam de novo adinventae sunt, quae catholicae Ecclesiae puritati et animarum saluti magnopere officiunt; sanctarum scripturarum doctrinae, apostolicis traditionibus atque aliorum Conciliorum et Patrum consensui inhaerendo, hos praesentes canones statuendos et decernendos censuit: reliquos, qui supersunt ad coepti operis perfectionem, deinceps divino Spiritu adjuvante editura.

## DE SACRAMENTIS IN GENERE.

### CANON I.

§. 104. Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum; anathema sit.

### CANON II.

§. 105. Si quis dixerit, ea ipsa novae legis Sacramenta a Sacramentis antiquae legis non differre, nisi quia ceremoniae sunt aliae et alii ritus externi; anathema sit.

### CANON III.

§. 106. Si quis dixerit, haec septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius; anathema sit.

VARIANTES.

§. 103. oecumenica et generalis — *Ven. 1.*

praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis Legatis — *Ven. 1.*

## CANON IV. (§. 47—70.)

§. 107. Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, et sine eis aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam Justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint; anathema sit.

## CANON V.

§. 108. Si quis dixerit, „*haec*“ Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse; anathema sit.

## CANON VI.

§. 109. Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel justitiae, et notae quaedam christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit.

## CANON VII.

§. 110. Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, „*etiam*“ si rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus; anathema sit.

## CANON VIII.

§. 111. Si quis dixerit, per ipsa novae legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit.

## CANON IX. (§. 347.)

§. 112. Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, non inprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam „*spirituale*“ et indelebile, unde ea iterari non possunt; anathema sit.

VARIANTES.

§. 108. omnia haec *Lov. 1.*

§. 110. etiam — *Ven. 1.*

§. 112. spirituale *Rom. 1. Lov. 2. Dil.*

## CANON X. (§. 208. 221.)

§. 113. Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem; anathema sit.

## CANON XI.

§. 114. Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia; anathema sit.

## CANON XII.

§. 115. Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum; anathema sit.

## CANON XIII.

§. 116. Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni aut Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse; anathema sit.

# DE BAPTISMO.

## CANON I.

§. 117. Si quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi; anathema sit.

## CANON II.

§. 118. Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi (*Joan. III,* 5.): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto;* ad methaphoram aliquam „*detorserit;*" anathema sit.

VARIANTES.

§. 118. retorserit *Brix. Vird. Rhem.*

## CANON III.

§. 119. Si quis dixerit, in Ecclesia Romana, quae omnium Ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam; anathema sit.

## CANON IV.

§. 120. Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit.

## CANON V.

§. 121. Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem (*Joan. III, 5.*); anathema sit.

## CANON VI.

§. 122. Si quis dixerit, baptizatum non posse, etiam si velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere; anathema sit.

## CANON VII.

§. 123. Si quis dixerit, baptizatos per Baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universae legis Christi servandae (*Gal. V.*); anathema sit.

## CANON VIII.

§. 124. Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctae Ecclesiae praeceptis, quae vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis „*summittere*“ voluerint; anathema sit.

## CANON IX.

§. 125. Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quae post Baptismum fiunt, vi promissionis, in Baptismo ipso

VARIANTES.

§. 124. submittere *Antv. 2. 5. Par. 2. Med. Rom. 4. 5. Ven. 1. Lov. 1. 3. Brix. Vird. Rhem. Dil. Col.*

jam „*factae*" irrita esse intelligant, quasi per ea et fidei, quam professi sunt, detrahatur et ipsi Baptismo; anathema sit.

## CANON X.

§. 126. Si quis dixerit, peccata omnia, quae post Baptismum fiunt, sola recordatione et fide suscepti Baptismi, vel dimitti vel venialia fieri; anathema sit.

## CANON XI.

§. 127. Si quis dixerit, „*verum*" et rite collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad poenitentiam convertitur; anathema sit.

## CANON XII.

§. 129. Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea aetate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo; anathema sit.

## CANON XIII.

§. 129. Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse „*rebaptizandos*", aut praestare, omitti eorum Baptisma, quam eos, non actu proprio credentes, baptizari in sola fide Ecclesiae; anathema sit.

## CANON XIV.

§. 130. Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse an ratum „*habere*" velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt, et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim poena ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiae aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant; anathema sit.

VARIANTES.

§. 125. facta *Lov. 1. Par. 2. Brix. Vird. Rhem.*

§. 127. vere *Brix. Lov. 3. Antv. 5. Col. Vird. Rhem.*

§. 129. baptizandos *Brix. Lov. 3. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.*

§. 130. haberi *Brix. Lov. 3. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.*

# DE CONFIRMATIONE.

## CANON I.

§. 131. Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse, et non potius verum et proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant; anathema sit.

## CANON II.

§. 132. Si quis dixerit, injurios esse Spiritui sancto eos, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt; anathema sit.

## CANON III. (§. 342.)

§. 133. Si quis dixerit, sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem; anathema sit.

*Decretum de reformatione.* (§. 98. 353. 490.)

§. 134. Eadem sacrosancta Synodus eisdem praesidentibus „*et*" Legatis, inceptum residentiae et reformationis negotium ad Dei laudem et christianae religionis incrementum prosequi intendens, ut sequitur, statuendum censuit, salva semper in omnibus sedis apostolicae auctoritate.

## CAPUT I.

*Qui sit capax regiminis Ecclesiarum cathedralium.* (§. 327.)

§. 135. Ad cathedralium Ecclesiarum regimen nullus, nisi ex legitimo matrimonio natus, et aetate matura, gravitate morum, litterarumque scientia, juxta constitutionem Alexandri tertii, quae incipit, *Cum in cunctis,* in Concilio Lateranensi promulgatam, (IV) praeditus assumatur.

VARIANTES.

§. 134. et — *Rom. 4. Med. Lov. 1. Vird. Rhem.*

## CAPUT II.

*Tenentes plures cathedrales Ecclesias jubentur, omnes excepta una dimittere, certo modo et tempore.* (§. 447.)

§. 136. Nemo quacumque etiam dignitate, „*gradu*“ aut praeeminentia praefulgens, plures metropolitanas seu cathedrales Ecclesias, in titulum sive commendam, aut alio quovis nomine contra sacrorum canonum instituta, recipere et simul retinere praesumat: cum valde felix sit ille censendus, cui unam Ecclesiam bene ac fructuose, et cum animarum sibi commissarum salute regere contigerit. Qui autem plures Ecclesias contra praesentis decreti tenorem nunc detinent, una quam maluerint retenta, reliquas infra sex menses, si ad liberam sedis apostolicae dispositionem pertineant, alias infra annum dimittere teneantur: alioquin Ecclesiae ipsae, ultimo obtenta dumtaxat excepta, eo ipso vacare censeantur.

## CAPUT III.

*Habilibus dumtaxat personis beneficia conferantur.*

§. 137. Inferiora beneficia „*ecclesiastica*“, praesertim curam animarum habentia, „*personis dignis*“ et habilibus, et quae in loco residere, ac per se ipsos curam ipsam exercere valeant, juxta constitutionem Alexandri tertii, in Lateranensi, quae incipit, *Quia nonnulli;* (V) et aliam Gregorii decimi, in generali Lugdunensi Concilio, quae incipit, *Licet canon,* editam, (VI) conferantur. Aliter autem facta collatio sive provisio omnino irritetur, et ordinarius collator poenas constitutionis Concilii generalis, quae incipit, *Grave nimis,* (VII) se noverit incursurum.

## CAPUT IV.

*Plurium beneficiorum retentor contra canones iis privetur.* (§. 447.)

§. 138. Quicumque de cetero plura, curata aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica, sive per viam unio-

VARIANTES.

§. 136. gradú — *Med.*

§. 137. ecclesiastica — *Par. 2. Antv. 2. 5. Med. Ven. 1. 2. Brix. Vird. Rhem. Lov. 3. Col.*
personis idoneis, dignis *Lov. 1.*

nis ad vitam, seu commendae perpetuae, aut alio quocumque nomine et titulo contra formam sacrorum canonum, et praesertim Constitutionis Innocentii tertii, quae incipit, *De multa*, (VIII) recipere, ac simul retinere praesumpserit, beneficiis ipsis, juxta ipsius constitutionis dispositionem, ipso jure, etiam praesentis canonis vigore, privatus existat.

## CAPUT V.

*Plura beneficia curata obtinentes, Ordinario suas dispensationes exhibeant, qui de Vicario Ecclesiis provideat, congrua portione fructuum assignata.* (§. 97. 141.)

§. 139. Ordinarii locorum quoscumque plura curata aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica obtinentes, dispensationes suas exhibere districte compellant, et alias procedant juxta Constitutionem Gregorii decimi, in generali Lugdunensi Concilio editam, quae incipit, *Ordinarii* (IX), quam eadem „*sancta*" Synodus innovandam censet et innovat; addens insuper, quod ipsi Ordinarii etiam per idoneorum Vicariorum deputationem, et congruae portionis fructuum assignationem omnino provideant, ut animarum cura nullatenus negligatur, et beneficia ipsa debitis obsequiis minime defraudentur, appellationibus, „*privilegiis*" et exemptionibus quibuscumque, etiam cum judicum specialium deputatione, et illorum inhibitionibus in praemissis nemini suffragantibus.

## CAPUT VI.

*Quae beneficiorum uniones validae censeantur.* (§. 253.)

§. 140. Uniones perpetuae a quadraginta annis citra factae examinari ab Ordinariis, tamquam a sede apostolica delegatis, possint, et quae per subreptionem vel obreptionem obtentae fuerint, irritae declarentur. Illae vero, quae a dicto tempore citra concessae, nondum in toto vel in parte sortitae sunt effectum, et quae deinceps ad cujusvis instantiam fient, nisi eas ex legitimis aut alias rationabilibus causis coram loci Ordinario, vocatis quorum interest verificandis, factas fuisse constiterit, per sub-

VARIANTES.

§. 139. sacrosancta *Lov. 1. Par. 2.*
privilegiis — *Par. 2.*

reptionem obtentae praesumantur, ac propterea, nisi aliter a sede apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant.

## CAPUT VII.

*Beneficia ecclesiastica unita visitentur: per Vicarios etiam perpetuos cura exerceatur, quorum deputatio fiat cum portione assignanda, etiam super re certa.* (§. 139. 140. 485.)

§. 141. Beneficia ecclesiastica curata, quae cathedralibus, collegiatis seu aliis Ecclesiis vel Monasteriis, Beneficiis seu Collegiis aut piis locis quibuscumque perpetuo unita et annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur, qui solicite providere procurent, ut per idoneos Vicarios „*etiam*" perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiae partis fructuum, aut majori vel minori, arbitrio ipsorum Ordinariorum, portione, etiam super certa re assignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur, appellationibus, privilegiis, exemptionibus, etiam cum judicum deputatione, et illorum inhibitionibus quibuscumque in praemissis minime suffragantibus.

## CAPUT VIII.

*Ecclesiae reparentur, cura animarum solicite habeatur.* (§. 303. 414.)

§. 142. Locorum Ordinarii Ecclesias quascumque, quomodolibet exemptas, auctoritate apostolica singulis annis visitare teneantur, et opportunis „*juris*" remediis providere, ut quae reputatione indigant reparentur; et cura animarum, si qua illis immineat, aliisque debitis obsequiis minime defraudentur, appellationibus, privilegiis, consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore praescriptis, judicum deputationibus et illorum inhibitionibus penitus exclusis.

VARIANTES.

§. 141. etiam — *Lov. 1. Par. 2. Ven. 1.*

§. 142. juris — *Par. 2. Ven. 1. Vird. Rhem.*

## CAPUT IX.

*Munus Consecrationis non differendum.* (§. 359.)

§. 143. Ad majores Ecclesias promoti munus Consecrationis infra tempus a jure statutum suscipiant, et prorogationes ultra sex menses concessae nulli suffragentur.

## CAPUT X.

*Sede vacante Capitula nulli dent reverendas, nisi arctato occasione obtinendi aut obtenti beneficii: variae contravenientium poenae.* (§. 367.)

§. 144. Non „*liceat*" Capitulis Ecclesiarum, sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris communis „*dispositione*", quam etiam cujusvis privilegii aut consuetudinis vigore, alicui, qui beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, Capitulum contraveniens ecclesiastico subjaceat interdicto, et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, praesertim in criminalibus, gaudeant, in majoribus vere, ab executione ordinum, ad bene placitum futuri Praelati, sind ipso jure suspensi.

## CAPUT XI.

*Facultates de promovendo sine justa causa nemini suffragentur.* (§. 45. 245.)

§. 145. Facultates de promovendo a quocumque non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis Episcopis ordinari non possint, in litteris exprimendam, et tunc non ordinentur, nisi ab Episcopo, in sua dioecesi residente, aut pro eo pontificalia exercente, et diligenti praevio examine.

VARIANTES.

§. 144. licet *Brix. Lov. 3. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.*
dispensatione *Brix. Lov. 3. Antv. 5. Col., sed in edit. Antv. 5. et Col. ad marginem habetur* dispositione.

## CAPUT XII.

*Facultas de non promovendo annum non excedat.*

§. 146. Facultates de non promovendo, praeterquam in casibus a jure expressis concessae, ad annum tantum suffragentur.

## CAPUT XIII.

*A quocumque Praesentati non instituantur sine praevio examine Ordinarii et approbatione, certis exceptis. (§. 511. 449.)*

§. 147. Praesentati, seu electi vel nominati „*quibusvis*" ecclesiasticis personis, etiam sedis apostolicae Nuntiis, ad quaevis ecclesiastica beneficia non instituantur, nec confirmentur neque admittantur, etiam praetextu cujusvis privilegii seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tempore praescriptae, nisi fuerint prius a locorum Ordinariis examinati et idonei reperti. Et nullus appellationis remedio se tueri possit, quo minus examen subire teneatur. Praesentatis „*tamen*". electis, seu nominatis ab Universitatibus seu Collegiis generalium studiorum exceptis.

## CAPUT XIV.

*Quaenam causae civiles Exemptorum ab Episcopis cognosci possint. (§. 250.)*

§. 148. In Exemptorum causis constitutio Innocentii IV., quae incipit, *Volentes*, in generali Concilio Lugdunensi edita (X); servetur; quam eadem sacrosancta Synodus innovandam censuit et innovat; addendo insuper, quod in „*civilibus*" causis mercedum et miserabilium personarum, Clerici saeculares aut regulares extra monasterium degentes, quomodolibet exempti; etiam si certum judicem; a sede apostolica deputatum; in partibus habeant; in aliis vero, si ipsum judicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tamquam in hoc ab

VARIANTES.

§. 147. a quibusvis *Lov. 1. Rom. 4. Ven. 1. Lov. 3. Antv. 5. Col.* tantum *Lov. 1. Par. 2.*

§. 148. omnibus *Lov. 1.*

ipsa sede delegatis, conveniri et „*jure medio*“ ad solvendum debitum cogi et compelli possint, privilegiis, exemptionibus, conservatorum deputationibus et eorum inhibitionibus adversus praemissa nequaquam valituris.

## CAPUT XV.

*Ordinarii curent ut hospitalia quaecumque, etiam exempta, a suis administratoribus fideliter gubernentur.* (§. 508.)

§. 149. Curent Ordinarii, ut hospitalia quaecumque a suis administratoribus, quocunque illi nomine censeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter et diligenter gubernentur; constitutionis Concilii Viennensis, quae incipit *Quia contingit*, (XI) forma servata. Quam quidem constitutionem eadem sancta Synodus innovandam duxit et innovat, cum derogationibus in ea contentis.

*Indictio futurae sessionis.*

§. 150. Item haec sacrosancta Synodus statuit et decrevit, proximam futuram sessionem habendam et celebrandam esse die Jovis, feria quinta post sequentem Dominicam in albis, quae erit vigesima mensis Aprilis praesentis anni, M. D. XLVII.

# BULLA FACULTATIS

## TRANSFERENDI CONCILII.

§. 151. *Paulus Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Joanni Mariae, Episcopo Praenestino, et dilectis filiis Marcello, tit. S. Crucis in Jerusalem Presbytero, ac Reginaldo, S. Mariae in Cosmedin Diacono, Cardinalibus, nostris et apostolicae sedis Legatis de latere salutem et apostolicam benedictionem.*

Regimini universalis Ecclesiae, meritis licet imparibus, disponente Domino praesidentes, nostri officii partes esse putamus, ut si quid gravius causa reipublicae christianae constituendum sit, id non modo tempore opportuno, verum etiam loco commodo et idoneo perficiatur. Cum itaque nos nuper, postquam suspensionem celebrationis sancti oecumenici et universalis Concilii, alias per

VARIANTES.

§. 148. in remedio *Vird. Rhem.*

nos in civitate Tridentina ex causis tunc expressis, de venerab'lium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consili, et assensu indicti, ex certis aliis etiam tunc expressis causis, usque ad aliud opportunius et commodius tempus per nos declarandum, de simili consilio et assensu factam, audita pace inter carissimos in Christo filios nostros, Carolum Rom. Imperatorem, semper augustum, et Franciscum Francorum Regem christianissimum conciliata, pari consilio et assensu sustuleramus et amoveramus; nequeuntes ipsi, tunc legitime impediti, ad dictam civitatem personaliter accedere et eidem Concilio interesse, vos nostros et apostolicae sedis Legatos de latere in eodem Concilio de simili consilio constituerimus et deputaverimus, vosque ad eamdem civitatem, tamquam pacis angelos, destinaverimus, prout in diversis nostris desuper confectis litteris plenius continetur: Nos ne tam sanctum celebrationis Concilii hujusmodi opus ex incommoditate loci, aut alias quovis modo impediatur, aut plus debito differatur, opportune providere volentes, motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, parique consilio et assensu vobis insimul, aut duobus ex vobis, reliquo legitimo impedimento detento, seu inde forte absente, quandocumque vobis videbitur, Concilium praedictum de eadem civitate Tridentina ad quamcumquae aliam commodiorem et opportuniorem seu tutiorem civitatem, de qua vobis etiam videbitur, transferendi et mutandi, ac illud in ipsa civitate Tridentina supprimendi et dissolvendi: necnon Praelatis et aliis personis Concilii hujusmodi, ne in eo ad ulteriora in dicta civitate Tridentina procedant, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis inhibendi, ac idem Concilium in alia civitate hujusmodi, ad quam illud transferri et mutari contigerit, continuandi, tenendi et celebrandi, et ad illud Praelatos et alias personas Concilii Tridentini hujusmodi, etiam sub perjurii et aliis in litteris indictionis Concilii hujusmodi expressis poenis, evocandi, eidemque sic translato et mutato Concilio, nomine et auctoritate praedictis, praesidendi ac in eo procedendi, ceteraque in praemissis, et circa ea necessaria et opportuna, alias juxta priorum vobis directarum litterarum continentiam et tenorem, faciendi, statuendi, ordinandi et exequendi, plenam et liberam apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus potestatem et facultatem; ratum et gratum habituri, quid-

quid per vos in praemissis factum, statutum, ordinatum, executumve fuerit, idque facturi, auctore Domino, inviolabiliter observari: non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Petrum, anno incarnationis dominicae M. D. XLIV, VIII. Kal. Mart., pontificatus nostri anno XI.

*Fab. Episcopus Spol.*

*B. Motta.*

Huc usque progressum fuit Concilium Tridentinum sub Paulo III., a quo postea Concilium idem Bononiam translatum, illic ad tempus est intermissum. Interim vero Paulus III. viam universae carnis ingressus, successorem habuit Julium III., sub quo postea convocatum est iterum in eadem civitate Tridentina, et vocati omnes, qui solent interesse Concilio, ad primam diem Maji, a. MDLI. Qua die adfuit praesens Legatus Crescentius cum nonnullis Episcopis: nihil tamen actum est propter paucitatem Episcoporum usque ad XI. Octobris ejusdem anni, quo die celebrata est tertia sessio sub Julio pontifice.

## SESSIO OCTAVA,

celebrata die XI. mensis Martii M. D. XLVII.

Decretum sancitum et publicatum in octava sessione, habita die XI. m. Martii a. M. D. XLVII., super translatione Concilii ex Tridento ad civitatem Bononiensem, rogante reverendissimo et illustrissimo Domino Cardinale *de Monte*, ipsius Concilii Praesidente et Legato, Patrum sententias sub infrascripta forma, videlicet:

### *Decretum de translatione Concilii.*

§. 152. Placetne vobis decernere et declarare, de hujusmodi morbo ex praemissis et aliis allegatis ita manifeste et notorie constare, ut Praelati in hac civitate sine vitae discrimine commorari, et in ea idcirco inviti minime retineri possint et debeant? Itemque attento recessu multorum Praelatorum post proxime praeteritam sessionem, et attentis protestationibus aliorum complurium Praelatorum in congregationibus generalibus factis, hinc omnino timore ipsius morbi abire volentium, qui

juste detineri non possunt, et ex quorum discessu Concilium vel dissolveretur vel ex paucitate Praelatorum bonus ejus progressus impediretur, et attento etiam imminenti periculo vitae et aliis causis per aliquos ex Patribus in ipsis congregationibus allegatis, utpote notorie veris et legitimis, placetne vobis similiter decernere et declarare pro conservatione et prosecutione ipsius Concilii, securitate vitae ipsorum Praelatorum, Concilium ipsum ad civitatem Bononiae, veluti ad locum magis paratum, salubrem et idoneum pro tempore transferendum esse, et ex nunc transferri, et ibidem sessionem jam indictam, statuta die, vigesima prima Aprilis, celebrandam esse et celebrari; et successive ad ulteriora procedendum, donec sanctissimo Domino nostro et sacro Concilio expedire videbitur, ut ad hunc seu alium locum, communicato etiam consilio cum invictissimo Caesare, christianissimo Rege, et aliis Regibus ac Principibus christianis, ipsum Concilium reduci possit, et debeat? Responderunt, Placet.

Decretum suprascriptum placuit longe majori parti Patrum, contradicentibus tamen et palam reclamantibus Patribus nonnullis.

## SESSIO NONA,

Bononiae celebrata d. XXI. m. April. a. M. D. XLVII.

*Decretum prorogationis sessionis.*

§. 153. Haec sacrosancta oecumenica et generalis Synodus, quae dudum in civitate Tridenti congregata erat, nunc Bononiae in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea, nomine sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Pauli, divina providentia Papae III., eisdem reverendissimis Dominis, D. Joan. Maria de Monte, Episcopo Praenestino, et Marcello, tit. S. Crucis in Hierusalem Presbytero, S. R. E. Cardinalibus et apostolicis de latere Legatis, considerans quod die undecima mensis Martii praesentis anni, in generali publica sessione in eadem civitate Tridenti et in loco consueto celebrata, omnibusque agendis de more peractis, ex causis tunc instantibus, urgentibus et legitimis, interveniente etiam auctoritate sanctae sedis apostolicae, eisdem reverendissimis Praesidentibus etiam specialiter concessa, decrevit et ordinavit, Concilium ex eo loco

in hanc civitatem transferendum esse, sicuti transtulit; itemque sessionem pro praesenti die vigesima prima Aprilis illic indictam, ut de Sacramentorum et reformationis materiis, de quibus tractandum proposuerat, canones sancîrentur et promulgarentur; in hac ipsa civitate Bononiae celebrari debere, consideransque nonnullos ex Patribus, qui in hoc Concilio interesse consueverunt, his superioribus majoris hebdomadae et solemnitatis paschalis diebus, in propriis Ecclesiis occupatos, aliquos etiam aliis impedimentis detentos huc nondum accessisse, quos tamen brevi affuturos sperandum est; ac propterea factum esse, ut non ea, quam sancta Synodus desiderabat, Praelatorum frequentia, potuerint materiae ipsae Sacramentorum et reformationis examinari et discuti, ut omnia maturo consilio, cum dignitate et gravitate debita fiant, bonum, opportunum et expediens censuit censetque, sessionem praedictam quae hoc ipso die, ut praefertur, celebranda erat, ad diem Iovis, infra octavam Pentecostes proxime futuram, quoad ipsas materias expediendas, differendam et prorogandam esse, quemadmodum differt ac prorogat, quam diem et rei gerendae maxime opportunam, et Patribus praesertim absentibus percommodam, judicavit et judicat. Hoc tamen adjecto, quod terminum ipsum ipsa sancta Synodus, pro ejus arbitrio et voluntate, sicuti rebus Concilii putaverit expedire, etiam in privata congregatione restringere et imminuere possit et valeat.

## SESSIO DECIMA,

**Bononiae celebrata d. II. m. Jun. a. M. D. XLVII.**

*Decretum prorogationis sessionis.*

§. 154. Quamvis haec sacrosancta oecumenica et generalis Synodus sessionem, quae die vigesima prima mensis Aprilis proxime praeteriti, super Sacramentorum et reformationis materiis, in hac inclyta civitate Bononiae, ex decreto in urbe Tridentina in publica sessione die undecima mensis Martii promulgato, celebranda erat: propter aliquas causas, ac praesertim propter absentiam nonnullorum Patrum, quos brevi affuturos sperabat, ad hunc praesentem diem differendam et prorogandam esse decreverit; volens tamen cum iis, qui non venerunt, etiam adhuc benigne agere: eadem sacrosancta

Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, „*praesidentibus*“ in ea eisdem sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus et apostolicae sedis Legatis,| statuit et decernit, sessionem ipsam, quam hac die secunda mensis Junii praesentis anni, millesimi quingentesimi quadragesimi septimi, celebrare decreverat, ad diem Jovis, post festum nativitatis beatae Mariae virginis, quae erit decima quinta mensis Septembris proxime futuri, quoad praedictas et alias materias expediendas, differendam et prorogandam esse, quemadmodum differt et prorogat: ita tamen, quod prosecutio discussionis et examinationis, tam eorum quae ad dogmata quam ad reformationem pertinent, interim non omittatur, et terminum ipsum ipsa sancta Synodus, pro ejus libito et voluntate, etiam in privata congregatione, abbreviare et prorogare libere possit et valeat.

§. 155. Die XIV. Septemb. M. D. XLVII., in congregatione generali Bononiae, prorogata fuit sessio, quae futura erat die sequenti, ad beneplacitum sacri Concilii.

---

## BULLA RESUMPTIONIS
# CONCILII TRIDENTINI,
## SUB JULIO III. PONT. MAX.

§. 156. *Julius Episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.*

Cum ad tollenda religionis nostrae dissidia, quae in Germania longo tempore non sine totius christiani orbis perturbatione et scandalo viguerunt, bonum, opportunum et expediens esse videatur, sicuti etiam charissimus in Christo filius noster, Carolus Romanorum Imperator semper augustus, nobis per suas litteras et Nuntios significari fecit, ut sacrum oecumenicum generale Concilium per fel. rec. Paulum Papam III., praedecessorem nostrum, indictum, et per nos tunc cardinalatus honore fungentes, atque ipsius praedecessoris nomine,

VARIANTES.

§. 154. praesentibus *Lov. 3. Antv. 5. Col.*

una cum duobus aliis sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus ipsi Concilio praesidentes, inceptum, ordinatum et continuatum, in qua plures publicae et solemnes habitae fuerunt sessiones, pluraque tam in causa fidei quam reformationis promulgata decreta, multaque etiam ad utramque causam pertinentia examinata et discussa, ad civitatem Tridentinam reducatur: Nos, ad quos, ut summos pro tempore Pontifices, spectat generalia Concilia indicere et dirigere, ut Ecclesiae pacem et christianae fidei atque orthodoxae religionis incrementum, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam procuremus, et quantum in nobis est, tranquillitati ipsius Germaniae, quae sane provincia retroactis temporibus in vera religione, ac sacrorum Conciliorum et sanctorum Patrum doctrina excolenda, exhibendaque maximis Pontificibus, Christi redemptoris nostri in terra vicariis, debita obedientia et reverentia nulli Christianorum provinciae fuit unquam secunda, paterne consulamus, sperantes per ipsius Dei gratiam et benignitatem futurum, ut Reges omnes ac Principes christiani, justis piisque nostris in hac re votis annuant, faveant atque assistant: venerabiles fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos et dilectos filios Abbates, omnesque alios et singulos, qui de jure vel consuetudine vel privilegio Conciliis generalibus interesse debent, quosque idem praedecessor noster in suis indictionis et aliis quibuscumque desuper confectis et publicatis litteris, Concilio interesse voluit, per viscera misericordiae Domini nostri Jesu Christi hortamur, requirimus et monemus, ut proximis futuris Kalendis Maji, quem diem ad ipsum Concilium in eo, in quo nunc reperitur, statu resumendum et prosequendum, praevia matura deliberatione, et ex certa nostra scientia, et de apostolicae auctoritatis plenitudine, ac venerabilium fratrum nostrorum, sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio, assensu, statuimus, decernimus et declaramus, in ipsa civitate Tridenti, legitimo cessante impedimento, convenire et se congregare, ac ipsius Concilii continuationi et prosecutioni, omni mora postposita, incumbere velint. Nos enim operam sedulo daturi sumus, ut eodem tempore, in eadem civitate, nostri omnino adsint Legati, per quos, si per aetatem nostram, valetudinemque et sedis apostolicae necessitates, personaliter adesse nequiverimus, Spiritu sancto duce, ipsi Concilio praesidebimus: quacumque ipsius

Concilii translatione et suspensione, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque, ac praesertim illis, quae idem praedecessor noster in suis litteris praedictis, quas cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis et decretis in suo robore permanere volumus atque decernimus, et quatenus opus sit innovamus, voluit non obstare: irritum nihilominus decernentes et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum hortationis, requisitionis, monitionis, statuti, declarationis, innovationis, voluntatis et decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum, anno incarnationis dominicae M. D. L., decimo octavo Kal. Decemb., pontificatus nostri anno primo.

*M. Card. Crescen.*

*Rom. Amasaeus.*

---

## SACROSANCTI OECUMENICI
## ET GENERALIS
# CONCILII TRIDENTINI
## SESSIO UNDECIMA,
### QUAE EST PRIMA SUB JULIO III. PONT. MAX.,
celebrata Kal. Maji M. D. LI.

*In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.*

Anno a n. Dom. M. DLI., die prima mensis Maji, pontificatus Julii III. a. 2., *Marcellus* Rom. Eccl. Presbyter Cardinalis *de Crescentiis*, Papae de latere Legatus, ac *Sebast. Pighinus* Archiep. Sipontinus, et *Aloysius Lipomanus* Episc. Veronensis, apostol. sedis Nuntii, una cum reliquis Patribus, qui Tridenti aderant, de mane convenerunt in Ecclesia cathedrali Vigilii civitatis Tridentinae, in qua celebrarunt primam sessionem Concilii Tridentini sub eodem Julio: ubi, celebrata prius de Sp. S. solemni missa, peractisque consuetis

ceremoniis, lectae fuerunt litterae Papae super reassumptione et prosecutione sacri oecumenici et generalis Concilii Tridentini. Deinde Archiep. Turritanus conversus ad Patres alta et intelligibili voce legit haec, quae sequuntur:

*Decretum de resumendo Concilio.*

§. 157. Placente vobis, ad laudem et gloriam sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, ad incrementum et exaltationem fidei et religionis christianae, sacrum oecumenicum et generale Concilium Tridentinum, juxta formam et tenorem litterarum sanctissimi Domini nostri, resumi debere et procedendum esse ad ulteriora? Responderunt, Placet.

*Indictio futurae sessionis.*

§. 168. Placente vobis proximam futuram sessionem habendam et celebrandam esse in futuris Kalendis Septembris? Responderunt, Placet.

## SESSIO DUODECIMA,

### QUAE EST SECUNDA SUB JULIO III. PONT. MAX.,

celebrata die I. Septemb. M. D. LI.

*Decretum prorogationis sessionis.* (§. 182.)

§. 159. Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, „*praesidentibus in ea eisdem sanctae sedis apostolicae Legato*“ et Nuntiis, quae in proxime praeterita sessione sequentem hanc hodie habendam et ad ulteriora procedendum esse decreverat, cum ob inclytae germanicae nationis, cujus praecipue causa agitur, absentiam „*ac non magnam ceterorum Patrum frequentiam*“, procedere hactenus distulerit, de venerabilium in Christo fratrum et filiorum suorum, Maguntini et Treverensis Archiepiscoporum, ac sacri Romani imperii Principum Electorum, et complurium ipsius aliarumque provinciarum Episco-

VARIANTES.

§. 159. *verba:* praesidentibus — nuntiis *absunt ab edit. Col. 5. Antv. Lov. 3. Brix.*

*verba:* ac non frequentiam *desunt ab edit. Brix. Lov. 3. Antv. 5. Col.*

porum, sub hanc ipsam diem adventu in Domino exultans, et dignas ipsi omnipotenti Deo agens gratias, firmamque spem concipiens, quamplurimos alios tam ipsius germanicae quam aliarum nationum Praelatos, et sui officii debito et hoc exemplo commotos, propediem esse venturos; futuram sessionem ad quadragesimam diem, quae erit undecima mensis Octobris proxime sequentis, indicit; et Concilium ipsum in statu, in quo reperitur, prosequendo, cum in praeteritis sessionibus de septem Sacramentis novae legis in genere, et in specie de Baptismate et Confirmatione definitum fuerit, statuit et decernit de sanctissimae Eucharistiae Sacramento, nec non, quod ad reformationem attinet, de reliquis, quae ad faciliorem et commodiorem Praelatorum residentiam pertinent, agi et tractari debere. At monet et hortatur omnes Patres, ut interim Domini nostri Jesu Christi exemplo *(Matth. IV.)*, quantum tamen humana fragilitas patietur, jejuniis et orationibus vacent, ut tandem placatus, qui in saecula sit benedictus, Deus corda hominum ad verae suae fidei agnitionem, et sanctae matris Ecclesiae unitatem, ac recte vivendi normam reducere dignetur.

## SESSIO DECIMA TERTIA,

### QUAE EST TERTIA SUB JULIO III. PONT. MAX.,

celebrata die XI. Octob. M. D. LI.

*Decretum de sanctissimo Eucharistiae Sacramento.*

§. 160. Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem sanctae sedis apostolicae Legato et Nuntiis, etsi in eum finem „*non absque peculiari Spiritus sancti ductu*“ et gubernatione, convenerit, ut veram et antiquam de Fide et Sacramentis doctrinam exponeret, et ut haeresibus omnibus et aliis gravissimis incommodis, quibus Dei Ecclesia misere nunc exagita-

VARIANTES.

§. 160. non absque peculiaris Spiritus sancti ductu, et gubernatione *edit. Rom. 3.* non absque peculiari scilicet ductu, gubernatione *edit. Rom. 1. et Lov. 2.* non absque peculiari scilicet ductu et gubernatione *edit. Vird. Rhem. Brix. Lov. 3. Dil. Antv. 5. Col.*

tur et in multas ac varias partes scinditur, remedium afferret, hoc praesertim jam inde a principio in votis habuit, ut stirpitus convelleret „*zizania*“ *(Matth. XIII, 30.)* execrabilium errorum et schismatum, quae inimicus homo his nostris calamitosis temporibus in doctrina Fidei, usu et cultu sacrosanctae Eucharistiae superseminavit, quam alioqui Salvator noster in Ecclesia sua tamquam symbolum reliquit ejus unitatis et caritatis, qua Christianos omnes inter se conjunctos et copulatos esse voluit. Itaque eadem sacrosancta Synodus sanam et sinceram illam de venerabili hoc et divino Eucharistiae Sacramento doctrinam tradens, quam semper catholica Ecclesia ab ipso Jesu Christo Domino nostro et ejus Apostolis erudita, atque a Spiritu sancto, illi omnem veritatem in dies suggerente, edocta *(Luc. XII,* 12. *Jo. XIV,* 26. *XVI,* 13.*)*, retinuit, et ad finem usque saeculi conservabit; omnibus Christi fidelibus interdicit, ne posthac de sanctissima Eucharistia aliter credere, docere aut praedicare audeant, quam ut est hoc praesenti decreto explicatum atque definitum.

## CAPUT I.

### *De reali praesentia Domini nostri Jesu Christi in sanctissimo Eucharistiae Sacramento.*

§. 161. Principio docet sancta Synodus et aperte ac simpliciter profitetur, in almo sanctae Eucharistiae Sacramento post panis et vini consecrationem Dominum nostrum, Jesum Christum verum Deum atque hominem, vere, realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Neque enim haec inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in coelis assideat juxta modum existendi naturalem, et ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter praesens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata assequi possumus, et constantissime credere debemus; ita enim majores omnes nostri, quotquot in vera Christi Ecclesia

VARIANTES.

§. 160. zizaniam *Rom. 1. Vird. Rhem. Lov. 1. 3. Brix. Dil. Antv. 5. Col.*

fuerunt, qui de sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima coena Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis praebere, ac suum sanguinem, disertis et perspicuis verbis testatus est, quae verba a sanctis Evangelistis *(Matth. XXVI, 26. 28. Marc. XIV, 22. 24. Luc. XXII, 19. 20.)* commemorata, et a divo Paulo *(1 Cor. XI, 24. 25.)* postea repetita, cum propriam illam et apertissimam significationem prae se ferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt, indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis et pravis hominibus ad fictitios et imaginarios tropos, quibus veritas carnis et sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiae sensum detorqueri, quae tamquam columna et firmamentum veritatis *(1 Tim. III, 15.)*, haec ab impiis hominibus excogitata commenta, velut sathanica, detestata est, grato semper et memore animo praestantissimum hoc Christi beneficium agnoscens.

## CAPUT II.

### *De ratione institutionis sanctissimi hujus Sacramenti.*

§. 162. Ergo Salvator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum *(Ps. CX, 4.)*; et in illius sumptione colere nos sui memoriam praecepit, suamque annuntiare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat *(Luc. XXII, 19. 1 Cor. XI, 24—26.)*. Sumi autem voluit Sacramentum hoc tamquam spiritalem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit *(Jo. VI, 58.)*: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me*, et tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur. Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae et perpetuae felicitatis, adeoque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit *(1 Cor. XI, 3. Eph. V, 23. 24. Rom. XII, 4. 5.)*, cuique nos, tamquam membra, arctissima fidei, spei et caritatis connexione astrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata *(1 Cor. I, 10.)*

## CAPUT III.

*De excellentia sanctissimae Eucharistiae super reliqua Sacramenta.* (§. 171. 173. 288.)

§. 163. Commune hoc quidem est sanctissimae Eucharistiae cum ceteris Sacramentis, symbolum esse rei sacrae et invisibilis gratiae formam visibilem; verum illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur, at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est. Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant (*Matth. XXVI*, 26. *Marc. XIV*, 23.), cum vere tamen ipse affirmaret corpus suum esse, quod praebebat. Et semper haec fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere, sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie, ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus (*Rom. VI*, 9.), inter se copulantur; divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est tantumdem sub „*alterutra*" specie, atque sub utraque contineri. Totus enim et integer Christus sub panis specie, et sub quavis ipsius speciei parte; totus item sub vini specie et sub ejus partibus existit.

## CAPUT IV.

*De Transsubstantiatione.* (§. 172.)

§. 164. Quoniam autem Christus, redemptor noster, corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit (*Luc. XXII*, 19. *Jo. VI*, 48. 1 *Cor. XI*, 24.); ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta haec Synodus declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiae panis

VARIANTES.

§. 163. altera *edit. Brix. Vird. Rhem. Lav.* 3.

in substantiam corporis Christi Domini nostri, et totius substantiae vini in substantiam sanguinis ejus. Quae conversio convenienter et proprie a sancta catholica Ecclesia Transubstantiatio est appellata.

## CAPUT V.

### *De cultu et veneratione huic sanctissimo Sacramento exhibenda.* (§. 176.)

§. 165. Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles, pro more in catholica Ecclesia semper recepto, latriae cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibent. Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum (*Matth.* XXVI, 26.): nam illum eumdem Deum praesentem „*in eo*" adesse credimus, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum, dicit (*Ps.* XCVI, 7. *Hebr.* I, 6.): *Et adorent eum omnes Angeli Dei*, quem Magi procidentes adoraverunt (*Matth.* II, 11.), quem denique in Galilaea ab Apostolis adoratum fuisse scriptura (*Matth.* XXVIII, 17. *Luc.* XXIV, 52.) testatur. Declarat praeterea sancta Synodus, pie et religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam et festo die praecelsum hoc et venerabile Sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, utque in processionibus reverenter et honorifice illud per vias et loca publica circumferretur. Aequissimum est enim sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes, singulari ac rara quadam significatione, gratos et memores testentur animos erga communem Dominum et redemptorem pro tam ineffabili et plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria et triumphus repraesentatur (1 *Cor.* XV. *Hebr.* 11.). Ac si quidem oportuit victricem veritatem de mendacio et haeresi triumphum agere, ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris, et in tanta universae Ecclesiae laetitia positi, vel debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant.

VARIANTES.

§. 165. in eo — *Lov. Ven. et Dil.*

## CAPUT VI.

*De asservando sacrae Eucharistae Sacramento et ad infirmos deferendo.* (§. 177.)

§. 166. Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam saeculum etiam Nicaeni Concilii agnoverit. Porro deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos, et „*in hunc usum*" diligenter in Ecclesiis conservari; praeterqnam quod cum summa aequitate et ratione conjunctum est, tum multis in Conciliis praeceptum invenitur, et vetustissimo catholicae Ecclesiae more est observatum. Quare sancta haec Synodus retinendum omnino salutarem hunc et necessarium morem statuit.

## CAPUT VII.

*De praeparatione quae adhibenda est, ut digne quis sacram Eucharistiam percipiat.* (§. 181.)

§. 167. Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte; certe, quo magis sanctitas et divinitas caelestis hujus Sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat, praesertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus (1 *Cor. XI*, 20.): *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus praeceptum (1 *Cor. XI*, 28.): *Probet autem seipsum homo.* Ecclesiastica antem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessoris: quod si necessitate urgente Sacerdos absque praevia Confessione celebraverit; quamprimum confiteatur.

VARIANTES.

§. 166. hunc usum *Rom. 1. Dil. Ven. et Lov.*

## CAPUT VIII.

*De usu admirabili hujus Sacramenti.* (§. 178. 180. 181.)

§. 168. Quoad usum autem, recte et sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctum Sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam enim docuerunt sacramentaliter dumtaxat id sumere, ut peccatores. Alios tantum spiritaliter, illos nimirum, qui voto propositum illum caelestem panem edentes fide viva, quae per dilectionem operatur *(Gal. V, 6.)*, fructum ejus et utilitatem sentiunt. Tertios porro sacramentaliter simul et spiritaliter: hi autem sunt, qui ita se prius probant et instruunt, ut vestem nuptialem induti *(Matth. XXII, 11.)* ad divinam hanc mensam accedant.

§. 169. In sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent; qui mos, tamquam ex traditione apostolica *(Hebr. V. et VII.)* descendens, jure ac merito retineri debet. Demum vero paterno affectu admonet sancta Synodus, hortatur, rogat et obsecrat per viscera misericordiae Dei nostri, ut omnes et singuli, qui christiano nomine censentur in hoc unitatis signo, in hoc vinculo caritatis, in hoc concordiae symbolo, jam tandem aliquando conveniant et concordent, memoresque tantae majestatis et tam eximii amoris Jesu Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostrae salutis pretium, et carnem suam nobis dedit ad manducandum *(Joh. VI, 56. 57.)*: haec sacra mysteria corporis et sanguinis ejus ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ea pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, et is vere eis sit animae vita et perpetua sanitas mentis, cujus vigore confortati, ex hujus miserae peregrinationis itinere ad caelestem patriam pervenire valeant, eundem panem Angelorum *(Ps. LXXVII, 25.)*, quem modo sub „*sacris velaminibus*" edunt, absque ullo velamine manducaturi.

§. 170. Quoniam autem non est satis veritatem dicere, nisi detegantur et refellantur errores; placuit sanctae Synodo hos Canones subjungere, ut omnes jam

VARIANTES.

§. 169. panis velaminibus *Brix. Vird. Rhem. Lov. 3. Antv. 5. Col.*

agnita doctrina catholica intelligant quoque, quae illis haereses caveri vitarique debeant.

*De sacrosancto Eucharistiae Sacramento*

## CANON I. (§. 163.)

§. 171. Si quis negaverit, in sanctissimae Eucharistiae Sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit, tantummodo esse in eo, ut in signo vel figura aut virtute; anathema sit.

## CANON II. (§. 164.)

§. 172. Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiae Sacramento remanere substantiam panis et vini, una cum corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime Transubstantiationem appellat; anathema sit.

## CANON III. (§. 163.)

§. 173. Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit.

## CANON IV.

§. 174. Si quis dixerit, peracta consecratione in admirabili Eucharistiae Sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante vel post; et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini; anathema sit.

## CANON V.

§. 175. Si quis dixerit, vel praecipuum fructum sanctissimae Eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire; anathema sit.

## CANON VI. (§. 165.)

§. 176. Si quis dixerit, in sancta Eucharistiae Sacramento Christum, unigenitum Dei filium, non esse cultu latriae, etiam externo, adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiae sanctae ritum et consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice ut adoretur populo proponendum, et ejus adoratores esse „*idololatras*"; anathema sit.

## CANON VII. (§. 166.)

§. 177. Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam, aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur; anathema sit.

## CANON VIII. (§. 168.)

§. 178. Si quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibitum spiritualiter tantum manducari, et non etiam sacramentaliter et realiter; anathema sit.

## CANON IX. (§. 231.)

§. 179. Si quis „*negaverit*", omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta praeceptum sanctae matris Ecclesiae (XII); anathema sit.

## CANON X. (§. 168.)

§. 180. Si quis dixerit, non licere Sacerdoti celebranti seipsum communicare; anathema sit.

## CANON XI. (§. 167.)

§. 181. Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum sanctissimae Eucha-

VARIANTES.

§. 176. idolatras *Rom. 1. 5. Brix. Dil. Lov. 3. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.* idolatrias *Ven. 2.*

§. 179. dixerit *Ven. 2.*

6 *

ristiae Sacramentum; anathema sit. Et ne tantum Sacramentum indigne atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessario praemittendam esse Confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

### *Decretum de reformatione.*

## CAPUT I.

*Episcopi prudenter moribus subditorum reformandis invigilent; ab eorum correctione non appelletur.*

(§. 159. 326. 423. 456. 493.)

§. 182. Eadem „*sacrosancta*“ Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, „*praesidentibus in ea eisdem sanctae Sedis apostolicae Legato et Nuntiis*“, intendens nonnulla statuere, quae ad jurisdictionem pertinent Episcoporum, ut juxta proximae sessionis decretum illi in commissis sibi Ecclesiis eo libentius resideant, quo facilius et commodius sibi subjectos regere et in vitae ac morum honestate continere potuerint; illud primum eos admonendos censet, ut se pastores, non „*percussores*“ (*Tit. I, 7. Tim. III,* 1.) esse meminerint, atque ita praeesse sibi subditis opportere, ut non in eis dominentur (1 *Petr. V,* 2. 3.), sed illos tamquam filios et fratres diligant, elaborentque ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne ubi deliquerint debitis eos poenis coërcere cogantur. Quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda praeceptio (2 *Tim. IV,* 2.), ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia; cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum

VARIANTES.

§. 182. sancta *Rom. 1. Brix. Dil. Lov. 2. 3. Ven. 2. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.*
praesidentibus - nuntiis — *Vird. Rhem.*
praecursores *Brix. Lov. 3. Antv. 5. Col.*

mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina populis salutaris ac necessaria conservetur: et qui correpti fuerint emendentur, aut si resipiscere noluerint ceteri salubri in eos animadversionis exemplo a vitiis deterreantur; cum sit diligentis et pii simul Pastoris officium, morbis ovium levia primum adhibere fomenta, post ubi morbi gravitas ita postulet ad „*acriora*“ et graviora remedia descendere, sin autem ne ea quidem proficiant, illis submovendis ceteras saltem oves a contagionis periculo liberare.

§. 183. Cum igitur rei criminum plerumque ad evitandas poenas et Episcoporum subterfugienda judicia, querelas et gravamina simulent, et appellationis „*diffugio*“ judicis processum impediant; ne remedio ad innocentiae praesidium instituto ad iniquitatis defensionem abutantur, „*utque hujusmodi*“ eorum calliditati et tergiversationi occurratur, ita statuit et decrevit: In causis visitationis et correctionis, sive habilitatis et inhabilitatis, nec non criminalibus, ab Episcopo seu illius in spiritualibus Vicario generali, ante definitivam sententiam, ab interlocutoria vel alio quocumque gravamine non appelletur; neque Episcopus seu Vicarius appellationi hujusmodi tamquam frivolae deferre teneatur, sed ea, ac quacumque inhibitione ab appellationis „*judice*“ emanata, nec non omni stylo et consuetudine etiam immemorabili contraria non obstante, ad ulteriora valeat procedere, nisi gravamen hujusmodi per definitam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit. Quibus casibus sacrorum et antiquorum canonum statuta illibata persistant.

## CAPUT II.

*In criminalibus appellatio ab Episcopo, quando Metropolitano aut uni ex vicinioribus committenda sit.*

§. 184. A sententia Episcopi vel ipsius in spiritualibus Vicarii generalis, in „*criminalibus*“ appellationis causa,

VARIANTES.

§. 182. veriora *Rom. 1. Brix. Dil. Lov. 2. 3. Rhem. Antv. 5. Col.*
§. 183. diffugia *Rom. 3.* diffusio *Vird. Rhem.*
atque ut hujusmodi *Rom. 1. 4. Brix. Lov. 2. 3. Dil. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.*
judicio *Rom. 1.*
§. 184. criminibus *Brix. Lov. 3. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.*

ubi „*appellationi locus*" fuerit, si apostolica auctoritate in partibus eam committi contigerit, Metropolitano seu illius etiam Vicario in spiritualibus generali, aut si ille aliqua de causa suspectus foret, vel ultra duas legales dietas distet, seu ab ipso appellatum fuerit, uni ex vicinioribus Episcopis seu illorum Vicariis, non autem inferioribus judicibus committatur.

## CAPUT III.

*Acta primae instantiae intra triginta dies dentur gratis reo appellanti.*

§. 185. Reus ab Episcopo aut ejus Vicario in spiritualibus generali in criminali causa „*appellans, coram judice ad quem appellavit*", acta primae instantiae omnino producat, et judex, nisi illis visis, ad ejus absolutionem minime procedat. Is autem a quo appellatum fuerit intra triginta dies acta ipsa postulanti gratis exhibeat; alioqui absque illis causa appellationis hujusmodi, prout „*justitia suaserit*", terminetur.

## CAPUT IV.

*Qua ratione Clerici ob gravia crimina sacris exauctorandi.*

§. 186. Cum vero tam gravia nonnumquam sint delicta ab ecclesiasticis commissa personis, ut ob eorum atrocitatem e sacris ordinibus deponendae et curiae sint tradendae saeculari, in quo secundum sacros canones certus Episcoporum numerus requiritur; quos si omnes adhibere difficile esset, debita juris executio differetur; si quando autem intervenire possent, eorum residentia intermitteretur; propterea statuit et decrevit: Episcopo per se seu illius „*Vicarium in spiritualibus generalem*", contra Clericum, in sacris etiam presbyteratus ordinibus constitutum, etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depositionem; et per seipsum etiam, ad actua-

VARIANTES.

§. 184. appellationis locus *Rom. 1. 4. Lov. 2. 3. Brix. Dil. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.*

§. 185. appellare coram judice possit: ei ad quem appellavit *Brix. Lov. 3. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.*

in institia sua asserit *Brix. Rhem. Lov. 3. Antv. 5. Col.*

§. 186. vicario in spiritualibus generali *Rom. 5.*

lem atque sollemnem degradationem ab ipsis ordinibus et gradibus ecclesiasticis in casibus, in quibus aliorum Episcoporum praesentia, in numero a canonibus definito, requiritur, etiam absque illis procedere liceat; adhibitis tamen et in hoc sibi assistentibus, totidem Abbatibus, usum mitrae et baculi ex privilegio apostolico habentibus, si in civitate aut dioecesi reperiri et commode interesse possint; alioquin aliis personis in ecclesiatica dignitate constitutis, quae aetate graves ac juris scientia commendabiles existant.

## CAPUT V.

*Summarie cognoscat Episcopus de gratiis, aut absolutionem criminis aut remissionem poenae respicientibus.*

§. 187. Et quoniam „*per fictas causas*“, quae tamen satis probabiles videntur, interdum accidit, ut nonnulli ejusmodi gratias extorqueant, per quas poenae illis Episcoporum „*justa severitate*“ inflictae aut remittuntur omnino aut minuntur; cum non ferendum sit, ut mendacium, quod tantopere Deo displicet, non modo ipsum impunitum sit, verum etiam alterius delicti veniam impetret mentienti (*Exod. XXXII,* 1. *Levit. XIX,* 11. *Prov. VI,* 6. 19. *VIII,* 7, *XII,* 17.), idcirco ut sequitur statuit et decrevit: Episcopus apud Ecclesiam suam residens de surreptione et obreptione gratiae, quae super absolutione alicujus publici criminis vel delicti, de quo ipse inquirere coeperat, aut remissione poenae, ad quam criminosus per eum condemnatus fuerit, falsis precibus impetratur, per seipsum, tamquam sedis apostolicae delegatus, etiam summarie cognoscat; ipsamque gratiam, postquam per falsi narrationem aut veri taciturnitatem obtentam esse legitime constiterit, non admittat.

## CAPUT VI.

*Non citetur personaliter Episcopus, nisi depositionis aut privationis causa.* (§. 428.)

§. 188. Quoniam vero subditi Episcopo, tametsi jure correpti fuerint, magnopere tamen eum odisse, et

VARIANTES.

§. 187. ' post perfectas causas *Brix. Vird. Rhem. Lov. 3. Antv. 5. Col.* post fictas causas *Rom. 1.*
juxta severitatem *Brix. Lov. 3. Antv. 5. Col.*

tamquam injuria affecti sint, falsa illi crimina objicere solent; ut quoque pacto possint ei molestiam exhibeant; cujus vexationis timor plerumque illum ad inquirenda et punienda eorum delicta segniorem reddit: idcirco, ne „is“ magno suo et Ecclesiae incommodo gregem sibi creditum relinquere, ac non sine episcopalis dignitatis diminutione vagari „cogatur“, ita statuit et decrevit: Episcopus, nisi ob causam ex qua deponendus sive privandus veniret, etiam si ex officio aut per inquisitionem seu denuntiationem vel accusationem, sive alio quovis modo procedatur, ut personaliter compareat, nequaquam citetur vel moneatur.

## CAPUT VII.

*Qualitates testium contra Episcopum describuntur.*

§. 189. Testes in causa criminali, ad informationem vel „indicia“, seu alias in causa principali contra Episcopum, nisi contestes et bonae conversationis, exsitimationis et famae fuerint, non recipiantur et si odio, temeritate aut cupiditate aliquid deponsuerint, gravibus poenis multentur.

## CAPUT VIII.

*Graves Episcoporum causae a Pont. Max. cognoscantur.*

§. 190. Causae Episcoporum, cum pro criminis objecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Max. referantur ac per ipsum terminentur.

*Decretum prorogationis, definitionis quatuor articulorum de Sacramento Eucharistae, et Salvi Conductus Protestantibus dandi.*

§. 191. Eadem sancta Synodus errores omnes, qui super hoc sanctissimo Sacramento repullularunt, tamquam vepres ex agro dominico evellere, ac omnium fidelium saluti prospicere cupiens, quotidianis precibus Deo omnipotenti pie oblatis, inter alios ad hoc sacramentum pertinentes articulos, diligentissima veritatis catholicae inquisitione tractatos, plurimis accuratissimisque pro rerum

VARIANTES.

§. 188. II — cogantur *Rom. 1. Brix. Dil. Lov. 2. 3. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.*
§. 189. judicia *Brix. Lov. 3. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.*

gravitate disputationibus habitis, cognitis quoque praestantissimorum Theologorum sententiis, hos etiam tractabat: An necessarium sit ad salutem et divino jure praeceptum, ut singuli Christi fideles sub utraque specie ipsum venerabile Sacramentum accipiant; *et:* „*Num minus*" sumat, qui sub altera, quam qui sub utraque communicat; et: An erraverit sancta mater Ecclesia, Laicos et non celebrantes Sacerdotes, sub panis specie dumtaxat communicando; et: An parvuli etiam communicandi sint. Sed quoniam ex nobilissima Germaniae provincia ii, qui se Protestantes nominant, super his ipsis articulis, antequam definiantur, audiri a sancta Synodo cupiunt, et eam ob causam fidem publicam ab illa postularunt, ut ipsis tuto huc venire et in hac urbe commorari, ac libere coram Synodo dicere atque proponere quae senserint, et postea cum libuerit recedere liceat; sancta ipsa Synodus, licet magno desiderio eorum adventum multos antea menses exspectarit, tamen ut pia mater, quae ingemiscit et parturit, summopere id desiderans ac laborans, ut in iis qui christiano nomine censentur nulla sint schismata, sed quemadmodum eumdem omnes Deum et Redemptorem agnoscunt, ita idem „*dicant, idem*" credant, idem sapiant, confidens „*Dei misericordia*" et sperans fore, ut illi in sanctissimam et salutarem unius fidei, spei caritatisque concordiam redigantur, libenter eis in hac re morem gerens, securitatem et fidem ut petierunt publicam, quam Salvum Conductum vocant, „*quod ad se*" pertinet, ejus qui infrascriptus erit tenoris, dedit atque concessit: et eorum causa definitionem illorum articulorum ad secundam sessionem distulit, quam, ut illi commode „*et interesse possint*", in diem festum Conversionis divi Pauli, qui erit XXV. die mensis Januarii anni sequentis, indixit. Illudque praeterea statuit, ut in eadem sessione de Sacrificio Missae agatur, propter magnam rei connexionem. Interea sessione proxima de Poenitentiae

VARIANTES.

§. 191. et nec minus sumat *Brix. Lov. 3. Antv. 5. Col. — Ven. 2.*

in Dei miseric. *Brix. Lov. 3. Antv. 5. Col.* Dei misericordiae *Rom. 5.*

quo ad se *Rom. 4. Ven. 2. Vird. Rhem. Brix. Lov. 3. Col.*

interesse possint *Vird. Rhem.* ei interesse possent *Brix. Dil. Lov. 2. 3. Antv. 5. Col.*

et extremae Unctionis Sacramentis tractandum. Illam autem die festo divae Catharinae virginis et martyris, qui erit XXV. Novembris, habendam esse decrevit, simulque, ut in utraque „*materiam reformationis prosequatur.*"

## SALVUS CONDUCTUS DATUS PROTESTANTIBUS.

§. 192. Sacrosancta generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem sanctae Sedis apostolicae „*Legato*" et Nuntiis, omnibus et singulis sive ecclesiasticis sive saecularibus personis universae Germaniae, cujuscumque gradus, status, conditionis et qualitatis sint, quae ad oecumenicum hoc et generale Concilium accedere voluerint, ut de iis rebus, quae in ipsa Synodo tractari debent, omni libertate conferre, proponere et tractare, ac ad ipsum oecumenicum Concilium libere et tuto venire, et in eo manere et commorari, ac articulos, quot illis videbitur, tam scripto quam verbo offerre, proponere et cum Patribus, sive iis qui ab ipsa „*sancta Synodo*" delecti fuerint, conferre et absque ullis conviciis et contumeliis disputare, necnon quando illis placuerit recedere possint et valeant, publicam fidem et plenam securitatem, quam Salvum Conductum appellant, cum omnibus et singulis clausulis et decretis necessariis et opportunis, etiam si specialiter et non per verba generalia exprimi deberent, quae pro expressis haberi voluit, quantum ad ipsam sanctam Synodum spectat, concedit. Placuit praeterea sanctae Synodo, ut, si pro majori libertate ac securitate eorum, certos tam pro commissis quam pro committendis per eos delictis, judices „*eis*" deputari cupiant, illos sibi benevolos nominent, etiam si delicta ipsa quantumcumque enormia ac haeresim sapientia fuerint.

VARIANTES.

§. 194. materia reform. prosequatur *Rom. 1. Brix. Dil. Lov. 2. 3. Antv. 5. Col.* materiam reform. prosequetur *Antv. 5. Col.*

§. 192. Legatis *Brix. Lov. 3. Antv. 5. Col.*

Synodo *Lov. 3. Antv. 5. Col.* — *Rom. 2. 3. Ven. 2. Vird. Rhem.*

eis — *Rom. 2. 3. Ven. Vird. et Rhem.*

# SESSIO DECIMA QUARTA,

## QUAE EST QUARTA SUB JULIO III. PONT. MAX., celebrata die XXV. Novemb. M. D. LI.

*Doctrina de sanctissimis Poenitentiae et extremae Unctionis Sacramentis.* (§. 56.)

§. 193. Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem sanctae apostolicae sedis Legato et Nuntiis, quamvis in decreto de Justificatione multus fuerit de Poenitentiae Sacramento, propter locorum cognationem, necessaria quadam ratione sermo interpositus, tanta nihilominus circa illud nostra hac aetate diversorum errorum est multitudo, ut non parum publicae utilitatis retulerit, de eo exactiorem et pleniorem definitionem tradidisse, in qua demonstratis et convulsis, Spiritus Sancti praesidio, universis erroribus, catholica veritas perspicua et illustris fieret; quam nunc sancta haec Synodus Christianis omnibus perpetuo servandam proponit.

## CAPUT I.

*De necessitate et institutione Sacramenti Poenitentiae.* (§. 224.)

§. 194. Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in Baptismo ipsius beneficio et gratia susceptam, constanter tuerentur, non fuisset opus, aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in misericordia *(Eph. II. 4.)*, cognovit figmentum nostrum *(Psalm. CII, 14.)*, illis etiam vitae remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem et Daemonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet Poenitentiae, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur. Fuit quidem poenitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi Sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjecta et „*emendata*“

VARIANTES.

§. 194. eliminata *Rom. 1. Lov. 2. 3. Brix. Dil. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.*

tantam Dei offensionem, cum peccati odio et pio animi dolore detestarentur. Unde Propheta ait *(Ezech. XVIII, 30.)*: *Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: et non erit vobis in ruinam iniquitas.* Dominus etiam dixit *(Luc. XIII, 3.)*: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Et princeps Apostolorum Petrus peccatoribus Baptismo initiandis poenitentiam commendans dicebat *(Act. II, 38.)*: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Porro nec ante adventum Christi poenitentia erat sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante Baptismum.

§. 195. Dominus autem Sacramentum Poenitentiae tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens *(Jo. XX, 22. 23. Matth. XVI, 19.)*: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit; et Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia catholica, tamquam haereticos explosit atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta haec Synodus probans et recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem praedicandi verbum Dei et Christi evangelium annuntiandi, contra hujusmodi Sacramenti institutionem falso detorquent.

## CAPUT II.

### *De differentia Sacramenti Poenitentiae et Baptismi.*

§. 196. Ceterum hoc Sacramentum multis rationibus a Baptismo differre dignoscitur. Nam praeterquam quod materia et forma, quibus Sacramenti essentia perficitur, longissime „*dissidet*“; constat certe, Baptismi ministrum judicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus. *Quid enim mihi*, in-

VARIANTES.

§. 196. dissident *Brix. Vird. Rhem. Lov. 3. Antv. 5. Col.*

quit Apostolus *(1 Cor. V, 12.), de iis, qui foris sunt, judicare?* Secus est de domesticis „*fidei*", quos Christus Dominus lavacro Baptismi sui corporis membra semel effecit *(1 Cor. XII, 13 sqq.).* Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptismo ablui, cum id in Ecclesia catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal tamquam reos sisti voluit, ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum poenitentes „*confugerent*", possent liberari.

§. 197. Alius praeterea est Baptismi et alius Poenitentiae fructus. Per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes; ad quam tamen novitatem et integritatem per Sacramentum Poenitentiae, sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus, ut merito Poenitentia laboriosus quidam Baptismus a sanctis Patribus dictus fuerit. Est autem hoc Sacramentum Poenitentiae lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.

## CAPUT III.

### *De partibus et fructu hujus Sacramenti.* (§. 56. 242.)

§. 198. Docet praeterea sancta Synodus, Sacramenti Poenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse; *Ego te absolvo etc.* quibus quidem de Ecclesiae sanctae more preces quaedam laudabiliter adjunguntur: ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariae. Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius poenitentis actus, nempe Contritio, Confessio et Satisfactio. Qui quatenus in poenitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Poenitentiae partes

VARIANTES.

§. 196. fidei — *Rom. 1. Lov. 2. 3.* | *Vird. Rhem. Brix. Dil. Antv. 5. Col.*

confugerint *Rom. 1. 4. 5. Lov. 2. 3. Ven. 2. Brix. Dil. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.*

dicuntur. Sane vero res et effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo; quam interdum in viris piis et cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiae pax ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet. Haec de partibus et effectu hujus Sacramenti sancta Synodus tradens, simul eorum sententias damnat, qui poenitentiae partes, incussos conscientiae terrores et fidem esse contendunt.

## CAPUT IV.

### *De Contritione.* (§. 46.)

§. 199. Contritio, quae primum locum inter dictos poenitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus necessarius; et in homine post Baptismum lapso, ita demum praeparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinae misericordiae et voto praestandi reliqua conjunctus sit, quae ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur sancta Synodus, hanc Contritionem non solum cessationem a peccato et vitae novae propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud *(Ezech. XVIII, 31.)*: *Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum.* Et certe, qui illos Sanctorum clamores consideraverit *(Ps. L, 607.)*: *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: Laboravi in gemitu meo: lavabo per singulas noctes lectum meum (Jes. XXXVIII, 15.)*: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae*, et alios hujus generis, facile intelliget, eos ex vehementi quodam ante actae vitae odio et ingenti peccatorum dotestatione manasse.

§. 200. Docet praeterea, etsi Contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem, ipsi Contritioni sine Sacramenti voto quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam vero Contritionem imperfectam quae Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione. vel ex gehennae et poenarum

metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, declarat, non solum non facere hominem hypocritam *„et magis peccatorem“*, verum etiam donum Dei esse et Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis sed tantum *„moventis“*, quo poenitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Poenitentiae impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitae ad Ionae praedicationem plenam terroribus, poenitentiam egerunt et misericordiam a Domino impetrarunt *(Jon. III,* 5. *Matth. XII,* 41. *Luc. XI,* 32.*)*.

§. 201. Quamobrem falso quidam calumniantur catholicos Scriptores, quasi tradiderint, Sacramentum Poenitentiae absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod numquam Ecclesia Dei docuit neque sensit; sed et falso docent, Contritionem esse extortam et coactam, non liberam et voluntariam.

## CAPUT V.

### *De Confessione. (*§. 89. 229. 230. 231. 237.*)*

§. 202. Ex institutione Sacramenti Poenitentiae jam explicata universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum Confessionem, et omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere: quia Dominus noster Jesus Christus e terris ascensurus ad coelos, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam praesides et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae Christi fideles ceciderint; quo pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. *(Matth. XVI,* 19. *Jo. XX,* 23.*)*. Constat enim Sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, nec aequitatem quidem illos in poenis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat et non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.

VARIANTES.

§. 200. et magis peccatorem — *Rom. 1. Vird. Rhem. Lov. 2. 3. Brix. Dil. Antv. 5. Col.*

monentis *Antv. 5.*

§. 203. Ex his colligitur, oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in Confessione recenseri, etiam si occultissima illa sint, et tantum adversus duo ultima decalogi praecepta commissa, quae nonnumquam animum gravius sauciant et periculosiora sunt iis, quae in manifesto admittuntur. Nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur et in quae frequentius labimur, quamquam recte et utiliter citraque omnem praesumtionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam multisque aliis remediis expiari possunt.

§. 204. Verum cum universa mortalia peccata, etiam „*cogitationis*“, homines irae filios et Dei inimicos reddant *(Eph. II, 3.)*; necessum est omnium etiam veniam cum aperta et verecunda Confessione a Deo quaerere. Itaque dum omnia, quae memoriae occurrunt, peccata Christi fideles confiteri „*student*“, procul dubio omnia misericordiae divinae „*ignoscenda*“ exponunt. Qui vero secus faciunt et scienter aliqua retinent, nihil divinae bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat aegrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina non curat.

§. 205. Colligitur praeterea, etiam eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quae speciem peccati mutant, quod sine illis peccata ipsa nec a poenitentibus integre exponantur nec judicibus innotescant, et fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, et poenam quam oportet pro illis poenitentibus imponere. Unde alienum a ratione est docere, circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse, aut unam tantum circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in fratrem.

§. 206. Sed et impium est, Confessionem quae hac ratione fieri praecipitur, impossibilem dicere aut carnificinam illam conscientiarum appellare. Constat enim, nihil aliud in Ecclesia a poenitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit, et conscien-

VARIANTES.

§. 204. cogitationes *Vird. Rhem. Brix. Lov. 3. Antv. 5 Col.* audent *Vird. Rhem. Brix. Lov. 3. Antv. 5. Col.* agnoscenda *Rom. 1. Rom. 4. Lov. 2. Dil. Ven. 2.*

tiae suae sinus omnes et latebras exploraverit; ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus *(Ps. XVIII, 13.)*: *Ab occultis meis munda me Domine.* Ipsa vero hujusmodi Confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus „*levaretur*", quae omnibus, digne ad hoc Sacramentum accedentibus, per absolutionem certissime conferuntur.

§. 207. Ceterum quoad modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiae offensae aedificationem, delicta sua publice confiteri possit; non est tamen hoc divino praecepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege praeciperetur, ut delicta, praesertim secreta, publica essent Confessione aperienda. Unde cum a sanctissimis Patribus magno unanimique consensu secreta Confessio sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est et modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam et inventum humanum esse, atque a Patribus, in Concilio Lateranensi congregatis, initium habuisse, docere non verentur. Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium et institutum esse intellexerat, sed ut praeceptum Confessionis saltem semel in anno, ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur. Unde jam in universa Ecclesia, cum ingenti animarum fidelium fructu, observatur mos ille salutaris, confitendi sacro illo et maxime acceptabili tempore Quadragesimae; quem morem haec sancta Synodus maxime probat et amplectitur, tamquam pium et merito retinendum.

VARIANTES.

§. 206. relevaretur *Vird. Rhem. Brix. Lov. 3. Antv. 5. Col.*

## CAPUT VI.

### *De Ministro hujus Sacramenti, et Absolutione.* (113. 232. 233.)

§. 208. Circa Ministrum autem hujus Sacramenti declarat sancta Synodus, falsas esse et a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quae ad alios quosvis homines, praeter Episcopos et Sacerdotes, clavium ministerium perniciose extendunt, putantes, verba illa Domini (*Matth.* XVI, 19. XVIII, 18.): *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt „ligata" et in coelo*: et (*Jo.* XX, 23.): *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*, ad omnes Christi fideles, indifferenter et promiscue, contra institutionem hujus Sacramenti, ita fuisse dicta. ut quivis potestatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam Confessionem cuicumque factam.

§. 209. Docet quoque etiam Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus sancti in Ordinatione collatam, tamquam Christi ministros, functionem remittendi peccata exercere; eosque prave sentire, qui in malis Sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt. Quamvis autem Absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium, vel annuntiandi evangelium vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso velut a judice sententia pronuntiatur. Atque ideo non debet poenitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut, etiam „*si nulla illi adsit*" contritio aut Sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit, putet tamen se, propter suam solam fidem, vere et coram Deo esse absolutum. Nec enim fides sine Poenitentia remissionem ullam peccatorum praestaret, nec is esset, nisi salutis suae negligentissimus, qui Sacerdotem „*joco se*" absolventem cognosceret, et non alium serio agentem sedulo requireret.

VARIANTES.

§. 208. alligata *Rom. 1. 4. Lov. 2. 3. Ven. 2. Brix. Dil. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.*

§. 209. si multa illi adsit *Brix. Vird. Rhem. Lov. 3. Antv. 5. Col* jocose *Dil.*

## CAPUT VII.

*De casuum reservatione.* (§. 429.)

§. 210. Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti Absolutionem rem esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Magnopere vero ad christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur. Unde merito Pontifices max. pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare.

§. 211. Neque dubitandum est, quando omnia, quae a Deo sunt, ordinata sunt (*Rom. XIII,* 1.), quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique dioecesi, in aedificationem tamen non in destructionem, liceat pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, praesertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinae auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris „*absolvere possunt*“: extra quem articulum Sacerdotes cum nihil possint in casibus reservatis, „*id unum*“ poenitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos judices pro beneficio Absolutionis accedant.

## CAPUT VIII.

*De Satisfactionis necessitate et fructu.* (§. 56. 91. 235.)

§. 212. Demum quoad Satisfactionem, quae ex omnibus Poenitentiae partibus, quemadmodum a Patribus

VARIANTES.

§. 211. absolvere possint *Rom. 1. 4. Lov. 2. 3. Brix. Dil. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.*
ad unum *Brix. Lov. 3. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.*

nostris christiano populo fuit perpetuo tempore commendata; ita una maxime nostra aetate, summo pietatis praetextu, impugnatur ab iis, qui speciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt: sancta Synodus declarat, falsum omnino esse et a verbo Dei alienum, culpam a Domino numquam remitti, quin universa etiam poena condonetur. Perspicua enim et illustria in sacris litteris exempla reperiuntur *(Gen. III,* 16 *sqq.* 2 *Reg. XII,* 13. 14. *Numer. XII,* 14. 15. *XX,* 11. 12.*)*, quibus, praeter divinam traditionem, hic error quam manifestissime revincitur. Sane et divinae justitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter vero qui, semel a peccati et Daemonis servitute liberati et accepto Spiritus sancti dono, „*scienter*", templum Dei violare *(1 Cor. III,* 17.*)*, et Spiritum sanctum contristare *(Eph. IV,* 90.*)* non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii et contumeliosi Spiritui sancto *(Hebr. X,* 29.*)*, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die irae *(Rom. II,* 5.*)*.

§. 213. Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi freno quodam coërcent hae satisfactoriae poenae, cautioresque et vigilantiores in futurum poenitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei umquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino poenam, quam ut haec Poenitentiae opera homines cum vero animi dolore frequentent *(Eph. XXXIII. Ion. III,* 6 *sqq. Jer. III. XVIII,* 8. *XXV. Jes. XXX. Eccles. XVII,* 20 *sqq. Matth. III,* 2. 8. *IV,* 11. *XI,* 4. 5.*)*.

§. 214. Accedit ad haec, quod, dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit *(Rom. V,* 10. 1 *Jo. II,* 1. 2.*)*, ex quo omnis nostra sufficientia est *(2 Cor. III,* 31.*)*, conformes efficimur; „*certissimam quoque inde*" arrham ha-

VARIANTES.

§. 212. scientes *Rom. 1. 4. Dil. Lov. 2.*

§. 214. certissimamque inde *Vird. Rhem. Lov. 3. Antv. 5.* certissimum inde *Brix.*

bentes, quod si compatimur et conglorificabimur *(Rom. VIII, 17.)*. Neque vero ita nostra est satisfactio haec, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum. Nam „*qui ex nobis*", tamquam ex nobis, nihil possumus *(2 Cor. III*, 5. *Phil. IV*, 13. 1 *Cor. I*, 31.*)*, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est *(2 Cor. X*, 17. *Gal. VI*, 14.*)*., in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus *(Act. XVII*, 28.*)*, facientes fructus dignos Poenitentiae *(Matth. III*, 8. *IV*, 17. *Luc. III*, 8. *X*, 13. *XVII*, 3.*)*, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre.

§. 215. Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia sugesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate, salutares et convenientes Satisfactiones injungere: ne, si forte peccatis conniveant et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut Satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem. Nam Claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat sed et ad ligandum concessas *(Matth. XVI*, 19. *Jo. XX*, 23.*)*. etiam antiqui Patres et credunt et docent.

§. 216. Nec propterea existimarunt, Sacramentum Poenitentiae esse forum irae vel poenarum, sicut nemo umquam Catholicus sensit, ex hujusmodi nostris satisfactionibus vim meriti et satisfactionis Domini nostri Jesu Christi, vel obscurari vel aliqua ex parte imminui. Quod dum novatores intelligere „*volunt*", ita „*optimam*" Poenitentiam, novam vitam esse docent, ut omnem Satisfactionis vim et usum tollant.

## CAPUT IX.

### *De Operibus Satisfactionis.*

§. 217, Docet praeterea, tantam esse divinae munificentiae largitatem, ut non solum poenis sponte a

VARIANTES.

§. 414. quod ex nobis *Brix. Lov. 3. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.*
§. 216. noluni *Rom. 2. 3. 5. Lov. 3. Ven. 2. Antv. 5. Col.* aptissimam *Brix. Vird. Rhem. Lov. 3. Antv. 5. Col.*

nobis pro vindicando peccato susceptis aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis et a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.

### *De Sacramento extremae Unctionis.*

§. 218. Visum est autem sanctae Synodo, praecedenti doctrinae de Poenitentia adjungere ea, quae sequuntur de Sacramento extremae Unctionis, quod non modo Poenitentiae, sed et totius christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus. Primum itaque circa illius institutionem declarat et docet, quod clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela *(Eph. VI,* 10 *sqq.)* esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis praeparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviori spiritus incommodo possint, ita extremae Unctionis Sacramento finem vitae, tamquam firmissimo quodam praesidio, munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quaerat et captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit, nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suae versutiae nervos intendat ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, divinae misericordiae deturbandos *(Gen. IV,* 13.), quam cum impendere nobis exitum vitae *„prospicit"*.

## CAPUT I.

### *De institutione Sacramenti extremae Unctionis.*

§. 219. Instituta est autem sacra haec Unctio infirmorum tamquam vere et proprie Sacramentum Novi Testamenti a Christo Domino nostro, apud Marcum *(IV,* 13.*)* quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum *(V,* 14. 15.*)* ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum. *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent „super*

VARIANTES.

§. 218. perspicit *Rom. 1. 4. Ven. 2. Lov. 2. Dil.*
§. 219. supra eum *Rom. 1. Brix. Dil. Lov. 3. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.*

*eum". ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et, si in peccatis sit, dimittentur ei.* Quibus verbis, ut ex apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum et effectum hujus salutaris Sacramenti. Intellexit enim Ecclesia materiam esse oleum, ab Episcopo benedictum. Nam Unctio aptissime Spiritus sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis *„inungitur"*, repraesentat; formam deinde esse illa verba, per istam unctionem etc.

## CAPUT II.

### *De effectu hujus Sacramenti.*

§. 220. Res porro et effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur *(Jac. V, 15.)*: *Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et, si in peccatis sit, dimittentur ei.* Res etenim haec gratia est Spiritus sancti, cujus unctio delicta, si qua sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit; et aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert; et tentationibus Daemonis calcaneo insidiantis *(Gen. III, 15.)* facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur.

## CAPUT III.

### *De Ministro hujus Sacramenti, et tempore quo dari debeat.* (§. 113.)

§. 221. Jam vero, quod attinet ad *„praescriptionem"* eorum, qui et suscipere et ministrare hoc Sacramentum debent, haud obscure fuit illud etiam in verbis praedictis traditum. Nam et ostenditur illic, proprios huius Sacramenti Ministros esse Ecclesiae Presbyteros. Quo nomine eo loco non aetate seniores aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum

VARIANTES.

§. 219. jungitur *Rom. 5.*

§. 221. perscriptionem *Brix. Vird. Rhem. Lov. 3. Antv. 5. Col.*

*„presbyterii“* (*1 Tim. IV, 14.*). Declaratur etiam, esse hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur, unde et Sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint.

§. 222. Quare nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam et dilucidam Apostoli Jacobi (*V, 14. 15.*) sententiam docent, hanc Unctionem vel figmentum esse humanum vel ritum a Patribus acceptum, nec mandatum Dei nec promissionem gratiae habentem; et qui illam jam cessasse asserunt, quasi ad gratiam curationum dumtaxat in primitiva Ecclesia referenda esset; et qui dicunt, ritum et usum, quem sancta Romana Ecclesia in hujus Sacramenti administratione observat, Jacobi Apostoli sententiae repugnare, atque *„ideo“* in alium commutandum esse; et denique qui hanc extremam Unctionem a fidelibus sine peccato contemni posse affirmant. Haec enim omnia manifestissime pugnant cum perspicuis tanti Apostoli verbis. Nec profecto Ecclesia Romana, aliarum omnium mater et magistra, aliud in hac administranda Unctione, quantum ad ea, quae hujus Sacramenti substantiam perficiunt, observat, quam quod beatus Jacobus *„praescripsit“*. Neque vero tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere et ipsius Spiritus sancti injuria esse posset.

§. 223. Haec sunt, quae de Poenitentiae et extremae Unctionis Sacramentis sancta haec oecumenica Synodus profitetur et docet, atque omnibus Christi fidelibus credenda et tenenda proponit. Sequentes autem canones inviolabiliter servandos esse tradit, et asserentes contrarium perpetuo damnat et anathematizat.

VARIANTES.

§. 221. Presbyterii *Rom. 2. 3. 4. 5. Lov. 3. Antv. 5. Col.*

§. 222. ideo — *Rom. 1. Dil. et Lov. 2.*

perscripsit *Rom. 1. Lov. 2. 3. Vird. Rhem. Brix. Dil. Antv. 5. Col.*

*De sanctissimo Poenitentiae Sacramento.*

## CANON I. (§. 219.)

§. 224. Si quis dixerit, in catholica Ecclesia Poenitentiam non esse vere et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum; anathema sit.

## CANON II.

§. 225. Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Poenitentiae Sacramentum esse dixerit, quasi haec duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.

## CANON III.

§. 226. Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris *(Jo. XX, 22. 23. Matth. XVI, 19.): Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt*, non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in Sacramento Poenitentiae, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem praedicandi Evangelium; anathema sit.

## CANON IV. (§. 198)

§. 227. Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente, quasi materiam Sacramenti Poenitentiae, videlicet Contritionem, Confessionem et Satisfactionem, quae tres Poenitentiae partes dicuntur; aut dixerit, duas tantum esse Poenitentiae partes, terrores scilicet incussos conscientiae agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio vel Absolutione, qua credit quis, sibi per Christum remissa peccata; anathema sit.

## CANON V. (§. 199.)

§. 228. Si quis dixerit, eam Contritionem, quae paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritu-

dine animae suae (*Jes. XXXVIII, 15.*), ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis et aeternae damnationis incursum, cum proposito melioris vitae, non esse verum et utilem dolorem, nec praeparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem, demum illam esse dolorem coactum et non liberum ac voluntarium; anathema sit.

## CANON VI. (§. 202.)

§. 229. Si quis negaverit, Confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit, modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi et inventum esse humanum; anathema sit.

## CANON VII. (§. 203.)

§. 230. Si quis dixerit, in Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, et circumstantias quae peccati speciem mutant; sed eam Confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum poenitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere „*velle*" divinae misericordiae ignoscendum; aut demum, non licere confiteri peccata venialia; anathema sit.

## CANON VIII. (§. 179. 207.)

§. 231. Si quis dixerit, Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem et traditionem humanam a piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, et ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimae; anathema sit.

VARIANTES.

§. 230. vere *Ven. 2.*

## CANON IX. (§. 209.)

§. 232. Si quis dixerit, Absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum; aut Sacerdos non serio sed joco absolvat; aut dixerit, non requiri Confessionem poenitentis, ut Sacerdos ipsum absolvere possit: anathema sit.

## CANON X. (§. 208.)

§. 233. Si quis dixerit, Sacerdotes qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere, aut non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum *(Math. XVI,* 19. *XVIII,* 18.*)*: *Quaecumque „alligaveritis“ super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo:* et *(Jo. XX,* 23.*)*: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt:* quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam Confessionem; anathema sit.

## CANON XI.

§. 234. Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quo minus Sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit.

## CANON XII.

§. 235. Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; anathema sit.

## CANON XIII.

§. 236. Si quis dixerit, pro peccatis, quoad poenam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri poe-

VARIANTES.

§. 233. ligaveritis *Rom. 1. Ven. 2. Lov. 2. 3. Vird. Rhem. Brix. Dil. Antv. 5. Col.*

nis, ab eo inflictis et patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis vel aliis etiam pietatis operibus; atque ideo optimam Poenitentiam esse tantum novam vitam; anathema sit.

## CANON XIV.

§. 237. Si quis dixerit, Satisfactiones, quibus poenitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, et verum Dei cultum atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit.

## CANON XV.

§. 238. Si quis dixerit, Claves Ecclesiae esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum; et propterea Sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem Clavium et contra institutionem Christi; et fictionem esse, quod virtute Clavium „*sublata, poena aeterna, et poena*“ temporalis plerumque exsolvenda remaneat; anathema sit.

### *De Sacramento extremae Unctionis.*

## CANON I. (§. 219.)

§. 239. Si quis dixerit, extremam Unctionem non esse vere et proprie Sacramentum, a Christo Domino nostro institutum, et a beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus aut figmentum humanum; anathema sit.

## CANON II. (§. 220.)

§. 240. Si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema sit.

VARIANTES.

§. 238. sublata aeterna et poena *Vird. Rhem.* sublata poena externa et poena *Dil.*

## CANON III. (§. 222.)

§. 241. Si quis dixerit, extremae Unctionis ritum et usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiae beati Jacobi Apostoli (*V*, 14. 15.), ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni; anathema sit.

## CANON IV. (§. 221.)

§. 242. Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiae, quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate ob idque proprium extremae Unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem; anathema sit.

### *Decretum de reformatione*

### PROOEMIUM.

*Episcoporum munus est, subditos praesertim ad animarum curam constitutos, admonere officii sui.*

§. 243. Cum proprie Episcoporum munus sit, subditorum omnium vitia redarguere; hoc illis praecipue cavendum erit, ne Clerici, praesertim ad animarum curam constituti, criminosi sint, neve inhonestam vitam, ipsis conniventibus, ducant. Nam si eos pravis et corruptis moribus esse permittant; quo pacto Laicos de ipsorum vitiis redarguent, qui uno ab eis sermone convinci possent, quod Clericos ipsis patiantur esse deteriores (1 *Cor. IX*, 27.)? qua etiam libertate Laicos corripere poterunt Sacerdotes, cum tacite sibi ipsi respondeant, eadem se admisisse quae corripiunt? Monebunt propterea Episcopi suos Clericos, in quocumque ordine fuerint, ut conversatione, sermone et scientia commisso sibi Dei populo praeeant, memores ejus, quod scriptum est (*Levit. XI*, 44. *XIX*, 2. *XX*, 7. 1 *Petr. I*, 16.): *Sancti estote, quia et ego sanctus sum;* et juxta Apostoli vocem (2 *Cor. VI*, 3. 4.): *Nemini dent ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium eorum, sed in omnibus exhibeant se, sicut ministros Dei:* ne illud Prophetae dictum (*Ezech. XXII*, 26. *Zeph. III*, 4.) impleatur in eis: *Sacerdotes* „*Dei*" *contaminant sancta,*

VARIANTES.

§. 243. mei *Brix. Lov.* 3. *Antv.* 5. *Col.*

*et reprobant legem.* Vt autem ipsi Episcopi id liberius exequi, ac quoquam praetextu desuper impediri nequeant, eadem sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus, „*praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis Legato, et Nuntiis*“, hos qui sequuntur canones statuendos et decernendos duxit.

## CAPUT I.

*Si prohibiti ascendere ad Ordines, ascendant; si interdicti, si suspensi, puniantur.*

§. 244. Cum honestius ac tutius sit subjecto, debitam Praepositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quam cum Praepositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem; ei, cui ascensus ad sacros Ordines a suo Praelato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter, fuerit interdictus; aut qui a suis Ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores Ordines, gradus et dignitates sive honores restitutio suffragetur.

## CAPUT II.

*Si Episcopus quoscumque Ordines contulerit sibi non subdito etiam familiari, sine expresso proprii Praelati consensu, uterque decretae poenae subjaceat.*
(§. 101. 145.)

§. 245. Et, quoniam nonnulli Episcopi Ecclesiarum, quae in partibus infidelium consistunt, Clero carentes et populo christiano, cum fere vagabundi sint et permanentem sedem non habeant, non quae Jesu Christi, sed alienas oves inscio proprio pastore quaerentes, dum per hanc sanctam Synodum se pontificalia officia in alterius dioecesi, nisi de loci Ordinarii expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subjectas tantum, exercere prohibitos vident, in legis fraudem et contemptum, quasi episcopalem cathedram in loco nullius dioecesis sua temeritate „*eligunt*“, et quoscumque ad se venientes, etiam si suorum Episcoporum seu Prae-

VARIANTES.

§. 243. *verba:* praesidentibus — nuntiis — *Vird. et Rhem.*
§. 245. eligant *Vird. Rhem.*

latorum litteras commendatitias non habeant, clericali charactere insignire et ad sacros etiam presbyteratus ordines promovere praesumunt: quo plerumque fit, ut minus idonei et rudes ac ignari et qui a suo Episcopo tamquam inhabiles et indigni rejecti „*fuerunt*", ordinati, nec divina officia peragere nec ecclesiastica Sacramenta recte valeant ministrare; nemo Episcoporum, qui titulares vocantur, etiam si in loco nullius dioecesis, etiam exempto aut aliquo monasterio cujusvis Ordinis resederint aut moram traxerint, vigore cuiusvis privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam praetextu familiaritatis continuae commensalitatis suae, absque sui proprii Praelati expresso consensu aut litteris dimissoriis, ad aliquos sacros aut minores Ordines, vel primam tonsuram promovere seu ordinare valeat. Contrafaciens ab exercitio pontificalium per annum; taliter vero „*promoti*" ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Praelato visum fuerit, ipso iure sint suspensi.

## CAPUT III.

*Episcopus suos Clericos ab alio male promotos suspendere potest, si minus idoneos repererit.* (§. 101.)

§. 246. Episcopus quoscumque suos Clericos, praesertim in sacris constitutos, absque suo praecedenti examine et commendatitiis litteris, quacumque auctoritate promotos, licet tamquam habiles ab eo, a quo ordinati sunt, probatos, quos tamen ad divina officia celebranda seu ecclesiastica Sacramenta ministranda minus idoneos et capaces repererit, a susceptorum Ordinum exercitio ad tempus, de quo ei videbitur, suspendere et illis ne in altari aut aliquo Ordine ministrent, interdicere possit.

## CAPUT IV.

*Nullus Clericus eximatur a correctione Episcopi, etiam extra visitationem.* (§. 99. 100.)

§. 247. Omnes Ecclesiarum Praelati, qui ad corrigendos subditorum excessus diligenter intendere debent,

VARIANTES.

§. 245. fuerint *Vird. Rhem.*

promotus *Rom. 1. Lov. 2. 3. Ven. 2. Brix. Vird. Rhem. Dil. Aniv. 5. Col.*

et a quibus nullus Clericus per hujus sanctae Synodi statuta cujusvis privilegii praetextu tutus „*censetur*", quo minus juxta canonicas sanctiones visitari, puniri et corrigi possit; si in Ecclesiis suis resederint, quoscumque saeculares Clericos, qualitercumque exemptos, qui alias suae jurisdictioni subessent, de eorum excessibus, criminibus et delictis, quoties et quando opus fuerit, etiam extra visitationem, tamquam ad hoc apostolicae sedis delegati, corrigendi et castigandi facultatem habeant: quibuscumque exemptionibus, declarationibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, „*concordiis*", quae suos tantum obligent auctores; ipsis Clericis ac eorum consanguineis, capellanis, familiaribus, procuratoribus et aliis quibuslibet, ipsorum exemptorum contemplatione et intuitu minime suffragantibus.

## CAPUT V.

*Conservatorum jurisdictio certis finibus concluditur.*
(§. 99.)

§. 248. Insuper, cum nonnulli, qui sub praetextu quod super bonis et rebus ac juribus suis diversae eis injuriae ac molestiae inferantur, certos judices per litteras conservatorias deputari obtinent, qui illos a molestiis et injuriis huiusmodi tueantur ac defendant, et in possessione seu quasi bonorum, rerum ac jurium suorum manuteneant et conservent, neque super illis eos molestari permittant, ejusmodi litteras in plerisque contra concedentis mentem in reprobum sensum detorqueant; idcirco nemini omnino, cujuscumque dignitatis et conditionis sit, etiam si Capitulum fuerit, conservatoriae litterae cum quibuscumque clausulis aut decretis, et quorumcumque judicium deputatione, quocumque etiam alio praetextu aut colore concessae suffragentur ad hoc, ut coram suo Episcopo sive alio superiore Ordinario in criminalibus et mixtis causis accusari et conveniri, ac contra eum inquiri et procedi non possit; aut, quo minus si qua jura ei ex cessione competierint, super illis libere valeat apud judicem ordinarium conveniri. In civilibus etiam causis si ipse actor exstiterit, aliquem ei

VARIANTES.

§. 247. censeatur *Vird. Rhem.*
concordiis — *Vird. et Rhem.*

apud suos Conservatores judices in judicium trahere minime liceat.

§. 249. Quod si in iis causis, in quibus ipse reus fuerit, contigerit, ut electus ab eo Conservator ab actore suspectus esse dicatur, aut si qua inter ipsos judices, Conservatorem et Ordinarium, controversia super „*competentia*“ jurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma juris electos super suspicione aut jurisdictionis competentia fuerit judicatum. Familiaribus vero ejus, qui hujusmodi litteris conservatoriis tueri se solent, nihil illae prosint, praeterquam duobus dumtaxat; si tamen illi propriis ejus sumptibus vixerint. Nemo etiam similium litterarum beneficio ultra quinquennium gaudere possit. Non liceat quoque Conservatoribus judicibus ullum habere tribunal erectum. „*In causis vero mercedum, aut miserabilium personarum hujus sanctae Synodi super hoc decretum* (§. 148.) *in suo robore permaneat*“. Universitates autem generales ac Collegia doctorum seu scholarium et regularia loca, nec non Hospitalia actu hospitalitatem servantia, ac Universitatum, Collegiorum, locorum et Hospitalium hujusmodi personae in praesenti canone „*comprehensae, sed exemptae*“ omnino sint et esse intelligantur.

## CAPUT VI.

*Poena decernitur in Clericos, qui in sacris constituti aut beneficia possidentes, ordini suo congruente veste non utuntur.* (§. 148.)

§. 250. Quia vero, etsi habitus non facit monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant: tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas religionisque contemptus, ut propriam dignitatem et honorem clericalem parvi pendentes, vestes etiam publice deferant laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis al-

VARIANTES.

§. 249. competentiam *Rom. 1. Brix. Lov. 2. 3. Dil. Antv. 5. Col.* *verba:* In causis - permaneant — *Vird. et Rhem.*
comprehensa, sed exempla *Brix. Vird. Rhem. Lov. 3. Antv. 5. Col.*

terum in carnalibus; propterea omnes ecclesiasticae personae, quantumcumque exemptae, quae aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia aut beneficia qualiacumque ecclesiastica obtinuerint, si, posteaquam ab Episcopo suo, etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum ordini ac dignitati congruentem, et juxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus, ac officio, et beneficio ac fructibus, redditibus et proventibus ipsorum beneficiorum; nec non si semel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum et beneficiorum hujusmodi coërceri possint et debeant, constitutionem Clementis V., in Concilio Viennensi editam, quae incipit: *Quoniam (XIII)*, „*innovando*“ et ampliando.

## CAPUT VII.

### *Voluntarii homicidae nunquam, casuales quomodo ordinandi.*

§. 251. Cum etiam qui per industriam occiderit proximum suum et per insidias, ab altari avelli debeat, „*quia sua*“ voluntate homicidium perpetraverit; etiam si crimen id nec ordine judiciario probatum nec alia ratione publicum sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit; nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiam si curam non habeant animarum, conferre liceat; sed omni ordine ac beneficio et officio ecclesiastico perpetuo careat. Si vero homicidium non ex proposito, sed casu vel vi vim repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum et altaris ministerium et beneficia quaecumque, ac dignitates jure quodammodo dispensatio debeatur; committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano seu viciniori Episcopo; qui non nisi causa cognita, et probatis precibus ac narratis, nec aliter, dispensare possit.

VARIANTES.

§. 250. invocando *Brix. Dil. Lov. 3. Antv. 5. Col.*

§. 251. qui sua *Rom. 2. 3. 4. 5. Brix. Ven. 2. Lov. 2. 3. Dil. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.*

processibus *Rom. 1. Brix. Dil. Lov. 2. 3. Antv. 5. Col.*

## CAPUT VIII.

*Nulli alienos Clericos ex privilegio punire liceat.*

§. 252. Praeterea, „*quia nonnulli*“ quorum etiam aliqui veri sunt Pastores, ac proprias oves habent, alienis etiam ovibus praeesse quaerunt, et ita alienis subditis quandoque intendunt, ut suorum curam negligant; quicumque, etiam episcopali praeditus dignitate, qui alienos subditos puniendi privilegium habuerit, contra Clericos sibi non „*subjectos*“ praesertim in sacris constitutos, quorumcumque etiam atrocium criminum reos, nisi cum proprii ipsorum Clericorum Episcopi, si apud Ecclesiam suam resederit, aut personae ab ipso Episcopo deputandae interventu nequaquam procedere debeat: alias processus, et inde secuta quaecumque viribus omnino careant.

## CAPUT IX.

*Beneficia unius dioecesis nullo praetextu uniantur beneficiis alterius.* (§. 140.).

§. 253. Et quia jure optimo distinctae fuerunt dioeceses et parochiae, ac unicuique gregi proprii attributi Pastores et inferiorum „*Ecclesiarum*“ Rectores, qui, suarum quisque ovium, curam habeant, ut ordo ecclesiasticus non confundatur, aut una et eadem Ecclesia duarum quodammodo dioecesum fiat, non sine gravi eorum incommodo, qui illi subditi fuerint; beneficia unius dioecesis, etiam si parochiales Ecclesiae, vicariae perpetuae, aut simplicia beneficia seu praestimonia seu praestimoniales portiones fuerint, etiam ratione augendi cultum divinum aut numerum beneficiatorum, aut alia quacumque de causa, alterius dioecesis beneficio aut monasterio seu collegio vel loco etiam pio perpetuo non uniantur, decretum hujus sanctae Synodi super hujusmodi unionibus in hoc declarando.

VARIANTES.

§. 252. quia tamen nonnulli *Vird. Rhem.*
subditos *Rom. 1. Brix. Lov. 2. 3. Vird. Rhem. Dil. Ven. 2. Antv. 5. Col.*

§. 253. Ecclesiarum — *Vird. Rhem. Brix. Lov. 3. Antv. 5. Col.*

## CAPUT X.

*Regularia beneficia Regularibus conferantur.*

§. 254. Regularia beneficia in titulum Regularibus professsis provideri consueta, cum per obitum aut resignationem vel alias illa in titulum obtinentis vacare contigerit, Religiosis tantum illius ordinis, vel iis qui habitum omnino suscipere, et professionem emittere teneantur, et non aliis, ne vestem lino, lanaque contextam *(Deuter. XXII,* 11.*)* induant, conferantur.

## CAPUT XI.

*Translati ad alium ordinem in claustro sub obedientia maneant, et beneficiorum saecularium incapaces existant.*

§. 255. Quia vero Regulares, de uno ad alium ordinem translati, facile a suo Superiore licentiam standi extra monasterium obtinere solent, ex quo vagandi et apostatandi occasio tribuitur; nemo cujuscumque ordinis Praelatus vel Superior, vigore cujusvis facultatis, aliquem ad habitum et professionem admittere possit, nisi ut in ordine ipso, ad quem transfertur, sub sui Superioris obedientia in claustro perpetuo maneat: ac taliter translatus, etiamsi Canonicorum Regularium fuerit, ad beneficia saecularia, etiam curata, omnino incapax exsistat.

## CAPUT XII.

*Nemo nisi ex fundatione vel dotatione jus patronatus obtineat.*

§. 256. Nemo etiam cujusvis dignitatis ecclesiasticae vel saecularis, quacumque ratione, nisi ecclesiam, beneficium aut capellam de novo fundaverit et construxerit, seu jam erectam, quae tamen sine sufficiente dote fuerit, de suis propriis et patrimonialibus bonis competenter dotaverit, jus patronatus impetrare aut obtinere possit aut debeat. In casu autem fundationis aut dotationis huiusmodi institutio Episcopo et non alteri inferiori reservetur.

## CAPUT XIII.

*Praesentatio fiat Ordinario, alias praesentatio et institutio sit nulla.*

§. 257. Non liceat praeterea Patrono cujusvis privilegii praetextu aliquem ad beneficia sui juris patronatus, nisi Episcopo loci ordinario, ad quem provisio seu institutio ipsius beneficii, cessante privilegio, jure pertineret, quoquo modo praesentare: alias praesentatio ac institutio, forsan secutae, nullae sint et esse „*intelligantur*“.

## CAPUT XIV.

§. 258. Declarat praeterea sancta Synodus, in futura sessione, quam ad XXV. diem Januarii subsequentis anni M. D. LII. habendam esse jam decrevit, una cum Sacrificio Missae agendum, et tractandum esse de Sacramento Ordinis, et prosequendam esse materiam de reformatione.

# SESSIO DECIMA QUINTA,

## QUAE EST QUINTA SUB JULIO III. PONT. MAX.,

celebrata die XXV. Januar. M. D. LII.

*Decretum prorogationis sessionis.*

§. 259. Cum ex eo, quod proximis sessionibus decretum fuit, sancta haec et universalis Synodus per hos dies accuratissime diligentissimeque tractaverit ea, quae ad sanctissimum Missae Sucrificium et ad Sacramentum Ordinis spectant, ut hodierna sessione, quemadmodum Spiritus sanctus suggessisset, decreta de his rebus, et quatuor praeterea articulos ad sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pertinentes, „*in hanc tandem sessionem dilatos*“, publicaret; atque interim affuturos esse putaverit ad hoc sacrosanctum Concilium eos, qui se Protestantes vocant, quorum causa eorum publicationem articulorum distulerat, et ut libere ac sine cunctatione ulla huc venirent, fidem eis publicam sive Sal-

VARIANTES.

§. 257. censeantur *Brix. Lov. 3. Vird. Rhem.*

§. 259. *Verba:* in hanc — delatos *absunt a Brix. Lov. 3. Antv. 5. Col.*

vum Conductum concesserat: tamen, cum illi nondum venerint, et eorum nomine supplicatum huic sanctae Synodo fuerit, ut publicatio, quae hodierno die facienda fuerat, in sequentem sessionem differatur, certa spe allata, affuturos eos esse omnino multo ante illam sessionem, Salvo Conductu amplioris formae interim accepto; eadem sancta Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, iisdem Legato et Nuntiis praesidentibus, nihil magis optans, quam ex praestantissima natione germanica omnes de religione dissensiones et schismata tollere, ac ejus quieti, paci otioque consulere, parata, ipsos si venerint et humaniter excipere et benigne audire; confidensque eos non fidei catholicae pertinaciter oppugnandae, sed veritatis cognoscendae studio esse venturos, et, ut evangelicae veritatis studiosos decet, sanctae matris Ecclesiae decretis et disciplinae ad extremum esse acquieturos, sequentem sessionem ad edenda et publicanda ea, quae supra commemorata sunt, in diem festum sancti Josephi, qui erit die XIX. mensis Martii, distulit, ut illi satis temporis et spatii habeant, non solum ad veniendum, verum etiam ad ea quae voluerint, antequam is dies veniat, proponenda. Quibus ut omnem diutius cunctandi causam adimat, fidem publicam sive Salvum Conductum ejus, qui recitabitur, tenoris et sententiae libenter dat et concedit. Interea vero de Matrimonii Sacramento agendum, et de eo praeter superiorum decretorum publicationem „*definiendum esse eadem*“ sessione statuit et decernit, et prosequendam esse materiam reformationis.

## SALVUS CONDUCTUS PROTESTANTIBUS DATUS.

§. 260. Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem „*sanctae*“ Sedis apostolicae Legato et Nuntiis, inhaerendo Salvo Conductui, in penultima sessione dato, et „*illum juxta tenorem infrascriptum ampliando, universis fidem facit*“, quod omnibus

VARIANTES.

§. 259. diffiniendum in eadem *Lov. 3. Antv. 5. Col.*

§. 260. sanctae — *Rom. 1. Brix. Lov. 2. 3. Dil. Antv. 5. Col.*
illum, qui in hunc sequitur modum, ampliando, tenore praesentium Uviversis fidem facimus *Brix. Lov. 3. Antv. 5. Col.*

et singulis, Sacerdotibus, Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militaribus, Popularibus et aliis quibuscumque viris, cujuscumque status et conditionis aut qualitatis existant, germanicae provinciae et nationis Civitatibus, et aliis locis ejusdem; et omnibus aliis ecclesiasticis et saecularibus, praesertim Augustanae Confessionis personis; qui, aut quae una cum ipsis ad hoc generale Tridentinum Concilium venient aut mittentur ac profecturi sunt aut hucusque venerunt, quocumque nomine censeantur aut valeant nuncupari, tenore praesentium publicam fidem et plenissimam verissimamque securitatem, quam Salvum Conductum appellant, libere ad hanc civitatem Tridentinam veniendi, ibidemque manendi, standi, morandi, proponendi, loquendi, una cum ipsa Synodo de quibuscumque negotiis tractandi, examinandi, discutiendi et omnia quaecumque ipsis libuerit, ac articulos quoslibet tam scripto quam verbo libere offerendi, propalandi, eosque Scripturis Sacris et beatorum Patrum verbis, sententiis et rationibus declarandi, astruendi et persuadendi, et, si opus fuerit, etiam ad objecta Concilii generalis respondendi, et cum iis, qui a Concilio delecti fuerint, „*disputandi*“, aut caritative absque omni impedimento conferendi, opprobriis, convitiis ac contumeliis penitus semotis, et signanter, quod causae controversae secundum Sacram Scripturam et Apostolorum traditiones, probata Concilia et catholicae Ecclesiae consensum, et sanctorum Patrum auctoritates in praedicto Concilio Tridentino tractentur.

§. 261. Illo etiam addito, ut religionis praetextu, aut delictorum circa eam commissorum aut committendorum minime puniantur, impartitur ac omnino concedit, sic etiam, ut propter illorum praesentiam neque in itinere, aut quocumque locorum, eundo, manendo aut redeundo, nec in ipsa civitate Tridentina a divinis officiis quovis modo cessetur, et ut his peractis vel non peractis, quandocumque ipsis libuerit, aut majorum suorum mandato et assensu ad propria reverti optabunt, aut aliquis eorum optabit, mox absque ulla renitentia et occasione aut mora, salvis rebus eorum et suorum pariter honore,

VARIANTES.

§. 260. disputandi Christiane *Rom. 1. 4. 5. Dil. Lov. 2. 3. Ven. 3. Antv. 5. Col.*

et personis, vice versa possint juxta beneplacitum libere et secure redire, de scientia tamen ab eadem Synodo deputandorum, ut tunc opportune eorum securitati absque dolo et fraude provideatur. Vult etiam sancta Synodus in hac publica fide Salvoque Conductu omnes quascumque clausulas includi et contineri | ac pro inclusis haberi, quae pro plena, efficaci et sufficienti securitate in eundo, stando ac redeundo necessariae et opportunae fuerint. Illud etiam ad majorem securitatem et pacis ac conciliationis bonum exprimens, quod si quispiam, aut illorum aliqui sive in itinere, Tridentum veniendo, sive ibidem morando aut redeundo, aliquod enorme, quod absit, egerint aut commiserint, quo posset hujus fidei publicae et assecurationis beneficium eis concessum annullari, aut „*cessari*"; vult et „*concedit*", ut in hujusmodi facinore deprehensi ab ipsis dumtaxat, et non ab aliis condigna animadversione cum emenda sufficienti, per partem ipsius Synodi merito approbanda et laudanda, mox puniantur, illorum assecurationis forma, conditionibus et modis omnino manentibus illibatis.

§. 262. Pariformiter etiam vult, ut si quisquam vel aliqui ex ipsa Synodo, sive in itinere, aut manendo aut redeundo, aliquod enorme, quod absit, egerint aut commiserint, quo posset hujus fidei publicae et assecurationis beneficium violari, aut quoquo modo tolli, in hujusmodi facinore deprehensi, ab ipsa Synodo dumtaxat, et non ab aliis condigna animadversione et emenda sufficienti per partem Dominorum Germanorum Augustanae Confessionis, tunc hic praesentium, merito laudanda et approbanda, mox puniantur, praesenti assecurationis forma, conditionibus et modis omnino manentibus illibatis. Vult praeterea ipsa Synodus, quod liceat ipsis Ambasciatoribus omnibus et singulis toties, quotiescumque opportunum fuerit seu necessarium, ad auram capiendam exire de civitate Tridentina et reverti ad eamdem, necnon nuntium vel nuntios suos ad quaecumque loca pro suis necessariis negotiis ordinandis libere mittere seu destinare, ac ipsos missos seu destinatos, seu missum et destinatum suscipere toties, quoties eis vide-

VARIANTES.

§. 261. cassari *Rom. 1. 4. 5. Brix. Dil. Ven. 2. Lov. 3. Antv. 5. Col.*

concedit eadem sancta Synodus *Rom. 1. Brix. Lov. 2. 3. Dil. Ven. 2. Antv. 5. Col.*

bitur expedire, ita quod aliqui vel aliquis per deputandos Concilii socientur, qui eorum securitati provideant vel provideat.

§. 263. Qui quidem Salvus Conductus et securitates stare ac durare debent, et a tempore et per tempus, quo in ipsius Synodi, et suorum tuitionis curam ipsos suscipi contigerit, et usque ad Tridentum perduci, ac toto tempore mansionis eorum ibidem, et rursum post sufficientem audientiam habitam, spatio viginti dierum praemisso, cum ipsi petierint, aut Concilium, habita hujusmodi audientia, ipsis recessum indixerit, a Tridento usque in quem quisque elegerit sibi locum totum, Deo favente, restituet, dolo et fraude prorsus exclusis. Quae quidem omnia pro universis et singulis Christi fidelibus, pro omnibus Principibus, tam ecclesiasticis, quam saecularibus quibuscumque, atque omnibus aliis ecclesiasticis et saecularibus personis, cujuscumque status et conditionis existant, aut quocumque nomine censeantur, inviolabiliter observanda esse promittit et bona fide spondet.

§. 264. Insuper, omni fraude et dolo exclusis, vera et bona fide promittit, ipsam Synodum nullam vel manifeste vel occulte occasionem quaesituram, aut aliqua auctoritate, potentia, jure vel statuto, privilegio, legum vel canonum, aut quorumcumque Conciliorum, praesertim Constantiensis et Senensis, quacumque forma verborum expressa, in aliquod hujus fidei publicae et plenissimae assecurationis, ac publicae et liberae audientiae, ipsis per ipsam Synodum concessae, praejudicium quovis modo usuram, aut quemquam uti permissuram, quibus in hac parte pro hac vice derogat. Quod si sancta Synodus, aut aliquis ex ea vel suis cujuscumque conditionis vel status, aut praeeminentiae existens, praescriptae assecurationis et Salvi Conductus formam et modum in quocumque puncto vel clausula violaverit, quod tamen avertere dignetur Omnipotens, et sufficiens emenda non fuerit mox subsecuta, et ipsorum arbitrio merito approbanda et laudanda, habeant ipsam Synodum et habere poterunt, incidisse in omnes poenas, quas jure divino et humano aut consuetudine, hujusmodi Salvorum Conductuum violatores incurrere possunt, absque omni excusatione aut quavis in hac parte „*contradictione.*"

VARIANTES.

§. 264. *In edit. Brix. Dil. Lov. 3. Antv. 5. Col. haec adduntur:* Datum Tridenti in Sessione publica, die XXV. Januarii M.D.LII.

## SESSIO DECIMA SEXTA,

QUAE EST SEXTA ET ULTIMA SUB JULIO III. PONT. MAX., celebrata die XXVIII. April. M. D. LII.

### *Decretum Suspensionis Concilii.*

§. 265. Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea reverendissimis Dominis, Sebastiano, Archiepiscopo Sipontino et Aloysio, Episcopo Veronensi, apostolicis Nuntiis, tam eorum proprio, quam reverendissimi et illustrissimi Domini Marcelli, tit. S. Marcelli sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, Crescentii, Legati, ob adversam ejus gravissimam valetudinem absentis, nomine, non dubitat, Christianis omnibus patere, hoc Concilium oecumenicum „*Tridentum*" primo a Paulo fel. rec. convocatum et collectum fuisse; deinde a sanctissimo Domino nostro, Julio III., efflagitante Carolo quinto, augustissimo Imperatore, ea praecipue de causa fuisse restitutum, ut religionem in multis orbis partibus, et praesertim in Germania, in diversas opiniones miserabiliter distractam, in statum pristinum revocaret; abusus et mores Christianorum corruptissimos emendaret; cumque ad hoc agendum quam plurimi Patres, nulla laborum suorum periculorumque habita ratione, e diversis regionibus alacriter confluxissent, resque strenue magno fidelium concursu feliciterque procederet; ac spes esset non levis, illos Germanos, qui eas novitates excitarent, in Concilium venturos, sic animatos, ut veris Ecclesiae rationibus unanimiter acquiescerent; lux denique quaedam rebus affulsisse videretur, caputque attollere inciperet profligata antea ei afflicta respublica christiana: ii repente tumultus, ea bella hostis generis humani versutia, exarserunt, ut Concilium velut haerere, ac suum cursum interrumpere „*satis incommode cogeretur*", spesque omnis ulterioris progressus hoc in tempore tolleretur; tantumque aberat, ut sancta Synodus Christianorum malis et incommodis mederetur, ut multorum mentes praeter sui animi sententiam irritaret potius, quam placaret.

VARIANTES.

§. 265. Tridentinum *Rom. 4. Ven. 2. Antv. 5.*
et satis incommode gereretur *Brix. Lov. 3. Antv. 5. Col.*

§. 266. Cum igitur ipsa sancta Synodus omnia, et praecipue Germaniam, armis ardere et discordiis videret, omnes fere Episcopos Germanos, praesertim Principes Electores suis consultum Ecclesiis e Concilio abiisse; decrevit tantae necessitati non reluctari, et ad meliora tempora reiicere, ut Patres, quod eis nunc agere non licet, suis ovibus prospectum ad suas Ecclesias regredi valerent, ne diutius utrobique inutili otio conterantur. Atque ita, quoniam sic temporum conditio tulit, hujus oecumenici Concilii Tridentini progressum per biennium suspendendum fore decernit, prout praesenti Decreto suspendit; ea tamen lege, ut, si citius pacata res sit ac tranquillitas pristina revertatur, quod sperat Dei optimi maximi beneficio non longo „*fors spatio futurum*“, ipsius Concilii progressus eodemmet tempore suam vim, firmitatem vigoremque habere censeatur. Sin autem, quod Deus avertat, peracto biennio praedicta legitima impedimenta non fuerint submota, quam primum cessaverint, talis suspensio eo ipso sublata esse intelligatur, ac suus vigor et robur Concilio sit restitutum et esse intelligatur, sine alia nova Concilii convocatione, accedente ac hoc Decretum consensu et auctoritate Sanctitatis suae et sanctae Sedis apostolicae.

§. 267. Interea tamen eadem sancta Synodus exhortatur omnes Principes christianos et omnes Praelatos, ut observent, et respective, quatenus ad eos spectat, observare faciant in suis regnis, dominiis et Ecclesiis omnia et singula, quae per hoc sacrum oecumenicum Concilium fuerunt hactenus statuta et decreta.

---

## BULLA CELEBRATIONIS
# CONCILII TRIDENTINI,
## SUB PIO IV., PONT. MAX.

§. 268. *Pius Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

Ad Ecclesiae regimen, licet tanto oneri impares, sola Dei dignatione vocati, statim circumferentes mentis

VARIANTES.

§. 266. forsan spatio futurum *Rom. 4. 5.* fore spatio, in futurum *Brix. Lov. 3. Antv. 5. Col.* fore spatio futurum *Lov. 2. Ven. 2.*

oculos per omnes reipublicae christianae partes, cernentesque non sine magno horrore, quam longe lateque pestis haeresum et schismatis pervasisset, quanta christiani populi mores correctione indigerent; in eam curam et cogitationem pro suscepti muneris officio incumbere coepimus, quemadmodum ipsas haereses exstirpare, tantumque et tam perniciosum schisma tollere, moresque adeo corruptos et depravatos emendare possemus. Cum autem intelligeremus, ad haec sananda mala aptissimum esse remedium, quod sancta haec Sedes adhibere consuevisset, oecumenici generalisque Concilii, ejus congregandi et, Deo juvante, celebrandi consilium cepimus. Indictum illud quidem antea fuit a fel. rec. Paulo III, et ejus successore Julio, praedecessoribus nostris, sed variis de causis saepius impeditum et interpellatum perfici non potuit. Siquidem Paulus, cum id primo in urbem Mantuam, deinde Vincentiam indixisset, quasdam ob causas in litteris ejus expressas, id primo suspendit, postea Tridentum transtulit. Deinde cum quibusdam de causis ibi quoque ejus celebrandi tempus dilatum fuisset; tandem, suspensione sublata, in eadem civitate Tridentina inchoatum fuit. Verum Sessionibus aliquot habitis et nonnullis Decretis factis, ipsum se postea Concilium, aliquibus de causis, accedente etiam Sedis apostolicae auctoritate, Bononiam transtulit. Julius autem, qui ei successit, in eamdem civitatem Tridentinam id revocavit; quo quidem tempore facta alia quaedam Decreta sunt. Sed cum novi in propinquis Germaniae locis tumultus excitati fuissent, et bellum in Italia et Gallia gravissimum exarsisset; rursus Concilium suspensum et dilatum fuit, adnitente nimirum humani generis hoste, aliasque ex aliis difficultates et impedimenta objiciente, ut tantum Ecclesiae commodum, quod prorsus auferre non poterat, saltem quam diutissime retardaret. Quantopere vero interea auctae fuerint et multiplicatae ac propagatae haereses, quantopere schisma creverit, sine maximo animi dolore nec meminisse possumus, nec referre.

§. 269. Sed tandem pius et misericors Dominus, qui nunquam ita irascitur, ut misericordiae obliviscatur *(Habac. III, 2.)*, Regibus et Principibus christianis pacem et unanimitatem donare dignatus est. Qua nos occasione oblata maximam in spem venimus, ipsius misericordia freti, fore, ut his tantis quoque Ecclesiae malis eadem Concilii via finis imponatur. Nos itaque ad

schisma haeresesque tollendas, ad corrigendos et reformandos mores, ad pacem inter christianos Principes conservandam, celebrationem ejus non esse duximus diutius differendam. Habita igitur cum venerabilibus fratribus nostris, S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, factis etiam consilii nostri certioribus carissimis in Christo filiis nostris, Ferdinando Romanorum Imperatore electo et aliis Regibus atque Principibus, quos quidem, sicut de eorum summa pietate et sapientia nobis pollicebamur, paratissimos ad ipsius Concilii celebrationem adjuvandam invenimus; ad Dei omnipotentis laudem, honorem et gloriam, atque universalis Ecclesiae utilitatem, de eorumdem fratrum nostrorum consilio et assensu sacrum oecumenicum et generale Concilium ex auctoritate ejusdem Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum, qua nos quoque in terris fungimur *(Matth. XVI, 18. 19.)*, freti et subnixi, in civitate Tridentina, ad sacratissimum diem Resurrectionis dominicae futurum indicimus, et ibi celebrandum, sublata suspensione quacumque, statuimus atque decernimus.

§. 270. Quocirca venerabiles fratres nostros, omnibus ex locis, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos et dilectos filios Abbates, ceterosque quibus in Concilio generali sedere et sententiam dicere, jure communi vel ex privilegio vel ex antiqua consuetudine licet, vehementer in Domino hortamur et monemus, atque etiam districte praecipiendo mandamus in virtute sanctae obedientiae, in vi quoque juramenti, quod praestiterunt et sub poenis, quas in eos, qui ad Concilia generalia convenire neglexerint, sacris sciunt esse canonibus constitutas, ut ad Concilium ibi celebrandum conveniant intra eam diem, nisi forte impedimento fuerint legitimo praepediti: quod tamen impedimentum per legitimos procuratores Synodo probare debebunt. Monemus praeterea omnes et singulos, quorum interest interesseve poterit, ut in Concilio adesse ne negligant. Carissimos vero in Christo filios nostros, Romanorum Imperatorem electum, ceterosque Reges et Principes, quos optandum sane esset Concilio interesse posse, hortamur et rogamus, ut, si ipsi interesse Concilio non potuerint, at Oratores suos prudentes, graves et pios viros utique mittant, qui ipsorum nomine illi intersint, curentque diligenter pro sua pietate, ut ex eorum regnis atque do-

miniis Praelati, sine recusatione ac mora, tam necessario tempore, Deo et Ecclesiae officium suum praestent; eosdem etiam curaturos esse minime dubitantes, ut per ipsorum regna et dominia, tutum ac liberum iter Praelatis eorumque familiaribus, comitibus et aliis omnibus ad Concilium euntibus et ab illo redeuntibus pateat; benigneque ac comiter omnibus in locis recipiantur atque tractentur, sicut, quod ad nos attinet, ipsi quoque curabimus, qui nihil omnino praetermittere decrevimus, quod ad tam pium et salutare opus perficiendum, a nobis, in hoc loco constitutis, praestari possit; nihil, ut Deus scit, quaerentes aliud, nihil propositum habentes in hoc Concilio celebrando, nisi honorem ipsius Dei, dispersarum ovium reductionem ac salutem et perpetuam christianae reipublicae tranquilitatem ac quietem.

§. 271. Ut vero hae litterae et quae in eis continentur ad omnium, quorum oportet, notitiam perveniant, nec quisquam ea excusatione uti possit, quod illa ignoraverit, praesertim cum non ad omnes, quos de his litteris certiores fieri oporteret, tutus forsitan pateat aditus; volumus et mandamus, ut in Basilica Vaticana principis Apostolorum, et in Ecclesia Lateranensi tunc, cum in eis populus ut Missarum solemnibus intersit congregari solet, palam clara voce a Curiae nostrae Cursoribus seu Notariis aliquibus publicis recitentur, et postquam recitatae fuerint, ad valvas earum Ecclesiarum, itemque Cancellariae apostolicae, et in loco solito Campi Florae affigantur, ibique, quo legi et omnibus innotescere possint, aliquamdiu relinquantur. Cum autem inde amovebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa remaneant. Nos enim per recitationem hanc, publicationem et affixionem, omnes et singulos, qui his litteris comprehenduntur, post duos menses a die publicationis et affixionis earum, volumus perinde astrictos et obligatos esse, ac si ipsismet illae coram editae et lectae fuissent. Transsumptis quoque earum, quae manu publici alicujus Notarii scripta subscriptave, et sigillo ac subscriptione alicujus personae, in dignitate ecclesiastica constitutae, munita fuerint, ut sine dubitatione ulla fides habeatur, mandamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae indictionis, statuti, decreti, praecepti, admonitionis et adhortationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem

hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Romae apud sanctum Petrum, anno incarnationis dominicae M. D. LX., III. Kal. Decemb. pontificatus nostri anno primo.

*Antonius Florebellus Lavellinus.*
*Barengus.*

---

SACROSANCTI OECUMENICI ET GENERALIS

# CONCILII TRIDENTINI,

## SESSIO DECIMA SEPTIMA

### QUAE EST PRIMA SUB PIO IV. PONT. MAX.,

celebrata die XVIII. Januarii M. D. LXII.

### *Decretum de celebrando Concilio.*

§. 272. Placente vobis, ad laudem et gloriam sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, ad incrementum et exaltationem fidei et religionis christianae, sacrum oecumenicum et generale Concilium Tridentinum in Spiritu sancto legitime congregatum, ab hodierno die, qui est decimus octavus mensis Januarii, anni a nativitate Domini millesimi quingentesimi sexagesimi secundi, Cathedrae Romanae beati Petri, Apostolorum principis, consecrato, sublata quacumque suspensione, juxta formam et tenorem litterarum sanctissimi Domini nosri, Pii IV., Pont. max. celebrari, „*et in eo ea, debito servato ordine tractari*", quae, proponentibus Legatis ac Praesidentibus, ad horum temporum levandas calamitates, sedandas de religione controversias, coërcendas linguas dolosas, depravatorum morum abusus corrigendos, Ecclesiae veram atque christianam pacem conciliandam apta et idonea ipsi sanctae Synodo videbuntur? Responderunt, Placet.

### *Indictio futurae Sessionis.*

§. 273. Placente vobis, proximam futuram Sessionem habendam, et celebrandam esse feria quinta, post secundam Dominicam Quadragesimae, quae erit die XXVI. mensis Februarii? Responderunt, Placet.

VARIANTES.

§. 272. *Verba:* et in eo, *desunt in Brix. Lov. 3. Antv. 5. Col.*

## SESSIO DECIMA OCTAVA,

### QUAE EST SECUNDA SUB PIO IV. PONT. MAX.,

celebrata die XXVI. Februarii M. D. LXII.

*Decretum de librorum delectu, et omnibus ad Concilium fide publica invitandis.*

§. 274. Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae Sedis Legatis, non humanis quidem viribus confisa, sed Domini nostri Jesu Christi, qui os et sapientiam Ecclesiae suae daturum se promisit *(Luc. XXI, 16.)*, ope et auxilio freta, illud praecipue cogitat, ut catholicae fidei doctrinam, multorum inter se dissidentium opinionibus pluribus locis inquinatam et obscuratam, in suam puritatem et splendorem aliquando restituat; et mores, qui a veteri instituto deflexerunt, ad meliorem vitae rationem revocet, corque patrum ad filios, et cor filiorum ad patres convertat *(Luc. I, 17.)*. Cum itaque omnium primum animadverterit, hoc tempore suspectorum ac perniciosorum librorum, quibus doctrina impura continetur et longe lateque diffunditur, numerum nimis excrevisse, quod quidem in causa fuit, ut multae censurae in variis provinciis, et praesertim in alma urbe Roma pio quodam zelo editae fuerint, neque tamen huic tam magno ac pernicioso morbo salutarem ullam profuisse medicinam; censuit, ut delecti ad hanc disquisitionem Patres de censuris, librisque quid facto opus esset, diligenter considerarent, atque etiam ad eamdem sanctam Synodum suo tempore referrent, quo facilius ipsa possit varias et peregrinas doctrinas, tamquam zizania, a christianae veritatis tritico separare, deque his commodius deliberare et statuere, quae ad scrupulum ex complurium animis eximendum et tollendas multarum querelarum causas, magis opportuna videbuntur. Haec autem omnia ad notitiam quorumcumque deducta esse vult, prout etiam praesenti decreto deducit, ut si quis ad se pertinere aliquo modo putaverit, quae vel de hoc librorum et censurarum negotio, vel de aliis quae in hoc generali Concilio tractanda praedixit; non dubitet a sancta Synodo se benigne auditum iri.

§. 275. Quoniam vero eadem sancta Synodus ex corde optat, Deumque enixe rogat, quae ad pacem sunt Ecclesiae *(Ps. CXXI, 6.)*, ut universi communem matrem in terris agnoscentes, quae quos peperit oblivisci non potest *(Jes. XLVIII, 15.)*, unanimes uno ore glorificemus Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi *(Rom. XV, 6.)*; per viscera misericordiae ejusdem Dei et Domini nostri omnes, qui nobiscum communionem non habent, ad concordiam et reconciliationem, et ut ad hanc sanctam Synodum veniant, invitat atque hortatur; utque caritatem, quod est vinculum perfectionis, amplectantur, pacemque Christi, exultantem in cordibus suis, prae se ferant, in quam vocati sunt, in uno corpore *(Col. III, 14. 15.)*. Hanc ergo non humanam, sed Spiritus sancti vocem audientes, ne obdurent corda sua *(Ps. XCIV, 8. Heb. III, 8.)*, sed in suo sensu non ambulantes *(Eph. IV, 17.)*, neque sibi placentes *(Rom. XV, 1 — 3.)*, ad tam piam et salutarem matris suae admonitionem excitentur et convertantur. Omnibus enim caritatis officiis sancta Synodus eos ut invitat, ita complectetur.

§. 176. Insuper eadem sancta Synodus decrevit, fidem publicam in Congregatione generali concedi posse, et eamdem vim habituram, ejusdemque roboris et momenti futuram, ac si in publica Sessione data et decreta fuisset.

### *Indictio futurae Sessionis.*

§. 277. Eadem sacrosancta Synodus Tridentina in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae Sedis Legatis, statuit et decernit, proximam futuram Sessionem habendam et celebrandam esse feria quinta post sacratissimum festum Ascensionis Domini, quae erit die XIV. mensis Maji.

## SALVUS CONDUCTUS
### CONCESSUS GERMANICAE NATIONI,
*in Congregatione generali, die IV. Martii, M. D. LXII.*

§. 278. Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae Sedis Legatis,

Universis fidem facit, quod omnibus et singulis Sacerdotibus, Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, militaribus, popularibus et aliis quibuscumque viris, cujuscumque status et conditionis aut qualitatis existant, Germanicae provinciae et nationis, civitatibus et aliis locis ejusdem, et omnibus aliis ecclesiasticis et saecularibus, praesertim Augustanae Confessionis personis, qui, aut quae una cum ipsis ad hoc generale Tridentinum Concilium venient aut mittentur, ac profecturi sunt aut hucusque venerunt, quocumque nomine censeantur, aut valeant nuncupari, tenore praesentium publicam fidem, et plenissimam verissimamque securitatem, quam Salvum Conductum appellant, libere ad hanc civitatem Tridentinam veniendi, ibidemque manendi, standi, morandi, proponendi, loquendi, una cum ipsa Synodo de quibuscumque negotiis tractandi, examinandi, discutiendi, et omnia, quaecumque ipsis libuerit, ac articulos quoslibet tam scripto, quam verbo libere offerendi, propalandi, eosque Scripturis Sacris et beatorum Patrum verbis, sententiis et rationibus declarandi, adstruendi et persuadendi; et, si opus fuerit, etiam ad objecta Concilii generalis respondendi; et cum iis, qui a Concilio delecti fuerint, disputandi, aut caritative absque omni impedimento conferendi, opprobriis, conviciis ac contumeliis penitus semotis; et signanter, quod causae controversae, secundum Sacram Scripturam et Apostolorum traditiones, probata Concilia et catholicae Ecclesiae consensum, et sanctorum Patrum auctoritates in praedicto Concilio Tridentino tractentur: illo etiam addito, ut religionis praetextu, aut delictorum circa eam commissorum aut committendorum minime puniantur, impertitur ac omnino concedit; sic etiam, ut propter illorum praesentiam, neque in itinere aut quocumque locorum, eundo, manendo aut redeundo, nec in ipsa civitate Tridentina a divinis officiis quovis modo cessetur; et ut his peractis vel non peractis, quandocumque ipsis libuerit, aut majorum suorum mandato et assensu ad propria reverti optabunt, aut aliquis eorum optabit, mox absque ulla renitentia et occasione aut mora, salvis rebus eorum et suorum pariter honore, et personis, vice versa possint juxta beneplacitum libere et secure redire, de scientia tamen ab eadem Synodo deputandorum, ut tunc opportune eorum securitati absque dolo et fraude provideatur.

§. 279. Vult etiam sancta Synodus, in hac publica fide Salvoque Conductu omnes quascumque clausulas includi et contineri ac pro inclusis haberi, quae pro plena, efficaci et sufficienti securitate in eundo, stando, ac redeundo necessariae et opportunae fuerint. Illud etiam ad majorem securitatem, et pacis ac conciliationis bonum exprimens, quod, si quispiam, aut illorum aliqui, sive in itinere Tridentum veniendo, sive ibidem morando, aut redeundo, aliquod enorme, quod absit, egerint aut commiserint, quo posset hujus fidei publicae et assecurationis beneficium eis concessum annullari, aut *„cassari"*; vult et concedit, ut in hujusmodi facinore deprehensi, ab ipsis dumtaxat et non ab aliis, condigna animadversione, cum emenda sufficienti, per partem ipsius Synodi merito approbanda et laudanda, mox puniantur: illorum assecurationis forma, conditionibus et modis omnino manentibus illibatis Pariformiter etiam vult, ut, si quisquam vel aliquis ex ipsa Synodo sive in itinere, aut manendo, aut redeundo, aliquod enorme, quod absit, egerint aut commiserint, quo posset hujus fidei publicae et assecurationis beneficium violari aut quoquomodo tolli, in hujusmodi facinore deprehensi, ab ipsa Synodo dumtaxat et non ab aliis, condigna animadversione et emenda sufficienti, per partem Dominorum Germanorum Augustanae Confessionis, tunc hic praesentium, merito laudanda et approbanda, mox puniantur: praesenti assecurationis forma, conditionibus et modis omnino manentibus illibatis.

§. 280. Vult praeterea ipsa Synodus, quod liceat ipsis Ambasciatoribus omnibus et singulis toties, quotiescumque *„opus"* fuerit seu necessarium, ad auram capiendam exire de civitate Tridentina, et reverti ad eamdem, necnon nuntium vel nuntios suos ad quaecumque loca pro suis necessariis negotiis ordinandis

VARIANTES.

§. 279. cessari *Rom. 3. 4.*

§. 280. opportunum *Rom. 1. 3. 4. 5. Dil. Ven. 2. Lov. 2.*

libere mittere seu destinare; ac ipsos missos seu destinatos seu missum et destinatum suscipere toties, quoties eis videbitur expedire, ita quod aliqui vel aliquis per Deputandos Concilii socientur, qui eorum securitati provideant vel provideat. Qui quidem Salvus Conductus et securitates stare ac durare debeant et a tempore et per tempus, quo in ipsius Synodi et suorum tuitionis curam ipsos suscipi contigerit, et usque ad Tridentum perduci, ac toto tempore mansionis eorum ibidem; et rursum, post sufficientem audientiam habitam, spatio viginti dierum praemisso, cum ipsi petierint, aut Concilium, habita hujusmodi audientia, ipsis recessum indixerit a Tridento, usque in quem quisque elegerit sibi locum tutum, Deo favente, restituet, dolo et fraude prorsus exclusis.

§. 281. Quae quidem omnia pro universis et singulis Christi fidelibus, pro omnibus Principibus, tam ecclesiasticis quam saecularibus quibuscumque, atque omnibus aliis ecclesiasticis et saecularibus personis, cujuscumque status et conditionis exsistant, aut quocumque nomine censeantur, inviolabiliter observanda esse promittit, et bona fide spondet. Insuper, omni fraude et dolo exclusis, vera et bona fide promittit, ipsam Synodum nullam vel manifeste vel occulte occasionem quaesituram, aut aliqua auctoritate, potentia, jure, vel statuto, privilegio legum vel canonum, aut quorumcumque Conciliorum, praesertim Constantiensis et „*Senensis*“, quacumque forma verborum expressa, in aliquod hujus fidei publicae et plenissimae assecurationis, ac publicae et liberae audientiae, ipsis per ipsam Synodum concessae, praejudicium, quovis modo usuram, aut quemquam uti permissuram: quibus in hac parte pro hac vice derogat. Quod si sancta Synodus, aut aliquis ex ea, vel suis cujuscumque conditionis vel status aut praeeminentiae existens, praescriptae assecurationis et Salvi Conductus formam et modum in quocumque puncto vel clau-

VARIANTES.

§. 281. *In Antv. 5. Col. ad marginem habetur:* fortassis Basiliensis.

sula violaverit, quod tamen avertere dignetur Omnipotens, et sufficiens emenda non fuerit mox subsecuta, ipsorum arbitrio merito approbanda et laudanda, habeant ipsam Synodum et habere poterunt, incidisse in omnes poenas, quas jure divino et humano, aut consuetudine hujusmodi Salvorum Conductuum violatores incurrere possunt, absque omni excusatione, aut quavis in hac parte contradictione.

*Extensio ad alias nationes.*

§. 282. Eadem sacrosancta Synodus, „*in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae Sedis de latere Legatis*“, omnibus et singulis aliis, qui nobiscum in iis quae sunt fidei communionem non habent, ex quibuscumque regnis, nationibus, provinciis, civitatibus ac locis, in quibus publice et impune praedicatur vel docetur sive creditur contrarium ejus, quod sancta Romana sentit Ecclesia, dat fidem publicam sive Salvum Conductum, sub eadem forma et eisdem verbis, quibus datur Germanis.

## SESSIO DECIMA NONA,

### QUAE EST TERTIA SUB PIO IV. PONT. MAX.,

celebrata die XIV. Maii. M. D. LXII.

*Decretum prorogationis Sessionis.*

§. 283. Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae Sedis Legatis, decreta ea, quae hodie in praesenti Sessione statuenda ac sancienda erant, justis nonnullis ac honestis causis in feriam quintam post proximam solemnitatem Corporis Christi, quae erit pridie nonas Junii, proroganda esse censuit ac prorogat; dictaque die Sessionem habendam esse ac celebrandam omnibus indicit. Interea rogandus est Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, auctor pacis, ut sanctificet corda omnium, quo adjuvante, sancta Synodus et nunc et semper meditari ac peragere valeat, quae ad ejus laudem et gloriam pertineant.

VARIANTES.

§. 282. *Verba:* in Sp. s. — Legatis, *absunt ab Antv. 8. Col.*

## SESSIO VIGESIMA,

### QUAE EST QUARTA SUB PIO IV. PONT. MAX.,

celebrata die IV. Junii M. D. LXII.

*Decretum prorogationis Sessionis.*

§. 284. Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae Sedis Legatis, propter varias difficultates ex diversis causis exortas, atque etiam ut congruentius majorique cum deliberatione omnia procedant, nempe ut dogmata cum iis quae ad reformationem spectant simul tractentur et sanciantur; ea, quae statuenda videbuntur, tam de reformatione, quam de dogmatibus in proxima Sessione, quam omnibus indicit in diem sextam decimam subsequentis mensis Julii, definienda esse decrevit: hoc tamen adjecto, quod dictum terminum ipsa sancta Synodus pro ejus arbitrio et voluntate, sicuti rebus Concilii putaverit expedire, etiam in generali Congregatione, restringere et prorogare libere possit et valeat.

## SESSIO VIGESIMA PRIMA,

### QUAE EST QUINTA SUB PIO IV. PONT. MAX.,

celebrata die XVI. Julii M. D. LXII.

*Doctrina de Communione sub utraque specie et parvulorum.*

§. 285. Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae Sedis Legatis, cum de tremendo et sanctissimo Eucharistiae Sacramento varia diversis in locis errorum monstra nequissimi Daemonis artibus circumferantur, ob quae in nonnullis provinciis multi a catholicae Ecclesiae fide atque obedientia videantur discessisse; censuit ea, quae ad Communionem sub utraque specie et parvulorum pertinent, hoc loco exponenda esse. Quapropter cunctis Christi fidelibus interdicit, ne posthac de iis aliter vel credere vel docere vel praedicare audeant, quam est his decretis explicatum atque definitum.

## CAPUT I.

*Laicos et Clericos non conficientes non adstringi jure divino ad Communionem sub utraque specie.*

§. 286. Itaque sancta ipsa Synodus a Spiritu sancto, qui spiritus est sapientiae et intellectus, spiritus consilii et pietatis *(Jes. XI, 2.)*, edocta, atque ipsius Ecclesiae judicium et consuetudinem secuta, declarat ac docet, nullo divino praecepto Laicos et Clericos non conficientes, obligari ad Eucharistiae Sacramentum sub utraque specie sumendum; neque ullo pacto salva fide dubitari posse, quin illis alterius speciei Communio ad salutem sufficiat. Nam, etsi Christus Dominus in ultima coena venerabile hoc Sacramentum in panis et vini speciebus instituit et Apostolis tradidit *(Matth. XXVI, 26 — 28. Marc. XIV, 22 — 24. Luc. XXII,* 19. 20. 1 *Cor. XI,* 24. 25.*)*; non tamen illa institutio et traditio eo tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam adstringentur. Sed neque ex sermone illo, apud Joannem sexto, recte colligitur, utriusque speciei Communionem a Domino praeceptam esse, utcumque juxta varias sanctorum Patrum et Doctorum interpretationes intelligatur. Namque qui dixit *(Jo. VI,* 54.*)*: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, dixit quoque *(Jo. VI,* 52.*)*: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Et qui dixit *(Jo. VI,* 55.*)*: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam*, dixit etiam *(Jo. VI,* 52.*)*: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et denique qui dixit *(Jo. VI,* 57.*)*: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo,* dixit nihilominus *(Jo. VI,* 59.*)*: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.*

## CAPUT II.

*Ecclesiae potestas circa dispensationem Sacramenti Eucharistiae.*

§. 287. Praeterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et loco-

rum varietate, magis expedire judicaret. Id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait *(1 Cor. IV, 1. 2 Cor. VI, 4.)* : *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Atque ipsum quidem hac potestate usum esse satis constat, cum in multis aliis, tum in hoc ipso Sacramento, cum, ordinatis nonnullis circa ejus usum, *Cetera*, inquit *(1 Cor. XI, 34.)*, *cum venero disponam.* Quare agnoscens sancta mater Ecclesia hanc suam in administratione Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio christianae religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset; tamen progressu temporis, latissime jam mutata illa consuetudine, gravibus et justis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, et pro lege habendam decrevit, quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiae auctoritate pro libito mutare non licet.

## CAPUT III.

*Totum et integrum Christum, ac verum Sacramentum sub qualibet specie sumi. (§. 163.)*

§. 288. Insuper declarat, quamvis Redemptor noster, ut antea dictum est, in suprema illa coena hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit et Apostolis tradiderit; tamen fatendum esse, etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi; ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.

## CAPUT IV.

*Parvulos non obligari ad Communionem sacramentalem.*

§. 289. Denique eadem sancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiae Communionem. Siquidem per Baptismi lavacrum regenerati et Christo incorporati *(Tit. III, 5.)*, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.

*De Communione sub utraque specie et parvulorum.*

## CANON I.

§. 290. Si quis dixerit, ex Dei praecepto vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiae Sacramenti sumere debere; anathema sit.

## CANON II.

§. 291. Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam catholicam non justis causis et rationibus adductam fuisse, ut Laicos atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse; anathema sit.

## CANON III.

§. 292. Si quis negaverit, totum et integrum Christum omnium gratiarum fontem et auctorem, sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi „*institutionem*", sub utraque specie sumatur; anathema sit.

## CANON IV.

§. 293. Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae Communionem; anathema sit.

§. 294. Duos vero articulos, alias propositos, hos nondum tamen excussos, videlicet: An rationes, quibus sancta catholica Ecclesia adducta fuit, ut communicaret Laicos, atque etiam non celebrantes Sacerdotes, sub una tantum panis specie, ita sint retinendae, ut nulla ratione calicis usus cuiquam sit permittendus; et: An, si honestis et christianae caritati consentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi, vel regno calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit; et quaenam sint illae; eadem sancta Synodus, in aliud tempus, oblata sibi quamprimum occasione, examinandos atque definiendos reservat.

VARIANTES.

§. 292. constitutionem *Rom. 1. Dil. Ven. 2. Lov. 2.*

*Decretum de reformatione.*

## PROOEMIUM.

§. 295. Eadem sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae Sedis Legatis, ad Dei omnipotentis laudem et sanctae Ecclesiae ornamentum, ea quae sequuntur de reformationis negotio in praesenti statuenda esse censuit.

## CAPUT I.

*Episcopi gratis cum ordines conferant, tum dimissorias et testimoniales litteras dent, pro quibus eorum ministri nihil prorsus, Notarii autem, quod in decreto praefinitum est, accipiant.*

§. 296. Quoniam ab ecclesiastico ordine omnis avaritiae suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam clericalis tonsurae, nec pro litteris dimissoriis aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam sponte oblatum, Episcopi et alii Ordinum collatores aut eorum ministri, quovis praetextu accipiant. Notarii vero in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimissoriis aut testimonialibus, decimam tantum unius aurei partem accipere possint; dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo; nec Episcopo ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem Ordinum collationibus directe vel indirecte provenire possit. Tunc enim gratis operam suam eos praestare omnino teneri decernit: contrarias taxas ac statuta et consuetudines etiam immemorabiles, quorumcumque locorum, quae potius abusus et corruptelae, Simoniacae pravitati faventes, nuncupari possunt, penitus cassando et interdicendo: et qui secus fecerint tam dantes quam accipientes, ultra divinam ultionem, poenas a jure inflictas ipso facto incurrant.

## CAPUT II.

*Arceantur a sacris Ordinibus qui non habent unde vivere possint.*

§. 297. Cum non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare aut sor-

didum aliquem quaestum exercere; compertumque sit, complures plerisque in locis ad sacros Ordines nullo fere delectu admitti, qui variis artibus ac fallaciis confingunt, se beneficium ecclesiasticum aut etiam idoneas facultates obtinere: statuit sancta Synodus, ne quis deinceps Clericus saecularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia et aetate, ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus. Neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commode possit, et aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium vero vel pensionem obtinentes, ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum; eo quoque prius perspecto, patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quae eis ad vitam sustentandam satis sint: atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari aut extingui vel remitti nullatenus possint; donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint; antiquorum canonum poenas super his innovando.

## CAPUT III.

*Ratio distributiones quotidianas augendi praescribitur; illae quibus debeantur; non servientium contumacia punitur.*

§. 298. Cum beneficia ad divinum cultum atque ecclesiastica munia obeunda sint constituta, ne qua in parte minuatur divinus cultus, sed ei debitum omnibus in rebus obsequium praestetur, statuit sancta Synodus, in Ecclesiis tam cathedralibus quam collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones quotidianae, vel ita tenues ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum et quorumcumque proventuum et obventionum, tam dignitatum quam canonicatuum, personatuum, portionum et officiorum separari debere; et in distributiones quotidianas converti, quae inter dignitates obtinentes, et ceteros divinis interessentes, proportionabiliter, juxta divisionem ab Episcopo, etiam tamquam apostolicae Sedis

delegato, in ipsa prima fructuum deductione „*facienda*", dividantur; salvis tamen consuetudinibus earum Ecclesiarum, in quibus non residentes seu non servientes, nihil vel minus tertia parte percipiunt: non obstantibus exemptionibus ac aliis consuetudinibus, etiam immemorabilibus, et appellationibus quibuscumque. Crescenteque non servientium contumacia, liceat contra eos procedere, juxta juris ac sacrorum canonum dispositionem.

## CAPUT IV.

*Coadjutores curae animarum quando sint assumendi. Ratio novas parochias erigendi traditur.*

§. 299. Episcopi, etiam tamquam apostolicae Sedis delegati, in omnibus Ecclesiis parochialibus vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere ecclesiasticis Sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo; cogant Rectores vel alios ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum. In iis vero, in quibus, ob locorum distantiam sive difficultatem, parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt; novas parochias, etiam invitis Rectoribus, juxta formam Constitutionis Alexandri III. quae incipit: *Ad audientiam (XIV.)*, constituere possint. Illis autem Sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesiis noviter erectis praeficiendi, competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus, ad Ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus: et, si necesse fuerit, compellere possit populum ea subministrare, quae sufficiant ad vitam dictorum Sacerdotum sustentandam: quacumque reservatione generali vel speciali vel affectione, super dictis Ecclesiis, non obstantibus. Neque hujusmodi ordinationes et erectiones possint tolli nec impediri, ex quibuscumque provisionibus, etiam vigore resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus vel suspensionibus.

VARIANTES.

§. 298. faciendam *Rom. 4. 5. Vird. Rhem.*

## CAPUT V.

*Possint Episcopi facere Uniones perpetuas in casibus a jure permissis.*

§. 300. Ut etiam Ecclesiarum status, ubi sacra Deo officia ministrantur, ex dignitate conservetur; possint Episcopi, etiam tamquam apostolicae Sedis delegati, juxta formam juris, sine tamen praejudicio obtinentium, facere Uniones perpetuas quarumcumque Ecclesiarum parochialium et baptismalium, et aliorum beneficiorum curatorum vel non curatorum cum curatis propter earum paupertatem. et in ceteris casibus a jure permissis, etiam si dictae Ecclesiae vel beneficia essent generaliter vel specialiter reservata aut qualitercumque affecta. Quae Uniones etiam non possint revocari, nec quoquo modo infringi vigore cujuscumque provisionis, etiam ex causa resignationis aut derogationis aut suspensionis.

## CAPUT VI.

*Imperitis Parochis Vicarii assignata parte fructuum pro tempore deputentur; in scandalo perseverantes privari beneficiis possint.*

§. 301. Quia illiterati et imperiti parochialium Ecclesiarum Rectores sacris minus apti sunt officiis, et alii propter eorum vitae turpitudinem potius destruunt quam aedificant; Episcopi, etiam tamquam apostolicae Sedis delegati,. eisdem illiteratis et imperitis, si alias honestae vitae sint, Coadjutores aut Vicarios pro tempore deputare. partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare vel aliter providere possint, quacumque apellatione et exemptione remota. Eos vero, qui turpiter et scandalose vivunt postquam praemoniti fuerint, coërceant ac castigent; et si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis, juxta sacrorum canonum constitutiones, exemptione et appellatione quacumque remota, privandi facultatem habeant.

## CAPUT VII.

*Episcopi transferant beneficia ex Ecclesiis, quae nequeunt restaurari; alias vero reparari curent. Quid in hoc servandum sit.*

§. 302. Cum illud quoque valde curandum sit, ne

ea, quae sacris ministeriis „*dicata*“ sunt, temporum injuria obsolescant et ex hominum memoria excidant; Episcopi, etiam tamquam apostolicae Sedis delegati, transferre possint beneficia simplicia, etiam juris patronatus, ex Ecclesiis, quae vetustate vel alias collapsae sint, et ob „*eorum*“ inopiam nequeant instaurari, vocatis iis quorum interest in matrices aut alias Ecclesias locorum eorundem seu viciniorum, arbitrio suo; atque in eisdem Ecclesiis erigant altaria vel capellas sub eisdem invocationibus; vel in jam erecta altaria vel capellas transferant cum omnibus emolumentis et oneribus, prioribus Ecclesiis impositis. Parochiales vero Ecclesias, etiam si juris patronatus sint, ita collapsas refici et instaurari procurent ex fructibus et proventibus quibuscumque, ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus. Qui si non fuerint sufficientes, omnes patronos et alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt; aut in illorum defectum, parochianos omnibus remediis opportunis ad praedicta cogant, quacumque appellatione, exemptione et contradictione remota. Quod si nimia egestate omnes laborent; ad matrices seu viciniores Ecclesias transferantur, cum facultate, tam dictas parochiales, quam alias Ecclesias dirutas, in profanos usus non sordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertendi.

## CAPUT VIII.

*Monasteria commendata, in quibus non viget regularis observantia, et beneficia quaecumque quotannis ab Episcopis visitentur.* (§. 142.)

§. 303. Quaecumque in dioecesi ad Dei cultum spectant, ab Ordinario diligenter curari, atque iis ubi oportet provideri aequum est. Propterea commendata monasteria, etiam Abbatiae, Prioratus et Praepositurae nuncupatae, in quibus non viget regularis observantia, nec non beneficia tam curata, quam non curata, saecularia et regularia, qualitercumque commendata, etiam exempta, ab Episcopis, etiam tamquam apostolicae Sedis

VARIANTES.

§. 302. dedicata *Rom. 1. Lov. 2. Ven. 2. Dil.*
earum *Vird. Rhem.*

delegatis, annis singulis visitentur; curentque iidem Episcopi congruentibus remediis, etiam per sequestrationem fructuum, ut quae renovatione indigent aut restauratione reficiantur, et cura animarum, si qua illis vel eorum annexis immineat, aliaque debita obsequia recte exerceantur, appellationibus quibuscumque, privilegiis, consuetudinibus etiam immemorabili tempore praescriptis, conservatoriis, judicum deputationibus et eorum inhibitionibus non obstantibus. Et si in eis vigeret observantia regularis, provideant Episcopi paternis admonitionibus, ut eorum regularium Superiores juxta eorum regularia instituta debitam vivendi rationem observent et observari faciant, et sibi subditos in officio contineant ac moderentur. Quod si admoniti, intra sex menses eos non visitaverint vel correxerint: tunc iidem Episcopi, etiam ut delegati Sedis apostolicae, eos visitare possint et corrigere, prout ipsi Superiores possent, juxta eorum instituta; quibuscumque appellationibus, privilegiis et exemptionibus penitus remotis et non obstantibus.

## CAPUT IX.

*Quaestorum eleemosynarum nomen et usus tollitur. Indulgentias et spirituales gratias Ordinarii publicent. Duo de Capitulo eleemosynas gratis accipiant.*

§. 304. Cum multa a diversis antea Conciliis, tam Lateranensi ac Lugdunensi quam Viennensi, adversus pravos eleemosynarum Quaestorum abusus remedia tunc adhibita, posterioribus temporibus reddita fuerint inutilia, potiusque eorum malitia ita quotidie magno fidelium omnium scandalo et querela excrescere deprehendatur, ut de eorum emendatione nulla spes amplius relicta videatur: statuit, ut posthac in quibuscumque christianae religionis locis, eorum nomen atque usus penitus aboleatur, nec ad officium hujusmodi exercendum ullatenus admittantur, non obstantibus privilegiis, Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, piis locis, et quibusvis cujuscumque gradus, status et dignitatis personis, concessis aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus. Indulgentias vero, aut alias spirituales gratias, quibus non ideo Christi fideles decet privari, deinceps per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo publicandas esse decernit. Quibus

etiam eleemosynas, atque oblata sibi caritatis subsidia, nulla prorsus mercede accepta, fideliter colligendi facultas datur, ut tandem, coelestes hos Ecclesiae thesauros non ad quaestum, sed ad pietatem exerceri, omnes vere intelligant.

*Indictio futurae Sessionis.*

§. 305. Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae Sedis Legatis, statuit et decrevit, proximam futuram Sessionem habendam et celebrandam esse feria quinta post octavam festi nativitatis beatae Mariae virginis, quae erit XVII. mensis Septembris proxime futuri; hoc tamen adjecto, quod dictum terminum, ac unicuique Sessioni in posterum praefigendum, ipsa sancta Synodus, pro ejus arbitrio et voluntate, sicuti rebus Concilii putaverit expedire, etiam in generali Congregatione, restingere et prorogare libere possit et valeat.

## SESSIO VIGESIMA SECUNDA,

### QUAE EST SEXTA SUB PIO IV. PONT. MAX.,

celebrata die XVII. Sept. M. D. LXII.

*Doctrina de Sacrificio Missae.*

§. 306. „*Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus*“ in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae Sedis Legatis, „*ut vetus absoluta atque omni ex parte perfecta*“ de magno Eucharistiae mysterio in sancta catholica Ecclesia fides atque doctrina retineatur, et in sua puritate, propulsatis erroribus atque haeresibus, conservetur; de ea, quatenus verum et singulare Sacrificium est, Spiritus sancti illustratione edocta (§. 160.), haec, quae sequuntur, docet, declarat et fidelibus populis praedicanda decernit.

VARIANTES.

§. 306. *In Antv. 5. Col. Vird. Rhem. Brix. et Lov. 3. simpliter legitur:* Sacrosancta Synodus. Ut vetus, absoluta atque omni ex parte etc.

## CAPUT I.

### *De institutione sacrosancti Missae Sacrificii.*
(§. 28. 42. 463.)

§. 307. Quoniam sub priori testamento, teste Apostolo Paulo *(Hebr. VII, 11.)*, propter levitici sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat; oportuit, Deo patre misericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Jesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare et ad perfectum adducere. Is igitur Deus et Dominus noster etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur *(Hebr. VII, 24. IX, 12 sqq. X, 10 sqq.)*: quia tamen per mortem sacerdotium ejus extinguendum non erat, in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum, repraesentaretur, ejusque memoria in finem usque saeculi permaneret *(1 Cor. XI, 24—26.)*; atque illius salutaris virtus in remissionem eorum quae a nobis quotidie committuntur peccatorum applicaretur; Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans *(Ps. CIX, 4.)*, Corpus et Sanguinem suum sub speciebus Panis et Vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit; et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent praecepit per hac verba *(Luc. XXII, 19. 1 Cor. VI, 24. 25.)*: *Hoc facite in meam commemorationem*; uti semper Ecclesia catholica intellexit et docuit.

§. 308. Nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Aegypto multitudo filiorum Israel immolabat *(Exod. XIII.)*, novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, eripuitque de potestate tenebrarum et in regnum suum transtulit *(Col. I, 13.)*. Et haec quidem illa munda oblatio est *(Malach. I, 11.)*, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest, quam Dominus per

Malachiam *(Cap. I.)* nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam praedixit; quam non obscure innuit Apostolus Paulus, Corinthiis scribens *(1 Cor. X,* 20. 21.*)*, cum dicit: non posse eos, qui participatione mensae Daemoniorum polluti sint, mensae Domini participes fieri, per mensam altare utrobique intelligens. Haec denique illa est, quae per varias Sacrificiorum, naturae et legis tempore, similitudines figurabatur *(Gen. IV,* 4. *XII,* 8. *Lev. I. II. III.)*; utpote, quae bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur.

## CAPUT II.

*Sacrificium Missae est propitiatorium tam pro Vivis, quam pro Defunctis.*

§. 309. Et quoniam in divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit *(Heb. IX,* 14. 28.*)*; docet sancta Synodus, Sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata, etiam ingentia dimittit. Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis cruentae, inquam, fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur, tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium Vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus, sed et pro Defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite juxta Apostolorum traditionem offertur.

## CAPUT III.

*De Missis in honorem Sanctorum.* (§. 463.)

§. 310. Et quamvis in honorem et memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis Sacrificium offerri docet

sed Deo soli. qui illos coronavit; unde nec Sacerdos dicere solet. offero tibi Sacrificium Petre vel Paule, sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam facimus in terris. (§. 321. 463.)

## CAPUT IV.

### *De Canone Missae.*

§. 311. Et cum Sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum Sacrificium, Ecclesia catholica, ut digne reverenterque offerretur ac perciperetur, sacrum Canonem multis ante saeculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem ac pietatem quandam redoleat. mentesque offerentium in Deum erigat. Is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.

## CAPUT V.

### *De solemnibus Missae Sacrificii Caeremoniis.*

§. 312 Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quaedam summissa voce, alia vero elatiore, in Missa pronuntiarentur, instituit. Caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina. thymiamata, vestes aliaque id genus multa ex apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti Sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum. quae in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

## CAPUT VI.

### *De Missa, in qua solus Sacerdos communicat.*

§. 313. Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus Sacrificii

fructus uberior proveniret: nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat atque adeo commendat. Si quidem illae quoque Missae vere communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet, partim vero quod a publico Ecclesiae Ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.

## CAPUT VII.

*De Aqua miscenda Vino in calice offerendo.*

§. 314. Monet deinde sancta Synodus, praeceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut Aquam Vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit *(Jo. XIX, 34.)*, quod Sacramentum hac mixtione recolitur: et cum aquae in Apocalypsi beati Joannis *(XVII, 1. 17.)* populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur.

## CAPUT VIII.

*Missa vulgari lingua non celebretur. Ejus mysteria populo explicentur.*

§. 315. Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem retento ubique cujusque Ecclesiae antiquo, et a sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum matre et magistra probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant *(Thren. IV, 4.)*, et non sit qui frangat eis; mandat sancta Synodus Pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios ex iis, quae in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter certa sanctissimi hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus praesertim dominicis et festis.

## CAPUT IX.

*Prologomenon Canonum sequentium.*

§. 316. Quia vero adversus veterem hanc, in sacrosancto Evangelio, Apostolorum traditionibus sancto-

rumque Patrum doctrina fundatam fidem, hoc tempore multi disseminati sunt errores, multaque a multis docentur et disputantur; sacrosancta Synodus, post multos gravesque his de rebus mature habitos tractatus, unanimi Patrum omnium consensu, quae huic purissimae fidei sacraeque doctrinae adversantur, damnare et a sancta Ecclesia eliminare, per subjectos hos Canones constituit.

*De Sacrificio Missae.*

## CANON I.

§. 317. Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit.

## CANON II.

§. 318. Si quis dixerit, illis verbis *(1 Cor. XI, 24. 26.)*: *Hoc facite in meam commemorationem*, Christum *(Luc. XXII, 19.)* non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum; anathema sit.

## CANON III.

§. 319. Si quis dixerit, Missae Sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro Vivis et Defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.

## CANON IV.

§. 320. Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi facrificio, in cruce peracto, per Missae Sacrificium, aut illi per hoc derogari; anathema sit.

## CANON V.

§. 321. Si quis dixerit, imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anathema sit.

## CANON VI.

§. 322. Si quis dixerit, Canonem Missae errores continere, ideoque abrogandum; anathema sit.

## CANON VII.

§. 223. Si quis dixerit, caeremonias, vestes et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis; anathema sit.

## CANON VIII.

§. 324. Si quis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse ideoque abrogandas; anathema sit.

## CANON IX.

§. 325. Si quis dixerit, Ecclesiae Romanae ritum, quo summissa voce pars Canonis et verba Consecrationis proferuntur, damnandum esse, aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere, aut Aquam non miscendam esse Vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem; anathema sit.

### *Decretum de observandis et evitandis in celebratione Missae.*

§. 326. Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missae Sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur; quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter *(Jer. XLVIII*, 10.*)*. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per Sacerdotes quotidie immolatur: satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur. Cum igitur multa jam sive temporum vitio sive hominum incuria et improbitate irrepsisse videantur, quae a tanti Sacrificii dignitate aliena sunt; ut ei debitus honor et cultus ad Dei gloriam et fidelis populi aedificationem

restituatur; decernit sancta Synodus, ut ordinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere, atque e medio tollere sedulo curent ac teneantur, quae vel avaritia, idolorum servitus (*Eph. V*, 5.), vel irreverentia, quae ab impietate vix sejuncta esse potest, vel superstitio, verae pietatis falsa imitatrix, induxit.

§. 327. Atque ut multa paucis comprehendantur, in primis, quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum „*conditiones*, *pacta*", et quidquid pro Missis „*novis*" celebrandis datur; necnon importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quae a simoniaca labe, vel certe turpi quaestu non longe absunt, omnino prohibeant. Deinde ut irreverentia vitetur, singuli in suis dioecesibus interdicant, ne cui vago et ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat. Neminem praeterea, qui publice et notorie criminosus sit, aut sancto altari ministrare aut sacris interesse permittant; neve patiantur, „*privatis*" in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc Sacrificium a Saecularibus aut Regularibus quibuscumque peragi: ac nisi prius qui intersint, decenter composito corporis habitu, declaraverint se mente etiam ac devoto cordis affectu, non solum corpore adesse.

§. 328. Ab Ecclesiis vero musicas eas, ubi sive organo sive cantu lascivum aut impurum aliquid misceatur, item saeculares omnes actiones, vana atque adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant; ut domus Dei, vere domus orationis (*Jes. LVI*, 7. *Matth. XXI*, 13.) esse videatur, ac dici possit. Postremo, ne superstitioni locus aliquis detur, edicto et poenis propositis caveant, ne Sacerdotes aliis, quam debitis horis, celebrent, neve ritus alios aut alias caeremonias et preces in Missarum celebratione adhibeant, praeter eas, quae ab Ecclesia probatae ac frequenti et laudabili usu receptae fuerint. Quarumdam vero Missarum, et candelarum certum numerum, qui magis a

VARIANTES.

§. 327. Pacta, conventiones *Brix. Lov. 3. Vird. et Rhem.*
nobis *Brix. Lov. 3. Vird. Rhem. Antv. 6. Col.*
privatis *abest Vird. et Rhem.*

superstitioso cultu, quam a vera religione inventus est, omnino ab Ecclesia removeant: doceantque populum, quis sit, et a quo potissimum proveniat sanctissimi hujus Sacrificii tam pretiosus ac „*caelestis*“ fructus.

§. 329. Moneant etiam eumdem populum, ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis et majoribus festis accedant. Haec igitur omnia, quae summatim enumerata sunt, omnibus locorum Ordinariis ita proponuntur, ut non solum ea ipsa, sed quaecumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi a sacrosancta Synodo potestate, ac etiam ut delegati Sedis apostolicae, prohibeant, mandent, corrigant, statuant, atque ad ea inviolate servanda, censuris ecclesiasticis aliisque poenis, quae illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant: non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscumque.

## *Decretum de reformatione.*

§. 330. Eadem sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae Sedis Legatis, ut reformationis negotium prosequatur, haec in praesenti Sessione statuenda censuit.

## CAPUT I.

### *Decreta de vita et honestate Clericorum innovantur.* (§. 183.)

§. 331. Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tamquam speculum (*Matth. V,* 14. 16. *Tit. II,* 7.) reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet omnino Clericos, in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum ac religione plenum,

VARIANTES.

§. 328. prope caelestis *Brix. Lov.* 3. *Antr.* 5. *Col.*

prae se ferant; levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cum igitur, quo majore in Ecclesia Dei et utilitate et ornamento haec sunt, ita etiam diligentius sint observanda: statuit sancta Synodus, ut quae alias a summis Pontificibus et a sacris Conciliis de Clericorum vita, honestate, cultu doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, commessationibus, choreis, aleis, lusibus ac quibuscumque criminibus, nec non saecularibus negotiis fugiendis copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem poenis vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur: nec appellatio executionem hanc, quae ad morum correctionem pertinet, suspendat. Si qua vero ex his in desuetudinem abiisse compererint, ea quamprimum in usum revocari et ab omnibus accurate custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, ne subditorum neglectae emendationis ipsi condignas, Deo vindice, poenas persolvant.

## CAPUT II.

*Quinam ad cathedrales Ecclesias assumendi.* (§. 135.)

§. 332. Quicumque posthac ad Ecclesias cathedrales erit assumendus, is non solum natalibus, aetate, moribus et vita, ac aliis quae a sacris Canonibus requiruntur plene sit praeditus, verum etiam in sacro Ordine antea, saltem sex mensium spatio, constitutus. Quarum rerum instructio, si ejus notitia nulla aut recens in Curia fuerit, a Sedis apostolicae Legatis seu Nuntiis provinciarum, aut ejus Ordinario, eoque deficiente a vicinioribus Ordinariis sumatur. Scientia vero praeter haec ejusmodi polleat, ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere. Ideoque antea in Universitate studiorum Magister sive Doctor aut Licentiatus in sacra theologia vel jure canonico merito sit promotus; aut publico alicujus Academiae testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si Regularis fuerit, a Superioribus suae religionis similem fidem habeat. Praedicti autem omnes, unde instructio seu testificatio erit sumenda, haec fideliter et gratis referre teneantur, alioquin eorum conscientias graviter oneratas esse scient, ac Deum et Superiores suos habebunt ultores.

## CAPUT III.

*Statuendae distributiones quotidianae ex tertia parte quorumcumque fructuum; portio absentium quibus cedat; certi casus excepti.*

§. 333. Episcopi, etiam tamquam delegati apostolici, ex fructibus et proventibus quibuscumque, omnium dignitatum, personatuum et officiorum, in Ecclesiis cathedralibus vel collegiatis existentium, tertiam partem in distributiones eorum arbitrio assignandas dividere possint; ut scilicet, qui eas obtinent, si personaliter competens „*sibi*" servitium juxta formam ab eisdem Episcopis praescribendam quolibet die statuto non impleverint, illius diei distributionem amittant, nec ejus quoquo modo dominium acquirant, sed fabricae Ecclesiae, quatenus indigeat, aut alteri pio loco, arbitrio Ordinarii, applicetur. Crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrorum Canonum constitutiones procedant. Quod si alicui ex praedictis dignitatibus in Ecclesiis cathedralibus vel collegiatis, de jure seu consuetudine, jurisdictio, administratio vel officium non competat, sed extra civitatem in dioecesi cura animarum immineat, cui is, qui dignitatem obtinet, incumbere voluerit; tunc pro tempore, quo in curata Ecclesia resederit ac ministraverit, tamquam praesens sit ac divinis intersit, in Ecclesiis cathedralibus ac collegiatis habeatur. Haec in iis tantum Ecclesiis constituta intelligantur, in quibus nulla est consuetudo vel statutum, ut dictae dignitates non servientes aliquid amittant, quod ad tertiam partem dictorum fructuum et proventuum ascendat: non obstantibus consuetudinibus etiam immemorabilibus, „*exemptionibus*" et constitutionibus, etiam juramento et quavis auctoritate firmatis.

## CAPUT IV.

*In Ecclesia cathedrali vel collegiata sacro Ordine non initiati vocem in Capitulo non habeant. Qualitates et onera obtinentium beneficia in illis.*

§. 334. Quicumque in cathedrali vel collegiata,

VARIANTES.

§. 333. ibi *Dil. Vird. Rhem. Ven. 2.*

exemptionibus — *Rom. 1. Brix. Dil. Lov. 2. 3. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.*

saeculari vel regulari Ecclesia divinis mancipatus officiis, in Subdiaconatus ordine saltem constitutus non sit, vocem in hujusmodi Ecclesiis in Capitulo non habeat, etiam si hoc sibi ab aliis libere fuerit concessum. Ii vero, qui dignitates, personatus, officia, praebendas, portiones ac quaelibet alia beneficia in dictis Ecclesiis obtinent aut in posterum obtinebunt, quibus onera varia sunt annexa, videlicet, ut alii Missas, alii Evangelium, alii Epistolas dicant seu cantent: quocumque ii privilegio, exemptione, praerogativa, generis nobilitate sint insigniti, teneantur, justo impedimento cessante, infra annum Ordines suscipere requisitos; alioquin poenas incurrant, juxta Constitutionem Concilii Viennensis, quae incipit: *Ut ii, qui (XV)*, quam praesenti decreto innovat. Cogantque Episcopi eos diebus statutis dictos Ordines per seipsos exercere, ac cetera omnia officia, quae debent, in cultu divino praestare, sub eisdem et aliis etiam gravioribus poenis, arbitrio eorum imponendis. Nec aliis in posterum fiat provisio, nisi iis, qui jam aetatem et ceteras habilitates integre habere dignoscantur: *„aliter irrita sit provisio.“*

## CAPUT V.

*Dispensationes extra Curiam Episcopo committantur et ab eo examinentur.*

§. 335. Dispensationes, quacumque auctoritate concedendae, si extra Romanam Curiam committendae erunt, committantur Ordinariis illorum, qui eas impetraverint. Eae vero, quae gratiose concedentur, suum non sortiantur effectum, nisi prius ab eisdem, tamquam delegatis apostolicis, summarie tantum et extrajudicialiter cognoscatur, expressas preces subreptionis vel obreptionis vitio non subjacere.

## CAPUT VI.

*Circumspecte commutandae ultimae voluntates.*

§. 336. In commutationibus ultimarum voluntatum, quae non nisi ex justa et necessaria causa fieri debent,

VARIANTES.

§. 334. aliter irrita sit provisio — *Vtrd. et Rhem.*

Episcopi, „*tamquam*“ delegati Sedis apostolicae, summarie et extrajudicialiter cognoscant, nihil in precibus, tacita veritate vel suggesta falsitate fuisse narratum, priusquam commutationes praedictae executioni demandentur.

## CAPUT VII.

*Innovatur Cap.* Romana *de Appellationibus, in sexto.*

§. 337. Legati et Nuntii apostolici, Patriarchae, Primates et Metropolitani, in appellationibus ad eos interpositis, in quibusvis causis, tam in admittendis appellationibus quam in concedendis inhibitionibus, post appellationem servare teneantur formam et tenorem sacrarum Constitutionum, et praesertim Innocentii quarti, quae incipit; *Romana (XVI.):* quacumque consuetudine etiam immemorabili, aut stylo vel privilegio, in contrarium non obstantibus; aliter inhibitiones et processus et inde secuta quaecumque sint ipso jure nulla.

## CAPUT VIII.

*Episcopi pias omnium dispositiones exequantur; quaecumque pia loca visitent, dummodo non sub immediata Regum protectione sint.*

§. 338. Episcopi, etiam tamquam Sedis apostolicae delegati, in casibus a jure concessis, omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quam inter Vivos, sint executores; habeant jus visitandi Hospitalia, Collegia quaecumque ac Confraternitates laicorum, etiam quas Scholas sive quocumque alio nomine vocant: non tamen quae sub Regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia: eleemosynas Montis Pietatis sive Caritatis, et pia loca omnia quomodocumque nuncupentur, etiamsi praedictorum locorum cura ad Laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita; ac omnia, quae ad Dei cultum aut animarum salutem, „*seu pauperes*“ sustentandos instituta sunt; ipsi ex of-

VARIANTES.

§. 336. etiam tamquam *Brix. Vird. Rhem. Lov. 3. Antv. 5. et Col.*

§. 338. et pauperes *Brix. Lov. 3. Vird. Rhem. Antv. e Col.*

ficio suo juxta sacrorum Canonum statuta cognoscant et exequantur: non obstantibus quacumque consuetudine etiam immemorabili, privilegio aut statuto.

## CAPUT IX.

*Administratores quorumcumque piorum locorum reddant rationem Ordinario, nisi aliter in fundatione sit cautum.*

§. 339. Administratores tam ecclesiastici quam laici, fabricae cujusvis Ecclesiae etiam cathedralis, Hospitalis, Confraternitatis, eleemosynae Montis Pietatis et quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario; consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis; nisi secus forte in institutione et ordinatione talis Ecclesiae seu fabricae expresse cautum esset. Quod si ex consuetudine aut privilegio aut ex constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda esset; tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius, et aliter factae liberationes dictis administratoribus minime suffragentur.

## CAPUT X.

*Notarii Episcoporum examini et judicio subjaceant.*

§. 340. Cum ex Notariorum imperitia plurima damna et multarum occasio litium oriatur; possit Episcopus quoscumque Notarios, etiamsi apostolica, imperiali aut regia auctoritate creati fuerint, etiam tamquam delegatus Sedis apostolicae, examinatione adhibita eorum sufficientiam scrutari; illisque non idoneis repertis aut „*quandocumque*“ in officio delinquentibus, officii ejus in negotiis, litibus et causis ecclesiasticis ac spiritualibus exercendi usum perpetuo aut ad tempus prohibere. Neque eorum appellatio interdictionem Ordinarii suspendat.

## CAPUT XI.

*Bonorum cujuscumque Ecclesiae aut pii loci occupatores puniuntur.*

§. 341. Si quem Clericorum vel Laicorum, qua-

VARIANTES.

§. 340. quomodocumque *Brix. Lov. 3. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.*

cumque is dignitate, etiam imperiali aut regali praefulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas (1 *Tim.* *VI*, 10.) occupaverit, ut alicujus Ecclesiae, seu cujusvis saecularis vel regularis beneficii, Montium Pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census ac jura, etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta seu quascumque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel alios vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum aut Laicorum, seu quacumque arte, aut quocumque quaesito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit, seu impedire, ne ab iis ad quos jure pertinent percipiantur; is anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus et redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositae personae, pervenerint, Ecclesiae ejusque administratori sive beneficiato integre restituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si ejusdem Ecclesiae Patronus fuerit; etiam jure patronatus, ultra praedictas poenas, eo ipso privatus existat. Clericus vero, qui nefandae fraudis et usurpationis hujusmodi fabricator seu consentiens fuerit, eisdem poenis subjaceat; nec non quibuscumque beneficiis privatus sit, et ad quaecumque alia beneficia inhabilis efficiatur; et a suorum Ordinum executione, etiam post integram satisfactionem et absolutionem, sui Ordinarii arbitrio suspendatur.

*Decretum super petitione concessionis Calicis.*

§. 342. Insuper, cum eadem sacrosancta Synodus superiori Sessione duos articulos alias propositos et tum nondum discussos, videlicet: An rationes, quibus sancta catholica Ecclesia adducta fuit, ut communicaret Laicos atque etiam non celebrantes Sacerdotes, sub „*una*“ panis specie, ita sint retinendae, ut nulla ratione Calicis usus cuiquam sit permittendus: et, An si honestis et christianae caritati consentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi vel regno Calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, et quaenam illae sint; in aliud tempus, oblata sibi occasione, exa-

VARIANTES.

§. 342. una tantum *Brix. Lov. 3. Vird. Rhem. Antv. 5. Col.*

minandos atque definiendos reservaverit; nunc eorum pro quibus petitur saluti optime consultum volens, decrevit, integrum negotium ad sanctissimum Dominum nostrum esse referendum, prout praesenti Decreto refert, qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod utile reipublicae christianae et salutare petentibus usum Calicis fore judicaverit.

*Indictio futurae Sessionis.*

§. 343. Insuper eadem sacrosancta Tridentina Synodus diem futurae Sessionis ad feriam quintam post octavam festivitatis omnium Sanctorum, qui erit dies XII. mensis Novemb. indicit; et in ea decernetur de Sacramento Ordinis, et de Sacramento Matrimonii, etc.

*Prorogata fuit Sessio usque ad d. XV. Jul. MDLXIII.*

## SESSIO VIGESIMA TERTIA,

### QUAE EST SEPTIMA SUB PIO IV. PONT. MAX.,

celebrata die XV. Julii M. D. LXIII.

*Vera et catholica doctrina de Sacramento Ordinis, ad condemnandos errores nostri temporis, a sancta Synodo Tridentina decreta et publicata Sessione septima.*

### CAPUT I.

*De institutione Sacerdotii novae legis.*

§. 344. Sacrificium et Sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit. Cum igitur in Novo Testamento sanctum Eucharistiae Sacrificium visibile ex Domini institutione catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile et externum Sacerdotium, in quod vetus translatum est (*Hebr. VII*, 12 *sqq.*). Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse; atque Apostolis eorumque Successoribus in Sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem ejus, necnon et peccata dimittendi et retinendi, Sacrae Literae (*Matth. XVI*, 19. *Marc. XIV*, 22—24. *Luc. XXII*, 19. 20. *Joh. XX*, 22. 23.) ostendunt, et catholicae Ecclesiae Traditio semper docuit.

### CAPUT II.

*De septem Ordinibus.*

§. 345. Cum autem divina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et

majore cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiae ordinatissima dispositione plures et diversi essent Ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent per minores ad majores adscenderent. Nam non solum de Sacerdotibus, sed et de Diaconis Sacrae Litterae apertam mentionem faciunt (1 *Tim. III*, 8. 9. 10. *Act. VI*, 5. *XXI*, 8.); et quae maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent; et ab ipso Ecclesiae initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistae, Lectoris et Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam Subdiaconatus ad majores Ordines a Patribus et sacris Conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus.

## CAPUT III.

*Ordinem vere et proprie esse Sacramentum.*

§. 346. Cum Scripturae testimonio, apostolica Traditione et Patrum unamini consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, quae verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem esse vere et proprie unum ex septem sanctae Ecclesiae Sacramentis. Inquit enim Apostolus (2 *Tim. I*, 6. *coll.* 1 *Tim. IV*, 14.): *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum: non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis.*

## CAPUT IV.

*De ecclesiastica Hierarchia et Ordinatione.* (§. 133.)

§. 347. Quoniam vero in Sacramento Ordinis, sicut et in Baptismo et Confirmatione character imprimitur, qui nec deleri nec auferri potest, merito sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt Novi Testamenti Sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite Ordinatos iterum Laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant. Quod si quis omnes Christianos promiscue Novi Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali praeditos affirmet; nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam Hierarchiam, quae est *ut castrorum acies ordinata (Cantic. VI*,3.), confundere: perinde ac si contra b. Pauli doctrinam (1 *Cor. XII*, 28 *sqq. Eph. IV*, 11.) omnes

Apostoli, omnes Prophetae, omnes Evangelistae, omnes Pastores, omnes sint Doctores. Proinde „*sacrosancta*" Synodus declarat, praeter ceteros ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere; et *positos*, sicut idem Apostolus *(Act. XX*, 28.*)* ait, *a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei;* eosque Presbyteris superiores esse; ac Sacramentum Confirmationis conferre; Ministros Ecclesiae ordinare; atque alia pleraque peragere ipsos posse; quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent.

§. 348. Docet insuper „*sacrosancta*" Synodus, in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum et ceterorum Ordinum nec populi, nec cujusvis saecularis potestatis et magistratus consensum, sive vocationem sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit Ordinatio: quin potius decernit, eos, qui tantummodo a populo aut saeculari potestate ac magistratu vocati et instituti ad haec ministeria exercenda ascendunt, et qui ea propria temeritate sibi sumunt; omnes non Ecclesiae Ministros, sed fures et latrones, per ostium non ingressos *(Jo. X*, 1.*)*, habendos esse. Haec sunt, quae generatim sacrae Synodo „*visum est*" Christi fideles „*de Sacramento Ordinis*" docere. His autem contraria, certis et propriis Canonibus in hunc qui sequitur modum damnare constituit; ut omnes adjuvante Christo fidei regula utentes, in tot errorum tenebris, catholicam veritatem facilius agnoscere et tenere possint.

## *De Sacramento Ordinis.*

## CANON I.

§. 349. Si quis dixerit, non esse in Novo Testamento Sacerdotium visibile et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi *(Matth. XVI*, 19. *Luc. XXII*, 19. 20.*)*; sed of-

VARIANTES.

§. 347. sancta *Rom. 2. 3. 4. 5. Antv. 3.*

§. 348. sancta *Rom. 2. 3. 4. 5. Antv. 3.*

visa sunt *Antv. 4.*

de sacrosancto Ordinis Sacram. *Antv. 3.*

ficium tantum et nudum ministerium praedicandi Evangelium; vel eos, qui non praedicant, prorsus non esse Sacerdotes; anathema sit.

### CANON II.

§. 350. Si quis dixerit, praeter Sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios Ordines, et majores et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur; anathema sit.

### CANON III.

§. 351. Si quis dixerit, Ordinem sive sacram Ordinationem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei et Sacramentorum; anathema sit.

### CANON IV. (§. 112.)

§. 152. Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde, frustra Episcopos dicere; *Accipe Spiritum sanctum;* aut per eam non imprimi characterem, vel eum, qui Sacerdos semel fuit, Laicum rursus fieri posse; anathema sit.

### CANON V.

§. 153. Si quis dixerit, sacram unctionem, qua Ecclesia in sancta Ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam et perniciosam esse; similiter et alias Ordinis caeremonias; anathema sit.

### CANON VI.

§. 354. Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris; anathema sit.

### CANON VII.

§. 355. Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse

cum Presbyteris communem, vel Ordines ab ipsis collatos sine populi vel potestatis saecularis consensu aut vocatione irritos esse; aut eos, qui nec ab „*ecclesiastica*" et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et Sacramentorum ministros; anathema sit.

## CANON VIII.

§. 356. Si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros Episcopos, sed figmentum humanum; anathema sit.

### *Decretum de reformatione.*

§. 357. Eadem sacrosancta Tridentina Synodus, reformationis materiam prosequens, haec quae sequuntur in praesenti decernenda esse statuit et decernit.

## CAPUT I.

*Rectorum Ecclesiarum in residendo negligentia varie coërcetur; animarum curae providetur.*
(§. 95 *sqq.* 134.)

§. 358. Cum praecepto divino (*Jo. X*, 14. *XXI*, 15—17. *Act. XX*, 28.) mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cetera munia pastoralia incumbere; quae omnia nequaquam ab iis praestari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt (*Jo. X*, 12. 13.): sacrosancta Synodus eos admonet et hortatur, ut divinorum praeceptorum memores, factique forma gregis (1 *Petr. V*, 2. 3.), in judicio et veritate pascant et regant.

§. 359. Ne vero ea, quae de residentia sancte et utiliter jam antea sub fel. rec. Paulo III. sancita fuerunt, in sensus a sacrosanctae Synodi mente alienos

VARIANTES.

§. 355. Ecclesia *Antv.* 3.

trahantur, ac si vigore illius Decreti quinque mensibus continuis abesse liceat; illis inhaerendo declarat sacrosancta Synodus, omnes patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis ac cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quocumque nomine et titulo praefectos, etiam si sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia vel Dioecesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur; neque abesse posse, nisi ex causis et modis infrascriptis. Nam cum christiana caritas, urgens neessitas, debita obedientia ac evidens Ecclesiae vel reipublicae utilitas aliquos nonnumquam abesse postulent et exigant; decernit eadem sacrosancta Synodus, has legitimae absentiae causas a beatissimo Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel, eo absente, suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas; nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus et reipublicae officium episcopatibus adjunctum; cujus quoniam causae sunt notoriae et interdum repentinae, ne eas quidem significari Metropolitano necesse erit: ad eundem tamen cum Concilio provinciali spectabit judicare de licentiis a se vel a Suffraganeo datis; et videre, ne quis eo jure abutatur, et ut poenis canonicis errantes puniantur.

§. 360. Interea meminerint discessuri, ita ovibus suis providendum, ut quantum fieri poterit ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant. Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt, sacrosancta Synodus vult, illud absentiae spatium singulis annis sive continuum sive interruptum, extra praedictas causas, nullo pacto debere duos aut ad summum tres menses excedere; et haberi rationem, ut id aequa ex causa fiat et absque ullo gregis detrimento: quod an ita sit, abscedentium conscientiae relinquit, quam sperat religiosam et timoratam fore; cum Deo corda pateant *(Ps. VII, 10.)*, cujus opus non fraudulenter agere *(Jerem. XLVIII, 10.)*, suo periculo tenentur.

§. 361. Eosdem interim admonet et in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium, Dominici Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item et Corporis Christi diebus, quibus refici maxime et in Domino gaudere Pastoris praesentia

oves debeant, ipsi ab Ecclesia sua cathedrali ullo pacto absint, nisi episcopalia munia in sua Dioecesi eos alio vocent.

§. 362. Si quis autem, quod utinam numquam eveniat, contra hujus Decreti dispositionem abfuerit; statuit sacrosancta Synodus praeter alias poenas adversus non residentes sub Paulo III. impositas et innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum, pro rata temporis absentiae fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse; sed teneri aut, ipso cessante, per Superiorem ecclesiaticum illos fabricae Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare: prohibita quacumque conventione vel compositione, quae pro fructibus male perceptis appellatur; ex qua etiam praedicti fructus in totum aut pro parte ei remitterentur: non obstantibus quibuscumque privilegiis cuicumque collegio aut fabricae concessis.

§. 363. „*Eadem omnino, etiam quoad culpam, amissionem fructuum, et poenas de curatis*" inferioribus, et aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent, sacrosancta Synodus declarat et decernit; ita tamen, ut quandocumque eos, causa prius per Episcopum cognita et probata abesse contigerit, Vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis gratisque concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant. Quod si per edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint; liberum esse vult Ordinariis, per censuras ecclesiasticas et sequestrationem et subtractionem fructuum, aliaque juris remedia etiam usque ad privationem, compellere; nec executionem hanc, quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione etiam ratione cujuscumque beneficii, pactione, statuto, etiam juramento vel quacumque auctoritate confirmato, consuetudine etiam immemorabili, quae potius corruptela censenda est, sive appellatione aut inhi-

VARIANTES.

§. 363. *In edit. Vird. et Rhem. legitur hoc modo:* Eadem omnino quae de Praelatorum superiorum residentia dicta sunt, Canone secundo capitis de residentia (etiam quoad culpam et amissionem fructuum et poenas) de curatis.

bitione, etiam in Romana Curia, vel vigore Eugenianae Constitutionis suspendi posse. Postremo, tam Decretum illud sub Paulo III., quam hoc ipsum in Conciliis provincialibus et episcopalibus publicari, sancta Synodus praecipit. Cupit enim, quae adeo ex Pastorum munere animarumque salute sunt, frequenter omnium auribus mentibusque infigi, ut in posterum, Deo juvante, nulla temporum injuria aut hominum oblivione aut desuetudine aboleantur.

## CAPUT II.

*Ecclesiis Praefecti Consecrationis munus intra tres menses suscipiant; Consecratio quo loco peragenda.*
(§. 143.)

§. 364. Ecclesiis cathedralibus seu superioribus quocumque nomine ac titulo Praefecti, etiam si sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales sint, si munus Consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur. Si intra totidem menses postea id facere neglexerint, Ecclesiis ipso jure sint privati. Consecratio vero, si extra Curiam Romanam fiat, in Ecclesia ad quam promoti fuerint, aut in provincia, si commode fieri poterit, celebretur.

## CAPUT III.

*Episcopi per se Ordines conferant.*

§. 365. Episcopi per semetipsos Ordines conferant. Quod si aegritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter, quam jam probatos et examinatos, ad alium Episcopum ordinandos dimittant.

## CAPUT IV.

*Qui prima Tonsura initiandi sint.*

§. 366. Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, et fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere et scribere nesciant, et de quibus probabilis conjectura non sit, eos non saecularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse.

## CAPUT V.

*Ordinandi, quibus conditionibus instructi esse debeant.*

§. 367. Ad *„minores Ordines“* Promovendi bonum a Parocho et a Magistro scholae, in qua educantur, testimonium habeant. Hi vero, qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante Ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum Ordinandorum natalibus, aetate, moribus et vita a fide dignis diligenter inquirat, et litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quamprimum transmittat.

## CAPUT VI.

*Aetas quatuordecim annorum ad beneficium ecclesiasticum requiritur. Quis privilegio fori gaudere debeat.*

§. 368. Nullus prima Tonsura initiatus aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus, ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere. Is etiam fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat aut clericalem habitum et Tonsuram deferens, alicui Ecclesiae ex mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versetur. In Clericis vero conjugatis servetur Constitutio Bonifacii VIII., (XVII) quae incipit: *Clerici, qui cum unicis;* modo hi Clerici alicujus Ecclesiae servitio vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiae serviant vel ministrent, et clericali habitu et tonsura utantur: nemini, quoad hoc, privilegio vel consuetudine etiam immemorabili suffragante.

## CAPUT VII.

*De examine Ordinandorum.*

§. 369. Sancta Synodus, antiquorum Canonum vestigiis inhaerendo, decernit, ut quando Episcopus Or-

VARIANTES.

§. 367. majores ordines *Rom. 5.*

dinationem facere disposuerit, omnes, qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam Ordinationem, vel quando Episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Episcopus autem, Sacerdotibus et aliis prudentibus viris, peritis divinae legis ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis sibi adscitis, Ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet.

## CAPUT VIII.

*Quomodo et a quo unusquisque promoveri debeat.*

§. 370. Ordinationes sacrorum Ordinum, statutis a jure temporibus, ac in cathedrali Ecclesia, vocatis „*praesentibusque*" ad id Ecclesiae Canonicis, publice celebrentur. Si autem in alio Dioecesis loco, praesente Clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Ecclesia semper adeatur. Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibus permittatur; nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, Ordinans a collatione Ordinum per annum, et Ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.

## CAPUT IX.

*Episcopus familiarem ordinans, conferat ei statim beneficium.*

§. 371. Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, et beneficium, quacumque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat: consuetudine quacumque etiam immemorabili in contrarium non obstante.

VARIANTES.

§. 370. praesidentibus *Lov. 3. Col.* praecedentibus *Antv. 5.* praesentibus *Rom. 1. — Lov. 2. Brix. Dil. Vird. Rhem. Antv. 3. 4.*

## CAPUT X.

*Episcopis inferiores Praelati Tonsuram vel minores Ordines ne conferant, nisi Regularibus sibi subditis; nec ipsi, aut Capitula quaecumque dimissorias concedant; contra facientes plectuntur. (§. 144.)*

§. 372. Abbatibus ac aliis quibuscumque quantumvis exemptis non liceat in posterum, intra fines alicujus Dioecesis consistentibus, etiam si nullius Dioecesis, vel „*exempta esse dicantur*", cuiquam qui regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, vel minores Ordines conferre: nec ipsi Abbates et alii exempti, aut Collegia vel Capitula quaecumque, etiam Ecclesiarum cathedralium, litteras dimissorias aliquibus Clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant. Sed horum omnium Ordinatio, servatis omnibus, quae in hujus „*sanctae*" Synodi Decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum Dioecesis fines existant, pertineat: non obstantibus quibusvis privilegiis, praescriptionibus aut consuetudinibus etiam immemorabilibus. Poenam quoque impositam his, qui contra hujus sanctae Synodi sub Paulo III. Decretum, a Capitulo episcopali, sede vacante, litteras dimissorias impetrant; ad illos, qui easdem litteras non a Capitulo, sed ab aliis quibusvis in jurisdictione Episcopi loco Capituli, sede vacante, succedentibus, obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimissorias contra formam Decreti, ab officio et beneficio per annum sint ipso jure suspensi.

## CAPUT XI.

*Interstitia in susceptione minorum Ordinum, et certa alia praecepta servanda.*

§. 373. Minores Ordines iis, qui saltem latinam linguam intelligant, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur; ut eo accuratius, quantum sit hujus disciplinae pondus, possint edoceri; ac in unoquoque munere, juxta praescriptum Episcopi, se exerceant; idque in ea, cui adscripti

VARIANTES.

§. 372. exempti esse dicantur, *Rom. 1. 2. 3. 4. 5. Antv. 3. 4. Ven. 2.*

sacrosanctae *Rom. 1. Brix. Dil. Vtrd. Rhvm. Lov. 2.*

erunt, Ecclesia, nisi forte ex causa studiorum absint; atque ita de gradu in gradum adscendant, ut in eis cum aetate vitae meritum et doctrina major accrescat. Quod et bonorum morum exemplum et assiduum in Ecclesia ministerium, atque major erga Presbyteros et superiores Ordines reverentia, et crebrior quam antea Corporis Christi communio maxime comprobabunt. Cumque hinc ad altiores gradus et sacratissima mysteria sit ingressus; nemo iis initietur, quem non scientiae spes majoribus Ordinibus dignum ostendat, Hi vero non nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum Ordinum ad sacros Ordines promoveantur, nisi necessitas aut Ecclesiae utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat.

## CAPUT XII.

*Aetas ad majores Ordines requïsita; digni dumtaxat assumendi.*

§. 374. Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum aetatis suae annum promoveatur. Sciant tamen Episcopi, non singulos in ea aetate constitutos debere ad hos ordines assumi, sed dignos dumtaxat et quorum probata vita senectus sit. Regulares quoque nec in minori aetate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis.

## CAPUT XIII.

*De conditionibus initiandorum Subdiaconatu et Diaconatu. Nulli Ordines sacri duo conferantur eodem die.*

§. 375. Subdiaconi et Diaconi ordinentur, habentes bonum testimonium (1 *Tim. III,* 7. 8.), et in minoribus Ordinibus jam probati, ac litteris et iis, quae ad Ordinem exercendum pertinent, instructi. Qui sperent Deo auctore se continere posse, Ecclesiis, quibus adscribentur, inserviant; sciantque maxime decere, si saltem diebus dominicis et solemnibus, cum altari ministraverint, sacram Communionem perceperint. Promoti ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem

in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, adscendere non permittantur. Duo sacri Ordines non eodem die, etiam Regularibus, conferantur, privilegiis ac indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscumque.

## CAPUT XIV.

### *Quinam ad Presbyteratum assumendi sint.*

§. 376. Qui pie et fideliter in ministeriis ante actis se gesserint, et ad Presbyteratus Ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium *(1 Tim. III, 7.)*, et hi sint, qui non modo in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiae utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraveriut, sed etiam ad populum docendum ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ministrandi Sacramenta, diligenti examine praecedente, *„comprobentur"*: atque ita pietate, ac castis moribus conspicui, ut praeclarum bonorum operum exemplum, et vitae monita ab eis possint expectari. Curet Episcopus, ut ii saltem diebus dominicis et festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent. Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.

## CAPUT XV.

### *Nullus Confessiones audiat, nisi ab Ordinario approbatus.*

§. 377. Quamvis Presbyteri in sua Ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam Regularem, posse Confessiones saecularium, etiam Sacerdotum, audire; nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtinet, privilegiis et consuetudine quacumque etiam immemorabili, non obstantibus.

VARIANTES.

§. 376. Idonei comprobentur *Rom. 2. 3. 4. 5. et Ven. 2.*

## CAPUT XVI.

*Qui ordinantur, certae Ecclesiae adscribantur.*

§. 378. Cum nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis; sancta Synodus, vestigiis sexti Canonis Concilii Chalcedonensis inhaerendo, statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiae aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. Quod si locum inconsulto „*Episcopo*" deseruerit; ei „*Sacrorum exercitium*" interdicatur. Nullus praeterea Clericus peregrinus sine commendatiis sui Ordinarii litteris ab ullo Episcopo ad Divina celebranda et Sacramenta administranda admittatur.

## CAPUT XVII.

*Ordinum minorum functiones exerceantur a constitutis in illis.*

§. 379. Ut sanctorum Ordinum a Diaconatu ad Ostiariatum functiones ab Apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptae, et pluribus in locis aliquamdiu intermissae, in usum juxta sacros Canones revocentur, nec ab Haereticis tamquam otiosae traducantur; illius pristini moris restituendi desiderio flagrans sancta Synodus decernit, ut in posterum hujuscemodi ministeria non nisi per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur, omnesque et singulos Praelatos Ecclesiarum in Domino hortatur et illis praecipit, ut quantum fieri commode poterit, in Ecclesiis cathedralibus, collegiatis et parochialibus suae Dioecesis, si populus frequens et Ecclesiae proventus id ferre queant, hujusmodi functiones curent restituendas, et ex aliqua parte reddituum aliquorum simplicium beneficiorum vel fabricae Ecclesiae, si proventus suppetant, aut utriusque illorum eas functiones exercentibus stipendia assignent: quibus si negligentes fuerint Ordinarii judicio, aut ex parte multari aut in totum privari possint. Quod si ministeriis quatuor minorum Ordinum exercendis Clerici caelibes praesto non

VARIANTES.

§. 378. Episcopo — *Antv. 3.*
sacrorum Ordinum exercitium *Vird. Rhem.*

erunt; suffici possint etiam conjugati, vitae probatae, dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei, et qui Tonsuram et habitum clericalem in Ecclesia gestent.

## CAPUT XVIII.

*Norma instituendi Seminarium Clericorum, eosque in ipso educandi.* (§. 27 *sqq.* 445.)

§. 380. Cum adolescentium aetas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas; et nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totus homines possideat, numquam perfecte ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica „*perseveret*": „*sancta Synodus*" statuit, ut singulae cathedrales, metropolitanae atque his majores Ecclesiae pro modo facultatum et Dioecesis amplitudine certum puerorum ipsius civitatis et Dioecesis vel ejus provinciae, si ibi non reperiantur, numerum in Collegio ad hoc prope ipsas Ecclesias, vel alio in loco convenienti ab Episcopo eligendo, alere ac religiose educare et ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur. In hoc vero Collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos et ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere et scribere competenter noverint, et quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros.

§. 181. Pauperum autem filios praecipue eligi vult; nec tamen ditiorum excludit, modo suo sumptu alantur, et studium prae se ferant Deo et Ecclesiae inserviendi. Hos pueros Episcopus in tot Classes, quot ei videbitur, divisos iuxta eorum numerum, aetatem ac in disciplina ecclesiastica progressum, partim cum ei opportunum videbitur, Ecclesiarum ministerio addicet; partim in Collegio erudiendos retinebit, aliosque in locum eductorum sufficiet: ita ut hoc Collegium Dei ministrorum perpetuum Seminarium sit. Ut vero in eadem disciplina ecclesiastica commodius instituantur, Tonsura statim atque habitu clericali semper utentur; grammatices, cantus,

VARIANTES.

§. 380. perseverat *Brix. Lov. 3. Antv. 3. 4. 5. Vird. Rhem. Col.* sacrosancta Syn. *Brix. Lov. 3. Antv. 4. 5. Vird. Rhem. Col.*

computi ecclesiastici aliarumque bonarum artium disciplinam discent; Sacram Scripturam, libros ecclesiasticos, homilias Sanctorum atque Sacramentorum tradendorum, maxime quae ad Confessiones audiendas videbuntur opportuna, et „*ritum*“ ac caeremoniarum formas ediscent. Curet Episcopus, ut singulis diebus Missae Sacrificio intersint; ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata; et juxta Confessoris judicium sumant corpus Domini nostri Jesu Christi; cathedrali, et aliis loci Ecclesiis diebus festis inserviant.

§. 382. Quae omnia, atque alia ad hanc rem opportuna et necessaria Episcopi singuli cum consilio duorum Canonicorum seniorum et graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus sanctus suggesserit, constituent; eaque ut semper observentur, saepius visitando operam dabunt. Discolos et incorrigibiles, ac malorum morum seminatores acriter punient, eos etiam si opus fuerit expellendo: omniaque impedimenta auferentes, quaecumque ad conservandum et augendum tam pium et sanctum institutum pertinere videbuntur, diligenter curabunt.

§. 383. Et quia ad Collegii fabricam instituendam, et ad mercedem praeceptoribus et ministris solvendam, et ad alendam juventutem, et ad alios sumptus certi redditus erunt necessarii; ultra ea, quae ad instituendos vel alendos pueros sunt in aliquibus Ecclesiis et locis destinata, quae eo ipso huic Seminario sub eadem Episcopi cura applicata censeantur: „*iidem Episcopi*“ cum consilio duorum „*de Capitulo*“, quorum alter ab Episcopo alter ab ipso Capitulo eligatur, itemque duorum de Clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad Clerum pertineat; ex fructibus integris mensae episcopalis et Capituli, et quarumcumque dignitatum, personatuum, officiorum, praebendarum, portionum, abbatiarum et prioratuum, cujuscumque ordinis etiam regularis, aut qualitatis vel conditionis fuerint, et hospitalium, quae dantur in titulum, vel administrationem, juxta Constitutionem

VARIANTES.

§. 381. rituum *Rom. 1. 2. 3. 4. 5. Brix. Ven. 2. Dil. Lov. 2. 3. Vird. Rhem. Antv. 3. 4. 5. Col.*

§. 383. idem Episcopus *Rom. 1. Brix. Dil. Lov. 3. Vird. Rhem. Antv. 3. 4. 5. Col.* idem episcopi *Ven. 2.*

a Capitulo *Brix. Lov. 3. Antv. 3. 4. 5. Col.*

Concilii Viennensis, quae incipit, *Quia contigit;* et beneficiorum quorumcumque etiam Regularium, etiam si juris patronatus cujuscumque fuerint, etiam si exempta, etiam si nullius Dioecesis vel aliis *„Ecclesiis, monasteriis et hospitalibus, et aliis"* quibusvis locis piis etiam exemptis annexa, et ex fabricis Ecclesiarum et aliorum locorum, etiam ex quibuscumque aliis ecclesiasticis redditibus seu proventibus, etiam aliorum Collegiorum: in quibus tamen Seminaria discentium vel docentium, ad commune Ecclesiae bonum promovendum actu non habentur: haec enim exempta esse voluit: praeterquam ratione redditsuum, qui superflui essent ultra convenientem ipsorum Seminariorum sustentationem, seu Corporum vel Confraternitatum, quae in nonnullis locis Scholae appellantur, et omnium Monasteriorum, non tamen mendicantium, etiam ex decimis quacumque ratione ad Laicos, ex quibus subsidia ecclesiastica solvi solent, et milites cujuscumque militiae aut ordinis, pertinentibus, fratribus S. Joannis Hierosolymitani dumtaxat exceptis, partem aliquam vel portionem detrahent: et eam portionem sic detractam, nec non beneficia aliquod simplicia cujuscumque qualitatis et dignitatis fuerint, vel etiam praestimonia vel praestimoniales portiones, etiam ante vacationem nuncupatas, sine cultus divini et illa obtinentium praejudicio, huic Collegio applicabunt et incorporabunt. Quod locum habeat, etiam si beneficia sint reservata vel affecta; nec per resignationem ipsorum beneficiorum, uniones et *„applicationes"* suspendi vel ullo modo impediri possint, sed omnino quacumque vacatione, etiam si in Curia, effectum suum sortiantur, quacumque constitutione non obstante.

§. 384. Ad hanc autem portionem solvendam, beneficiorum, dignitatum, personatuum et omnium et singulorum supra commemoratorum possessores, non modo pro se, sed pro pensionibus, quas aliis forsan ex dictis fructibus solverent, retinendo tamen pro rata, quidquid pro dictis pensionibus, illis erit solvendum, ab Episcopo loci per censuras ecclesiasticas, ac alia juris remedia compellantur; etiam vocato ad hoc, si videbitur,

VARIANTES.

§. 383. *verba:* ecclesiis, et aliis *absunt Rom. 5.* appellationes *Antv. 3.*

auxilio brachii saecularis: „*quibusvis, quoad omnia et singula supradicta, privilegiis, exemptionibus, etiam si specialem derogationem requirerent, consuetudine, etiam immemorabili*“, et quavis „*appellatione, et allegatione*“, quae executionem impediat, non obstantibus. Succedente vero casu, quo per uniones effectum suum sortientes, vel aliter Seminarium ipsum in totum vel in partem dotatum reperiatur; tunc portio ex singulis beneficiis ut supra detracta et incorporata ab Episcopo, prout res ipsa exegerit, in totum vel pro parte remittatur. Quod si cathedralium et aliarum majorum Ecclesiarum Praelati in hac Seminarii erectione ejusque conservatione negligentes fuerint, ac suam portionem solvere detrectaverint; Episcopum Archiepiscopus, Archiepiscopum et Superiores Synodus provincialis acriter corripere, eosque ad omnia supradicta cogere debeat; et ut quamprimum hoc sanctum et pium opus, ubicumque fieri poterit, promoveatur studiose curabit. Rationes autem reddituum hujus Seminarii Episcopus annis singulis accipiat, praesentibus duobus a Capitulo et totidem a Clero civitatis deputatis.

§. 385. Deinde ut cum minori impensa hujusmodi Scholis instituendis provideatur, statuit sancta Synodus, ut Episcopi, Archiepiscopi, Primates et alii locorum Ordinarii scholasterias obtinentes, et alios quibus est lectionis vel doctrinae munus annexum, ad docendum in ipsis scholis instituendos, per seipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneos substitutos, ab eisdem Scholasticis eligendos, et ab Ordinariis approbandos, „*etiam*“ per subtractionem fructuum, cogant et compellant. Quod si judicio Episcopi digni non fuerint; alium, qui dignus sit, „*nominent*“, omni appellatione remota. Quod si „*neglexerit*“; Episcopus ipse deputet. Docebunt autem

VARIANTES.

§. 384. *verba:* quibusvis, quoad - etiam immemorabili *absunt ab Antv. 3.*

appellatione, inhibitione et allegatione *Brix. Lov. 3. Vird. Rhem. Antv. 3. 4. 5. Col.*

§. 385. etiam *abest a Brix. Lov. 3. Antv. 3. 4.*

nominet *Brix. Lov. 3. Antv. 3. 4. 5. Col.*

neglexerint *editt. Rom. 1. 2. 3. 4. 5. Dil. Lov. 2. Vird. et Rhem.*

praedicti, quae videbuntur Episcopo expedire. De cetero vero officia vel dignitates illae, quae scholasteriae dicuntur, non nisi Doctoribus, vel Magistris, aut Licentiatis in sacra pagina, aut in jure canonico, et alias personis idoneis, et qui per se ipsos id munus explere possint, conferantur, et aliter facta provisio nulla sit et invalida: non obstantibus quibusvis privilegiis et consuetudinibus etiam immemorabilibus.

§. 386. Si vero in aliqua provincia Ecclesiae tanta paupertate laborent, ut Collegium in aliquibus erigi non possit; Synodus provincialis vel „*metropolitana*" cum duobus antiquioribus Suffraganeis in Ecclesia metropolitana, vel alia provinciae Ecclesia commodiori unum aut plura Collegia, prout opportunum judicabit, ex fructibus duarum aut plurium Ecclesiarum, in quibus singulis Collegium commode institui non potest, „*erigenda*" curabit, ubi pueri illarum Ecclesiarum educentur.

§. 387. In Ecclesiis autem amplas Dioeceses habentibus possit Episcopus unum vel plura in Dioecesi, prout sibi opportunum videbitur, habere Seminaria, quae tamen ab illo uno, quod in civitate erectum et constitutum fuerit, in omnibus dependeant.

§. 388. Postremo si vel pro unionibus, seu pro portionum taxatione vel assignatione et incorporatione, aut qualibet alia ratione difficultatem aliquam oriri contigerit, ob quam hujus Seminarii institutio vel conservatio impediretur aut perturbaretur: Episcopus cum supra deputatis, vel Synodus provincialis pro regionis more, pro Ecclesiarum et beneficiorum qualitate, etiam suprascripta, si opus fuerit, „*moderando*" aut augendo, omnia et singula, quae ad felicem hujus Seminarii profectum necessaria et opportuna videbuntur, decernere ac providere valeat.

### *Indictio futurae Sessionis.*

§. 389. Insuper, eadem sacrosancta Tridentina Synodus proximam futuram Sessionem in diem decimam

VARIANTES.

§. 386. Metropolitanus *Rom. 1. 2. 3. 4. 5. Ven. 2.*
erigendum *Brix. Lov. 3. Antv. 3. 4. 5. Col.*

§. 388. mutando *Antv. 3.*

sextam mensis Septembris indicit; in qua agetur de Sacramento Matrimonii et de aliis, si qua erunt ad doctrinam fidei pertinentia, quae expediri possint: item de Provisionibus episcopatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, ac de diversis reformationis articulis.

*Prorogata fuit Sessio ad diem XI. Nov. M. D. LXIII.*

## SESSIO VIGESIMA QUARTA,

### QUAE EST OCTAVA SUB PIO IV. PONT. MAX.,

celebrata die XI. Nov. M. D. LXIII.

### *Doctrina de Sacramento Matrimonii.*

§. 390. Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit *(Gen. II, 23. 24. Eph. V, 29. 31.)*: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una (Matth. XIX, 5.)*

§. 391. Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari et conjungi Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba, tamquam a Deo prolata, referens dixit *(Matth. XIX, 6. Marc. X, 7. 8. 9.)*: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro;* statimque ejusdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronuntiatam, his verbis confirmavit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

§. 392. Gratiam vero, quae naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit. Quod Paulus Apostolus innuit dicens *(Eph. V, 25. 32.)*: *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea:* mox subjungens: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.*

§. 393. Cum igitur Matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis per Christum „*gratia*" praestet;

VARIANTES.

§. 393. gratiam *Rom. 1. Lov. 2. 3. Dil. Antv. 4. 5. Col.*

merito inter novae legis Sacramenta annumerandum, sancti Patres nostri, Concilia et universalis Ecclesiae Traditio semper docuerunt: adversus quam impii homines hujus saeculi insanientes non solum perperam de hoc venerabili Sacramento senserunt, sed de more suo praetextu Evangelii libertatem carnis introducentes, multa ab Ecclesiae catholicae sensu, et ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena, scripto et verbo asseruerunt, non sine magna Christi fidelium jactura: quorum temeritati sancta et universalis Synodus cupiens occurrere, insigniores praedictorum schismaticorum haereses et errores, ne plures ad se trahat perniciosa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipsos Haereticos eorumque errores decernens anathematismos.

### *De Sacramento Matrimonii.*

### CANON I.

§. 394. Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus *„in Ecclesia inventum"*, neque gratiam conferre; anathema sit.

### CANON II.

§. 395. Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores et hoc nulla lege divina esse prohibitum; anathema sit.

### CANON III.

§. 396. Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui Levitico *(Cap. XVIII, 6 sqq.)* exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare aut constituere, ut plures impediant et dirimant; anathema sit.

### CANON IV.

§. 397. Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit.

VARIANTES.

§. 394. in Ecclesiam invectum *Rom. 1. Lov. 2. 3. Dil. Vird. Rhem. Antv. 4. 5. Col.*

## CANON V.

§. 398. Si quis dixerit, propter haeresim aut molestam cohabitationem aut affectatam absentiam a conjuge dissolvi posse Matrimonii vinculum; anathema sit.

## CANON VI.

§. 399. Si quis dixerit, Matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi; anathema sit.

## CANON VII.

§. 400. Si quis dixerit, Ecclesiam errare cum docuit et docet juxta evangelicam et apostolicam doctrinam (*Matth. XIX,* 9. *Luc. XVI,* 18. 1 *Cor. VII,* 11.), propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi; et utrumque, vel etiam innocentem qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente aliud Matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit; anathema sit.

## CANON VIII.

§. 401. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad thorum seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus, fieri posse decernit; anathema sit.

## CANON IX.

§. 402. Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege ecclesiastica vel voto, et oppositum nil aliud esse, quam damnare Matrimonium; posseque omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiam si eam voverint, habere donum; anathema sit; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari.

## CANON X.

§. 403. Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel coelibatus, et non

esse melius, ac beatius manere in virginitate aut coelibatu, quam jungi matrimonio; anathema sit.

## CANON XI.

§. 404. Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab Ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones et alias caeremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit; anathema sit.

## CANON XII.

§. 405. Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos; anathema sit.

### *Decretum de reformatione Matrimonii.*

## CAPUT I.

*Matrimonii solemniter contrahendi forma in Concilio Lateranensi praescripta innovatur; quoad proclamationes dispensare possint Episcopi. Qui aliter, quam praesentibus Parocho et duobus vel tribus testibus contrahit, invalide contrahit.*

§. 406. Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; et proinde jure damnandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant; quique falso affirmant, matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse: nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit. Verum cum sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse, et gravia peccata perpendat, quae ex eisdem clandestinis conjugiis ortum habent, praesertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta cum alia palam contrahunt et cum ea in perpetuo adulterio vivunt.

§. 407. Cui malo cum ab Ecclesia, quae de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius

aliquod remedium adhibeatur: idcirco sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhaerendo praecipit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiae procedatur; ubi Parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: *Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provinciae ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denuntiationes; tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem Parocho et duobus vel tribus testibus praesentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant; ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur: nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut praedictae denuntiationes remittantur: quod illius prudentiae et judicio sancta Synodus relinquit.

§. 408. Qui aliter, quam praesente Parocho vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus „*testibus*" matrimonium contrahere attentabunt; eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit; et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti Decreto irritos facit et annullat. Insuper Parochum vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero, et testes, qui sine Parocho vel Sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri praecipit.

§. 409. Praeterea eadem sancta Synodus hortatur, ut conjuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent; statuitque benedictionem a proprio Parocho fieri: neque a quoquam, nisi ab ipso Parocho vel ab Ordinario licentiam ad praedictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti

VARIANTES.

§. 408. testibus — *Vird. Rhem. Lov. 3. Antv. 5. Col.*

concedi posse, quacumque consuetudine etiam immemorabili, quae potius corruptela dicenda est, vel privilegio non obstante. Quod si quis Parochus vel alius Sacerdos, sive regularis sive saecularis sit, etiam si id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos sine illorum parochiae licentia matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio interesse debebat seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.

§. 410. Habeat Parochus librum, in quo conjungum et testium nomina diemque et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat. Postremo sancta Synodus conjuges hortatur, ut antequam contrahant vel saltem triduo ante matrimonii consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, et ad sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pie accedant. Si quae provinciae aliis ultra praedictas laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri sancta Synodus vehementer optat.

§. 411. Ne vero haec tam salubria praecepta quemquam lateant, Ordinariis omnibus praecipit, ut quam primum poterint curent, hoc Decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum dioecesum parochialibus Ecclesiis; idque in primo anno quam saepissime fiat. Deinde vero quoties expedire viderint. Decernit insuper, ut hujusmodi Decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die prima publicationis, in eadem parochia factae, numerandos.

## CAPUT II.

### *Inter quos Cognatio spiritualis contrahatur.*

§. 412. Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel „*non sine magno peccato*“ perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque sancta Synodus huic incommodo providere, et a cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantum sive vir sive mulier

VARIANTES.

§. 412. non *abest a Ven. 2.*

juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus et una Baptizatum de Baptismo suscipiant; inter quos ac Baptizatum ipsum et illius patrem et matrem, nec non inter Baptizantem et Baptizatum, Baptizatique patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis ad quos spectabit sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut Baptizatum de sacro fonte suscipiant; et eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina describat; doceatque eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. Quod si alii, ultra designatos, Baptizatum „*tetigerint*“; cognationem spiritualem nullo pacto contrahant; Constitutionibus in contrarium facientibus non obstantibus, si Parochi culpa vel negligentia secus factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniatur. Ea quoque cognatio, quae ex Confirmatione contrahitur, Confirmantem et Confirmatum, illiusque patrem et matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.

## CAPUT III.

*Publicae honestatis impedimentum certis limitibus coërcetur.*

§. 413. Justitiae publicae honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant; quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.

## CAPUT IV.

*Affinitas ex fornicatione ad secundum gradum restringitur.*

§. 414. Praeterea sancta Synodus eisdem et aliis gravissimis de causis adducta, impedimentum quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, et matrimonium postea factum dirimit; ad eos tantum qui in primo et secundo gradu conjunguntur restringit. In ul-

VARIANTES.

§. 412. detigerint *Antv. 5. et Col.*

terioribus vero gradibus statuit, hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere.

## CAPUT V.

*Ne quis intra gradus prohibitos contrahat; qua ratione in illis dispensandum.*

§. 415. Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere praesumpserit, separetur et spe dispensationis consequendae careat; idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur poenis. Non enim dignus est, qui Ecclesiae benignitatem facile experiatur, cujus salubria praecepta temere contempsit. Si vero solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit; tunc facilius cum eo et gratis dispensari poterit. In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio vel raro, idque ex causa et gratis concedatur. In secundo gradu numquam dispensetur, nisi inter magnos Principes et ob publicam causam.

## CAPUT VI.

*In Raptores animadvertitur.*

§. 416. Decernit sancta Synodus, inter Raptorem et Raptam, quamdio ipsa in potestate Raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si Rapta a Raptore separata et in loco tuto et libero constituta, illum in virum habere consenserit; eam Raptor in uxorem habeat; et nihilominus Raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes, sint ipso jure excommunicati ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces et, si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur praeterea Raptor mulierem raptam, sive eam in uxorem duxerit sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.

## CAPUT VII.

*Vagi caute matrimonio jungendi.*

§. 417. Multi sunt, qui vagantur et incertas habent

sedes, et, ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta, aliam et plerumque plures illa vivente diversis in locis ducunt. Cui morbo cupiens sancta Synodus occurrere, omnes ad quos spectat paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipiant: magistratus etiam saeculares hortatur, ut eos severe coërceant; Parochis autem praecipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.

## CAPUT VIII.

*Concubinatus gravissime punitur.*

§. 418. Grave peccatum est, homines solutos concubinas habere, gravissimum vero, et in hujus magni Sacramenti singularem contemptum admissum, uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi, etiam cum uxoribus alere et retinere. Quare, ut huic tanto malo sancta Synodus opportunis remediis provideat, statuit hujusmodi concubinarios, tam solutos quam uxoratos, cujuscumque status, dignitatis et conditionis existant, si postquam ab Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint seque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommunicatione feriendos esse, a qua non absolvantur, donec re ipsa admonitioni factae paruerint. Quod sic in concubinatu per annum censuris neglectis permanserint; contra eos ab Ordinario severe pro qualitate criminis procedatur. Mulieres, sive conjungatae sive solutae, quae cum adulteris seu concubinariis publice vivunt, si ter admonitae non paruerint, ab Ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpae puniantur; et extra oppidum vel dioecesim, si id eisdem Ordinariis videbitur, invocato si opus fuerit brachio saecularii ejiciantur: aliis poenis contra adulteros et concubinarios inflictis in suo robore permanentibus.

## CAPUT IX.

*Ne Domini temporales aut Magistratus quidquam libertati matrimonii contrarium moliantur.* (§. 142.)

§. 419. Ita plerumque temporalium Dominorum ac Magistratuum mentis oculos terreni affectus atque cupi-

ditates excaecant, ut viros et mulieres, sub eorum jurisdictione degentes, maxime divites vel spem magnae hereditatis habentes, minis et poenis adigant cum iis matrimonium invitos contrahere, quos ipsi Domini vel Magistratus illis praescripserint. Quare cum maxime nefarium sit, matrimonii libertatem violare, et ab eis injurias nasci, a quibus jura expectantur; praecipit sancta Synodus omnibus, cujuscumque gradus, dignitatis et conditionis existant, sub anathematis poena, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios cogant, quo minus libere matrimonia contrahant.

## CAPUT X.

*Nuptiarum solemnitates certis temporibus prohibentur.*

§. 420. Ab adventu Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniae, et a feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta Synodus praecipit: in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit: quas Episcopi, ut ea qua decet modestia et honestate fiant, curabunt. Sancta enim res est matrimonium et sancte tractandum.

*Decretum de reformatione.*

§. 421. Eadem sacrosancta Synodus, reformationis materiam prosequens, haec in praesenti Sessione statuenda decernit:

## CAPUT I.

*Norma procedendi ad creationem Episcoporum et Cardinalium. (§. 95 sqq.)*

§. 422. Si in quibuslibet Ecclesiae gradibus providenter scienterque curandum est, ut in Domini domo nihil sit inordinatum nihilque praeposterum; multo magis elaborandum est, ut in electione ejus, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur. Nam totius familiae Domini status et ordo nutabit, si quod requiritur in corpore non inveniatur in capite. Unde etsi alias sancta Synodus de promovendis ad cathedrales et superiores Ecclesias nonnulla utiliter decrevit: hoc tamen munus

hujusmodi esse censet, ut si pro rei magnitudine expendatur, numquam satis cautum de eo videri possint. Itaque statuit, ut cum primum Ecclesia vacaverit, supplicationes ac preces publice privatimque habeantur, atque a Capitulo per civitatem et dioecesim indicantur; quibus Clerus Populusque bonum a Deo pastorem valeat impetrare. Omnes vero et singulos, qui ad promotionem praeficiendorum, quodcumque jus quacumque ratione a Sede apostolica habent, aut alioquin operam suam praestant, nihil in iis pro praesenti temporum ratione innovando, hortatur et monet, ut in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam et Populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores et Ecclesiae gubernandae idoneos promoveri studeant; eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores et Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis praefici diligenter curaverint; et quos ex legitimo matrimonio natos, et vita, aetate, doctrina atque aliis omnibus qualitatibus praeditos sciant, quae juxta sacros Canones, et Tridentinae hujus Synodi Decreta requiruntur.

§. 423. Quoniam vero in sumendo de praedictis omnibus qualitatibus gravi, idoneoque bonorum et doctorum virorum testimonio, non uniformis „*ratio ubique ex nationum, populorum, ac morum varietate potest adhiberi*“; mandat sancta Synodus, ut in provinciali Synodo per Metropolitanum habenda, praescribatur quibusque locis et provinciis propria examinis seu inquisitionis aut instructionis faciendae forma, sanctissimi Romani Pontificis arbitrio approbanda, quae magis eisdem locis utilis atque opportuna esse videbitur: ita tamen, ut cum deinde hoc examen seu inquisitio de persona promovenda perfecta fuerit; ea in instrumentum publicum redacta, cum toto testimonio ac professione fidei ab eo facta, quamprimum ad sanctissimum Romanum Pontificem omnino transmittatur: ut ipse summus Pontifex, plena totius negotii ac personarum notitia habita, pro gregis dominici commodo de illis, si idonei per examen seu per inquisitionem factam reperti fuerint, Ecclesiis possit utilius providere.

VARIANTES.

§. 423. ubique — regula potest adhiberi *Lov. 3. Vird. Rhem. Anlv. 4. 5. Col.*

§. 424. Omnes vero inquisitiones, informationes, testimonia ac probationes, quaecumque de promovendi qualitatibus, et Ecclesiae statu a quibuscumque, etiam in Romana Curia, habitae, per Cardinalem, qui relationem facturus erit in Consistorio, et alios tres Cardinales diligenter examinentur; ac relatio ipsa Cardinalis relatoris et trium Cardinalium subscriptione roboretur: in qua ipsi singuli quatuor Cardinales affirment, se adhibita accurata diligentia invenisse promovendos qualitatibus a jure et ab hac sancta Synodo requisitis praeditos; ac certo existimare sub periculo salutis externae idoneos esse, qui Ecclesiis praeficiantur: ita ut relatione in uno Consistorio facta, quo maturius interea de ipsa inquisitione cognosci possit, in aliud Consistorium judicium differatur; nisi aliud beatissimo Pontifici videbitur expedire.

§. 425. Ea vero omnia et singula, quae de Episcoporum praeficiendorum vita, aetate, doctrina et caeteris qualitatibus alias in eadem Synodo constituta sunt, decernit eadem, etiam in creatione sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, etiam si Diaconi sint, exigenda; quos sanctissimus Romanus Pontifex ex omnibus christianitatis nationibus, quantum commode fieri poterit, prout idoneos repererit, assumet. Postremo eadem sancta Synodus, tot gravissimis Ecclesiae incommodis commota, non potest non commemorare, nihil magis Ecclesiae Dei esse necessarium, quam ut beatissimus Romanus Pontifex, quam solicitudinem universae Ecclesiae ex muneris sui officio debet, eam hic protissimum impendat, ut lectissimos tantum sibi Cardinales adsciscat; et bonos maxime atque idoneos Pastores singulis Ecclesiis praeficiat; idque eo magis, quod ovium Christi sanguinem, quae ex malo negligentium et sui officii immemorum Pastorum regimine peribunt, Dominus noster Jesus Christus de manibus ejus sit requisiturus *(Ezech. III,* 18. *XXXIII,* 8. *Act. XX,* 26.*)*.

## CAPUT II.

*Synodus provincialis quolibet triennio, dioecesana quotannis celebrentur; qui eas cogere, quive illis interesse debeant.*

§. 426. Provincialia Concilia, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, con-

troversiis componendis aliisque ex sacris Canonibus permissis renoventur. Quare Metropolitani per se ipsos, seu illis legitime impeditis Coëpiscopus antiquior intra annum ad minus a fine praesentis Concilii, et deinde quolibet saltem triennio post octavam Paschae resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, seu alio commodiori tempore pro more provinciae non praetermittat, Synodum in provincia sua cogere: quo Episcopi omnes, et alii, qui de jure vel consuetudine interesse debent, exceptis his, quibus cum imminenti periculo transfretandum esset, convenire omnino teneantur. Nec Episcopi comprovinciales praetextu cujuslibet consuetudinis ad metropolitanam Ecclesiam in posterum accedere inviti compellantur. Itidem Episcopi, qui nulli Archiepiscopo subjiciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum semel eligant, in cujus Synodo provinciali cum aliis interesse debeant; et quae ibi ordinata fuerint observent ac observari faciant. In reliquis omnibus eorum exemptio et privilegia salva atque integra maneant.

§. 427. Synodi quoque dioecesanae quotannis celebrentur: ad quas exempti etiam omnes, qui alias cessante exemptione interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur, ratione tamen parochialium aut aliorum saecularium Ecclesiarum etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt quicumque illi sint, Synodo interesse. Quod si in his tam Metropolitani, quam Episcopi et alii suprascripti negligentes fuerint; poenas sacris Canonibus sancitas incurrant.

## CAPUT III.

*Qua ratione Visitatio ab Episcopis facienda. (§. 182.)*

§. 428. Patriarchae, Primates, Metropolitani et Episcopi propriam dioecesim per se ipsos, aut, si legitime impediti fuerint, per suum generalem Vicarium aut Visitatorem, si quotannis totam propter ejus latitudinem visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen, ut tota biennio per se vel Visitatores suos compleatur, visitare non praetermittant. A Metropolitanis vero, etiam post plene visitatam propriam dioecesim, non visitentur cathedrales Ecclesiae, neque dioeceses suorum comprovincialium, nisi causa cognita et probata in Concilio provinciali. Archidiaconi autem,

Decani et alii inferiores in iis Ecclesiis, ubi hactenus visitationem exercere legitime consueverunt, debeant quidem assumpto Notario de consensu Episcopi deinceps per seipsos tantum ibidem visitare. Visitatores etiam a Capitulo deputandi, ubi Capitulum jus visitandi habet, prius ab Episcopo approbentur: sed non ideo Episcopus, vel eo impedito ejus Visitator easdem Ecclesias seorsum ab his visitare prohibeatur: cui ipsi Archidiaconi vel alii inferiores, visitationis factae infra mensem rationem reddere, et depositiones testium ac integra acta ei exhibere teneantur: non obstantibus quacumque consuetudine etiam immemorabili, atque exemptionibus et privilegiis quibuscumque.

§. 429. Visitationum autem omnium istarum praecipuus sit scopus, sanam, orthodoxamque doctrinam, expulsis haeresibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus ad religionem, pacem innocentiamque accendere; cetera, prout locus, tempus et occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere. Quae ut facilius feliciusque succedant; monentur praedicti omnes et singuli ad quos visitatio spectat, ut paterna caritate, christianoque zelo omnes amplectantur; ideoque modesto contenti equitatu, famulatuque studeant quam celerrime, „*debita tamen cum diligentia*", visitationem ipsam absolvere. Interimque caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosive sint; neve ipsi aut quisquam suorum quidquam procurationis causa pro visitatione, etiam testamentorum ad pios usus, praeter id, quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine nec pecuniam nec munus quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant: non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili: exceptis tamen victualibus, quae sibi ac suis frugaliter moderateque pro „*temporis tantum*" necessitate, et non ultra erunt ministranda. Sit tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere, id quod erat „*ab ipsis*" antea solvi, certa pecunia taxata, consuetum: an vero praedicta

VARIANTES.

§. 429. debita tamen cum reverentia *Vird. Rhem. Lov. 3. Antv. 4. 5. Col.*

temporis tamen *Vird. Rhem. Lov. 3. Antv. 4. 5. Col.*

ab — *in Vird. Rhem.*

victualia subministrare: salvo idem jure conventionum antiquarum cum monasteriis aliisve piis locis aut Ecclesiis non parochialibus inito, quod illaesum permaneat.

§. 430. In his vero locis seu provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia nec pecunia nec quidquam aliud a Visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant; ibi id observetur. Quod si quisquam, quod absit, aliquid amplius in supradictis omnibus casibus accipere praesumserit, is praeter dupli restitutionem intra mensem faciendam, aliis etiam poenis juxta Constitutionem Concilii generalis Lugdunensis, quae incipit: *Exigit*, (XVIII) nec non et aliis poenis in Synodo provinciali arbitrio Synodi absque ulla spe veniae multetur. Patroni vero in iis, quae ad Sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se praesumant ingerere; neque visitationi ornamentorum Ecclesiae aut bonorum stabilium seu fabricarum proventibus immisceant; nisi quatenus id eis ex institutione ac fundatione competat; sed Episcopi ipsi haec faciant, et fabricarum redditus in usus Ecclesiae necessarios et utiles, prout sibi expedire magis visum fuerit, expendi curent.

## CAPUT IV.

*Praedicationis munus a quibus et quando obeundum; Ecclesia parochialis ad audiendum verbum Dei adeunda. Nullus contradicente Episcopo praedicet.* (§. 34 *sqq.*)

§. 431. Praedicationis munus, quod Episcoporum praecipuum est, cupiens sancta Synodus, quo frequentius possit ad fidelium salutem exerceri; Canones alias super hoc editos sub fel. rec. Paulo III., aptius praesentium temporum usui accommodando, mandat, ut in Ecclesia sua ipsi per se, aut, si legitime impediti fuerint, per eos quos ad praedicationis munus assument, „*in aliis autem Ecclesiis, per Parochos, sive iis impeditis per alios ab Episcopo impensis eorum, qui eas praestare vel tenentur vel solent, deputandos*“ in civitate, aut in quacumque parte dioecesis censebunt expedire, saltem omnibus Dominicis et solemnibus diebus festis: tempore autem Jejuniorum, Quadragesimae et Ad-

VARIANTES.

§. 431. *verba:* in aliis — deputandos *absunt a Vird. et Rhem.*

ventus Domini quotidie; vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, sacras Scripturas divinamque legem annuntient; et alias, quotiescumque id opportune fieri posse judicaverint. Moneatque Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.

§. 432. Nullus autem saecularis sive regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo praedicare praesumat. „*Iidem etiam*" saltem dominicis et aliis festivis diebus pueros in singulis parochiis fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt, et si opus sit etiam per censuras ecclesiasticas compellent; non obstantibus privilegiis et consuetudinibus. In reliquis ea, quae de praedicationis munere sub eodem Paulo III. decreta fuerunt, suum robur obtineant.

## CAPUT V.

*Causae criminales contra Episcopos majores a solo summo Pontifice, minores a Concilio provinciali cognoscantur.* (§. 188.)

§. 433. Causae criminales graviores contra Episcopos, etiam haeresis, quod absit, quae depositione aut privatione dignae sunt, ab ipso tantum summo Romano Pontifice cognoscantur et terminentur. Quod si ejusmodi sit causa, quae necessario extra Romanam Curiam sit committenda, nemini prorsus ea committatur, nisi Metropolitanis aut Episcopis a beatissimo Papa eligendis. Haec vero commissio et specialis sit et manu ipsius sanctissimi Pontificis signata, nec umquam plus his tribuat, quam ut solam facti instructionem sumant processumque conficiant, quem statim ad Romanum Pontificem transmittant; reservata eidem Sanctissimo sententia definitiva. Cetera alias sub fel. rec. Julio III. super his Decreta, nec non et Constitutio sub Innocentio III. in Concilio generali, quae incipit: *Qualiter et quando (XIX)*, quam sancta Synodus in praesenti innovat, ab omnibus observetur. Minores vero criminales

VARIANTES.

§. 431. Iidem etiam Episcopi *Vird. Rhem. Lov. 3. Antv. 4. 5. Col.*

causae Episcoporum in Concilio tantum provinciali cognoscantur et terminentur, vel a deputandis per Concilium provinciale.

## CAPUT VI.

*Episcopus quando et quomodo possit absolvere a crimine et dispensare in irregularitate et suspensione.* (§. 211.)

§. 434. Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare; et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in dioecesi sua per seipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Idem et in haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantum, non eorum Vicariis, sit permissum.

## CAPUT VII.

*Sacramentorum virtus, antequam populo administrentur, ab Episcopis et Parochis explicetur; inter Missarum solemnia sacra eloquia explanentur.*

§. 435. Ut fidelis populus ad suscipienda Sacramenta majori cum reverentia atque animi devotione accedat, praecipit sancta Synodus Episcopis omnibus, ut non solum cum haec per seipsos erunt populo administranda, prius illorum vim et usum pro suscipientium captu explicent, sed etiam idem a singulis Parochis pie prudenterque, etiam lingua vernacula si opus sit et commode fieri poterit, servari studeant, juxta formam a sancta Synodo in Catechesi singulis Sacramentis praescribendam; quam Episcopi in vulgarem linguam fideliter verti atque a Parochis omnibus populo exponi curabunt: necnon ut inter Missarum solemnia aut divinorum celebrationem, sacra eloquia et salutis monita eadem vernacula lingua singulis diebus festis vel solemnibus explanent; eademque in omnium cordibus, postpositis inutilibus quaestionibus, inserere atque eos in lege Domini erudire studeant.

## CAPUT VIII.

*Publice peccantibus publica poenitentia injungatur, nisi Episcopo aliter videatur. Poenitentiarius in Cathedralibus instituendus.*

§. 436. Apostolus monet, publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice et in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum; huic condignam pro modo culpae poenitentiam publice injungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suae emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicae hoc poenitentiae genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire. In omnibus etiam cathedralibus Ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, Poenitentiarius aliquis cum unione praebendae proxime vacaturae ab Episcopo instituatur, qui Magister sit vel Doctor aut Licentiatus in theologia vel jure canonico et annorum quadraginta, seu alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur; qui dum confessiones in Ecclesia audiet, interim praesens in choro censeatur.

## CAPUT IX.

*A quo visitari debeant Ecclesiae saeculares nullius dioecesis.*

§. 437. Quae alias sub fel. rec. Paulo III., et nuper sub beatissimo Domino nostro, Pio IV., in hoc eodem Concilio de adhibenda ab Ordinariis diligentia in beneficiorum etiam exemptorum visitatione constituta sunt; eadem etiam in iis Ecclesiis saecularibus observentur, quae in nullius dioecesi esse dicuntur; ut ab Episcopo, cujus cathedralis Ecclesia est proximior, „*si id possit*“, alioquin ab eo, qui semel in Concilio provinciali a Praelato loci illius electus fuerit, tamquam Sedis apostolicae delegato, visitentur: non obstantibus privilegiis et consuetudinibus quibuscumque etiam immemorabilibus.

VARIANTES.

§. 436. si id constet *Rom. 2. 3. 4. 5. Ven. 2.*

## CAPUT X.

*Ubi agitur de visitatione aut morum correctione, nullâ Decretorum suspensio admittitur.*

§. 438. Episcopi, ut aptius quem regunt populum possint in officio atque obedientia continere, in omnibus iis, quae ad visitationem ac morum correctionem subditorum suorum spectant, jus et potestatem habeant, etiam tamquam apostolicae Sedis delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi et exequendi juxta Canonum sanctiones, quae illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione ac dioecesis suae utilitate necessaria videbuntur. Nec in his, ubi de visitatione aut morum correctione agitur, exemptio aut ullâ inhibitio, appellatio seu querela, etiam ad Sedem apostolicam interposita, executionem eorum, quae ab his mandata, decreta aut judicata fuerint, quoquo modo impediat aut suspendat.

## CAPUT XI.

*Honorarii tituli aut privilegia particularia juri Episcoporum nihil detrahant.*

§. 439. Quoniam privilegia et exemptiones, quae variis titulis plerisque conceduntur, hodie perturbationem in Episcoporum jurisdictione excitare et exemptis occasionem laxioris vitae praebere dignoscuntur; decernit sancta Synodus, ut si quando justis, gravibus et fere necessariis suadentibus causis, aliquos honorariis titulis Protonotariatus, Acolythatus, Comitis palatini, Capellani regii aut aliis hujusmodi in Romana Curia vel extra insignibus decorandos esse placuerit; necnon alios, cuicumque monasterio oblatos vel quomodocumque addictos, aut sub nomine servientium Militiis, seu monasteriis, hospitalibus, collegiis, aut quocumque alio titulo assumi, nihil ex iis privilegiis detractum esse Ordinariis intelligatur, quo minus ii, quibus ea jam concessa sunt vel in posterum concedi contigerit, ipsis Ordinariis, tamquam apostolicae Sedis delegatis, plene in omnibus, et quoad Cappellanos regios, juxta Constitutionem Innocentii III., quae incipit: *Cum Capella (XX)*, subjecti existant; exceptis tamen iis, qui praedictis locis aut Militiis actu serviunt, et intra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia vivunt; sive iis, qui

legitime et secundum regulam earumdem Militiarum professionem fecerint, de qua Ordinario constare debeat; non obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam religionis sancti Joannis Hierosolymitani, et aliarum Militiarum. Quae vero privilegia residentibus in Curia Romana vigore Eugenianae Constitutionis, aut familiaritatis Cardinalium competere solent; ea in iis, qui beneficia ecclesiastica obtinent, ratione praedictorum beneficiorum minime intelligantur, sed Ordinarii jurisdictioni subjecti permaneant, non obstantibus quibuscumque inhibitionibus

## CAPUT XII.

*Quales esse debeant promovendi ad dignitates et canonicatus cathedralium Ecclesiarum, quidve promoti praestare debeant.*

§. 440. Cum dignitates, in Ecclesiis praesertim cathedralibus, ad conservandam augendamque ecclesiasticam disciplinam fuerint institutae, ut qui eas obtinerent, pietate praecellerent aliisque exemplo essent, atque Episcopos opera et officio juvarent; merito qui ad eas vocantur, tales esse debent, qui suo muneri respondere possint. Nemo igitur deinceps ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem XXV. suae aetatis annum attigerit, et in clericali ordine versatus, doctrina ad suum munus exsequendum necessaria, ac morum integritate commendetur, juxta Constitutionem Alexandri III., in Concilio Lateranensi promulgatam, quae incipit: *Cum in cunctis (IV)*: Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur Episcopi, sint in omnibus Ecclesiis, ubi fieri poterit, Magistri in theologia seu Doctores, aut Licentiati in jure canonico.

§. 441. Ad ceteras autem dignitates vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, Clerici alioquin idonei, et XXII. annis non minores, adsciscantur. „*Provisi etiam*“ de beneficiis quibuscumque, curam animarum habentibus, teneantur a die adeptae possessionis, ad minus intra duos menses, in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito coram generali ejus Vicario seu Officiali, orthoxae suae fidei publicam facere pro-

VARIANTES.

§. 439. Patroni etiam *Lov. 3. Antv. 4. 5. Col.*

fessionem, et in Romanae Ecclesiae obedientia se permansuros spondeant ac jurent. Provisi autem de canonicatibus et dignitatibus, in Ecclesiis cathedralibus non solum coram Episcopo seu ejus Officiali, sed etiam in Capitulo idem facere teneantur: alioquin praedicti omnes provisi, ut supra, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.

§. 442. Neminem etiam deinceps ad dignitatem, canonicatum aut portionem recipiant, nisi qui eo Ordine sacro aut sit initiatus, quem illa dignitas, praebenda aut portio requirit; aut in tali aetate, ut infra tempus a jure et ab hac sancta Synodo statutum, initiari valeat. In omnibus vero Ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus ac portiones habeant annexum Ordinem Presbyterii, Diaconatus vel Subdiaconatus. Episcopus autem cum consilio Capituli designet ac distribuat, prout viderit expedire, quibus quisque Ordo ex sacris annexus in posterum esse debeat: ita tamen, ut dimidia saltem pars Presbyteri sint, ceteri vero Diaconi aut Subdiaconi: ubi vero consuetudo laudabilior habet, ut plures vel omnes sint Presbyteri, omnino observetur.

§. 443. Hortatur etiam sancta Synodus, ut in provinciis ubi id commode fieri potest dignitates omnes, et saltem dimidia pars canonicatuum, in cathedralibus Ecclesiis et collegiatis insignibus conferatur tantum Magistris vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in theologia vel jure canonico. Praeterea obtinentibus in eisdem cathedralibus aut collegiatis dignitates, canonicatus, praebendas aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis, ultra tres menses, ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt: alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae ac residentiae fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente vero contumacia, contra eos, juxta sacrorum Canonum constitutiones, procedatur. Distributiones vero qui statis horis interfuerint recipiant: reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant, juxta Bonifacii VIII. Decretum quod incipit: *Consuetudinem (XXI)*, quod sancta Synodus

in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus.

§. 444. Omnes vero divina per se et non per Substitutos compellantur obire officia, et Episcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti, adsistere et inservire: atque in choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare. Vestitu insuper decenti tam in Ecclesia quam extra assiduo utantur; ab illicitisque venationibus, aucupiis, choreis, tabernis lusibusque abstineant, atque ea morum integritate polleant, ut merito Ecclesiae Senatus dici possit. Cetera, quae ad debitum in divinis officiis regimen spectant: deque congrua in his canendi seu modulandi ratione, de certa lege in choro conveniendi et permanendi, simulque de omnibus Ecclesiae ministris, quae necessaria erunt, et si qua hujusmodi, Synodus provincialis, pro cujusque provinciae utilitate et moribus, certam cuique formulam praescribet. Interea vero Episcopus non minus, quam cum duobus Canonicis, quorum unus ab Episcopo alter a Capitulo eligatur, in iis quae expedire videbuntur, poterit providere.

## CAPUT XIII.

*Quomodo tenuioribus cathedralibus Ecclesiis et Parochiis consulendum; Parochiae certis finibus distinguendae.*

§. 445. Quoniam pleraeque cathedrales Ecclesiae tam tenuis redditus sunt et angustae, ut episcopali dignitati nullo modo respondeant neque Ecclesiarum necessitati sufficiant; examinet Concilium provinciale, vocatis iis quorum interest, et diligenter expendat, quas propter angustias tenuitatemque vicinis unire, vel novis proventibus augere expediat; confectaque de praemissis instrumenta ad summum Romanum Pontificem mittat. Quibus instructus summus Pontifex ex prudentia sua, prout expedire judicaverit, aut tenues invicem uniat aut aliqua accessione ex fructibus augeat.

§. 446. Interim vero, donec praedicta effectum sortiantur, hujusmodi Episcopis, qui fructuum subventione pro dioecesis suae tenuitate indigent, poterit de beneficiis aliquibus, dum tamen curata non sint, nec dignitates seu canonicatus et praebendae, nec monasteria

in quibus viget regularis observantia, vel quae Capitulis generalibus et certis Visitatoribus subduntur, a summo Pontifice provideri. In parochialibus etiam Ecclesiis, quarum fructus aeque adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere, curabit Episcopus, si per beneficiorum unionem non tamen regularium id fieri non possit, ut primitiarum vel decimarum assignatione, aut „*per Parochianorum*“ symbola ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro Rectoris, „*ac parochiae*“ necessitate decenter sufficiat.

§. 447. In unionibus vero quibuslibet seu ex supradictis seu aliis causis faciendis, Ecclesiae parochiales monasteriis quibuscumque aut abbatiis seu dignitatibus sive praebendis Ecclesiae cathedralis vel collegiatae, sive aliis beneficiis simplicibus aut hospitalibus militiisve non uniantur: et quae unitae sunt revideantur ab Ordinariis, juxta alias decretum in eadem Synodo, sub fel. rec. Paulo III. quod etiam in unitis ab eo tempora citra aeque observetur: non obstantibus in iis quibuscumque verborum formis, quae hic pro sufficienter expressis habeantur. Ad haec in posterum, omnes hae cathedrales Ecclesiae, quarum redditus summam ducatorum mille, et parochiales, quae summam ducatorum centum secundum verum annuum valorem non excedunt, nullis pensionibus aut reservationibus fructuum graventur.

§. 448. In his quoque civitatibus ac locis, ubi parochiales Ecclesiae certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, sed promiscue petentibus Sacramenta administrant; mandat sancta Synodus Episcopis pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite Sacramenta suscipiant; aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant. Idemque in iis civitatibus ac locis, ubi nullae sunt parochiales, quamprimum fieri curent: non obstantibus quibuscumque privilegiis et consuetudinibus etiam immemorabilibus.

VARIANTES.

§. 444. per Parochorum *Lov. 3. Antv. 4. 5. Col.*
aut parochiae *Ven. 2.*

## CAPUT XIV.

*In provisione beneficiorum, aut admissione ad possessionem, fructuum deductiones, quae in usus pios non convertuntur, prohibentur.*

§. 449. In pluribus Ecclesiis, tam cathedralibus quam collegiatis et parochialibus, ex earum constitutionibus aut ex prava consuetudine observari intelligitur, ut in electione, praesentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione vel alia provisione sive admissione ad possessionem alicujus cathedralis Ecclesiae vel beneficii, canonicatuum, aut praebendarum, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas certae conditiones seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicitae, aut etiam, quae in aliquibus Ecclesiis dicuntur turnorum lucra, interponantur: haec cum sancta Synodus detestetur mandat Episcopis, ut quaecumque hujusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus eos, qui Simoniacae labis aut sordidae suspicionem habent, fieri non permittant; ipsique diligenter de eorum constitutionibus sive consuetudinibus super praedictis cognoscant; et illis tantum quas ut laudabiles probaverint exceptis, reliquas ut pravas ac scandalosas rejiciant et aboleant. Eos vero, qui adversus haec in praesenti Decreto comprehensa quavis ratione commiserint, poenis, contra Simoniacos editis, sacris Canonibus et variis summorum Pontificum Constitutionibus, quas omnes innovat, teneri decernit: non obstantibus quibuscumque statutis, constitutionibus et consuetudinibus etiam immemorabilibus, etiam apostolica auctoritate confirmatis: de quarum subreptione, obreptione et intentionis defectu, Episcopus, tamquam apostolicae Sedis delegatus, cognoscere possit.

## CAPUT XV.

*Norma augendi tenues praebendas Ecclesiarum cathedralium et collegiatarum insignium (§. 27 sqq. 275 sqq.)*

§. 450. In Ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus, ubi frequentes, adeoque tenues sunt praebendae simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant; liceat Episcopis cum con-

sensu Capituli vel aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia, iis unire; vel, si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis, cum Patronorum consensu, si de jure patronatus laicorum sint, quarum fructus et proventus reliquarum Praebendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere; ita tamen, ut tot supersint, quae divino cultui celebrando ac dignitati „*Ecclesiae commode valeant*" respondere: non obstantibus quibuscumque constitutionibus et privilegiis, aut quacumque reservatione generali vel speciali aut affectione: neque praedictae uniones aut suppressiones tolli seu impediri possint ex quibuscumque provisionibus, etiam vigore resignationis aut quibusvis aliis derogationibus vel suspensionibus.

## CAPUT XVI.

*Quid muneris incumbat Capitulo sede vacante.*

§. 451. Capitulum, sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, Oeconomum unum vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum ecclesiasticarum et proventuum curam gerant; quorum rationem ei ad quem pertinebit sint reddituri. Item Officialem seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur; qui saltem in jure canonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel alias quantum fieri poterit idoneus: si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur. Et si Ecclesia ipsa metropolitana fuerit aut exempta, Capitulumque ut praefertur negligens fuerit; tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in metropolitana, et propinquior Episcopus in exempta Oeconomum et Vicarium idoneos possit constituere. Episcopus vero ad eamdem Ecclesiam vacantem promotus ex iis, quae ad eum spectant, ab eisdem Oeconomo, Vicario et aliis quibuscumque Officialibus et Administratoribus, qui sede vacante fuerunt a Capitulo, vel ab aliis in ejus locum constituti, etiam si fuerint ex eodem Capitulo, rationem exigant officiorum, jurisdictionis, administrationis aut cujuscumque eorum mune-

VARIANTES.

§. 450. ecclesiasticae valeant *Vird. Rhem.* ecclesiasticae commode valeant *Lov. 3. Antv. 4. 5. Col.*

ris; possitque eos punire, qui in eorum officio seu administratione deliquerint: etiam si praedicti Officiales, redditis rationibus, a Capitulo vel a deputatis ab eodem absolutionem aut liberationem obtinuerint. Eidem quoque Episcopo teneatur Capitulum de scripturis ad Ecclesiam pertinentibus, si quae ad Capitulum pervenerunt, rationem reddere.

## CAPUT XVII.

*Plura beneficia uni conferre, eaque retinere, quandonam liceat.* (§. 136. 138.)

§. 452. Cum ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum; sancte sacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi. Verum quoniam multi improbae cupiditatis affectu se ipsos non Deum decipientes, ea quae bene constituta sunt variis artibus eludere et plura simul beneficia obtinere non erubescunt: sancta Synodus debitam regendis Ecclesiis disciplinam restituere cupiens, praesenti Decreto, quod in quibuscumque personis, quocumque titulo etiam si Cardidalatus, honore fulgeant, mandat observari; statuit, ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam ejus cui confertur honeste sustentandam non sufficiat; liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.

§. 453. Haecque non modo ad cathedrales Ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia tam saecularia quam regularia quaecumque etiam commendata pertineant, cujuscumque tituli ac qualitatis existant. Illi vero, qui in praesenti plures parochiales Ecclesias aut unam cathedralem et aliam parochialem obtinent; cogantur omnino, quibuscumque dispensationibus *„ac unionibus“* ad vitam non obstantibus, una tantum parochiali vel sola cathedrali retenta, alias parochiales infra spatium sex mensium dimittere: alioquin tam parochiales quam beneficia omnia, quae obtinent, ipso jure vacare censeantur, ac tamquam vacantia libere aliis idoneis

VARIANTES.

§. 453. ac unionibus *absunt a Vird. Rhem.*

conferantur; nec ipsi antea illa obtinentes, tuta conscientia, fructus post dictum tempus retineant. Optat autem sancta Synodus, ut resignantium necessitatibus commoda aliqua ratione, prout summo Pontifici videbitur, provideatur.

## CAPUT XVIII.

*Ecclesia parochiali vacante, deputandus ab Episcopo Vicarius, donec illi provideatur de Rectore: nominati ad parochiales Ecclesias qua forma et a quibus examinari debeant. (§. 147.)*

§. 454. Expedit maxime animarum saluti, a dignis atque idoneis Parochis gubernari. Id ut diligentius ac rectius perficiatur, statuit sancta Synodus, ut cum parochialis Ecclesiae vacatio, etiam si cura Ecclesiae vel Episcopo incumbere dicatur, et per unum vel plures administretur, etiam in Ecclesiis patrimonialibus seu receptivis nuncupatis, in quibus consuevit Episcopus uni vel pluribus curam animarum dare, quos omnes ad infrascriptum examen teneri mandat, per obitum vel resignationem, etiam in Curia seu aliter quomodocumque contigerit, etiam si ipsa parochialis Ecclesia reservata vel affecta fuerit generaliter vel specialiter, etiam vigore indulti seu privilegii in favorem sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium seu Abbatum vel Capitulorum: debeat Episcopus statim, habita notitia vacationis Ecclesiae si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium, cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiae sustineat, donec ei de Rectore provideatur.

§. 455. Porro Episcopus et qui jus patronatus habet, intra decem dies vel aliud tempus ab Episcopo praescribendum, idoneos aliquot Clericos ad regendam Ecclesiam coram deputandis examinatoribus nominet. Liberum sit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre, ut possit postea de cujuslibet aetate, moribus et sufficientia fieri diligens inquisitio. Et si Episcopo aut Synodo provinciali pro regionis more videbitur magis expedire, per edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari. Transacto constituto tempore omnes, qui descripti fuerint, examinentur ab Episcopo, sive eo impedito ab ejus Vicario

generali, atque ab aliis examinatoribus non paucioribus, quam tribus; quorum votis si pares aut singulares fuerint, accedere possit Episcopus vel Vicarius, quibus magis videbitur.

§. 456. Examinatores autem singulis annis in dioecesana Synodo ab Episcopo vel ejus Vicario ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant et ab ea probentur. Advenienteque vacatione cujuslibet Ecclesiae, tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen perficiant; indeque succedente alia vacatione, aut eosdem aut alios tres quos maluerit, ex praedictis illis sex eligat. Sint vero hi examinatores Magistri seu Doctores, aut Licentiati in theologia aut jure canonico, vel alii Clerici seu regulares etiam ex ordine mendicantium, aut etiam seculares, qui ad id videbuntur magis idonei; jurentque omnes ad sancta Dei evangelia se, quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executuros. Caveantque ne quidquam prorsus occasione hujus examinis nec ante nec post accipiant: aliqui Simoniae vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant; a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quae quomodocumque etiam antea obtinebant, et ad alia in posterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non solum coram Deo, sed etiam in Synodo provinciali si opus erit rationem reddere teneantur; a qua si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, graviter ejus arbitrio puniri possint.

§. 457. Peracto deinde examine renuncientur, quotcumque ab his idonei judicati fuerint aetate, moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis. Ex hisque Episcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit; atque illi et non alteri collatio Ecclesiae ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. Si vero juris patronatus ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum et non alium pertineat; is, quem Patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, Episcopo praesentare teneatur, ut ab eo instituatur. Cum vero institutio ab alio quam ab Episcopo erit facienda; tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem; quem Patronus ei praesentet, ad quem institutio spectat. Quod si juris patronatus Laicorum fuerit; debeat qui a Patrono praesentatus erit, ab eisdem deputatis ut supra examinari, et non nisi idoneus repertus fuerit admitti.

§. 458. In omnibusque supradictis casibus non cuiquam alteri, quam uni ex praedictis examinatis et ab examinatoribus approbatis, juxta supra dictam regulam, de Ecclesia provideatur; nec praedictorum examinatorum relationem, quo minus executionem habeat, ulla devolutio aut appellatio, etiam ad Sedem apostolicam sive ejusdem Sedis Legatos aut Vicelegatos aut Nuntios, seu Episcopos aut Metropolitanos, Primates vel Patriarchas interposita, impediat aut suspendat: alioquin Vicarius, quem Ecclesiae vacanti antea Episcopus arbitrio suo ad tempus deputavit, vel forsan postea deputabit; ab ejus Ecclesiae custodia et administratione non amoveatur, donec aut eidem aut alteri qui probatus et electus fuerit ut supra sit provisum: alias provisiones omnes seu institutiones, praeter supra dictam formam factae, subreptitiae esse censeantur: non obstantibus huic Decreto exemptionibus, indultis, privilegiis, praeventionibus, affectionibus, novis provisionibus, indultis concessis quibuscumque universitatibus, etiam ad certam summam, et aliis impedimentis quibuscumque.

§. 459. Si tamen adeo exigui redditus dictae parochialis fuerint, ut totius hujus examinationis operam non ferant; aut nemo sit qui se examini quaerat subjicere; aut ob apertas factiones seu dissidia, quae in aliquibus locis reperiuntur, facile graviores rixae ac tumultus possint excitari; poterit Ordinarius, si pro sua conscientia cum Deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa privatum aliud examen, ceteris tamen ut supra servatis, adhibere. Licebit etiam Synodo provinciali, si qua in supra dictis circa examinationis formam addenda remittendave esse censuerit, providere.

## CAPUT XIX.

*Mandata de providendo, Expectativae et alia ad genus abrogantur.*

§. 460. Decernit sancta Synodus, mandata de providendo, et gratias quae expectativae dicuntur, nemini amplius etiam Collegiis, Universitatibus, Senatibus et aliis singularibus personis, etiam sub nomine indulti aut ad certam summam, vel alio quovis colore concedi; nec hactenus concessis cuiquam uti licere. Sed nec re-

servationes mentales, nec aliae quaecumque ad vacatura, nec indulta ad alienas Ecclesias vel monasteria alicui, etiam ex sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, concedantur, et hactenus concessa abrogata esse censeantur.

## CAPUT XX.

*Ratio agendi causas ad forum ecclesiasticum pertinentes praescribitur.* (§. 183.)

§. 461. Causae omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam si beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, atque omnino saltem infra biennium a die motae litis terminentur: alioquin post id spatium liberum sit partibus, vel alteri illarum judices superiores, alias tamen competentes adire; qui causam in eo statu quo fuerit assumant, et quamprimum terminari curent; nec antea aliis committantur nec avocentur: neque appellationes ab eisdem interpositae per superiores quoscumque recipiantur; eorumve commissio aut inhibitio fiat, nisi a definitiva vel a definitivae vim habente; et cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat.

§. 462. Ab his excipiantur causae, quae juxta canonicas sanctiones apud Sedem apostolicam sunt tractandae, vel quas ex urgenti rationabilique causa judicaverit summus Romanus Pontifex per speciale rescriptum signaturae sanctitatis suae, manu propria subscribendum, committere aut avocare. Ad haec, causae matrimoniales et criminales non Decani, Archidiaconi aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantum examini et jurisdictioni relinquantur; etiam si in praesenti inter Episcopum et Decanum seu Archidiaconum, aut alios inferiores super causarum istarum cognitione lis aliqua in quacumque instantia pendeat; coram quo, si pars vere paupertatem probaverit, non cogatur extra provinciam nec in secunda nec in tertia instantia in eadem causa matrimoniali litigare; nisi pars altera et alimenta et expensas litis velit subministrare. Legati quoque, etiam de latere, Nuntii, Gubernatores ecclesiastici aut alii quarumcumque facultatum vigore, non solum Episcopos in praedictis causis impedire, aut aliquo modo eorum jurisdictionem iis prae-

ripere aut turbare non praesumant; nec etiam contra Clericos, aliasve personas ecclesiasticas, nisi Episcopo prius requisito eoque negligente, procedant: alias eorum processus ordinationesve nullius momenti sint; atque ad damni satisfactionem partibus illati teneantur.

463. Praeterea, si quis in casibus a jure permissis appellaverit, aut de aliquo gravamine conquestus fuerit; seu alias ob lapsum biennii de quo supra ad alium judicem recurrerit; teneatur acta omnia coram Episcopo gesta ad judicem appellationis expensis suis transferre: eodem tamen Episcopo prius admonito, ut si quid ei pro causae instructione videbitur possit judici appellationis significare. Quod si appellatus compareat; cogatur tunc is quoque actorum, quae translata sunt, expensas pro portione sua, si illis uti voluerit, subire; nisi aliter ex loci consuetudine servetur, ut scilicet ad appellantem integrum hoc onus pertineat.

§. 464. Porro ipsam actorum copiam teneatur Notarius, congrua mercede accepta, appellanti quanto citius et ad minus intra mensem exhibere. Qui Notarius si in differenda exhibitione fraudem fecerit; ab officii administratione arbitrio Ordinarii suspendatur; et ad dupli poenam, quanti ea lis fuerit, inter appellantem et pauperes loci distribuendam, compellatur. Judex vero, si et ipse impedimenti hujus conscius, particepsve fuerit, aliterve obstiterit, ne appellanti integre acta intra tempus traderentur; ad eamdem dupli poenam prout supra teneatur: non obstantibus, quoad omnia supra scripta, privilegiis, indultis, concordiis, quae suos tantum teneant auctores, et aliis quibuscumque consuetudinibus.

## CAPUT XXI.

*Declaratur, ex certis verbis supra positis non immutari solitam rationem tractandi negotia in generalibus Conciliis.*

§. 465. Cupiens sancta Synodus, ut ex Decretis ab ea editis nulla unquam futuris temporibus dubitandi occasio oriatur, verba illa, posita in Decreto, publicato Sessione prima, sub beatissimo Domino nostro Pio IV., videlicet: *quae proponentibus Legatis ac Praesidentibus, ad horum temporum levandas calamitates, se-*

*dandas de religione controversias, coërcendas linguas dolosas, depravatorum morum abusus corrigendos, Ecclesiae veram, et christianam pacem conciliandam apta et idonea ipsi sanctae Synodo videbuntur:* explicando declarat, mentis suae non fuisse, ut ex praedictis verbis solita ratio tractandi negotia in generalibus Conciliis ulla ex parte immutaretur, neque novi quidquam, praeter id, quod a sacris Canonibus vel generalium Synodorum forma hactenus statutum est, cuiquam adderetur vel detraheretur.

*Indictio futurae Sessionis.*

§. 466. Insuper eadem sacrosancta Synodus proximam futuram Sessionem feria quinta post Conceptionem beatae Mariae Virginis, quae erit dies nona mensis Decembris proxime venturi, habendam esse statuit et decernit, cum potestate etiam abbreviandi. In qua Sessione tractabitur de sexto nunc in eam dilato capite, et de reliquis reformationis capitibus jam exhibitis, deque aliis ad eam pertinentibus. Si vero opportunum videbitur et tempus patietur, poterit etiam de nonnullis dogmatibus tractari, prout suo tempore in Congregationibus proponetur.

*Abbreviata est dies Sessionis.*

## SESSIO VIGESIMA QUINTA,

### QUAE EST NONA ET ULTIMA SUB PIO IV. PONT. MAX.,

coepta die III. absoluta die IV. Decemb. M. D. LXIII.

*Decretum de Purgatorio.* (§. 91. 309. 319.)

§. 467. Cum catholica Ecclesia Spiritu sancto edocta ex sacris litteris, et antiqua Patrum traditione, in sacris Conciliis et novissime in hac oecumenica Synodo docuerit, Purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris Sacrificio juvari; praecipit sancta Synodus Episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam, a sanctis Patribus et sacris Conciliis traditam, a Christi fidelibus credi, teneri, doceri et ubique praedicari, diligenter studeant, „*apud rudem vero plebem difficiliores, ac subtiliores*

VARIANTES.

§. 467. *in edit. Vird. et Rhem. legitur hoc modo:* Apud rudem vero plebem difficiliores ac subtiliores quaestiones, quaeque

*quaestiones, quaeque ad aedificationem non faciunt (1 Tim. I, 4.), et ex quibus plerumque nulla sit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur.“* Incerta item vel quae specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permittant. Ea vero quae ad curiositatem quandam aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tamquam scandala et fidelium offendicula prohibeant. Curent autem Episcopi, ut fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynae aliaque pietatis opera, quae a fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundum Ecclesiae instituta pie et devote fiant; et quae pro illis ex testatorum fundationibus vel alia ratione debentur, non perfunctorie, sed a Sacerdotibus et Ecclesiae ministris et aliis qui hoc praestare tenentur, diligenter et accurate persolvantur.

### *De Invocatione, Veneratione et Reliquiis Sanctorum, et sacris Imaginibus.*

§. 468. Mandat sancta Synodus omnibus Episcopis et ceteris docendi munus curamque sustinentibus, ut juxta catholicae et apostolicae Ecclesiae usum, a primaevis christianae religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem et sacrorum Conciliorum Decreta inprimis de Sanctorum intercessione, invocatione, Reliquiarum honore, et legitimo Imaginum usu, fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare; et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere: illos vero, qui negant Sanctos, aeterna felicitate in coelo fruentes, invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius mediatoris Dei et hominum

VARIANTES.

ad aedificationem non faciunt, tractari non permittant: atque demum illa quae indeterminata sunt, et subtiliores quaestiones continent, ex quibus plerumque nulla sit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur.

Jesu Christi *(1 Tim. II, 5.)*, vel stultum esse, in coelo regnantibus voce vel mente supplicare; impie sentire.

§. 469. Sanctorum quoque Martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus sancti *(I Cor. III, 16. VI, 19. 2 Cor. VI, 16.)*, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse: per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur: ita ut affirmantes, Sanctorum Reliquiis venerationem atque honorem non deberi; vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandae causa Sanctorum memorias frustra frequentari; omnino damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit, *„et nunc etiam damnat“* Ecclesia.

§. 470. Imagines porro Christi, deiparae Virginis et aliorum Sanctorum, in templis praesertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant *(Ps. CXXXIV, 18.)*; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant: ita ut per Imagines quas osculamur et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus; et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, praesertim vero secundae Nicaenae Synodi Decretis contra Imaginum oppugnatores est sancitum.

§. 471. Illud vero diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostrae redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas, erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis, et assidue recolendis: tum vero ex omnibus sacris Imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum et munerum, quae a Christo sibi collata sunt, sed etiam quia *„Dei per Sanctos miracula“*, et salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur; ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem

VARIANTES.

§. 470 *Verba:* et nunc etiam damnat *absunt a Vird. et Rhem.*

§. 471. Sanctorum miracula *Vird. et Rhem.*

vitam moresque suos componant; excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum, et ad pietatem colendam. Si quis autem his Decretis contraria docuerit aut senserit; anathema sit.

§. 472. In has autem sanctas et salutares observationes si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta Synodus vehementer cupit; ita ut nullae falsi dogmatis imagines et rudibus periculosi erroris occasionem praebentes statuantur. Quod si aliquando historias et narrationes sacrae Scripturae, cum id indoctae plebi expediet, exprimi et figurari contigerit; doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit. Omnis porro superstitio in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, et Imaginum sacro usu tollatur; omnis turpis quaestus eliminetur; omnis denique lascivia vitetur; ita ut procaci venustate Imagines non pingantur, nec ornentur; et Sanctorum celebratione, ac Reliquiarum visitatione homines ad comessationes atque ebrietates non abutantur, quasi festi dies in honorem Sanctorum per luxum ac lasciviam agantur.

§. 473. Postremo, tanta circa haec diligentia et cura ab Episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum, aut praepostere et tumultuarie accommodatum, nihil profanum nihilque inhonestum appareat; cum domum Dei deceat sanctitudo *(Ps. XCII, 5.)*. Haec ut fidelius observentur statuit sancta Synodus, nemini licere ullo in loco vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare Imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente et approbante Episcopo. Qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit; adhibitis in consilium Theologis et aliis piis viris, ea faciat quae veritati et pietati consentanea judicaverit. Quod si aliquis dubius aut difficilis abusus sit exstirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus gravior quaestio incidat; Episcopus, antequam controversiam dirimat, Metropolitani et comprovincialium Episcoporum in „*Concilio*“

VARIANTES.

§. 473. Synodo *Vird. Rhem.*

provinciali sententiam expectet: ita tamen, ut nihil, inconsulto sanctissimo Romano Pontifice, novum aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur.

*De Regularibus et Monialibus.*

Eadem sancrosancta Synodus, reformationem prosequens, ea quae sequuntur, statuenda esse censuit:

## CAPUT I.

*Regulares omnes ad regulae, quam professi sunt, praescriptum vitam instituant; id ut fiat Superiores sedulo curent.*

§. 474. Quoniam non ignorat sancta Synodus, quantum ex monasteriis pie institutis et recte administratis in Ecclesia Dei splendoris atque utilitatis oriatur; necessarium esse censuit, quo facilius ac maturius, ubi collapsa est, vetus et regularis disciplina instauretur, et constantius ubi conservata est perseveret, praecipere, prout hoc Decreto praecipit, ut omnes Regulares, tam viri quam mulieres, ad Regulae quam professi sunt praescriptum vitam instituant et componant, atque inprimis, quae ad suae professionis perfectionem, ut obedientiae, paupertatis et castitatis, ac si quae alia sunt alicujus Regulae et Ordinis peculiaria vota et praecepta, ad eorum respective essentiam, nec non ad communem vitam, victum et vestitum conservanda pertinentia fideliter observent. Omnisque cura et diligentia a Superioribus adhibeatur tam in Capitulis generalibus et provincialibus, quam in eorum visitationibus, quae suis temporibus facere non praetermittant, ut ab illis non recedatur: cum compertum sit, ab eis non posse ea, quae ad substantiam regularis vitae pertinent, relaxari. Si enim illa, quae bases sunt et fundamenta totius regularis disciplinae, exacte non fuerint conservata, totum corruat aedificium necesse est.

## CAPUT II.

*Proprietas Regularibus omnino prohibetur.*

§. 475. Nemini igitur Regularium, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cu-

juscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine conventus possidere vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur, conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum vel usum, administrationem aut commendam. Administratio autem bonorum monasteriorum seu conventuum ad solos officiales eorumdem, ad nutum Superiorum amovibiles, pertineat. Mobilium vero usum ita Superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit, nihil etiam quod sit necessarium eis denegetur. Quod si quis aliter quidquam tenere deprehensus aut convictus fuerit; is biennio activa et passiva voce privatus sit, atque etiam juxta suae Regulae et Ordinis constitutiones puniatur.

## CAPUT III.

*Omnia monasteria, praeter hic excepta, possunt possidere bona immobilia: numerus personarum in illis pro modo facultatum aut eleemosynarum constituendus: nulla sine licentia Episcopi erigenda.*

§. 476. Concedit sancta Synodus omnibus monasteriis et domibus, tam virorum quam mulierum, et mendicantium, exceptis domibus fratrum sancti Francisci Capuccinorum, et eorum qui Minorum de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum aut ex privilegio apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat. Quod si aliqua loca ex praedictis, quibus auctoritate apostolica similia bona possidere permissum erat, eis spoliata sint, eadem omnia illis restituenda esse decernit. In praedictis autem monasteriis et domibus, tam virorum quam mulierum, bona immobilia possidentibus vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis monasteriorum vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari; nec de cetero similia loca erigantur sine Episcopi, in cujus dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.

## CAPUT IV.

*Regularis sine Superioris licentia nec se obsequio alterius subjiciat, nec a conventu recedat; ad Universitatem studiorum missus in conventu habitet.*

§. 477. Prohibet sancta Synodus, ne quis Regularis, sine sui Superioris licentia, praedicationis vel lectionis aut cujusvis pii operis praetextu, subjiciat se obsequio alicujus Praelati, Principis vel Universitatis vel Communitatis, aut alterius cujuscumque personae seu loci; neque ei aliquod privilegium aut facultas, ab aliis super iis obtenta, suffragetur. Quod si contra fecerit, tamquam inobediens arbitrio Superioris puniatur. Nec liceat Regularibus a suis conventibus recedere, etiam praetextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui vero sine praedicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tamquam desertor sui instituti puniatur; illi autem, qui studiorum causa ad Universitates mittuntur, in conventibus tantum habitent; alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur.

## CAPUT V.

*Clausurae et custodiae Monialium providetur.*

§. 478. Bonifacii VIII. Constitutionem, quae incipit: *Periculoso (XXII)*, renovans sancta Synodus, universis Episcopis sub obtestatione divini judicii et interminatione maledictionis aeternae, praecipit, ut in omnibus monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero Sedis apostolicae auctoritate, clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est conservari maxime procurent: inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas aliasque poenas, quacumque appellatione postposita, compescentes, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis. Quod auxilium ut praebeatur, omnes christianos Principes hortatur sancta Synodus, et sub excommunicationis poena, ipso facto incurrenda, omnibus Magistratibus saecularibus injungit. Nemini autem Sanctimonialium liceat post professionem exire a monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque praetextu, nisi ex

aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda: indultis quibuscumque et privilegiis non obstantibus.

§. 479. Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda. Dare autem tantum Episcopus vel Superior licentiam debet in casibus necessariis; neque „*aliis*" ullo modo possit, etiam vigore cujuscumque facultatis vel indulti hactenus concessi, vel in posterum concedendi. Et quia monasteria Sanctimonialium extra moenia urbis vel oppidi constituta, malorum hominum praedae et aliis facinoribus sine ulla saepe custodia sunt exposita; curent Episcopi et alii Superiores, si ita videbitur expedire, ut Sanctimoniales ex eis ad nova vel antiqua monasteria intra urbes vel oppida frequentia reducantur; invocato etiam auxilio si opus fuerit brachii saecularis. Impedientes vero vel non obedientes per censuras ecclesiasticas parere compellant.

## CAPUT VI.

*Norma servanda in electione Superiorum regularium.*

§. 480. In electione quorumcumque Superiorum, Abbatum temporalium et aliorum Officialium ac Generalium, et Abbatissarum atque aliarum Praepositarum, quo omnia recte et sine ulla fraude fiant, inprimis sancta Synodus districte praecipit, omnes supradictos eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Nec in posterum liceat, Provinciales aut Abbates, Priores aut alios quoscumque Titulares ad effectum electionis faciendae constituere, aut voces et suffragia absentium supplere. Si vero contra hujus Decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit, et is, qui ad hunc effectum se in Provincialem, Abbatem aut Priorem creari permiserit, deinceps ad omnia officia in religione obtinenda inhabilis existat, facultatesque super his concessae eo ipso abrogatae censeantur et si in posterum aliae concedantur, tamquam surreptitiae habeantur.

VARIANTES.

§. 479. alias *Rom.* 3. 4. 5.

## CAPUT VII.

*Quae, et quomodo in Abbatissas, vel alio nomine Praefectas eligendae: duobus monasteriis nulla praeficiatur.*

§. 481. Abatissa et Priorissa, et quocumque alio nomine Praefecta vel Praeposita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, et quae octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio, ex alio ejusdem Ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni praeest, videatur, ex iis, quae in eodem monasterio annum trigesimum excesserint, et quinque saltem annis post professionem recte vixerint, Episcopo vel alio Superiore consentiente, eligatur. Duobus vero monasteriis nulla praeficiatur. Et si qua duo vel plura quocumque modo obtinet, cogatur uno excepto intra sex menses cetera resignare. Post id vero tempus nisi resignaverit omnia ipso jure vacent. Is vero qui electioni praeest Episcopus sive alius Superior claustra monasterii non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestellam vota singularum audiat vel accipiat. In reliquis serventur singulorum Ordinum vel monasteriorum constitutiones.

## CAPUT VIII.

*Regimen monasteriorum, non habentium ordinarios regulares Visitatores, quomodo sit instituendum.*

§. 482. Monasteria omnia, quae generalibus Capitulis aut Episcopis non subsunt, nec suos habent ordinarios regulares Visitatores, sed sub immediata Sedis apostolicae protectione ac directione regi consueverunt; teneantur infra annum a fine praesentis Concilii, et deinde quolibet triennio sese in Congregationes redigere, juxta formam Constitutionis Innocentii III. in Concilio generali, quae incipit: *In singulis (XXIII.)*, ibique certas regulares personas deputare, quae de modo et ordine de praedictis Congregationibus erigendis, ac statutis in eis exequendis deliberent et statuant. Quod si in his negligentes fuerint, liceat Metropolitano in cujus provincia praedicta monasteria sunt, tamquam Sedis apostolicae delegato, eos pro praedictis causis convocare. Quod si infra limites unius provinciae non sit sufficiens

talium monasteriorum numerus ad erigendam Congregationem; possint duarum, vel trium provinciarum monasteria unam facere Congregationem. Ipsis autem Congregationibus constitutis, illarum generalia Capitula, et ab illis electi Praesides vel Visitatores eandem habeant auctoritatem in suae Congregationis monasteria ac Regulares in eis commorantes, quam alii Praesides ac Visitatores in ceteris habent Ordinibus: teneanturque suae Congregationis monasteria frequenter visitare, et illorum reformationi incumbere; et ea observare, quae in sacris Canonibus et in hoc sacro Concilio sunt decreta. Quod si etiam, Metropolitano instante, praedicta exequi non curaverint, Episcopis in quorum dioecesibus loca praedicta sita sunt, tamquam Sedis apostolicae delegatis, subdantur.

## CAPUT IX.

*Monasteria Monialium immediate subjecta Sedi apostolicae ab Episcopo regantur: alia vero a deputatis in Capitulis generalibus vel ab aliis Regularibus.*

§. 483. Monasteria Sanctimonialium, sanctae Sedi apostolicae immediate subjecta, etiam sub nomine Capitulorum sancti Petri vel sancti Joannis, vel alias quomodocumque nuncupentur, ab Episcopis tamquam dictae Sedis delegatis gubernentur, non obstantibus quibuscumque. Quae vero a deputatis in Capitulis generalibus vel ab aliis Regularibus reguntur, sub eorum cura et custodia relinquantur.

## CAPUT X.

*Moniales unoquoque mense peccata confiteantur, et Eucharistiam sumant: Confessarius extraordinarius iis ab Episcopo assignetur. Intra septa monasterii Eucharistia non conservetur.*

§. 484. Attendant diligenter Episcopi et ceteri Superiores monasteriorum Sanctimonialium, ut in constitutionibus earum admoneantur Sanctimoniales, ut saltem semel singulis mensibus Confessionem peccatorum faciant, et sacrosanctam Eucharistiam suscipiant, ut eo se salutari praesidio muniant ad omnes oppugnationes

Daemonis fortiter superandas. Praeter ordinarium autem Confessorem alius extraordinarius ab Episcopo et aliis Superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium Confessiones audire debeat. Quod vero sanctissimum Christi corpus intra chorum vel septa monasterii, et non in publica Ecclesia conservetur, prohibet sancta Synodus, non obstante quocumque indulto aut privilegio.

## CAPUT XI.

*In monasteriis, quibus imminet cura personarum saecularium, qui eam exercent, subsint Episcopo, et ab eo prius examinentur, certis exceptis.*

§. 485. In monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, praeter eas, quae sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia personae, tam regulares quam saeculares, hujusmodi curam exercentes, subsint immediate in iis, quae ad dictam curam et Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi, in cujus dioecesi sunt „*sita*". Nec ibi aliqui, etiam ad nutum amovibiles, deputentur, nisi de ejusdem consensu ac praevio examine, per eum aut ejus Vicarium faciendo, excepto monasterio Cluniacensi cum suis limitibus, et exceptis etiam iis monasteriis seu locis, in quibus Abbates, Generales aut Capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque aliis monasteriis seu domibus, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores jurisdictionem episcopalem et temporalem in Parochos et Parochianos exercent: salvo tamen eorum Episcoporum „*jure*", qui majorem in praedicta loca vel personas jurisdictionem exercent.

## CAPUT XII.

*Censurae episcopales, et dies festi in dioecesi indicti, serventur etiam a Regularibus.*

§. 486. Censurae et interdicta, nedum a Sede apo-

VARIANTES.

§. 485. sita *abest a Vird. et Rhem.*
judice *Ven.* 2.

stolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, a Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur atque serventur. Dies etiam festi, quos in dioecesi sua servandos idem Episcopus praeceperit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus serventur.

## CAPUT XIII.

*Controversias de praecedentia componat Episcopus. Exempti non in strictiori clausura viventes ad publicas processiones accedere compellantur.*

§. 487. Controversias omnes de praecedentia, quae persaepe maximo cum scandalo oriuntur inter ecclesiasticas personas tam saeculares quam regulares, cum in processionibus publicis, tum in iis quae fiunt in tumulandis defunctorum corporibus et in deferenda umbella et aliis similibus, Episcopus, amota omni appellatione, et non obstantibus quibuscumque, componat. Exempti autem omnes, tam Clerici saeculares, quam regulares, quicumque, etiam Monachi, ad publicas processiones vocati, accedere compellantur, iis tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt.

## CAPUT XIV.

*Regulari publice delinquenti poena a quo irroganda sit.*

§. 488. Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra monasterii degit, et extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, a suo Superiore intra tempus ab Episcopo praefigendum severe puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat: sin minus, a suo Superiore officio privetur, et delinquens ab Episcopo puniri possit.

## CAPUT XV.

*Professio non fiat nisi anno probationis exacto, et decimo sexto aetatis expleto.*

§. 489. In quacumque religione, tam virorum quam mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum expletum; nec qui minore tempore, quam per an-

num post susceptum habitum in probatione steterit, „ad professionem" admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus regulae vel religionis vel Ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus.

## CAPUT XVI.

*Renuntiatio aut obligatio facta ante duos menses proximos professioni, sit nulla. Finita probatione, Novitii aut profiteantur, aut ejiciantur. In religione Clericorum Societatis Jesu nihil innovatur. Ne quid ex bonis Novitii monasterio tribuatur ante professionem.* (§. 141.)

§. 490. Nulla quoque renuntiatio aut obligatio antea facta, etiam cum juramento vel in favorem cujuscumque causae piae, valeat, nisi cum licentia Episcopi sive ejus Vicarii, fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter vero facta, etiam si cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita et nullius effectus. Finito tempore novitiatus, Superiores Novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut e monasterio eos ejiciant. Per haec tamen sancta Synodus non intendit aliquid innovare, aut prohibere, quin religio Clericorum Societatis Jesu, juxta pium eorum institutum, a sancta Sede apostolica approbatum, Domino et ejus Ecclesiae inservire possint: sed neque ante professionem, excepto victu et vestitu, Novitii vel Novitiae illius temporis, quo in probatione est, quocumque praetextu, a parentibus vel propinquis, aut curatoribus ejus monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quod totam vel majorem partem substantiae suae monasterium possideat, nec facile, si discesserit, id recuperare possit. Quin potius praecipit sancta Synodus sub anathematis poena dantibus et recipientibus, ne hoc ullo modo fiat, et ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quae sua erant. Quod ut recte fiat, Episcopus etiam per censuras ecclesiasticas si opus fuerit compellat.

VARIANTES.

§. 489. *verba:* ad professionem *absunt a Vird. et Rhem.*

## CAPUT XVII.

*Puella major duodecim annis, si habitum regularem suscipere voluerit, exploretur ab Ordinario, iterumque ante professionem.*

§. 491. Libertati professionis Virginum Deo dicandarum prospiciens sancta Synodus statuit atque decernit, ut si puella, quae habitum regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit; non ante eum suscipiat, nec postea ipsa vel alia professionem emittat, quam exploraverit Episcopus, vel, eo absente vel impedito, ejus Vicarius aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta an seducta sit, an sciat quid agat: et si voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas juxta monasterii illius et Ordinis regulam, nec non monasterium fuerit idoneum; libere ei profiteri liceat. Cujus professionis tempus ne Episcopus ignoret, teneatur Praefecta monasterio eum ante mensem certiorem facere. Quod si Praefecta certiorem Episcopum non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.

## CAPUT XVIII.

*Ne quis, praeterquam in casibus a jure expressis, cogat mulierem ad ingrediendum monasterium, aut ingredi volentem prohibeat. Poenitentium, seu Convertitarum constitutiones serventur.*

§. 492. Anathemati sancta Synodus subjicit omnes et singulas personas, cujuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam clericos quam laicos, saeculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocumque coëgerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, praeterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque religionis, vel ad emittendam professionem; quique consilium, auxilium vel favorem dederint; quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere; quoquo modo eidem actui vel praesentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subjicit eos,

qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine justa causa impedierint. Eaque omnia et singula, quae ante professionem vel in ipsa professione fieri oportet, serventur non solum in monasteriis subjectis Episcopo, sed et in aliis quibuscumque. Ab his tamen excipiuntur mulieres, quae Poenitentes aut Convertitae appellantur, in quibus constitutiones earum serventur.

## CAPUT XIX.

*Quomodo procedendum sit in causis praetensae invaliditatis professionis.*

§. 493. Quicumque Regularis praetendat, se per vim et metum ingressum esse religionem, aut etiam dicat, ante aetatem debitam professum fuisse, aut quid simile; velitque habitum dimittere quacumque de causa; aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum; non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis, et tunc non aliter, nisi causas quas praetenderit deduxerit coram Superiore suo et Ordinario. Quod si ante habitum sponte dimiserit; nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, et tamquam apostata puniatur: interim vero nullo privilegio suae religionis juvetur. Nemo etiam Regularis cujuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem religionem; nec detur licentia cuiquam Regulari occulte ferendi habitum suae religionis.

## CAPUT XX.

*Superiores Ordinum Episcopis non subjecti inferiora monasteria visitent ac corrigant, etiam commendata.*

§. 494. Abbates, qui sunt Ordinum Capita, ac ceteri praedictorum Ordinum Superiores, Episcopis non subjecti, quibus est in alia inferiora monasteria Prioratusve legitima jurisdictio, eadem illa sibi subdita monasteria et Prioratus, suo quisque loco atque ordine, ex officio visitent, etiam si commendata existant. Quae cum Ordinum suorum Capitibus subsint, declarat sancta Synodus, in iis, quae alias de visitatione monasteriorum commendatorum definita sunt, non esse comprehensa:

teneanturque quicumque praedictorum Ordinum monasteriis praesunt, praedictos Visitatores recipere et illorum ordinationes exequi. Ipsa quoque monasteria, quae sunt Ordinum Capita, juxta sanctae Sedis apostolicae et cujusque Ordinis constitutiones visitentur. Et quamdiu durabunt hujusmodi commendae, Priores claustrales, aut in Prioratibus conuentum habentibus, „*Subpriores*" qui correctiones et spirituale regimen exercent, a Capitulis generalibus vel ipsorum Ordinum Visitatoribus instituantur. In ceteris omnibus praefatorum Ordinum privilegia et facultates, quae ipsorum personas, loca et jura concernunt, firma sint et illaesa.

## CAPUT XXI.

*Monasteriis praeficiantur Religiosi ejusdem Ordinis. (§. 114.)*

§. 495. Cum pleraque monasteria, etiam Abbatiae, Prioratus et Praepositurae ex mala eorum, quibus commissa fuerunt, administratione non levia passa fuerint tam in spiritualibus, quam temporalibus detrimenta; cupit sancta Synodus ea ad congruam monasticae vitae disciplinam omnino revocare. Verum adeo dura difficilisque est praesentium temporum conditio, ut nec statim omnibus, nec commune ubique quod optaret remedium possit adhiberi: ut tamen nihil praetermittat, unde praedictis salubriter aliquando provideri possit; primum quidem confidit, sanctissimum Romanum Pontificem pro sua pietate et prudentia curaturum, quantum haec tempora ferre posse viderit, ut iis, quae nunc commendata reperiuntur, et quae suos conventus habent, regulares personae, ejusdem Ordinis expresse professae, et quae gregi praeire et praeesse possint, praeficiantur. Quae vero in posterum vacabunt, non nisi Regularibus spectatae virtutis et sanctitatis conferantur. Quoad vero ea monasteria, quae Capita sunt ac Primates Ordinum, sive Prioratus, filiae illorum Capitum nuncupantur, teneantur illi, qui in praesenti ea in commendam obtinent, nisi sit eis de regulari successore provisum, infra sex menses religionem illorum Ordinum propriam solemniter profiteri, aut iis cedere; alias commendae praedictae

VARIANTES.

§. 494. Superiores *Lov. 3. Antv. 4. 5. Col.*

ipso jure vacare censeantur. Ne autem in praedictis omnibus et singulis fraus aliqua adhiberi possit; mandat sancta Synodus, ut in provisionibus dictorum monasteriorum qualitas singulorum nominatim exprimatur, aliterque facta provisio subreptitia esse censeatur, nullaque subsequenti *„possessione"* etiam triennali adjuvetur.

## CAPUT XXII.

*Decreta de reformatione Regularium ab omnibus executioni demandentur.*

§. 496. Haec omnia et singula in superioribus Decretis contenta, observari sancta Synodus praecipit in omnibus coenobiis ac monasteriis, collegiis ac domibus quorumcumque Monachorum ac Regularium, nec non quarumcumque Sanctimonialium virginum ac Viduarum, etiam si illae sub gubernio militiarum, etiam Hierosolymitanae, vivant, et quocumque nomine appellentur, sub quacumque regula vel constitutionibus, et sub custodia vel gubernatione, vel quavis subjectione aut annexione, vel dependentia cujuscumque Ordinis, mendicantium, *„vel non mendicantium"* vel aliorum regularium Monachorum aut Canonicorum quorumcumque: non obstantibus eorum omnium et singulorum privilegiis sub quibuscumque formulis verborum conceptis, ac mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis; nec non constitutionibus et regulis etiam juratis, atque etiam consuetudinibus vel praescriptionibus etiam immemorabilibus. Si qui vero Regulares tam viri quam mulieres sunt, qui sub arctiori regula vel statutis vivunt, excepta facultate habendi bona stabilia in communi, eos ab eorum instituto et observantia sancta Synodus amovere non intendit.

§. 497. Et quia sancta Synodus desiderat, ut omnia et singula supradicta quamprimum executioni demandentur; praecipit omnibus Episcopis, in monasteriis sibi subjectis, et in omnibus aliis, ipsis in superioribus De-

VARIANTES.

§. 495. professione *Vird. Rhem.*

§. 496. *verba:* vel non mendicantium. *absunt a Vird. et Rhem.*

cretis „*specialiter*" commissis, atque „*omnibus*" Abbatibus ac Generalibus et aliis Superioribus Ordinum supradictorum, ut statim praedicta exequantur. Et si quid executioni mandatum non sit, Episcoporum negligentiam Concilia provincialia suppleant et coërceant. Regularium vero Capitula provincialia et generalia, et in defectum Capitulorum generalium Concilia provincialia per deputationem aliquorum ejusdem Ordinis provideant. Hortatur etiam sancta Synodus omnes Reges, Principes, Respublicas et Magistratus, et in virtute sanctae obedientiae praecipit, ut velint praedictis Episcopis, Abbatibus ac Generalibus, et ceteris Praefectis in superius contentae reformationis executione suum auxilium et auctoritatem interponere, quoties fuerint requisiti; ut sine ullo impedimento praemissa recte exequantur ad laudem Dei omnipotentis.

*Decretum de reformatione.*

## CAPUT I.

*Cardinales et omnes Ecclesiarum Praelati modesta supellectili et mensa alantur: Consanguineos Familiaresve suos ex bonis ecclesiasticis non augeant.* (§. 182.)

§. 498. Optandum est ut ii, qui episcopale ministerium suscipiunt, quae suae sint partes, agnoscant; ac se non ad propria commoda, non ad divitias aut luxum, sed ad labores et solicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est, et fideles reliquos ad religionem, innocentiamque facilius inflammandos, si praepositos suos viderint non ea, quae mundi sunt, sed animarum salutem ac coelestem patriam cogitantes. Haec cum ad restituendam ecclesiasticam disciplinam praecipua esse sancta Synodus animadvertat; admonet Episcopos omnes, ut secum ea saepe meditantes, factis etiam ipsis ac vitae actionibus, quod est veluti perpetuum quoddam praedicandi genus, se muneri suo conformes ostendant: in primis vero ita mores suos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiae, continentiae, ac, quae nos tantopere

VARIANTES.

§. 497. spiritualiter *Vird. et Rhem.*

omnibus *abest a Vird. et Rhem.*

commendat Deo, sanctae humilitatis exempla petere possint. Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi non solum jubet, ut Episcopi modesta supellectili et mensa, ac frugali victu contenti sint; verum etiam in reliquo vitae genere ac tota ejus domo caveant, ne quid appareat, quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum ac vanitatum contemptum prae se ferat.

§. 499. Omnino vero eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiae Consanguineos Familiaresve suos augere studeant; cum et Apostolorum Canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quae Dei sunt, Consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant; eas autem non distrahant nec dissipent illorum causa; immo quam maxime potest eos sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga Fratres, Nepotes, Propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium exstat, penitus deponant. Quae vero de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscumque beneficia ecclesiastica, tam saecularia quam regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione observari, sed et ad sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales pertinere decernit: quorum consilio apud sanctissimum Romanum Pontificem cum universalis Ecclesiae administratio nitatur, nefas videri potest, non iis etiam virtutum insignibus, ac vivendi disciplina eos fulgere, quae merito omnium in se oculos convertant.

## CAPUT II.

### *A quibus nominatis Decreta Concilii solemniter recipi debeant, nec non fidei professio facienda sit.*

§. 500. Cogit temporum calamitas et invalescentium haeresum malitia, ut nihil sit praetermittendum, quod ad populorum aedificationem et catholicae fidei praesidium videatur posse pertinere. Praecipit igitur sancta Synodus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis et omnibus aliis, qui de jure vel consuetudine in Concilio provinciali interesse debent, ut in ipsa prima Synodo provinciali, post finem praesentis Concilii habenda, ea omnia et singula, quae ab hac sancta Synodo definita et statuta sunt, palam recipiant; nec non veram obedientiam summo Romano Pontifici spon-

deant et profiteantur; simulque haereses omnes, a sacris Canonibus et generalibus Conciliis, praesertimque ab eadem Synodo damnatas, publice detestentur et anathematizent. Idemque in posterum quicumque in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcoposque promovendi, in prima Synodo „*provinciali*", in qua ipsi interfuerint, omnino observent. Quod si quis ex supradictis omnibus quod absit renuerit, Episcopi comprovinciales statim summum Romanum Pontificem admonere sub poena divinae indignationis teneantur, interimque ab ejusdem communione abstineant.

§. 501. Ceteri vero omnes sive in praesenti sive in futurum beneficia ecclesiastica habituri, et qui in Synodo dioecesana convenire debent, idem ut supra in ea Synodo, quae primo quoque tempore celebrabitur, faciant et observent, alias secundum formam sacrorum Canonum puniantur. Ad haec omnes ii, ad quos Universitatum et studiorum generalium cura, visitatio et reformatio pertinet, diligenter curent, ut ab eisdem Universitatibus Canones et Decreta hujus sanctae Synodi integre recipiantur; ad eorumque normam Magistri, Doctores et alii in eisdem Universitatibus ea, quae catholicae fidei sunt, doceant et interpretentur; seque ad hoc institutum initio cujuslibet anni solenni juramento obstringant: sed et si aliqua alia in praedictis Universitatibus correctione et reformatione digna fuerint, ab eisdem ad quos spectat pro religionis et disciplinae ecclesiasticae „*augumento*" emendentur et statuantur. Quae vero Universitates immediate summi Romani Pontificis protectioni et visitationi sunt subjectae, has sua Beatitudo per ejus delegetos eadem qua supra ratione, et prout ei utilius visum fuerit salubriter visitari et reformari curabit.

## CAPUT III.

*Excommunicationis gladio caute utendum: ubi executio realis aut personalis fieri potest, a censuris abstinendum: civilis magistratus huic rei non se immisceat.*

§. 502. Quamvis Excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticae disciplinae, et ad continendos in offi-

VARIANTES.

§. 500. provinciali *abest a Vird. et Rhem.*
§. 501. *In omnibus aliis editionibus legitur* augmento.

cio populos valde salutaris, sobrie tamen magnaque circumspectione exercendus est, cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quam formidari, et perniciem potius parere quam salutem. Quapropter Excommunicationes illae, „*quas monitionibus*“ praemissis, ad finem revelationis, ut aiunt, aut pro deperditis seu subtractis rebus ferri solent, „*a nemine prorsus*“ praeterquam ab Episcopo decernantur; et tunc non alios, quam ex re non vulgari causaque diligenter, ac magna maturitate per Episcopum examinata, quae ejus animum moveat; nec ad eas concedendas cujusvis saecularis, etiam Magistratus auctoritate adducatur: sed totum hoc in ejus arbitrio et conscientia sit positum: quando ipse „*pro re, loco, persona*“ aut tempore eas decernendas esse judicaverit.

§. 503. In causis vero judicialibus mandatur omnibus judicibus ecclesiasticis cujuscumque dignitatis existant, ut quandocumque executio realis vel personalis in qualibet parte judicii propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se tam in procedendo quam definiendo a censuris ecclesiasticis seu interdicto; sed liceat eis, si expedire videbitur, in causis civilibus, ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscumque etiam laicos, per multas pecuniarias, quae locis piis ibi existentibus, eo ipso, quod exactae fuerint, assignentur: seu per captionem pignorum, personarumque districtionem, per suos proprios aut alienos executores faciendam, sive etiam per privationem beneficiorum, aliaque juris remedia procedere, et causas definire.

§. 504. Quod si executio realis, vel personalis adversus reos hac ratione fieri non poterit, sitque erga judicem contumacia; tunc eos etiam anathematis mucrone, arbitrio suo, praeter alias poenas ferire poterit. In causis quoque criminalibus, ubi executio realis vel personalis ut supra fieri poterit, erit a censuris abstinendum: sed si dictae executioni facile locus esse non possit, licebit judici hoc spirituali gladio in delinquentes uti, si tamen delicti qualitas, praecedente bina saltem monitione, etiam per edictum, id postulet.

VARIANTES.

§. 502. quae monitionibus *Rom. 1. 4. 5. Lov. 3. Dil. et Ven. 2.*
nemini prorsus *Vird. et Rhem.*
pro re, persona, loco *Vird. Rhem.*

§. 505. Nefas autem sit saeculari cuilibet Magistratui prohibere ecclesiastico judici, ne quem excommunicet; aut mandare, ut latam Excommunicationem revocet, sub praetextu, quod contenta in praesenti Decreto non sint observata; cum non ad saeculares sed ad ecclesiasticos haec cognitio pertineat.

§. 506. Excommunitatus vero quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad Sacramenta et Communicationem fidelium, ac familiaritatem non recipiatur, sed si obdurato animo, censuris annexus, in illis per annum insorduerit, etiam contra eum tamquam de haeresi suspectum procedi possit.

## CAPUT IV.

*Ubi nimius est Missarum celebrandarum numerus, provideant Episcopi, Abbates et Generales Ordinum, prout expedire judicaverint.*

§. 507. Contingit saepe in quibusdam Ecclesiis vel tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impositum esse, ut illis pro singulis diebus a testatoribus praescriptis nequeat satisfieri, vel eleemosynam hujusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem esse, ut non facile inveniatur qui velit huic se muneri subjicere, unde depereunt piae testantium voluntates, et eorum conscientias, ad quos praedicta spectant, onerandi occasio datur. Sancta Synodus, cupiens haec ad pios usus relicta, quo plenius ei utilius potest impleri, facultatem dat Episcopis, ut in Synodo dioecesana, itemque Abbatibus et Generalibus Ordinum, ut in suis Capitulis generalibus, re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia in praedictis Ecclesiis, quas hac provisione indigere cognoverint, statuere circa haec, quidquid magis ad Dei honorem et cultum atque Ecclesiarum utilitatem viderint expedire; ita tamen, ut eorum semper functorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ea ad pios usus reliquerunt.

## CAPUT V.

*Serventur conditiones et onera beneficiis injuncta.*

§. 508. Ratio postulat, ut illis, quae bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur. Quando

igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione seu fundatione, aut aliis constitutionibus, qualitates aliquae requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta, in beneficiorum collatione, seu in quacumque alia dispositione, eis non derogetur. Idem in Praebendis theologalibus, magistralibus, doctoralibus aut presbyteralibus, diaconalibus ac subdiaconalibus, quandocumque ita constituta fuerint, observetur, ut eorum qualitatibus vel ordinibus nihil in ulla provisione detrahatur, et aliter facta provisio surreptitia censeatur.

## CAPUT VI.

*Quomodo se gerere debeat Episcopus circa visitationem Capitulorum exemptorum.* (§. 100. 247.)

§. 509. Statuit sancta Synodus, ut in omnibus Ecclesiis cathedralibus et collegiatis Decretum sub fel. rec. Paulo III., quod incipit: *Capitula cathedralium*, observetur non solum, quando Episcopus visitaverit, sed et quoties ex officio vel ad petitionem alicujus, contra aliquem ex contentis in dicto Decreto, procedat: ita tamen, ut cum extra visitationem processerit infrascripta omnia locum habeant: videlicet, ut Capitulum initio cujuslibet anni eligat ex Capitulo duos, de quorum consilio et assensu Episcopus vel ejus Vicarius, tam in formando processum, quam in ceteris omnibus actibus usque ad finem causae inclusive, coram Notario tamen ipsius Episcopi, et in ejus domo, aut consueto tribunali procedere teneatur. Unum autem tantum sit utriusque votum; possitque alter Episcopo accedere. Quod si ambo ab Episcopo discordes in aliquo actu seu interlocutoria vel definitiva sententia fuerint; tunc intra sex dierum spatium cum Episcopo tertium eligant. Et si in electione tertii etiam discordent; ad viciniorem Episcopum electio devolvatur; et juxta eam partem, cum qua tertius conveniet, articulus in quo erat discordia terminetur: alias processus, et inde secuta nulla sint, nullosque producant juris effectus.

§. 510. In criminibus tamen ex incontinentia provenientibus, de qua in Decreto de concubinariis, et in atrocioribus delictis, depositionem aut degradationem requirentibus, ubi de fuga timetur, ne judicium eludatur, et ideo opus sit personali detentione, possit initio solus Episcopus ad summariam informationem et neces-

sariam detentionem procedere: servato tamen in reliquis ordine praemisso. In omnibus autem casibus ea ratio habeatur, ut juxta qualitatem delicti ac personarum, delinquentes ipsi in loco decenti custodiantur. Episcopis praeterea ubique is honos tribuatur, qui eorum dignitati par est, eisque in Choro et in Capitulo, in Processionibus et aliis actibus publicis sit prima sedes et locus, quem ipsi elegerint, et praecipua omnium rerum agendarum auctoritas. Qui si aliquid Canonicis ad deliberandum proponant; nec de re ad suum, vel suorum commodum spectante agatur: Episcopi ipsi Capitulum convocent, vota exquirant, et juxta ea concludant. Absente vero Episcopo omnino hoc ab iis de Capitulo, ad quos hoc de jure vel consuetudine spectat, perficiatur, nec ad id Vicarius Episcopi admittatur. Ceteris autem in rebus Capituli jurisdictio et potestas, si qua eis competit, et bonorum administratio salva et intacta omnino relinquatur.

§. 511. Qui vero non obtinent dignitates, nec sunt de Capitulo, hi omnes in causis ecclesiasticis Episcopo subjiciantur: non obstantibus quoad supradicta privilegiis, etiam ex fundatione competentibus, nec non consuetudinibus etiam immemorabilibus, sententiis, juramentis, concordiis, quae tantum suos obligent auctores: salvis tamen in omnibus privilegiis, quae Universitatibus studiorum generalium seu earum personis sunt concessa. Haec autem omnia et singula in iis Ecclesiis locum non habeant, in quibus Episcopi, aut eorum Vicarii ex constitutionibus, vel privilegiis, aut consuetudinibus, sive concordiis, seu quocumque alio jure majorem habent potestatem, auctoritatem ac jurisdictionem, quam praesenti Decreto sit comprehensum, quibus sancta Synodus derogare non intendit.

## CAPUT VII.

*Accessus et regressus ad beneficia tolluntur: Coadjutor quomodo, cui et ex qua causa concedendus.*

§. 512. Cum in beneficiis ecclesiasticis ea, quae haereditariae successionis imaginem referunt, sacris constitutionibus sint odiosa, et Patrum Decretis contraria, nemini in posterum accessus aut regressus, etiam de consensu, ad beneficium ecclesiasticum cujuscumque qualitatis concedatur; nec hactenus concessi suspendantur,

extendantur aut transferantur. Hocque Decretum in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, ac etiam cathedralibus Ecclesiis, ac in quibuscumque personis, etiam cardinalatus honore fulgentibus, locum habeat. In coadjutoriis quoque cum futura successione idem posthac observetur, ut nemini in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis permittantur. Quod si quando Ecclesiae cathedralis, aut monasterii urgens necessitas, aut evidens utilitas postulet Praelato dari coadjutorem; is non alias cum futura successione detur, quam haec causa prius diligenter a sanctissimo Romano Pontifice sit cognita; et qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quae a jure, et Decretis hujus sanctae Synodi in Episcopis et Praelatis requiruntur: alias concessiones super his factae subreptitiae esse censeantur.

## CAPUT VIII.

*In Hospitalibus quid servandum sit. Administratorum negligentia a quibus, et qua ratione coërcenda.*

(§. 149.)

§. 513. Admonet sancta Synodus quoscumque ecclesiastica beneficia, saecularia seu regularia obtinentes, ut hospitalitatis officium, a sanctis Patribus frequenter commendatum, quantum per eorum proventus licebit, prompte, benigne exercere assuescant; memores, eos qui hospitalitatem amant Christum in hospitibus recipere (*Matth. XXV, 35.*). Illis vero, qui Hospitalia vulgo nuncupata seu alia pia loca, ad peregrinorum, infirmorum, senum pauperumve usum praecipue instituta, in commendam, administrationem aut quemcumque titulum, aut etiam Ecclesiis suis unita, obtinent; vel si Ecclesiae parochiales, Hospitalibus forte unitae, aut in Hospitalia erectae, earumque Patronis in administrationem concessae sint; praecipit omnino, ut impositum illis onus, officiumve administrent, atque hospitalitatem, quam debent, ex fructibus ad id deputatis actu exerceant, juxta Constitutionem Concilii Viennensis, alias in hac eadem Synodo, sub fel. rec. Paulo III. innovatam, quae incipit: *Quia contigit (XI.).*

§. 514. Quod si Hospitalia haec ad certum peregrinorum aut infirmorum aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta; nec in loco, ubi sunt

dicta Hospitalia, similes personae aut perpaucae reperiantur; mandat adhuc, ut fructus illorum in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco et tempore utilior, convertantur, prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum usu peritiores sint, per ipsum deligendis, magis expedire visum fuerit, nisi aliter forte, etiam in hunc eventum, in eorum fundatione aut institutione fuerit expressum, quo casu, quod ordinatum fuit, observari curet Episcopus; aut, si id non possit, ipse prout supra utiliter provideat.

§. 515. Itaque si praedicti omnes et singuli, cujuscumque ordinis et religionis et dignitatis, etiam si laici fuerint, qui administrationem Hospitalium habent, non tamen Regularibus subjecti, ubi viget regularis observantia, ab Ordinario moniti, hospitalitatis munus, adhibitis omnibus ad quae tenentur necessariis, re ipsa obire cessaverint; non solum per ecclesiasticas censuras et alia juris remedia ad id compelli possint; sed etiam Hospitalis ipsius administratione curave perpetuo privari possint, aliique eorum loco ab iis, ad quos spectabit, substituantur. Et praedicti nihilominus, etiam ad fructuum restitutionem, quos contra ipsorum Hospitalium institutionem perceperunt, quae nulla eis remissione aut compositione indulgeatur, in foro conscientiae teneantur, nec administratio seu gubernatio hujusmodi locorum uni et eidem personae ultra „*triennium*“ deinceps committatur; nisi aliter in fundatione cautum reperiatur, non obstante quoad omnia supradicta quacumque unione, exemptione et consuetudine in contrarium, etiam immemorabili, seu privilegiis aut indultis quibuscumque.

## CAPUT IX.

*Quomodo probandum jus patronatus, et cui deferendum. Patronis quid non liceat. Accessiones beneficiorum liberorum ad Ecclesias juris patronatus vetitae. Patronatus non legitime quaesiti revocandi sunt.* (§. 147.)

§. 516. Sicuti legitima patronatuum jura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare aequum non est, sic etiam ut hoc colore beneficia eccle-

VARIANTES.

§. 515. biennium *Vird. et Rhem.*

siastica in servitutem, quod a multis impudenter fit, redigantur, non est permittendum. Ut igitur debita in omnibus ratio observetur, decernit sancta Synodus, ut titulus juris patronatus sit ex fundatione vel dotatione, qui ex authentico documento et aliis jure requisitis ostendatur, sive etiam ex multiplicatis praesentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasve secundum juris dispositionem. In iis vero personis seu „*Communitatibus, vel*" Universitatibus, in quibus id jus plerumque ex usurpatione potius quaesitum praesumi solet, plenior et exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur.

§. 517. Nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quam si, praeter reliqua ad eam necessaria, praesentationes, „*etiam continuatae*", non minori saltem quam quinquaginta annorum spatio, quae omnes effectum sortitae sint, authenticis scripturis probentur. Reliqui patronatus omnes in beneficiis, tam saecularibus quam regularibus, seu parochialibus, vel dignitatibus, aut quibuscumque aliis beneficiis, in cathedrali vel collegiata Ecclesia; seu facultates et privilegia concessa tam in vim patronatus, quam alio quocumque jure nominandi, eligendi, praesentandi ad ea, cum vacant, exceptis patronatibus, super cathedralibus Ecclesiis competentibus, et exceptis aliis, quae ad Imperatorem et Reges, seu regna possidentes, aliosque sublimes, ac supremos Principes, jura imperii in dominiis suis habentes, pertinent; et quae in favorem Studiorum generalium concessa sunt, in totum prorsus abrogata et irrita „*cum quasi possessione inde secuta*" intelligantur. Beneficiaque hujusmodi, tamquam libera, a suis Collatoribus conferantur, ac provisiones hujusmodi plenum effectum consequantur. Ad haec, liceat Episcopo, praesentatos a patronis, si idonei non fuerint, repellere. Quod si ad inferiores institutio pertineat; ab Episcopo tamen, juxta alias statuta ab hac sancta Synodo, examinentur, alioquin institutio, ab inferioribus facta, irrita sit et inanis.

VARIANTES.

§. 516. *verba:* Communitatibus, vel *desunt in Vird. Rhem. Antv. 5. et Col.*

§. 517. essent continuatae *Vird. et Rhem.*

*Verba:* cum quasi possessione inde secuta *absunt a Vird. et Rhem.*

§. 518. Patroni autem beneficiorum, cujuscumque ordinis et dignitatis, etiam si Communitates, Universitates, Collegia quaecumque Clericorum vel Laicorum existant, in perceptione fructuum, proventuum, obventionum quorumcumque beneficiorum, etiam si vere de jure patronatus ipsorum ex fundatione et dotatione essent, nullave causa vel occasione se ingerant; sed illos libere Rectori seu Beneficiato, non obstante etiam quacumque consuetudine, distribuendos dimittant. Nec dictum jus patronatus venditionis, aut alio quocumque titulo in alios contra canonicas sanctiones transferre praesumant. Si secus fecerint, Excommunicationis et Interdicti poenis subjiciantur, et dicto jure patronatus ipso jure privati existant.

§. 519. Insuper accessiones, per viam unionis factae de beneficiis liberis, ad Ecclesias juris patronatui, etiam laicorum, subjectas, tam parochiales, quam ad alia quaecumque beneficia, etiam simplicia, seu dignitates vel hospitalia, ita ut praedicta beneficia libera ejusdem naturae cum iis quibuscum uniuntur efficiantur, atque sub jure patronatus constituantur. Hae si nondum plenarium sortitae sunt effectum, vel deinceps ad cujusvis instantiam fient, quacumque auctoritate etiam apostolica concessae fuerint, simul cum unionibus ipsis per subreptionem obtentae intelligantur: non obstante quacumque in iis verborum forma seu derogatione, quae habeatur pro expressa: nec executioni amplius demandentur; sed beneficia ipsa unita, cum vacaverint, libere ut antea conferantur. Quae vero a quadraginta annis citra factae, effectum et plenam incorporationem sunt consecutae, hae nihilominus ab Ordinariis, tamquam a Sede apostolica delegatis, revideantur et examinentur; ac quae per subreptionem, vel obreptionem obtentae fuerint, simul cum unionibus irritae declarentur, ac beneficia ipsa separentur et aliis conferantur.

§. 520.* Similiter quoque patronatus quicumque in Ecclesiis, et quibuscumque aliis beneficiis, etiam dignitatibus antea liberis, acquisiti a quadraginta annis citra, et in futurum acquirendi, seu ex „*augumento*“ dotis, seu ex nova constructione vel alia simili causa, etiam

VARIANTES.

§. 520. *In omnibus aliis editionibus legitur:* augmento.

auctoritate Sedis apostolicae, ab iisdem Ordinariis, uti delegatis, ut supra, qui nullius in his facultatibus aut privilegiis impediantur, diligenter cognoscantur: et quos non reperint, ob maxime evidentem Ecclesiae, vel beneficii seu dignitatis necessitatem legitimo constitutos esse, in totum revocent; atque beneficia hujusmodi sine damno illa possidentium, et restituto patronis eo, quod ab eis iccirco datum est, in pristinum libertatis statum reducant: non obstantibus privilegiis, constitutionibus et consuetudinibus etiam immemorabilibus.

## CAPUT X.

*Judices a Synodo designandi, quibus causae a Sede apostolica committantur. Judices omnes breviter causas terminent.*

§. 521. Quoniam ob malitiosam „*petentium*“ suggestionem, et quandoque ob locorum longiquitatem personarum notitia, quibus causae mandantur, usque adeo haberi non potest, hincque interdum judicibus, non undequaque idoneis, causae in partibus delegantur: statuit sancta Synodus, in singulis Concilis provincialibus aut dioecesanis aliquot personas, quae qualitates habeant, juxta Constitutionem Bonifacii VIII. quae incipit, *Statutum (XXIV.)*, et alioquin ad id aptas designari, ut praeter Ordinarios locorum iis etiam posthac causae ecclesiasticae ac spirituales, et ad forum ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandae committantur. Et si aliquem interim ex designatis mori contigerit; substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in ejus locum usque ad futuram provincialem aut dioecesanam Synodum: ita ut habeat quaeque Dioecesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas personas, ac ut supra qualificatas, quibus hujusmodi causae a quolibet Legato vel Nuntio, atque etiam a Sede apostolica committantur: alioquin post designationem factam, quam „*statim*“ Episcopi ad summum Roman. Pont. transmittant, delegationes quaecumque aliorum judicum aliis quam his factae, surreptitiae censeantur.

VARIANTES.

§. 521. potentium *Lov. 3. Antv. 4. 5. Col.*

statim *abest a Vird. et Rhem.*

§. 522. Admonet dehinc sancta Synodus tam ordinarios, quam alios quoscumque judices, ut terminandis causis quanta fieri poterit brevitate studeant; ac litigatorum artibus, seu in litis contestatione, seu alia parte judicii differenda, modis omnibus aut termini praefixione, aut competenti alia ratione occurrant.

## CAPUT XI.

*Locationes quaedam bonorum vel jurium ecclesiasticorum prohibentur: quaedam factae irritantur.*

§. 523. Magnam Ecclesiis perniciem afferre solet, cum earum bona, repraesentanta pecunia, in successorum praejudicium aliis locantur. Omnes igitur hae locationes, si anticipatis solutionibus fient, nullatenus in praejudicium successorum validae intelligantur; quocumque indulto aut privilegio non obstante: nec hujusmodi locationes in Romana Curia vel extra eam confirmentur. Non liceat etiam, jurisdictiones ecclesiasticas seu facultates nominandi, aut deputandi Vicarios in spiritualibus, locare; nec conductoribus per se, aut alios ea exercere: aliterque concessiones, etiam a Sede apostolica factae, surreptitiae censeantur. Locationes vero rerum ecclesiasticarum, etiam auctoritate apostolica confirmatas, sancta Synodus irritas decernit, quas a triginta annis citra, ad longum tempus, seu ut in nonnullis partibus „*ad viginti novem*“, „*seu bis viginti novem*“ annos, vocant factas: Synodus provincialis, vel deputandi ab ea, in damnum Ecclesiae, et contra canonicas sanctiones contractas fuisse judicabunt.

## CAPUT XII.

*Decimae integre persolvendae: eas subtrahentes sive impedientes excommunicandi. Rectoribus Ecclesiarum tenuiorum pie subveniendum.*

§. 524. Non sunt ferendi, qui variis artibus Decimas Ecclesiis obvenientes subtrahere moliuntur; aut qui ab aliis solvendas temere occupant et in rem suam ver-

VARIANTES.

§. 523. a viginti *Lov. 3. et Antv. 4.*

*verba:* seu bis viginti novem *absunt a Rom. 5.*

tunt: cum Decimarum solutio debita sit Deo, et qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Praecipit igitur sancta Synodus omnibus, cujuscumque gradus et conditionis sint, ad quos Decimarum solutio spectat, ut eas, ad quas de jure teneantur, in posterum cathedrali aut quibuscumque aliis Ecclesiis vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvant. Qui vero eas aut subtrahunt aut impediunt, excommunicentur. Nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secura, absolvantur. Hortatur dehinc omnes et singulos, pro christiana caritate, debitoque erga Pastores suos munere, ut de bonis sibi a Deo collatis, Episcopis et Parochis, qui tenuioribus praesunt Ecclesiis, large subvenire ad Dei laudem, atque ad Pastorem suorum qui pro eis invigilant dignitatem tuendam, non graventur.

## CAPUT XIII.

*Quarta funeralium cathedralibus vel parochialibus Ecclesiis persolvatur.*

§. 525. Decernit sancta Synodus, ut quibuscumque in locis, jam ante annos quadraginta, quarta, quae funeralium dicitur, cathedrali aut parochiali Ecclesiae solita esset persolvi, ac postea fuerit ex quocumque privilegio, aliis monasteriis, hospitalibus aut quibuscumque locis piis concessa, eadem posthac integro jure, et eadem portione, quae antea solebat, cathedrali seu parochiali Ecclesiae persolvatur: non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis, etiam mari magno nuncupatis, aut aliis quibuscumque.

## CAPUT XIV.

*Praescribitur ratio procedendi in Clericos concubinarios.*

§. 526. Quam turpe ac Clericorum nomine, qui se divino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitiae sordibus immundoque concubinatu versari, satis res ipsa, communi fidelium omnium offensione, summoque clericalis militiae dedecore, testatur. Ut igitur ad eam quam decet continentiam ac vitae integritatem Ministri Ecclesiae revocentur, populusque hinc eos magis discat revereri, quo illos vita honestiores cognoverit: prohibet sancta Syuodus quibuscumque Clericis, ne concubinas,

aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio in domo vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant: alioquin poenis, a sacris Canonibus vel Statutis Ecclesiarum impositis, puniantur. Quod si, a Superioribus moniti, ab iis se non abstinuerint; tertia parte fructuum, obventionum ac proventuum beneficiorum suorum quorumcumque et pensionum ipso facto sint privati, quae fabricae Ecclesiae aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicetur.

§. 527. Sin vero in delicto eodem cum eadem vel alia femina perseverantes, secundae monitioni adhuc non paruerint; non tantum fructus omnes ac proventus suorum beneficiorum et pensiones eo ipso amittant, qui praedictis locis applicentur, sed etiam a beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius etiam uti Sedis apostolicae delegatus arbitrabitur, suspendantur: et si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam versentur; tunc beneficiis, portionibus ac officiis et pensionibus quibuscumque ecclesiasticis perpetuo priventur, atque inhabiles ac indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis ac officiis in posterum reddantur; donec post manifestam vitae emendationem ab eorum Superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum.

§. 528. Sed si, postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint; praeter praedictas poenas, Excommunicationis gladio plectantur. Nec quaevis appellatio aut exemptio praedictam executionem impediat aut suspendat, supradictorumque omnium cognitio, non ad Archidiaconos, nec „*Decanos*“, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat, qui sine strepitu et figura judicii, et sola facti veritate inspecta, procedere possint. Clerici vero beneficia ecclesiastica aut pensiones non habentes, juxta delicti et contumaciae perseverantiam, et qualitatem ab ipso Episcopo carceris poena, suspensione ab Ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis, juxta sacros Canones puniantur. Episcopi quoque, quod absit, si ab hujusmodi crimine non abstinuerint, et a Synodo

VARIANTES.

§. 528. diaconos *Lov. 3. Antv. 5. Col.*

provinciali admoniti, se non emendaverint; ipso facto sint suspensi, et, si perseverent, etiam ad „sanctissimum" Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpae, etiam per privationem, si opus erit, in eos animadvertat.

## CAPUT XV.

*Filii Clericorum a quibusdam beneficiis et pensionibus arceantur.*

§. 529. Ut paternae incontinentiae memoria a locis Deo consecratis, quos maxime puritas sanctitasque decet, longissime arceatur; non liceat filiis Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in Ecclesiis, ubi eorum patres beneficium aliquod ecclesiasticum habent aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quae parentes eorum obtinent vel alias obtinuerunt, habere. Quod si in praesenti pater et filius in eadem Ecclesia beneficia obtinere reperiantur; cogatur filius suum beneficium resignare, aut cum alio permutare extra Ecclesiam intra trium mensium spatium: alias ipso jure eo privatus existat, et super iis quaecumque dispensatio subreptitia censeatur. Ad haec, reciprocae resignationes, si quae posthac a parentibus Clericis in favorem filiorum fient, ut alter alterius beneficium consequatur, in fraudem hujus Decreti et canonicarum Sanctionum factae omnino censeantur: nec collationes securae, vigore hujusmodi resignationum, seu aliarum quarumcumque, quae in fraudem factae fuerint, ipsis Clericorum filiis suffragentur.

## CAPUT XVI.

*Beneficia curata non convertantur in simplicia: fructuum congrua portio assignetur Vicario exercenti curam animarum.*

§. 530. Statuit sancta Synodus, ut ecclesiastica

VARIANTES.

§. 528. summum *Vird. Rhem.*

beneficia saecularia, quocumque nomine appellentur, quae curam animarum ex primaeva eorum institutione aut aliter quomodocumque retinent, illa deinceps in simplex beneficium, etiam assignata Vicario perpetuo congrua portione, non convertantur: non obstantibus quibuscumque gratiis, quae suum plenarium effectum non sunt consecutae. In iis vero, in quibus contra earum institutionem seu fundationem cura animarum in Vicarium perpetuum translata est, etiam si in hoc statu ab immemorabili tempore reperiantur, si congrua portio fructuum Vicario Ecclesiae, quocumque nomine is appelletur, non fuerit assignata, ea quamprimum, et ad minus intra annum a fine praesentis Concilii, arbitrio Ordinarii, juxta formam Decreti sub fel. rec. Paulo III. (§. 141.) assignetur. Quod si id commode fieri non possit, aut intra dictum terminum factum non erit, cum primum per cessum vel decessum Vicarii seu Rectoris, aut quomodolibet alterum eorum vacaverit; beneficium curam animarum recipiat, ac Vicariae nomen cesset, et in antiquum statum restituatur.

## CAPUT XVII.

*Episcopi dignitatem suam custodiant; nec cum Regum Ministris, Regulis aut Baronibus indigna demissione se gerant.*

§. 531. Non potest sancta Synodus non graviter dolere, audiens Episcopos aliquos, sui status oblitos, pontificiam dignitatem non leviter dehonestare; qui cum Regum Ministris, Regulis et Baronibus in Ecclesia et extra, indecenti quadam demissione se gerunt, et veluti inferiores ministri altaris, nimis indigne non solum loco cedunt, sed etiam personaliter illis inserviunt. Quare haec et similia detestans sancta Synodus, sacros Canones omnes, Conciliaque generalia, atque alias apostolicas Sanctiones ad dignitatis episcopalis decorum et gravitatem pertinentes renovando, praecipit, ut ab hujusmodi in posterum Episcopi se abstineant; mandans eisdem, ut tam in Ecclesia quam foris suum gradum et Ordinem prae oculis habentes, ubique se Patres et Pastores esse meminerint; reliquis vero tam Principibus quam ceteris omnibus, ut eos paterno honore ac debita reverentia prosequantur.

## CAPUT XVIII.

*Canones exacte serventur: si quando in eis dispensandum, id summa maturitate fiat.*

§. 532. Sicuti publice expedit, legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius, evenientibus casibus et necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat: sic frequentius legem solvere, exemploque potius quam certo personarum rerumque delectu, petentibus indulgere, nil aliud est, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant universi, sacratissimos Canones exacte ab omnibus, et quoad ejus fieri poterit indistincte observandos. Quod si urgens justaque ratio, et major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse; id causa cognita ac summa maturitate atque gratis a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit praestandum: aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.

## CAPUT XIX.

*Monomachia poenis gravissimis irrogatis prohibetur.*

§. 533. Detestabilis duellorum usus, fabricante Diabolo, introductus, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex christiano orbe penitus exterminetur: Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, et quocumque alio nomine, Domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint; eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione et dominio civitatis, castri aut loci, in quo vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur; et, si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur. Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis ac omnium bonorum suorum proscriptionis ac perpetuae infamiae poenam incurrant, et ut homicidae, juxta sacros Canones, puniri debeant. Et, si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consilium in causa duelli, tam in jure quam facto dederint, aut alia quacumque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis ac perpetuae maledictionis vinculo teneantur: non obstante quocumque privilegio, seu prava consuetudine etiam immemorabili.

## CAPUT XX.

*Immunitas, libertas, atque alia jura Ecclesiae Principibus saecularibus commendantur.*

§. 534. Cupiens sancta Synodus ecclesiasticam disciplinam in christiano populo non solum restitui, sed etiam perpetuo sartam tectam a quibuscumque impedimentis conservari; praeter ea, quae de ecclesiasticis personis constituit, saeculares quoque Principes officii sui admonendos esse censuit; confidens eos, ut Catholicos, quos Deus sanctae fidei Ecclesiaeque protectores esse voluit, jus suum Ecclesiae restitui, non tantum esse concessuros, sed etiam subditos suos omnes ad debitam erga Clerum, Parochos, et superiores Ordines reverentiam revocaturos; nec permissuros, ut Officiales, aut inferiores Magistratus Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione et canonicis Sanctionibus constitutam, aliquo cupiditatis studio seu inconsideratione aliqua violent; sed una cum ipsis Principibus debitam sacris summorum Pontificum, et Conciliorum Constitutionibus observantiam praestent.

§. 535. Decernit itaque et praecipit, sacros Canones et Concilia generalia omnia, nec non alias apostolicas Sanctiones in favorem ecclesiasticarum personarum, libertatis ecclesiasticae, et contra ejus violatores editas, quae omnia praesenti etiam Decreto innovat, exacte ab omnibus observari debere. Praetereaque admonet Imperatorem, Reges, Respublicas, Principes, et omnes et singulos cujuscumque status et dignitatis extiterint, ut, quo largius bonis temporalibus atque in alios potestate sunt ornati, eo sanctius, quae ecclesiastici juris sunt, tamquam Dei praecipua ejusque patrocinio tecta, venerentur; nec ab ullis Baronibus, Domicellis, Rectoribus aliisve Dominis temporalibus, seu Magistratibus, maximeque Ministris ipsorum Principum laedi patiantur; sed severe in eos, qui illius libertatem, immunitatem atque jurisdictionem impediunt, animadvertant: quibus etiam ipsimet exemplo ad pietatem, religionem Ecclesiarumque protectionem existant; imitantes anteriores optimos religiosissimosque Principes, qui res Ecclesiae sua in primis auctoritate ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorum injuria vindicarunt. Adeoque ea in re quisque officium suum sedulo praestet; quo cultus divinus devote

exerceri et Praelati ceterique Clerici in residentiis, et officiis suis, quieti et sine impedimentis, cum fructu et aedificatione populi permanere valeant.

## CAPUT XXI.

*In omnibus salva Sedis apostolicae auctoritas maneat.*

§. 536. Postremo sancta Synodus, omnia et singula, sub quibuscumque clausulis et verbis, quae de morum reformatione atque ecclesiastica disciplina, tam sub fel. rec. Paulo III. ac Julio III., quam sub beatissimo Pio IV., Pontificibus maximis, in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat, ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis apostolicae et sit et esse intelligatur.

*Decretum de continuanda Sessione in diem sequentem.*

§. 537. Cum ea omnia quae in praesenti Sessione tractanda erant, quia hora tarda est, commode expediri non possint; propterea juxta id quod in generali Congregatione a Patribus statutum fuit, ea quae supersunt in diem crastinam, hanc eandem Sessionem continuando, differuntur.

## CONTINUATIO
### SESSIONIS DIE IV. DECEMBRIS.

*Decretum de Indulgentiis.*

§. 538. „*Cum potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit* (*Matth.* XVI, 19. *Jo.* XX, 23.) *; atque hujusmodi potestate*, divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit: sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum, christiano populo maxime salutarem et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet et praecipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. In his tamen concedendis moderationem, juxta veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit; ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero, qui in his

VARIANTES.

§. 538. Cum potestas ligandi et solvendi, atque etiam indulgentias conferendi, a Christo Ecclesiae concessa sit, eaque potestate *Vird. et Rhem.*

irrepserunt, et quorum occasione insigne hoc Indulgentiarum nomen ab Haereticis blasphematur, emendatos et correctos cupiens, praesenti Decreto generaliter statuit, pravos quaestus omnes pro his consequendis, unde plurima in christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse.

§. 539. Ceteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia aut aliunde quomodocumque provenerunt, cum ob multiplices locorum et provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commode nequeant specialiter prohiberi; mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus Ecclesiae suae colligat, eosque in prima Synodo provinciali referat, ut aliorum quoque Episcoporum sententia cogniti, statim ad summum Romanum Pontificem deferantur: cujus auctoritate et prudentia, quod universali Ecclesiae expediet, statuatur; ut ita sanctarum Indulgentiarum munus pie, sancte et incorrupte omnibus fidelibus dispensetur.

*De delectu ciborum, jejuniis et diebus festis.*

§. 540. Insuper hortatur sancta Synodus, et per sanctissimum Domini nostri atque Salvatoris adventum Pastores omnes obtestatur, ut tamquam boni milites illa omnia, quae sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum mater et magistra, statuit, nec non ea quae tam in hoc Concilio, quam in aliis oecumenicis statuta sunt, quibuscumque fidelibus sedulo commendent: omnique diligentia utantur, ut illis omnibus, et iis praecipue sint obsequentes, quae ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus et jejunia; vel etiam, quae faciunt ad pietatem augendam, ut dierum festorum devota et religiosa celebratio; admonentes populos crebro, obedire Praepositis suis (*Luc. X, 16. Hebr. XIII, 17.*), quos qui audiunt, Deum remuneratorem audient, qui vero contemnunt, Deum ipsum ultorem sentient.

*De Indice librorum et Catechismo, Breviario et Missali.*

§. 541. Sacrosancta Synodus in secunda Sessione, sub sanctissimo Domino nostro, Pio IV. celebrata, delectis quibusdam Patribus commisit, ut de variis censuris, ac libris vel suspectis vel perniciosis, quid facto opus esset, considerarent, atque ad ipsam sanctam Synodum referrent; audiens nunc, huic operi ab eis extre-

mam manum impositam esse; nec tamen ob librorum varietatem et multitudinem, distincte et commode possit a sancta Synodo dijudicari; praecipit, ut quidquid ab illis praestitum est, sanctissimo Romano Pontifici exhibeatur, ut ejus judicio atque auctoritate terminetur et evulgetur. Idemque de Catechismo a Patribus, quibus illud mandatum fuerat, et de Missali et Breviario fieri mandat.

*De loco Oratorum.*

§. 542. Declarat sancta Synodus, ex loco assignato Oratoribus, tam ecclesiasticis quam saecularibus, in sedendo, incedendo aut quibuscumque aliis actibus, nullum cuiquam eorum factum fuisse praejudicium; sed omnia illorum, et Imperatoris, Regum, Rerumpublicarum ac Principum suorum jura et praerogativas illaesas et salvas esse, in eodemque statu permanere, prout ante praesens Concilium reperiebantur.

*De recipiendis et observandis Decretis Concilii.*

§. 543. Tanta fuit horum temporum calamitas et Haereticorum inveterata malitia, ut nihil tam clarum in fide nostra asserenda umquam fuerit aut tam certo statutum, quod non, humani generis hoste suadente, illi errore aliquo contaminaverint. Eo propter sancta Synodus id potissimum curavit, ut praecipuos Haereticorum nostri temporis errores damnaret et anathematizaret, veramque et catholicam doctrinam traderet et doceret, prout damnavit, anathematizavit et definivit. Cumque tamdiu tot Episcopi, ex variis christiani orbis provinciis evocati, sine magna gregis sibi commissi jactura et universali periculo ab Ecclesiis abesse non possint; nec ulla spes restet, Haereticos, toties, fide etiam publica quam desiderarunt invitatos et tamdiu exspectatos, huc amplius adventuros; ideoque tandem huic sacro Concilio finem imponere necesse sit: superest nunc, ut Principes omnes, quod facit, in Domino moneat, ad operam suam ita praestandam, ut quae ab ea decreta sunt, ab Haereticis depravari aut violari non permittant, sed ab his et omnibus devote recipiantur, fideliter observentur.

§. 544. Quod si in his recipiendis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quae declarationem, quod non credit, aut definitionem postulent; praeter alia re-

media in hoc Concilio instituta, confidit sancta Synodus beatissimum Romanum Pontificem curaturum, ut vel evocatis ex illis praesertim provinciis, unde difficultas orta fuerit, iis, quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam Concilii generalis celebratione, si necessarium iudicaverit, vel commodiore quacumque ratione ei visum fuerit, provinciarum necessitatibus pro Dei gloria et Ecclesiae tranquillitate, consulatur.

*De recitandis Decretis Concilii sub Paulo III., et Julio III., in Sessione.*

§. 545. Quoniam diversis temporibus, tam sub fel. rec. Paulo III., quam Julio III., multa in hoc sacro Concilio, quoad dogmata ac morum reformationem, statuta et definita sunt; vult sancta Synodus, ut illa nunc recitentur et legantur.

*Recitata sunt.*

*De fine Concilii et confirmatione petenda a sanctissimo Domino nostro.*

§. 546. Illustrissimi Domini reverendissimique Patres, placetne vobis, ut ad laudem Dei omnipotentis huic sacrae oecumenicae Synodo finis imponatur? et omnium et singulorum, quae tam sub fel. rec. Paulo III., et Julio III., quam sub sanctissimo Domino nostro Pio quarto, Romanis Pontificibus, in ea decreta et definita sunt, confirmatio nomine sanctae hujus Synodi per apostolicae Sedis Legatos et Praesidentes a beatissimo Romano Pont. petatur.

*Responderunt*, Placet.

VARIANTES.

§. 546. *In editt. Antv. Col. et Lov. 3. verba Legati Moroni subjiciuntur hoc modo:*

Verba illustrissimi Legati Moroni.

Placuit omnibus Patribus finem huic sacro Concilio imponi, confirmationemque a sanctissimo Domino nostro peti: tribus duntaxat exceptis, qui confirmationem se non petere dixerunt. Ideoque nos apostolicae Sedis Legati et Praesidentes eidem sacro Concilio finem imponimus: confirmationem vero quamprimum a sanctissimo Domino nostro petemus. Vos autem, illustrissimi et reverendissimi Patres, post gratias Deo actas, ite in pace.

*Rem paulo aliter describit Odoricus Raynaldus Annal. ecclesiast. Tom. XXI. Part. 2. ad annum 1563. pag. 520.*

*Postmodum illustrissimus et reverendissimus Cardinalis Moronus, primus Legatus et Praesidens, benedicens sanctae Synodo, dixit: Post gratias Deo actas, reverendissimi Patres, ite in pace. Qui responderunt: Amen.*

## ACCLAMATIONES PATRUM

### IN FINE CONCILII.

### CARDINALIS A LOTHARINGIA:

Beatissimo Pio Papae et Domino nostro, sanctae et universalis Ecclesiae Pontifici, multi anni et aeterna memoria!

### RESPONSIO PATRUM.

Domine Deus, sanctissimum Patrem diutissime Ecclesiae tuae conserva multos annos!

### Card.

Beatissimorum summorum Pontificum animabus Pauli III. et Julii III., quorum auctoritate hoc sacrum generale

VARIANTES.

*edit. Col. 1727. Hic enim, postquam narrasset, Patres fuisse rogatos, an eis placeret, ut confirmatio peteretur? subjicit:*

Et statim Patres omnes interrogati singulariter a reverendissimis Dominis Thelesino Secretario, et Castellanetensi Episcopis, una nobiscum sacri Concilii, et aliis deputatis Notariis suprascriptis, responderunt simpliciter per verbum PLACET, exceptis infrascriptis, qui responderunt, ut sequitur, videlicet: R. D. Archiepiscopus Granatensis: *Placet quod finiatur, sed non peti confirmationem.* Reverendus dominus Episcopus Dertusensis dixit: *Peto confirmationem, tanquam necessariam;* R. D. Pactensis, R. D. Salamantinensis, cum Dertusensi.

*Quibus votis illustrissimis Dominis Legatis et Praesidentibus relatis, illustrissimus Dominus Cardinalis Moronus primus Praesidens praefatus pronuntiavit haec verba:*

Verba primi apostolici Legati:

Placuit omnibus finem huic sacro Concilio imponi, confirmationemque a sanctissimo Domino nostro peti, uno duntaxat excepto, qui eam confirmationem se non petere dixit. Ideoque nos apostolicae Sedis Legati et Praesidentes eidem sacro Concilio finem imponimus, confirmationem vero quam primum a sanctissimo Domino nostro petemus. Vos autem Patres illustrissimi et reverendissimi, post gratias Deo actas, ite in pace.

Concilium inchoatum est, pax a Domino et aeterna gloria, atque felicitas in luce Sanctorum.

R e s p.

Memoria in benedictione sit!

C a r d.

Caroli V. Imperatoris et serenissimorum Regum, qui hoc universale Concilium promoverunt et protexerunt, memoria in benedictione sit.

R e s p.

Amen, amen!

C a r d.

Serenissimo Imperatori Ferdinando, semper augusto, orthodoxo et pacifico, et omnibus Regibus, Rebuspubl. et Principibus nostris, multi anni.

R e s p.

Pium et christianum Imperatorem Domine conserva: Imperator coelestis terrenos Reges, rectae fidei conservatores, custodi!

C a r d.

Apostolicae Romanae Sedis Legatis, et in hac Synodo praesidentibus, cum multis annis magnae gratiae.

R e s p.

Magnas gratias Dominus retribuat!

C a r d.

Reverendissimis Cardinalibus et illustribus Oratoribus.

R e s p.

Magnas gratias, multos annos!

C a r d.

Sanctissimis Episcopis vita, et felix ad Ecclesias suas reditus.

R e s p.

Praeconibus veritatis perpetua memoria: orthodoxo Senatui multos annos

Card.

Sacrosancta oecumenica Tridentina Synodus; ejus Fidem confiteamur, ejus Decreta semper servemus.

Resp.

Semper confiteamur, semper servemus!

Card.

Omnes ita credimus; omnes id ipsum sentimus; omnes consentientes et amplectentes subscribimus. Haec est fides beati Petri et Apostolorum: haec est fides Patrum: haec est fides Orthodoxorum.

Resp.

Ita credimus; ita sentimus, ita subscribimus!

Card.

His Decretis inhaerentes, digni reddamur misericordiis et gratia primi et magni supremi Sacerdotis, Jesu Christi Dei, intercedente simul inviolata Domina nostra sancta Deipara et omnibus Sanctis.

Resp.

Fiat, fiat: amen, amen!

Card.

Anathema cunctis Haereticis.

Resp.

Anathema; anathema!

Post haec mandatum fuit a Legatis et Praesidentibus sub poena excommunicationis omnibus Patribus, ut, antequam discederent a civitate Tridentina, subscriberent manu propria Decretis Concilii, aut ea per publicum instrumentum approbarent. Qui omnes deinde subscripserunt, et fuerunt numero CCLV., videlicet Legati quattuor, Cardinales duo, Patriarchae tres, Archiepiscopi XXV, Episcopi CLXVIII, Abbates septem, Procuratores absentium cum legitimo mandato XXXIX, Generales septem.

## CONFIRMATIO

# CONCILII.

Nos Alexander, Sancti Laurentii in Damaso Diaconus Cardinalis de Farnesio, S. R. E. Vicecancellarius, fidem facimus et attestamur, qualiter hodie die Mercurii, XXVI. Januarii, M. D. LXIV., pontificatus sanctissimi D. nostri D. Pii, divina providentia Papae quarti, anno quinto, in Consistorio secreto apud S. Petrum, reverendissimi DD. mei, Cardinales Moronus et Simoneta, nuper reversi a sacro Concilio Tridentino, cui uti Sedis apostolicae Legati praeerant, petierunt ab eodem sanctissimo D. nostro ut infra:

Beatissime Pater, in Decreto super fine Concilii oecumenici Tridentini, pridie nonas Decembris praeteriti publicato, statutum fuit, ut per Sanctitatis vestrae et sanctae Sedis apostolicae Legatos et Praesidentes peteretur nomine dicti Concilii a Sanctitate vestra confirmatio omnium et singulorum, quae tam sub fel. rec. Paulo III. et Julio III., quam sub Sanctitate vestra in eo decreta et definita sunt. Quapropter nos, Joannes Cardinalis Moronus et Ludovicus Cardinalis Simoneta, qui tunc Legati et Praesidentes eramus, volentes exequi quod in dicto Decreto stabilitum fuit, humiliter petimus nomine dicti Concilii oecumenici Tridentini, ut Sanctitas vestra dignetur confirmare omnia et singula, quae tam sub fel. rec. Paulo III. et Julio III., quam sub Sanctitate vestra in eo decreta et definita sunt.

Quibus auditis, Sanctitas sua, viso et lecto tenore dicti Decreti, et habitis votis reverendissimorum DD. meorum Cardinalium, respondit per haec verba:

Petitioni nomine Concilii oecumenici Tridentini super ejus confimatione per dictos Legatos nobis factae annuentes, omnia et singula, quae in dicto Concilio tam sub fel. rec. Paulo III. et Julio III., praedecessoribus nostris, quam pontificatus nostri tempore decreta et definita sunt, auctoritate apostolica, etiam de venerabilium Fratrum nostrorum Cardinalium consilio et assensu, matura cum illis deliberatione praehabita, confirmamus atque ab omnibus Christi fidelibus recipi et inviolabiliter observari mandamus, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen.

Ita est.

*A. Cardinalis Farnesius, Vicecancell.*

## BULLA S. D. N. PII, DIVINA PROVIDENTIA PAPAE QUARTI, SUPER CONFIRMATIONE OECUMENICI GENERALIS CONCILII TRIDENTINI.

*Pius Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui respicere dignatus Ecclesiam suam sanctam, tot procellis et tempestatibus agitatam atque vexatam, et gravius in dies laborantem, apto tandem ei subvenit, optatoque remedio. Ad plurimas et perniciosissimas haereses exstirpandas, ad corrigendos mores et restituendam ecclesiasticam disciplinam, ad pacem et concordiam christiani populi procurandam indictum jam pridem in civitatem Tridentinam oecumenicum et generale Concilium a piae memoriae Paulo III., Praedecessore nostro, et Sessionibus aliquot habitis coeptum fuerat: ab ejus autem Successore Julio in eandem urbem revocatum, post alias Sessiones celebratas, variis impedimentis et difficultatibus objectis, ne tum quidem peragi potuerat: itaque diutius intermissum fuerat. non sine maximo moerore piorum omnium, cum quotidie magis Ecclesia ejusmodi remedium imploraret. Nos autem post susceptum Sedis apostolicae regimen, tam necessarium ac salutare opus. sicut pastoralis solicitudo monebat, divinae misericordiae fiducia perficere aggressi, adjuti pio studio carissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Romanorum Imperatoris electi, et aliorum christianorum Regum, Rerumpublicarum ac Principum, tandem consecuti sumus, quod nec diurnis curis elaborare destitimus, quodque a Patre luminum assidue praecati sumus. Cum enim eam in urbem undique ex christiani nominis nationibus convenisset, nostris convocata litteris et sua etiam ipsorum pietate excitata, Episcoporum et aliorum insignium Praelatorum maxima, et oecumenico Concilio digna frequentia, praeter plurimos alios pios et sacrarum litterarum scientia, divinique et humani juris cognitione praestantes viros, praesidentibus ipsi Synodo Sedis apostolicae Legatis, nobis adeo Concilii libertati faventibus, ut etiam de rebus Sedi apostolicae proprie reservatis liberum ipsi Concilio arbitrium per litteras ad Legatos nostros scri-

ptas, ultro permiserimus, quae de Sacramentis et aliis rebus, quae quidem necessariae visae sint, tractanda, definienda et statuenda restabant, ad confutandas haereses, ad tollendos abusus et emendandos mores, a sacrosancta Synodo summa libertate diligentiaque tractata, et accurate ac mature admodum definita, explicata, statuta sunt. Quibus rebus perfectis, Concilium tanta omnium qui illi interfuerunt concordia peractum fuit, ut consensum eum plane a Domino effectum fuisse constiterit; idque in nostris atque omnium oculis valde mirabile fuerit. Pro quo tam singulari Dei munere supplicationes statim in alma hac urbe indiximus, quae magna Cleri et populi pietate celebratae fuerunt; laudesque et gratias divinae majestati merito persolvendas curavimus, cum ejusmodi Concilii exitus spem magnam et prope certam attulerit fore, ut majores in dies fructus ad Ecclesiam ex ipsius Decretis Constitutionibusque perveniant. Cum autem ipsa sancta Synodus pro sua erga Sedem apostolicam reverentia, antiquorum etiam Conciliorum vestigiis inhaerens, Decretorum suorum omnium, quae nostro et Praedecessorum nostrorum tempore facta sunt, confirmationem a nobis petierit, Decreto de ea re in publica Sessione facto: Nos, ex Legatorum litteris prius, deinde post reditum eorum ex iis quae Synodi nomine diligenter retulerunt, postulatione ipsius Synodi cognita, habita super hac re cum venerabilibus Fratribus nostris, sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, deliberatione matura, sanctique Spiritus in primis auxilio invocato, cum ea Decreta omnia catholica et populo christiano utilia ac salutaria esse cognovissemus, ad Dei omnipotentis laudem, de eorundem Fratrum nostrorum consilio et assensu, in Consistorio nostro secreto illa omnia et singula auctoritate apostolica hodie confirmavimus, et ab omnibus Christi fidelibus suscipienda ac servanda esse decrevimus; sicut harum quoque litterarum tenore ad clariorem omnium notitiam confirmamus, et suscipi observarique decernimus. Mandamus autem in virtute sanctae obedientiae et sub poenis a sacris Canonibus constitutis, aliisque gravioribus, etiam privationis, arbitrio nostro infligendis, universis et singulis venerabilibus Fratribus nostris, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis quibusvis Ecclesiarum Praelatis, cujuscumque status, gradus, ordinis et dignitatis sint, etiam si cardinalatus honore praefulgeant, ut eadem Decreta

et Statuta in Ecclesiis suis, civitatibus et dioecesibus, in judicio et extra judicium diligenter observent, et a subditis quisque suis, ad quos quomodolibet pertinent, inviolabiliter faciant observari: contradictores quoslibet et contumaces, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, etiam in ipsis Decretis contentas, appellatione postposita, compescendo: invocato etiam, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio. Ipsum vero carissimum Filium nostrum Imperatorem electum, ceterosque Reges, Respublicas ac Principes christianos monemus, et per viscera misericordiae Domini nostri Jesu Christi obtestamur, ut, qua pietate Concilio per Oratores suos affuerunt, eadem pietate ac pari studio, divini honoris et populorum suorum salutis causa, pro Sedis quoque apostolicae et sacrae Synodi reverentia, ad ejusdem Concilii exequenda et observanda Decreta Praelatis, cum opus fuerit, auxilio et favore suo adsint, neque adversantes sanae ac salutari Concilii doctrinae opiniones a populis ditionis suae recipi permittant, sed eas penitus interdicant. Ad vitandum praeterea perversionem et confusionem, quae oriri posset, si unicuique liceret, prout ei liberet, in Decreta Concilii commentarios et interpretationes suas edere; apostolica auctoritate inhibemus omnibus, tam ecclesiasticis personis, cujuscumque sint ordinis, conditionis et gradus, quam laicis, quocumque honore ac potestate praeditis, Praelatis quidem sub interdicti ingressus Ecclesiae, aliis vero quicumque fuerint sub excommunicationis latae sententiae poenis, ne quis sine auctoritate nostra audeat ullos commentarios, glossas, annotationes, scholia ullumve omnino interpretationis genus super ipsius Concilii Decretis quaecumque modo edere, aut quidquam quocumque nomine, etiam sub praetextu majoris Decretorum corroborationis aut executionis, aliove quaesito colore, statuere. Si cui vero in eis aliquid obscurius dictum et statutum fuisse, eamque ob causam interpretatione aut decisione aliqua egere visum fuerit; ascendat ad locum, quem Dominus elegit, ad Sedem videlicet apostolicam, omnium fidelium magistram, cujus auctoritatem etiam ipsa sancta Synodus tam reverenter agnovit. Nos enim difficultates et controversias, si quae ex eis Decretis ortae fuerint, nobis declarandas et decidendas, quemadmodum ipsa quoque sancta Synodus decrevit, reservamus, parati, sicut ea de nobis merito confisa est, omnium provincia-

rum necessitatibus ea ratione, quae commodior nobis visa fuerit, providere: decernentes nihilominus irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Ut haec autem ad omnium notitiam perveniant, neve quis excusatione ignorationis uti possit, volumus et mandamus, ut hae litterae per aliquos Curiae nostrae Cursores in Basilica Vaticana principis Apostolorum, et in Ecclesia Lateranensi, tunc, cum in eis populus, ut Missarum solemnibus intersit, congregari solet, palam et clara voce recitentur, et postquam recitatae fuerint, ad valvas earum Ecclesiarum, itemque Concellariae apostolicae, et in loco solito Campi Florae affigantur, ibique, ut legi et omnibus innotescere possint, aliquantisper relinquantur. Cum autem inde amovebuntur, relictis de more ibidem exemplis, in alma urbe ad impressionem tradantur, quo commodius per christiani nominis provincias et regna divulgari possint. Transsumptis quoque earum, quae manu alicujus publici Notarii scripta subscriptave, et sigillo ac subscriptione alicujus personae, in dignitate ecclesiastica constitutae, munita fuerint, fidem sine ulla dubitatione haberi, mandamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae confirmationis, monitionis, inhibitionis, reservationis, voluntatis, mandatorum et decretorum infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Dat. Romae apud Sanctum Petrum, anno incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, septimo Kalend. Februarii, pontificatus nostri anno quinto.

Ego Pius, catholicae Ecclesiae Episcopus.

*Ego F. Card. Pisanus, Episcopus Ostien. Decanus.*
*Ego Fed. Card. Caesius, Episcopus Portuen.*
*Ego Jo. Card. Moronus, Episcopus Tusculan.*
*Ego A. Card. Farnesius, Viceeanc. Episcopus Sab.*

. . . . . . . . .

. . . . . . . . .

*Ego R. Card. S. Angeli, major Poeniten.*

. . . . . . . . .

. . . . . . . . .

. . . . . . . . .

*Ego Jo. Card. S. Vitalis.*
*Ego Jo. Michael, Card. Saracenus.*
. . . . . . . . .
*Ego Jo. Bapt. Cicada, Card. S. Clementis.*
*Ego Scipio, Card. Pisarum.*
*Ego J. Card. Romanus.*
*Ego F. M. G. Card. Alexandrinus.*
*Ego F. Clemens, Card. Araecaeli.*
*Ego Jac., Card. Sabellus.*
. . . . . . . .
. . . . . . . .
*Ego B. Card. Salviatus.*
*Ego Ph. Card. Aburd.*
*Ego Lud. Card. Simoneta.*
. . . . . . . .
. . . . . . . .
*Ego F. Card. Pacieccus y de Tol.*
*Ego M. A. Card. Amulius.*
*Ego Jo. Franc. Card. de Gambara.*
*Ego Carolus, Card. Borromaeus.*
*Ego M. S. Card. Constant.*
*Ego Alph. Card. Gesualdus.*
*Ego Hipp. Card. Ferrar.*
*Ego Franciscus, Card. Gonzaga.*
. . . . . . . .
*Ego Gui. Asc. Diac. Card. Cam.*
*Ego Vitellotius, Card. Vitellius.*
. . . . . . . .
. . . . . . . .
. . . . . . . .
. . . . . . . .

*Ant. Florebellus Lavellinus.*

*H. Cumyn.*

---

## BULLA S. D. N. D. PII,

### DIVINA PROVIDENTIA PAPAE IV.

*Super declaratione temporis ad observanda Decreta sacri oecumenici et generalis Concilii Tridentini.*

*Pius Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

Sicut ad sacrorum Conciliorum Decreta ac Canones, auctoritas atque confirmatio apostolicae Sedis et debet et solet accedere; ita si qua super eis exorta sit dubitatio, eiusdem Sedis judicio et declaratione tollenda est. Ad aures nostras pervenit, multos esse qui dubitent, ex quo tempore coeperint Decreta sacri generalis Concilii Tridentini, ad reformationem et jus positivum dumtaxat spectantia, eos, ad quos pertinent, obligare, illa praesertim, quae tempora certa praestituunt ad provinciales dioecesanasque Synodos celebrandas, ad sacros Ordines suscipiendos, ad religionem profitendam, ad parochiales Ecclesias, aliaque beneficia ecclesiastica, quae ejusdem Concilii Decretis retineri prohibitum sit, resignanda, et ad complures res hujusmodi exsequendas; ac alias omnes ad praedictam reformationem jusque positivum tantum spectantes, quae observari aut evitari debeant. Nos itaque, ut omnis controversia dubitatioque tollatur, motu proprio eam rem, prout rationi, juri et aequitati convenire censuimus, duximus declarandam. Nam etsi ipsius Concilii Decreta etiam de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio et assensu in Consistorio nostro secreto confirmata a nobis fuerunt sub finem mensis Januarii, et ab eo etiam tempore apud hanc sanctam Sedem observari coeperunt: quia tamen non parum temporis in eis Romae diligenter emendateque imprimendis necessario consumptum fuit, et jure etiam communi sancitum est, ut Constitutiones novae vim non nisi post certum tempus obtineant; aequum nobis et justum visum est, praedicta Decreta omnia ad dictam reformationem jusque positivum dumtaxat spectantia a Kalend. Maji proxime praeteriti omnes obligare coepisse, neque post eam diem excusationem cujusquam, quod ea ignoraverit, admittendam. Atque ita apostolica auctoritate declaramus ac definimus, et ab omnibus judicari debere mandamus at-

que statuimus. Decernentes irritum et inane, si quid secus a quoquam quacumque dignitate, auctoritate et potestate praedito contigerit judicari, non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis, aliisque in contrarium facientibus quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae declarationis, definitionis, mandati, statuti et decreti, infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romae, ap. S. Petrum, a. incarnat. dominicae MDLXIV., XV. Kal. Augusti, pontificatus nostri a. V.

*Fed. Card. Caesius.*

*Cae. Glorierius*

*H. Cumyn.*

Registrata apud Caesarem Secretarium.

Anno a nativitate Domini MDLXIV., indictione septima, die vero XX. m. Julii, pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Pii, divina providentia Papae IV. anno V., retroscriptae litterae affixae, lectae et publicatae fuerunt in valvis Basilicarum principis Apostolorum de urbe, et S. Joannis Lateranen., necnon Cancellariae apostolicae, et in acie Campi Florae. Per nos Jac. Carra, et Jul. Parinum, praelibati S. D. N. Papae Cursores.

*Antonius Clerici, Magister Cursorum.*

## MOTUS PROPRIUS S. D. N. D. PII, DIVINA PROVIDENTIA PAPAE IV.

*Per quem deputantur octo Cardinales, qui faciant observari reformationes ab ipso editas, necnon Decreta sacri oecumenici, et generalis Concilii Tridentini.*

### Pius Papa IV.

Motu proprio etc. Alias nos nonnullas Constitutiones et Ordinationes, reformationem majoris Poenitentiari, ac sacrae Poenitentiariae nostrae, ac Vicarii nostri,

ac ejus officii, necnon Camerarii et Camerae apostolicae ac illius causarum Auditoris, necnon Palatii apostolici causarum Auditorum ac Gubernatoris, et Capitolinae curiarum et contradictarum, aliorumque almae urbis nostrae ac Romanae Curiae Tribunalium, et Officiorum concernentes, edidimus: quae tamen (ut intelleximus) ab eorundem officiorum et tribunalium Praefectis, ac Officialibus minus diligenter observantur. Cum autem enixae nostrae voluntatis sit, ut illa, et pariter Decreta sacri Concilii Tridentini, in his, quae ad eorum officia spectant, ab eisdem omnino observentur: Nos propterea considerantes, parum esse, jura condere, nisi sint, qui ea executioni demandari faciant, et in praemissis, prout ex debito pastoralis officii nobis (meritis licet imparibus) injuncti obligamur, salubriter et utiliter providere, praefatasque Constitutiones et Ordinationes, ac Decreta Concilii, quas et quae hic haberi volumus pro expressis, inviolabiliter observari volentes: venerabili fratri nostro Joanni Episcopo Tusculan. Morono, Jo. Michaeli S. Anastasiae Saraceno, ac Jo. Baptistae S. Clementis Cicadae, necnon Michaeli S. Sabinae Alexandrino, Clementi S. Mariae in ara caeli, et Ludovico S. Cyriaci in Thermis Simonettae, ac Caroli S. Martini in montibus Borromaeo Presbyteris, necnon Vitellotio S. Mariae in porticu vitellio nuncupatis, titulorum, Diacono Cardinalibus committimus, et mandamus: quatenus ipsi, seu eorum major pars, conjunctim vel divisim, eorum arbitrio, etiam tamquam executores dictarum litterarum, Constitutionum et Decretorum praedictorum Constitutiones et Ordinationes, ac Decreta praefata juxta tenores eorum, ac litterarum desuper confectarum, per quoscumque Poenitentiariae, Vicariae et Camerae, ac Rotae curiarum, ac tribunalium praedictorum judices et officiales, sub excommunicationis latae sententiae, ac privationis officiorum, et aliis eisdem Cardinalibus bene visis, etiam pecuniarum, eo ipso incurrendis poenis, firmiter observari faciant, et cum effectu: nisi, tam in executione dictorum Decretorum Concilii, quam dictarum litterarum nostrarum, aliqua dubietas aut difficultas emerserit: quo casu ad nos referant, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, ad eos, qui litteris et Decretis praedictis, et eorumdem Cardinalium mandatis non paruerint, ex tunc, prout ex eadem die, et e contra, illorum officiis priva-

tos, necnon ad illa, et alia Romanae Curiae officia in posterum obtinenda inhabiles, ac ipsis ab eisdem officiis sic privatis, illa tamquam per privationem vacantia a Datario nostro vendi, et a quibusvis personis idoneis pro pretio convenienti emi, libere et licite posse auctoritate nostra curent, nuncient, decernant ac declarent, prout nos harum serie nunciamus, decernimus, et declaramus. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis, ac Poenitentiariae et Curiarum: nec non Tribunalium praedictorum statutis etc. etiam juramento etc. roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, ac dictis Officialibus et Tribunalibus sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu simili etc. et alias quomodocumque concessis etc. Quibus omnibus, etc. illorum tenores, etc. hac vice latissime derogamus, eaque adversus praemissa nullatenus suffragari volumus: ceterisque contrariis quibuscumque.

Placet motu proprio. I.
Datum Romae ap. S. Marcum, quarto nonas Augusti, anno quinto.

## BULLA S. D. N. D. PII PAPAE IV.

### REVOCATORIA

*Privilegiorum, exemptionum, immunitatum, facultatum, conservatoriarum, indultorum, confessionalium, Maris magni, et aliarum quarumcumque similium gratiarum, quibuscumque locis et personis concessarum; in his, in quibus Statutis et Decretis S. Concilii Tridentini contrariantur.*

*Pius Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

In principis Apostolorum Sede, meritis licet imparibus, divina dispositione constitui, nihil neque universali Ecclesiae, curae et sollicitudini nostrae commissae, salubrius, neque injuncto nobis apostolicae servitutis officio decentius praestare possumus, quam quod providentiae nostrae ministerio oecumenicum Concilium Tri-

dentinum, sicut nostris potissimum auspiciis, summaque SS. Patrum concordia, per Dei misericordiam feliciter absolutum fuit: ita, per universos, qui christiana pietate censentur, ubique suscipiatur, et remotis quibuslibet obstaculis, ab omnibus aequaliter observetur. Cum itaque in eodem Concilio quamplurima salubria, et ad universalem morum reformationem valde utilia Decreta atque Statuta, maturo praesentium ipsorum examine praecedente, sint edita, quibus multa atque diversa privilegia, exemptiones, immunitates, dispensationes, facultates, conservatoriae, indulta et, ut vocant, confessionalia, et Mare magnum *), et aliae gratiae, quae variis, tam cathedralibus, etiam metropolitanis, quam collegiatis Ecclesiis, monasteriis, conventibus, et aliis religiosis, etiam fratrum mendicantium domibus et ordinibus: nec non S. Spriritus in Saxia, S. Joannis Lateranensis, ac incurabilium de urbe, S. Antonii Viennen. et S. Bernardi Juren. aliisque hospitalibus, militiis, eorumque capitulis et conventibus, ac universitatibus, etiam studiorum generalium collegiis, tam saecularibus, quam ecclesiasticis, confraternitatibus, societatibus; et tam principis Apostolorum de urbe, quam aliis fabricis, sanctae cruciatae, aliisque piis locis et operibus, nec non Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Praelatis, Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, Praepositis et aliis ecclesiasticis, tam saecularibus, quam diversorum Ordinum et militiarum Regularibus, ac etiam laicis cujuscumque dignitatis et status, ac gradus et excellentiae, ac etiam ducali, regia et imperiali dignitate fulgentibus utriusque sexus personis: nec non aliquibus Notariis, et etiam de latere Legatis atque Nuntiis, tam perpetuo, quam ad tempus, per plures Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et Sedem apostolicam, ejusque Legatos hactenus etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, seu etiam Imperatorum, Regum, Ducum, et aliorum Principum contemplatione et intuitu, etiam de fratrum consilio, diversimode, variisque temporibus, in genere vel specie, ex quavis etiam honesta causa concessa, et etiam pluries confirmata et innovata fuerunt, in plerisque contra-

*) *Mare magnum* est Bulla continens varia Carmelitarum privilegia. et aliorum Religiosorum, sub nomine Sixti IV. suppositilia.

riantur. Nos, quibus in primis cordi est, tam sancta et Ecclesiae Dei saluberrima Decreta suos, ut par est, effectus ubique consequi, et ab omnibus obedienter observari, privilegiorum, exemptionum, immunitatum, facultatum, conservatoriarum, indultorum, confessionalium, Maris magni, et aliarum gratiarum praedictarum, ac quarumcumque apostolicarum, et aliarum litterarum desuper confectarum, processuumque, decretorum et aliorum inde secutorum, tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis et plane insertis habentes: motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, quod eadem omnia et singula privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, dispensationes, conservatoriae, indulta, confessionalia, Mare magnum, et aliae gratiae in his omnibus et singulis, in quibus illa Statutis et Decretis Concilii hujusmodi contrariantur, ipso jure revocata, cassata et annullata, ac ad ipsius Concilii terminos atque limites reducta sint et esse censeantur, nec quidquam adversus ipsa Decreta et Statuta, quominus ubique et apud omnes observentur, in aliquo suffragari posse, sed ea perinde haberi et reputari debere, ac si numquam emanassent auctoritate apostolica, tenore praesentium declaramus, ac etiam statuimus et ordinamus. Decernentes nihilominus omnia et singula, quae vigore privilegiorum, exemptionum, immunitatum et dispensationum, facultatum, conservatoriarum, indultorum, confessionalium, et aliarum quarumcumque gratiarum hujusmodi, post id tempus, quo Concilium obligare coepit, facta et gesta quomodolibet fuerunt, et in posterum fient, in his, in quibus dicti Concilii Decretis adversantur, nulla, invalida et irrita esse et censeri, ac nemini, etiam quantumlibet, ut praefertur, qualificato, tam in foro (quod ajunt) fori, quam conscientiae, suffragari posse et debere. Et ita per quoscumque locorum Ordinarios, aliosque judices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi facultate, u utroque foro judicari et definiri debere, ac quidquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc

paginam nostrae declarationis, statuti, ordinationis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romae, ap. S. Petrum, anno incarnat. dominicae MDLXV., XIII. Kalend. Martii. Pontificatus nostri anno VI.

*Cae. Glorierius.*

*P. Episcopus Narnien.*

*H. Cumyn.*

Anno a nativitate Dom. M. D. LXV., indictione sexta, die vero XXIV. m. Februarii, pontificatus sanctissimi in Christo Patris et D. nostri, Domini Pii, divina providentia Papae IV. anno ejus VI., retroscriptae litterae apostolicae affixae et publicatae fuerunt in acie Campi Florae, et valvis Concellariae apostolicae, per nos Nic. de Matthaeis et Camillum Cherubinum, S. D. N. Papae Cursores.

*Philibertus Phapuis, Magister Cursorum.*

## DE LIBRIS PROHIBITIS

### REGULAE X

*per Patres a Tridentina Synodo delectos concinnatae, et a PIO PP. IV. comprobatae Constitutione, quae incipit,* Dominici, *d.* 24. *Martii a.* 1564.

### REGULA I.

Libri omnes, quos ante annum M. D. XV. aut Summi Pontifices, aut Concilia oecumenica damnarunt, et in hoc indice non sunt, eodem modo damnati esse censeantur, sicut olim damnati fuerunt.

### REGULA II.

Haeresiarcharum libri, tam eorum, qui post praedictum annum haereses invenerunt vel suscitarunt, quam qui Haereticorum capita aut duces sunt vel fuerunt, quales sunt Lutherus, Zuinglius, Calvinus, Balthasar Pacimantanus, Swenchfeldius et his similes, cujuscumque nominis, tituli aut argumenti existant, omnino pro-

hibentur. Aliorum autem Haereticorum libri, qui de religione quidem ex professo tractant, omnino damnantur. Qui vero de religione non tractant, a Theologis catholicis, jussu Episcoporum et Inquisitorum examinati et approbati permittuntur. Libri etiam catholici conscripti, tam ab aliis qui postea in haeresim lapsi sunt, quam ab illis, qui post lapsum ad Ecclesiae gremium rediere, approbati a facultate theologica alicujus Universitatis catholicae, vel ab inquisitione generali, permitti poterunt.

## REGULA III.

Versiones scriptorum etiam ecclesiasticorum, quae hactenus editae sunt a damnatis auctoribus, modo nihil contra sanam doctrinam contineant, permittuntur. Librorum autem Veteris Testamenti versiones, viris tantum doctis et piis judicio Episcopi concedi poterunt: modo hujusmodi versionibus tamquam elucidationibus vulgatae editionis ad intelligendam Sacram Scripturam, non autem tamquam sano textu utantur. Versiones vero Novi Testamenti, ab auctoribus primae classis hujus indicis factae nemini concedantur: quia utilitatis parum, periculi vero plurimum lectoribus ex earum lectione manare solet. Si quae vero annotationes cum hujusmodi, quae permittuntur versionibus, vel cum vulgata editione circumferuntur, expunctis locis suspectis, a facultate theologica alicujus Universitatis catholicae, aut inquisitione generali, permitti eisdem poterunt, quibus et versiones. Quibus conditionibus totum volumen Bibliorum, quod quod vulgo Biblia Vatabli dicitur, aut partes ejus concedi viris piis et doctis poterunt. Ex Bibliis vero Isidori Clarii Brixiani prologus et prolegomena praecidantur: ejus vero textum, nemo textum vulgatae editionis esse existimet.

## REGULA IV.

Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri, hac in parte judicio Episcopi aut Inquisitoris stetur: ut cum consilio Parochi, vel Confessarii, Bibliorum a catholicis auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione, non damnum, sed fidei atque pie-

tatis augmentum capere posse: quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere seu habere praesumpserit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit. Bibliopolae vero, qui praedictam facultatem non habenti Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, vel alio quovis modo concesserint, librorum pretium, in usus pios ab Episcopo convertendum, amittant, aliisque poenis pro delicti qualitate ejusdem Episcopi arbitrio subjaceant. Regulares vero non nisi facultate a Praelatis suis habita, ea legere aut emere possint.

## REGULA V.

Libri illi, qui haereticorum auctorum opera interdum prodeunt, in quibus nulla aut pauca de suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt, cujusmodi sunt lexica, concordantiae, apophthegmata, similitudines, indices et hujusmodi, si quae habeant admista, quae expurgatione indigeant, illis Episcopi et Inquisitores, una cum Theologorum catholicorum consilio, sublatis aut emendatis, permittantur.

## REGULA VI.

Libri vulgari idiomate de controversiis inter Catholicos et Haereticos nostri temporis differentes, non passim permittantur; sed idem de iis servetur, quod de Bibliis vulgari lingua scriptis statutum est. Qui vero de ratione bene vivendi, contemplandi, confitendi ac similibus argumentis vulgari sermone conscripti sunt, si sanam doctrinam contineant, non est cur prohibeantur; sicut nec sermones populares vulgari lingua habiti. Quod si hactenus in aliquo regno vel provincia aliqui libri sunt prohibiti, quod nonnulla continerent, quae sine delectu ab omnibus legi non expediat, si eorum auctores catholici sunt, postquam emendati fuerunt, permitti ab Episcopo et Inquisitore poterunt.

## REGULA VII.

Libri, qui res lascivas seu obscoenas ex professo tractant, narrant aut docent, cum non solum fidei sed et morum, qui hujusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur; et qui eos habuerint, severe ab Episcopis puniantur. Antiqui vero ab Ethnicis conscripti, propter sermonis

elegantiam et proprietatem permittuntur: nulla tamen ratione pueris praelegendi erunt.

REGULA VIII.

Libri, quorum principale argumentum bonum est, in quibus tamen obiter aliqua inserta sunt, quae ad haeresim seu impietatem, divinationem seu superstitionem spectant, a catholicis Theologis, inquisitionis generalis auctoritate expurgati, concedi possint. Idem judicium sit de prologis, summariis seu annotationibus, quae a damnatis auctoribus, libris non damnatis, appositae sunt: sed posthac non nisi emendati excudantur.

REGULA IX.

Libri omnes et scripta Geomantiae, Hydromantiae, Aëromantiae, Pyromantiae, Onomantiae, Chiromantiae, Necromantiae, sive in quibus continentur sortilegia, beneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicae, prorsus rejiciuntur. Episcopi vero diligenter provideant, ne Astrologiae judiciariae libri, tractatus, indices legantur vel habeantur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitisve casibus, aut iis actionibus, quae ab humana voluntate pendent, certi aliquid eventurum affirmare audent. Permittuntur autem judicia, et naturales observationes, quae navigationis, agriculturae, sive medicae artis juvandae gratia conscripta sunt.

REGULA X.

In librorum, aliarumque scripturarum impressione servetur, quod in Concilio Lateranensi sub Leone X. Sess. X. statutum est. Quare, si in alma urbe Roma liber aliquis sit imprimendus, per Vicarium summi Pontificis, et sacri palatii Magistrum, vel personas a sanctissimo Domino nostro deputandas, prius examinetur. In aliis vero locis ad Episcopum, vel alium habentem scientiam libri vel scripturae imprimendae, ab eodem Episcopo deputandum, ac Inquisitorem haereticae pravitatis ejus civitatis vel dioecesis, in qua impressio fiet, ejus approbatio et examen pertineat, et per eorum manum propria subscriptione gratis et sine dilatione imponendam, sub poenis et censuris in eodem Decreto contentis, approbetur: hac lege et conditione addita, ut exemplum libri imprimendi authenticum, et manu auctoris subscriptum, apud examinatorem remaneat; eos

vero, qui libellos manuscriptos vulgant, nisi ante examinati probatique fuerunt, iisdem poenis subjici debere judicarint Patres deputati, quibus impressores: et qui eos habuerint et legerint, nisi auctores prodiderint, pro auctoribus habeantur. Ipsa vero hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, et in fronte libri vel scripti vel impressi authentice appareat, probatioque et examen ac cetera gratis fiant. Praeterea in singulis civitatibus ac dioecesibus, domus vel loci, ubi ars impressoria exercetur, et bibliothecae librorum venalium saepius visitentur a personis ad id deputandis ab Episcopo sive ejus Vicario, atque etiam ab Inquisitore haereticae pravitatis, ut nihil eorum, quae prohibentur, aut imprimatur aut vendatur aut habeatur. Omnes vero librarii, et quicumque librorum venditores, habeant in suis bibliothecis indicem librorum venalium, quos habent, cum subscriptione dictarum personarum, nec alios libros habeant aut vendant, aut quacumque ratione tradant, sine licentia eorumdem deputandorum, sub poena amissionis librorum, et aliis arbitrio Episcoporum vel Inquisitorum imponendis. Emptores vero, lectores vel impressores, eorumdem arbitrio puniantur. Quod si aliqui libros quoscumque in aliquam civitatem introducant, teneantur eisdem personis deputandis renuntiare: vel, si locus publicus mercibus ejusmodi constitutus sit, ministri publici ejus loci praedictis personis significent libros esse adductos. Nemo vero audeat librum, quem ipse vel alius in civitatem introduxit, alicui legendum tradere, vel aliqua ratione alienare, aut commodare, nisi ostenso prius libro, et habita licentia a personis deputandis, aut nisi notorie constet, librum jam esse omnibus permissum. Idem quoque servetur ab heredibus et executoribus ultimarum voluntatum, ut libros a defunctis relictos, sive eorum indicem illis personis deputandis offerant, et ab iis licentiam obtineant, priusquam eis utantur, aut in alias personas quacumque ratione transferant. In his autem omnibus et singulis poena statuatur vel amissionis librorum, vel alia, arbitrio eorumdem Episcoporum, vel Inquisitorum, pro qualitate contumaciae vel delicti.

Circa vero libros, quos Patres deputati examinarunt aut expurgarunt aut expurgandos tradiderunt, aut certis conditionibus, ut rursus excuderentur, concesserunt, quidquid illos statuisse constiterit, tam bibliopolae,

quam ceteri observent. Liberum tamen sit Episcopis aut Inquisitoribus generalibus, secundum facultatem quam habent, eos etiam libros, qui his regulis permitti videntur, prohibere, si hoc in suis regnis, aut provinciis vel dioecesibus expedire judicaverint. Ceterum nomina, cum librorum qui a Patribus deputatis purgati sunt, tum eorum quibus illi hanc provinciam dederunt, eorumdem deputatorum Secretarius Notario sacrae universalis inquisitionis Romanae descripta sanctissimi Domini nostri jussu tradidit.

Ad extremum vero omnibus fidelibus praecipitur, ne quis audeat contra harum regularum praescriptum, aut hujus indicis prohibitionem, libros aliquos legere aut habere. Quod si quis libros Haereticorum, vel cujusvis auctoris scripta, ob haeresim vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita, legerit sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat. Qui vero libros alio nomine interdictos legerit aut habuerit, praeter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio Episcoporum severe puniatur.

# CONSTITUTIONES
## EX ANTIQUO JURE DESUMPTAE,
## ET
## PER CONCILIUM SPECIATIM INNOVATAE.

---

## I.
## LEO DECIMUS
### IN CONCILIO LATERANENSI,
### SESSIONE X.

*De impressione librorum (ad §. 17.).*

Nos, ne in quod ad Dei gloriam et fidei augmentum ac bonarum artium propagationem salubriter est inventum, in contrarium convertatur, ac Christi fidelium saluti detrimentum pariat, super librorum impressione curam nostram habendam fore duximus, ne de cetero cum bonis seminibus spinae coalescant, vel medicinis venena intermisceantur. Volentes igitur de opportuno super his remedio providere, hoc sacro approbante Concilio, ut negotium impressionis librorum hujusmodi eo prosperetur felicius, quo deinceps indago solertior diligentius et cautius adhibeatur: statuimus et ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, nullus librum aliquem seu aliam quamcumque scripturam, tam in urbe nostra quam aliis quibusvis civitatibus et dioecesibus, imprimere seu imprimi facere praesumat, nisi prius in urbe per Vicarium nostrum et sacri Palatii Magistrum; in aliis vero civitatibus et dioecesibus per Episcopum vel alium habentem peritiam scientiae, libri seu scripturae hujusmodi imprimendae, ab eodem Episcopo ad id deputandum, ac Inquisitorem haereticae pravitatis civitatis sive dioecesis, in quibus librorum impressio hujusmodi fieret, diligenter examinentur, et per

eorum manu propria subscriptionem, sub excommunicationis sententia, gratis et sine dilatione imponendam, approbentur. Qui autem secus praesumpserit, ultra librorum impressorum amissionem et illorum publicam combustionem, ac centum ducatorum fabricae principis Apostolorum de urbe, sine spe remissionis, solutionem, ac anni continui exercitii impressionis suspensionem, excommunicationis sententia innodatus exsistat: ac demum ingravescente contumacia, taliter per Episcopum suum vel Vicarium nostrum respective per omnia juris remedia castigetur, quod alii ejus exemplo similia minime attentare praesumant. Nulli ergo. etc. Si quis autem, etc. Dat. Romae in publica Sess. solemniter celebrata a. incarnat. dominicae 1515. 4. Non. Maji, pontif. nostri a. 3.

## II.

## SIXTI QUARTI

*Constitutio prior de Festo Conceptionis immaculatae Virginis ex libro tertio Extravagantium communium, Tit. XII. de Regulis et Veneratione Sanctorum.* (*ad* §. 26.)

### CAPUT I.

Cum praeexcelsa meritorum insignia, quibus regina coelorum, Virgo Dei genetrix gloriosa, sedibus praelata aetheriis, sideribus quasi stella matutina praerutilat, devotae considerationis indagine perscrutamur et infra pectoris arcana revolvimus, quod ipsa, utpote via misericordiae, mater gratiae et pietatis amica, humani generis consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere gravantur, sedula oratrix et pervigil, ad regem quem genuit intercedit: dignum, quin potius debitum reputamus, universos Christi fideles, ut omnipotenti Deo (cujus providentia ejusdem Virginis humilitatem ab aeterno respiciens, pro concilianda suo auctori humana natura, lapsu primi hominis aeternae morti obnoxia, eam sui Unigeniti habitaculum S. Spiritus praeparatione constituit, ex qua carnem nostrae mortalitatis pro redemptione populi sui assumeret, et immaculata Virgo nihilominus post partum remaneret) de ipsius immaculatae Virginis mira Conceptione gratias et laudes referant, et instituta propterea in Ecclesia Dei Missas et alia divina Officia di-

cant et illis intersint, indulgentiis et peccatorum remissionibus invitare, ut exinde fiant ejusdem Virginis meritis et intercessione divinae gratiae aptiores. Hac igitur consideratione inducti, ejusdem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, auctoritate apostolica hoc in perpetuum valitura Constitutione statuimus et ordinamus, quod omnes et singuli Christi fideles utriusque sexus, qui Missam et Officium Conceptionis ejusdem Virginis gloriosae, juxta piam, devotam et laudabilem ordinationem dilecti filii Magistri Leonardi de Nogarolis, Clerici Veronensis, Notarii nostri, et quae desuper a nobis emanavit, Missae et Officii hujusmodi institutionem, in die festivitatis Conceptionis ejusdem Virginis Mariae, et per Octavas ejus, devote celebraverint et dixerint, aut illis Horis canonicis interfuerint, quoties id fecerint, eandem prorsus indulgentiam et peccatorum remissionem consequantur, quam juxta felicis recordationis Urbani IV. in Concilio Viennensi approbatam, ac Martini V. et aliorum Romanorum Pontificum, praedecessorum nostrorum, Constitutiones, consequuntur illi, qui Missam et Horas canonicas in Festo Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi a primis Vesperis, et per illius Octavas, juxta Romanae Ecclesiae constitutionem, celebrant, dicunt, aut Missae, Officio et Horis hujusmodi intersunt, praesentibus perpetuis temporibus valituris. Datum Romae ap. S. Petrum, a. incarnat. dominicae 1477. 3. Kalend. Martii, pontificatus nostri a. 6.

### *Constitutio altera.*

EXTRAV. II. DE RELIQ. ET VENER. SS. INT. COMM.

Grave nimis gerimus et molestum, cum sinistra nobis de quibusdam ecclesiasticis personis referuntur. Sed in eorum, qui ad evangelizandum verbum Dei sunt deputati excessibus praedicando commissis, eo gravius provocantur, quo illi periculosius remanent incorrecti; cum facile deleri nequeant, qui multorum cordibus sic publice praedicando diffusius et damnabilius imprimuntur errores. Sane cum sancta Romana Ecclesia de intemeratae semperque Virginis Mariae Conceptione publice Festum solemniter celebret, et speciale ac proprium super hoc Officium ordinaverit: nonnulli, ut accepimus, diversorum Ordinum praedicatores, in suis sermonibus

ad populum publice per diversas civitates et terras affirmare hactenus non erubuerunt, et quotidie praedicare non cessant, omnes illos, qui tenent aut asserunt, eamdem gloriosam et immaculatam Dei genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse haereticos: ejusdem immaculatae Conceptionis Officium celebrantes, audientesque sermones illorum, qui eam sine hujusmodi macula conceptam esse affirmant, peccare graviter; sed et praefatis praedicationibus non contenti, confectos super his suis assertionibus libros in publicam ediderunt, ex quorum assertionibus et praedicationibus non levia scandala in mentibus fidelium exorta sunt, et majora merito exoriri formidentur indies. Nos igitur hujusmodi temerariis ausibus ac perversis assertionibus ac scandalosis, quae exinde in Dei Ecclesia exoriri possunt, quantum nobis ex alto conceditur, obviare volentes, motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione et certa scientia, hujusmodi assertiones praedicatorum eorumdem et aliorum quorumlibet, qui affirmare praesumerent, eos qui crederent aut tenerent, eamdem Dei genitricem ab originalis peccati macula in sua Conceptione praeservatam fuisse, propterea alicujus haeresis labe pollutos fore vel mortaliter peccare: aut hujusmodi Officium Conceptionis celebrantes, seu hujusmodi sermones audientes, alicujus peccati reatum incurrere, utpote falsas et erroneas, et a veritate penitus alienas, editosque desuper libros praedictos id continentes, quoad hoc, auctoritate apostolica, tenore praesentium reprobamus et damnamus, ac motu, scientia et auctoritate praedictis statuimus et ordinamus, quod praedicatores verbi Dei, et quicumque alii, cujuscumque status, gradus aut ordinis ac conditionis fuerint, qui de cetero ausu temerario praesumserint in eorum sermonibus ad populum, seu alias quomodolibet affirmare, hujusmodi sic per nos improbatas et damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere vel habere, postquam de praesentibus scientiam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, a qua ab alio, quam a Romano Pontifice (nisi in mortis articulo) nequeant absolutionis beneficium obtinere. Item motu, scientia et auctoritate similibus, simili poenae ac censurae subjicientes eos, qui ausi fuerint asserere, contrariam opinionem tenentes, vide-

licet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, haeresis crimen vel peccatum incurrere mortale: cum nondum sit a Romana Ecclesia et apostolica Sede decisum: non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque, quibus communiter vel divisim a Sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam ac expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Et ne de praemissis aliquando valeant ignorantiam allegare, volumus, quod locorum Ordinarii requisiti, praesentes litteras in Ecclesiis consistentibus in eorum civitatibus, et suarum dioecesum locis insignibus, dum major ibi multitudo populi ad divina convenerit, sermonibus ad populum mandent et faciant publicari. Praeterea, quia difficile foret praesentes litteras ad singula loca, in quibus expediens fuerit, deferre; etiam volumus et dicta auctoritate decernimus, quod earumdem litterarum transumpto, manu publici Notarii confecto et authentico alicujus Praelati ecclesiastici sigillo munito, ubique stetur, prout staretur eisdem originalibus litteris, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae reprobationis, damnationis, statuti, ordinationis, voluntatis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romae ap. S. Petrum a. incarnat. dominicae 1483. pridie Nonas Sept., pontificatus nostri a. 13.

## III.

## CONCILIUM LATERANENSE

### SUB INNOCENTIO III. (a. 1215.).

*Canone X. de Praedicatoribus instituendis (ad §. 34.).*

Inter cetera, quae spectant ad salutem populi christiani, pabulum verbi Dei permaxime noscitur sibi esse necessarium, quia sicut corpus materiali, sic anima spirituali cibo nutritur; eo quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei; unde cum saepe contingat, quod Episcopi, propter oc-

cupationes multiplices vel invaletudines corporales aut hostiles incursiones seu occasiones alias, (ne dicamus defectum scientiae, quod in eis est reprobandum omnino, nec de cetero tolerandum) per se ipsos non sufficiunt ministrare populo verbum Dei, maxime per amplas dioeceses et diffusas, generali Constitutione sancimus, ut Episcopi viros idoneos ad sanctae praedicationis officium salubriter exsequendum assumant, potentes in opere et sermone, qui plebes sibi commissas vice ipsorum, cum per se idem nequiverint, solicite visitantes, eas verbo aedificent et exemplo, quibus ipsi, cum indiguerint, necessariorum defectu compellantur desistere ab incepto. Unde praecipimus tam in cathedralibus quam in aliis conventualibus Ecclesiis viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint coadjutores et cooperatores habere, non solum in praedicationis officio, verum etiam in audiendis confessionibus et poenitentiis injungendis, ac ceteris quae ad salutem pertinent animarum. Si quis autem hoc neglexerit adimplere, districtae subjaceat ultioni.

## IV.

### *Lib. I. Decretalium, Tit. de Electione et Electi potestate (ad §§. 135. 440.).*

### CAPUT VII. (a. 1177.)

Cum in cunctis sacris Ordinibus et ecclesiasticis ministeriis, sint aetatis maturitas, gravitas morum et litterarum scientia inquirenda; multo fortius in Episcopo haec oportet inquiri, qui ad aliorum curam positus, in se ipso debet ostendere, qualiter alios in domo Dei oporteat conversari. Eapropter, ne quod de quibusdam pro necessitate temporis factum est, trahatur a posteris in exemplum; praesenti Decreto statuimus, ut nullus in Episcopum eligatur, nisi qui jam trigesimum annum aetatis exegerit, et de legitimo matrimonio sit natus; qui etiam vita et scientia commendabilis demonstretur.

*Ibid. §. Inferiora 2.*

Inferiora etiam ministeria, ut puta Decanatum, Archidiaconatum et alia, quae curam animarum habent

18 *

annexam, nullus omnino suscipiat, sed nec parochialis Ecclesiae regimen, nisi qui jam vigesimum quintum annum aetatis attigerit, et scientia et moribus commendandus existat: cum autem assumptus fuerit; si Archidiaconus in Diaconum, et Decanus et reliqui admoniti non fuerint praefixo a Canonibus tempore in Presbyteros ordinati; et ab isto removeantur officio, et aliis conferatur, qui et velint et possint illud convenienter implere. Nec prosit eis appellationis refugium, si forte in Constitutionis istius transgressionem per appellationem voluerint se tueri. Hoc sane non solum de promovendis, sed etiam de his, qui jam promoti sunt, si Canones non obsistant, praecipimus observari.

## V.

*Lib. III. Decretal. de Clericis non residentibus* (*ad* §. 137.).

### CAPUT III. (a. 1179.)

Quia nonnulli modum avaritiae non ponentes, dignitates diversas ecclesiasticas et plures Ecclesias parochiales, contra sacrorum Canonum instituta nituntur accipere, ut cum unum officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vindicent plurimorum: ne id de cetero fiat, districtius inhibemus. Cum igitur Ecclesia vel ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quaeratur, quae residere in loco, et curam ejus per seipsam valeat exercere. Quod si aliter actum fuerit, et qui receperit, quod contra sacros Canones accepit, amittat, et qui dederit, largiendi potestate privetur.

## VI.

*In Sexto, de Electione et Electi potestate (ad* §. 137.*).*

### CAPUT XIV. (a. 1274.)

Licet Canon, a felicis recordationis Alexandro Papa III. praedecessore nostro editus, inter cetera statuerit, ut nullus regimen Ecclesiae parochialis suscipiat, nisi vigesimum quintum aetatis annum attigerit, ac scientia et moribus commendandus existat; quodque talis ad regimen assumptus hujusmodi, si monitus non fuerit praefixo a Canonibus tempore in Presbyterum ordinatus,

a regiminis ejusdem amoveatur officio, et alii conferatur. Quia tamen in observatione Cononis memorati se multi exhibent negligentes; nos, periculosam illorum negligentiam volentes juris executione suppleri, praesenti Decreto statuimus, ut nullus ad regimen parochialis Ecclesiae assumatur, nisi sit idoneus moribus, scientia et aetate: collationes de parochialibus Ecclesiis iis, qui non attigerint vigesimum quintum annum, de cetero faciendas, viribus omnino carere. Is etiam, qui ad ejusmodi regimen assumetur, ut gregis sibi crediti diligentius curam quaerere possit, in parochiali Ecclesia, cujus rector exstiterit, residere personaliter teneatur, et intra annum, a sibi commissi regiminis tempore numerandum, se faciat ad sacerdotium promoveri. Quod si intra idem tempus promotus non fuerit, Ecclesia sibi commissa (nulla etiam praemissa monitione) sit praesentis Constitutionis auctoritate privatus. Super residentia vero, ut praemittitur, facienda, possit Ordinarius gratiam dispensationis ad tempus facere, prout causa rationabilis id exposcit.

## VII.

*Lib. III. Decretal. de Praebendis et Dignitatibus (ad §. 137.).*

### CAPUT XXIX. (a. 1216.)

Grave nimis est et absurdum, quod quidam Ecclesiarum Praelati cum possint viros idoneos ad ecclesiastica beneficia promovere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas nec litterarum scientia suffragatur, carnalitatis sequentes affectum non judicium rationis; unde quanta Ecclesiis damna proveniant, nemo sanae mentis ignorat. Volentes igitur huic morbo mederi, praecipimus, ut praetermissis indignis idoneos assumant, qui Deo et Ecclesiis velint et valeant gratum impendere famulatum, fiatque de hoc in provinciali Concilio diligens inquisitio annuatim; ita, ut qui post primam et secundam correptionem fuerit repertus culpabilis, a beneficiis conferendis per ipsum Concilium suspendatur, instituta in eodem Concilio persona provida et honesta, quae suspensi suppleat defectum in

beneficiis conferendis. Et hoc ipsum circa Capitula, quae in his deliquerint, observetur. Metropolitani vero delictum Superioris judicio relinquatur, ex parte Concilii nuntiandum. Ut autem haec salubris provisio pleniorem consequatur effectum, hujusmodi suspensionis sententia, praeter Romani Pontificis auctoritatem, aut proprii Patriarchae, minime relaxetur, ut in hoc quoque quatuor patriarchales Sedes specialiter honorentur.

## VIII.

*Lib. III. Decretal. de Praebendis et Dignitatibus (ad §. 138.).*

## CAPUT XXVIII. (a. 1216.)

De multa providentia fuit in Lateranensi Concilio prohibitum, ut nullus diversas Dignitates ecclesiasticas, vel plures Ecclesias parochiales reciperet, contra sacrorum Canonum instituta: alioquin recipiens sic acceptum amitteret, et largiendi potestate conferens privaretur. Quia vero propter praesumptiones et quorumdam cupiditates, nullus hactenus aut rarus de praedicto Statuto fructus provenit: nos evidentius et expressius occurrere cupientes, praesenti Decreto statuimus, ut quicumque receperit aliquod beneficium curam habens animarum annexam, si prius tale beneficium habebat, eo sit ipso jure privatus, et si forte illud retinere contenderit, etiam alio spolietur. Is quoque, ad quem prioris spectat donatio, illud post receptionem alterius libere conferat, cui merito viderit conferendum: et si ultra sex menses conferre distulerit, non solum ad alios secundum Lateranensis Concilii Statutum ejus collatio devolvatur, verum etiam tantum de suis cogatur proventibus in utilitatem Ecclesiae, cujus est illud beneficium, assignare, quantum a tempore vacationis ipsius constiterit esse perceptum. Hoc idem in Personatibus esse decernimus observandum, addentes, ut in eadem Ecclesia nullus plures Dignitates aut Personatus habere praesumat, etiam si curam non habeant animarum: circa sublimes tamen et litteratas personas, quae majoribus beneficiis sunt honorandae, cum ratio postulaverit, per Sedem apostolicam poterit dispensari.

## IX.

*In Sexto. Lib. I. Tit. 16. de Officio Ordinarii (ad §. 139.).*

## CAPUT III. (a. 1274.)

Ordinarii locorum subditos suos plures Dignitates vel Ecclesias, quibus animarum cura imminet, obtinentes, seu Personatum aut Dignitatem cum alio beneficio, cui cura similis est annexa, districte compellant dispensationes auctoritate quarum hujusmodi Ecclesias, Personatus seu Dignitates canonice tenere se asserunt intra tempus, pro facti qualitate ipsorum Ordinariorum moderandum arbitrio, exhibere. Quod si forte, justo impedimento cessante, nullam dispensationem intra idem tempus contigerit exhiberi, Ecclesiae beneficia, Personatus seu Dignitates, quae sine dispensatione aliqua eo ipso illicite detineri constabit, per eos, ad quos eorum collatio pertinet, libere personis idoneis conferantur. Ceterum si dispensatio exhibita sufficiens evidenter appareat, exhibens nequaquam in beneficiis hujusmodi, quae canonice obtinet, molestetur. Provideat tamen Ordinarius, qualiter nec animarum cura in eisdem Ecclesiis, Personatibus seu Dignitatibus negligatur, nec beneficia ipsa debitis obsequiis defraudentur. Si vero de dispensationis exhibitae sufficientia dubitetur, super hoc erit ad Sedem apostolicam recurrendum, cujus est aestimare, quem modum sui beneficii esse velit. In conferendis insuper Personatibus, Dignitatibus et aliis beneficiis curam habentibus animarum annexam, iidem Ordinarii diligentiam illam observent, ut Personatum, Dignitatem vel aliud beneficium similem curam habens animarum, alicui plura similia obtinenti non ante conferre praesumant, quam eis super obtentis dispensatio evidenter sufficiens ostendatur: qua etiam ostensa, ita demum ad collationem procedi volumus, si appareat per eamdem, quod is, cui est collatio facienda, hujusmodi Personatum, Dignitatem vel beneficium retinere libere valeat cum obtentis, vel si ea, quae sic obtinet, libere ac sponte resignet. Aliter autem de Personatibus, Dignitatibus et beneficiis talibus facta collatio nullius penitus sit momenti.

## X.

*In Sexto, de Privilegiis (ad §. 148.)*

## CAPUT I. (a. 1245.)

Volentes libertatem (quam nonnullis apostolica Sedes privilegio exemptionis indulsit) sic integram observari, ut et illam alii non infringant et ipsi ejus limites non excedant, declaratione irrefragabili definimus, quod quantumcumque sic exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, sive contractus aut rei, de qua contra ipsos agitur, rite possunt coram locorum Ordinariis conveniri, et illi quoad hoc suam in ipsos jurisdictionem (prout jus exigit) exercere.

Numquid ergo carent omnino in his commodo libertatis? Non utique: quia nec coram Ordinariis ipsis, dummodo sit in loco exempto commissum delictum, vel contractus initus, aut res litigiosa, nec ubi domicilium habent, si alibi delinquant vel contrahant, aut res ipsa consistat, conveniri possunt aliquatenus super istis: nec domiciliorum praetextu locorum Dioecesani (si ubi deliquerunt, vel contraxerunt, aut res ipsa consistit, illi conveniantur) remittendi eos illuc, vel ipsis, ut illic respondeant, injungendi habeant aliquam potestatem; salvis nihilominus casibus aliis, in quibus eos Episcoporum jurisdictioni subesse canonica praecipiunt instituta. Et id ipsum decernimus circa illos, quibus, ut non nisi sub uno judice teneantur de se conquerentibus respondere, apostolico privilegio est concessum. In eos autem, quibus, ne interdici, suspendi vel excommunicari a quoquam valeant, a Sede apostolica est indultum (sicut sunt Religiosi quamplures) in quorum privilegiis continetur, ne quisquam Episcopus vel Archiepiscopus monasteriorum suorum monachos pro ulla causa ullove loco interdicere, suspendere vel excommunicare praesumat: iidem Ordinarii jurisdictionem suam, quantum ad ista, ubicunque illi fuerint, penitus exercere non possint, nisi forsan ipsi monachi ad monasteriorum suorum prioratus Ordinariis iisdem subjectos fuerint destinati. Tunc enim, etsi libere possint ad eadem monasteria revocari, ac tam illorum, quam ipsorum prioratuum monachi reputentur (cum non sit inconveniens

aliquem utrobique locum habere monachicum) unum alteri subesse monasterio, vel ab ipso noscitur dependere, ratione tamen eorumdem prioratuum dicti Ordinarii sua jurisdictione in ipsis etiam quoad praemissa (quamdiu morantur in iis) licite uti possunt.

## XI.

*In Clementinis, Lib. III. Tit.* 11. *de religiosis domibus (ad* §. 149.*).*

### CAPUT I. (a. 1311.)

Quia contingit interdum, quod xenodochiorum, leprosariarum, eleemosynariarum seu hospitalium rectores, locorum ipsorum cura postposita, bona, res et jura ipsorum interdum ab occupatorum et usurpatorum manibus excutere negligunt, quin imo ea collabi et deperdi, domos et aedificia ruinis deformari permittunt; et non attento, quod loca ipsa ad hoc fundata et fidelium erogationibus dotata fuerunt, ut pauperes infectique lepra reciperentur inibi, et ex proventibus sustentarentur illorum, id renuunt inhumaniter facere, proventus eosdem in usus suos damnabiliter convertentes; cum tamen ea, quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (salva quidem Sedis apostolicae auctoritate) converti: nos incuriam et abusum hujusmodi detestantes, hoc sacro Concilio approbante sancimus, ut ii, ad quos id de jure vel statuto, in ipsorum fundatione locorum apposito, aut ex consuetudine praescripta legitime, vel privilegio Sedis apostolicae pertinet; loca ipsa studeant in praedictis omnibus salubriter reformare, ac occupata, deperdita, et alienata indebite, in statum reduci debitum faciant, et ad ipsarum miserabilium personarum receptionem et sustentationem debitam, juxta facultates et proventus locorum ipsorum, rectores praedictos compellere non omittant. In quo si forte commiserint negligentiam vel defectum, Ordinariis locorum injungimus, ut, etiam si pia loca praedicta exemptionis privilegio munita consistant, per seipsos vel alios impleant omnia praemissa et singula, et rectores eosdem, utique non exemptos, propria, exemptos vero et alios privilegiatos, apostolica ad id auctoritate compellant: contradictores, cujuscumque sta-

tus aut conditionis existant, ac praebentes eisdem circa praemissa consilium, auxilium vel favorem, per censuram ecclesiasticam et aliis juris remediis compescendo; nullum tamen per hoc exemptionibus seu privilegiis ipsis, quoad alia, praejudicium generando. Ut autem praemissa promptius observentur, nullus ex locis ipsis saecularibus Clericis in beneficium conferatur, etiam si de consuetudine (quam reprobamus penitus) hoc fuerit observatum, nisi in illorum fundatione secus fuerit constitutum, seu per electionem sit de rectore locis hujusmodi providendum. Sed eorum gubernatio viris providis, idoneis et boni testimonii committatur, qui sciant, velint et valeant loca ipsa, bona eorum ac jura utiliter regere, et eorum proventus et reditus in personarum usum miserabilium fideliter dispensare, et quos in usus alios bona praedicta convertere praesumptio verisimilis non exsistat: in quibus sub obtestatione divini judicii, illorum, ad quos dictorum locorum commissio pertinet, conscientias oneramus. Illi etiam, quibus dictorum locorum gubernatio seu administratio committetur, ad instar tutorum et curatorum juramentum praestare, ac de locorum ipsorum bonis inventaria conficere, et Ordinariis seu aliis, quibus subsunt loca hujusmodi, vel deputandis ab eis, annis singulis de administratione sua teneantur reddere rationem. Quod si secus a quoquam fuerit attentatum, collationem, provisionem seu ordinationem ipsam carere decernimus omni robore firmitatis. Praemissa vero ad hospitalia militarium Ordinum, aut religiosorum etiam aliorum, extendi minime volumus: quorum tamen hospitalium rectoribus in sanctae obedientiae virtute mandamus, ut in illis secundum suorum Ordinum instituta et antiquas observantias providere pauperibus, et hospitalitatem debitam in illis tenere procurent: ad quod per superiores eorum arcta districtione cogantur, statutis aut consuetudinibus quibuslibet non obstantibus in praemissis. Ceterum nostrae intentionis exsistit, quod si quae hospitalia, altare vel altaria, et coemeterium ab antiquo habentia, et presbyteros celebrantes, et Sacramenta ecclesiastica pauperibus ministrantes, seu, si parochiales Rectores consueverint in illis exercere praemissa, antiqua consuetudo servetur, quoad exercenda et ministranda spiritualia supradicta.

## XII.

## CONCILIUM LATERANENSE
### SUB INNOCENTIO III.

*Cap.* 21. *De poenit. et remiss.* (a. 1216.)
(ad §. 207.)

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia 'sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno proprio sacerdoti, et injunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum, alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in Ecclesiis publicetur, ne quispiam ignorantiae caecitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ille ipsum non possit solvere vel ligare.

## XIII.

*Lib.* 3. *Clem. de vita et honestate Clericorum* (ad §. 250.)

### CAPUT II. (a. 1311.)

Quoniam, qui, abjectis vestibus proprio congruentibus Ordini, alias assumere, et in publico portare rationabili causa cessante praesumit, professorum illius Ordinis praerogativa se reddit indignum; praesenti Constitutione sancimus, quod quicumque Clericus virgata vel partita veste publice utetur (nisi causa rationabilis subsit) si beneficiatus exstiterit, per sex menses a perceptione fructuum beneficiorum, quae obtinet, sit eo ipso suspensus; si vero beneficiatus non fuerit, in sacris tamen Ordinibus citra sacerdotium constitutus, per idem tempus reddatur eo ipso inhabilis ad ecclesiasticum beneficium obtinendum.

Idem quoque censemus de Clericis aliis, vestem talem, simul et tonsuram publice deferentibus clericalem. Dignitatem vero, Personatum, seu beneficium aliud obtinens, cui cura immineat animarum, nec non ceteri in

sacerdotio constituti ac Religiosi quilibet, quos oportet per decentiam habitus extrinseci morum intrinsecum honestatem ostendere, si (praeterquam ex causa rationabili) publice vestem ferant hujusmodi, aut infulam seu pileum lineum publice portent in capite; sint eo ipso, beneficiati videlicet, a perceptione fructuum beneficiorum, quae obtinent, suspensi per annum. Ceteri vero Sacerdotes et Religiosi quilibet, per idem tempus reddantur inhabiles ad quodcumque beneficium ecclesiasticum obtinendum. Sed et tales et ceteri quicumque Clerici utentes epitogio seu tabardo foderato usque ad oram, et ita brevi, quod vestis inferior notabiliter videatur, epitogium ipsum saeculares Clerici et Religiosi, administrationem habentes, teneantur intra mensem dare pauperibus; ceteri vero Religiosi, administrationem non habentes, intra idem tempus illud teneantur suis superioribus assignare, in pios usus aliquos convertendum. Alioquin beneficiati suspensionis, ceteri vero inhabilitatis poenas praedictas, per idem tempus se noverint incurrisse.

Huic insuper adjicimus sanctioni, ut Clerici, praesertim beneficiati, caligis scacatis, rubeis aut viridibus publice non utantur.

## XIV.

*Lib. 3. Decretal. de Ecclesiis aedificandis* (*ad* §. 299.)

### CAPUT III. (a. 1170.)

Ad audientiam nostram noveris pervenisse, quod villa, quae dicitur H., tantum perhibetur ab Ecclesia parochiali distare, ut tempore hiemali, cum pluviae inundant, non possint parochiani sine magna difficultate ipsam adire: unde non valeant congruo tempore ecclesiasticis interesse officiis. Quia igitur dicta Ecclesia ita dicitur redditibus abundare, quod praeter illius villae proventus minister illius convenienter valet sustentationem habere. mandamus, quatenus si res ita se habet, Ecclesiam ibi aedifices, et in ea sacerdotem, sublato appellationis obstaculo, ad praesentationem rectoris Ecclesiae majoris, cum canonico fundatoris assensu instituas, ad sustentationem suam ejusdem villae obventiones ecclesiasticas percepturum; providens tamen ut competens in ea honor pro facultate loci matrici Ecclesiae servetur: quod quidem fieri posse videtur, cum ejus-

dem villae dominus viginti arras terrae frugiferae velit ad usus sacerdotis conferre. Si vero persona matricis Ecclesiae virum idoneum praesentare distulerit, vel opus illud voluerit impedire; tu nihilominus facias idem opus ad perfectionem deduci et virum bonum, appellationis cessante diffugio, instituere non omittas.

## XV.

*Lib. 1. Clement. De aetate et qualitate et ordine Praeficiendorum (ad §. 334.).*

### CAPUT II. (ann. 1311.)

Ut ii, qui divinis cathedralibus vel collegiatis, saecularibus vel regularibus Ecclesiis sunt mancipati officiis, vel mancipabuntur in posterum, ad suscipiendos sacros Ordines propensius inducantur: statuimus, ut nullus de cetero in hujusmodi Ecclesiis vocem in Capitulo habeat (etiam si hoc sibi ab aliis libere concedatur) nisi saltem in subdiaconatus ordine fuerit constitutus. Illi vero, qui dignitates, personatus, officia vel praebendas, quibus certi ordines sunt annexi, pacifice nunc obtinent in eisdem Ecclesiis, vel obtinuerint in futurum, (justo impedimento cessante) ad hujusmodi ordines se promoveri fecerint, intra annum, ex tunc, donec ad eos promoti fuerint, nullo modo vocem in Capitulo habeant earundem: ipsisque distributionum, quae dantur his, qui certis horis intersunt, pars dimidia subtrahatur, non obstantibus quibuslibet consuetudinibus vel statutis: poenis aliis, quae contra tales promoveri ad ordines recusantes, statuuntur in jure, nihilominus in suo robore permansuris.

## XVI.

*In Sexto. Lib. 2. Tit. De appellationibus (ad §. 337.)*

### CAPUT III. (ann. 1245.)

Romana Ecclesia (*et infra*). Cum Suffraganeorum Rhemensis Ecclesiae, suorumque officialium (qui generaliter de causis ad ipsorum forum pertinentibus eorum vices supplendo cognoscunt) unum et idem consistorium sive auditorium sit censendum: ab ipsis officialibus, non ad dictos Suffraganeos (ne ab eisdem ad seipsos interponi appellatio videatur) sed de jure ad Rhemen-

sem est curiam appellandum. Ab Archidiaconis vero, aliisque inferioribus Praelatis, Suffraganeis subjectis eisdem, et eorum officialibus, ad Suffraganeos ipsos debet, et non ad eandem curiam (omissis dictis Suffraganeis) appellari; nisi aliud Rhemensi Ecclesiae de consuetudine competat in hac parte. Cum autem ad praefatam curiam ab eorumdem Suffraganeorum vel suorum officialium audientia fuerit appellatum, Rhemensis Archiepiscopus (qui pro tempore fuerit) vel officialis ipsius nullatenus in appellationis causa interpositae, ante definitivam sententiam citent partes, nec etiam aliis illam committant, appellationis ejusdem causa probabili seu legitima non expressa.

Si vero vocatis partibus, vel nullatenus, aut non intra decem dies post interlocutoriam vel definitivam sententiam appellatum fuisse, seu aliquid aliud simile, sicque non esse per appellationem ad eumdem Archiepiscopum vel ejus officialem devolutum negotium proponantur: iidem (nisi prius ipsis constiterit causam ipsam ad eos totaliter fuisse delatam) prohibere, ne in causa illa, vel ne ad executionem procedatur sententiae non praesumant.

Quod si objiciatur ex injusta causa, seu minus legitima, ante sententiam appellationem interpositam exstitisse, et ex eo non esse appellationem hujusmadi admittendam: nequeunt praedicti Archiepiscopus vel ejus officialis prohibere, ne procedatur in causa, nisi prius appellatione recepta velut emissa ex causa probabili, cognoscere incipiant de causa hujusmodi, an sit vera. Si autem post sententiam in casibus a jure prohibitis (utpote a sententia super manifesto et notorio crimine, vel de quo quis in jure confessus extitit, promulgata) vel consimilibus appellatum fuisse dicatur: possunt, ne sententia executioni mandetur (postquam cognoscere coeperint, utrum sit recipienda, vel non appellatio, ab eo interposita) inhibere. In alium quoque, qui circa rem, de qua inter appellantem et appellatum controversia vertitur, aliquid post eorum inhibitionem attentat, non valet occasione hujusmodi jurisdictionem aliquam vendicare. Cum vero is, qui ad Rhemensem curiam super aliqua causa vocem appellationis emittit, nihilominus in causis aliis Ordinarii sui jurisdictioni subjiciatur: Rhemensis Archiepiscopus vel officialis ipsius nequaquam jurisdictionem ipsam in aliis impediant, ut ab ejusdem

Ordinarii potestate totaliter eximant taliter appellantem. Debet autem ad eos ab Episcopis praefatae provinciae super causis, in quibus temporalem jurisdictionem exercent, nisi forte de consuetudine aut privilegio, sive jure alio speciali sit appellandum ad alium, appellari. Sententias quoque interdicti vel suspensionis seu excommunicationis in appellantem ab eo, a quo appellatum proponitur, promulgatas, nullatenus, nisi vocatis partibus et de appellatione legitime cognita, revocent, aut denuntient esse nullas. Cum autem ad Rhemensem Archiepiscopum ab audientia Suffraganei sui super aliqua causa fuerit ante sententiam appellatum; idem Archiepiscopus (postquam de appellatione cognita constiterit eam minus rationabilem exstitisse) causam ad eundem Suffraganeum remittere non postponat.

## XVII.

*Bonifacius VIII. In Sexto. Lib. 3. Tit. 2. de Clericis conjugatis (ad §. 368.).*

### CAP. UNIC.

Clerici, qui cum unicis et virginibus contraxerunt, si tonsuram et vestes deferant clericales, privilegium retineant Canonis ab Innocentio secundo praedecessore nostro editi in favorem totius ordinis clericalis. Et cum juxta Parisiense Concilium nullus Clericus distringi debeat, aut condemnari a judice saeculari; praesenti declaramus edicto, hujusmodi Clericos conjugatos pro commissis ab eis excessibus vel delictis trahi non posse criminaliter aut civiliter ad judicium saeculare: nec ab ipsis saecularibus judicibus eos debere personaliter vel etiam pecunialiter (ne per unam viam concedatur eisdem judicibus, quod per aliam denegatur) ullatenus condemnari. In ceteris autem, vel nisi, ut praemittitur, tonsuram vel vestes ferant clericales, etiam in praemissis eos gaudere nolumus privilegio clericali.

## XVIII.

*Gregorius X. in generali Concilio Lugdunensi. In 6. Lib. 3. Tit. 20. De censibus et exactionibus (ad §. 430.)*

### CAPUT II. (a. 1274.)

Exigit perversorum audacia, ut non simus sola delictorum prohibitione contenti, sed etiam poenam delin-

quentibus imponamus. Constitutionem itaque felicis recordationis Innocentii Papae IV. praedecessoris nostri, editam super non recipiendis in pecunia procurationibus, ac super receptionem munerum visitantibus, eorumque familiaribus interdicta, quam multorum fertur temeritas praeterire, volentes inviolabiliter observari, eam decernimus poenae adjectione juvandam: statuentes, ut universi et singuli, qui ob procurationem sibi ratione visitationis debitam exigere pecuniam, vel etiam a volente recipere, vel alias constitutionem ipsam recipiendo munera, sive visitationis officio non impenso, procurationem in victualibus, aut aliquid aliud procurationis occasione, violare praesumpserint, duplum ejus, quod receperint, Ecclesiae, a qua id receptum fuerit, intra mensem reddere teneantur. Alioquin ex tunc Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, duplum ipsum ultra praedictum tempus restituere differentes, ingressum sibi Ecclesiae sentiant interdictum. Inferiores vero ab officio et beneficio noverint se suspensos, quousque de duplo hujusmodi gravatis Ecclesiis plenariam satisfactionem impendant, nulla eis in hoc dantium remissione, liberalitate seu gratia valitura.

## XIX.

*Ex Concilio Lateran. sub Innocent. III. Cap.* 8. *et Lib.* 5. *Decretalium, Tit.* 1. *de accusationibus et inquisitionibus (ad* §. 433.*).*

## CAPUT XXIV. (a. 1216.)

Qualiter et quando debeat Praelatus procedere ad inquirendum et puniendum subditorum excessus, ex auctoritatibus Novi et Veteris Testamenti colligitur evidenter, ex quibus postea processerunt canonicae sanctiones, sicut olim aperte distinximus et nunc sacri approbatione Concilii confirmamus. Legitur enim in Evangelio *(Luc. XVI.*, 2.*)*, quod villicus ille, qui diffamatus erat apud dominum suum, quasi dissipasset bona ipsius, audivit ab illo: *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuae, jam enim non poteris amplius villicare.* Et in Genesi *(XVIII*, 21.*)* Dominus ait: *Descendam et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.* Ex quibus auctoritatibus manifeste comprobatur, quod non solum cum subditus, verum

etiam cum Praelatus excedit, si per clamorem et famam ad aures superioris pervenerit, non quidem a malevolis et maledicis, sed a providis et honestis; nec semel tantum, sed saepe (quod clamor innuit et diffamatio manifestat) debet coram Ecclesiae Senioribus veritatem diligentius perscrutari; ut si rei poposcerit qualitas, canonica districtio culpam feriat delinquentis, non tamquam idem sit accusator et judex, sed quasi deferente fama, vel denuntiante clamore, officii sui debitum exsequatur. Licet autem hoc sit observandum in Subditis, diligentius tamen observandum est in Praelatis, qui quasi signum sunt positi ad sagittam *(Thren. III., 12.)*. Et quia non possunt omnibus complacere, cum ex officio teneantur non solum arguere, sed etiam increpare, quin etiam interdum suspendere, nonnumquam vero ligare: frequenter odium multorum incurrunt et insidias patiuntur. Et ideo sancti Patres provide statuerunt, ut accusatio Praelatorum non facile admittatur; ne concussis columnis, corruat aedificium; nisi diligens adhibeatur cautela, per quam non solum falsae, sed etiam malignae criminationi janua praecludatur. Verum ita voluerunt providere Praelatis, ne criminarentur injuste, ut tamen caverent, ne delinquerent insolenter, contra morbum utrumque invenientes congruam medicinam, videlicet ut criminalis accusatio, quae ad diminutionem capitis (id est degradationem) intenditur, nisi legitima praecedat inscriptio, nullatenus admittatur. Sed cum super excessibus suis quisquam fuerit infamatus, ita ut jam clamor adscendat, qui diutius sine scandalo dissimulari non possit, vel sine periculo tolerari, absque dubitationis scrupulo ad inquirendum et puniendum ejus excessus, non ex odii fomite, sed charitatis procedatur affectu; quatenus, si fuerit gravis excessus, etsi non degradetur ab Ordine, ab Administratione tamen amoveatur omnino: quod est, secundum evangelicam sententiam, a villicatione villicum amoveri, qui non potest villicationis suae dignam reddere rationem. Debet igitur esse praesens is, contra quem facienda est inquisitio, nisi se per contumaciam absentaverit, et exponenda sunt ei illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi seipsum. Et non solum dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei, ut, quid et a quo sit dictum, appareat, publicanda: nec non

19

exceptiones et replicationes legitimae admittendae, ne per suppressionem nominum, infamandi, per exceptionum vero exclusionem, deponendi falsum audacia praebeatur. Ad corrigendos itaque Subditorum excessus, tanto diligentius debet Praelatus assurgere, quanto damnabilius eorum offensas desereret incorrectas, contra quos, ut de notoriis excessibus taceatur, etsi tribus modis possit procedi, per accusationem videlicet, denuntiationem et inquisitionem ipsorum: ut tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela, ne forte per leve compendium ad grave dispendium veniatur: sicut accusationem legitima praecedere debet inscriptio, sic et denuntiationem charitativa admonitio et inquisitionem clamosa insinuatio praevenire; illo semper adhibito moderamine, ut juxta formam judicii, sententiae quoque forma dictetur. Hunc tamen ordinem circa regulares personas non credimus usquequaque servandum, quae, cum causa requirit, facilius et liberius a suis possunt administrationibus amoveri.

## XX.

*Lib. 5. Decretal. Tit. 33. De privilegiis et excess. privileg. (ad §. 439.)*

### CAP. XVI. (a. 1213.)

Cum Capella ducis Burgundiae gaudere dicatur hujusmodi privilegio, quod nullus Archiepiscopus vel Episcopus in personas Canonicorum ejusdem Capellae suspensionis vel excommunicationis aut interdicti sententias audeat promulgare: quidam Capellae supradictae Canonici, qui parochiales Ecclesias a te tenent, occasione privilegii praelibati, in his etiam, quarum jurisdictio ad te pertinet, ita se dicunt exemptos, ut quantumcumque graviter interdum excedant, tuae correctioni recusent et sententiae subjacere. Quocirca mandamus, quatenus in quantum exempti sunt ejusdem ratione Capellae, apostolicis privilegiis deferas reverenter; sed in quantum ratione parochialium Ecclesiarum, vel alias jurisdictionem tuam respicere dignoscuntur, officii tui debitum in eosdem libere prosequaris.

## XXI.

*In Sexto. Lib. 3. Tit. 3. De Clericis non residentibus.*
*(ad §. 443.)*

### CAP. UNIC. (a. 1298.)

Consuetudinem, quae in quibusdam inolevit, qua Canonici et alii beneficiati, seu Clerici cathedralium et aliarum collegiatarum Ecclesiarum, distributiones quotidianas (quae alias manualia beneficia seu victualia nuncupantur et tantum residentibus tribuuntur) qualitercumque in civitatibus seu aliis locis (in quibus ipsae consistunt Ecclesiae) sint praesentes, licet divinis officiis non intersint, ex integro percipiunt, ac si continue in ipsis Ecclesiis in eisdem officiis deservirent, penitus improbantes, statuimus, ut distributiones ipsae quotidianae, in quibuscumque rebus consistant, Canonicis ac aliis beneficiatis et Clericis Ecclesiarum ipsarum, qui eisdem officiis in ipsis Ecclesiis adfuerint, tribuantur juxta Ecclesiae cujuslibet ordinationem rationabilem, jam factam, seu etiam faciendam. Qui vero aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas, seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret) rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas, imo ad omnium restitutionem, quae contra hujusmodi Constitutionem nostram receperit teneatur. De distributionibus etiam pro defunctorum anniversariis largiendis, idem decernimus observandum.

## XXII.

*In Sexto. Lib. 3. Tit. 16. De statu Regularium.*
*(ad §. 478.)*

### CAP. UNIC. (a. 1298.)

Periculoso et detestabili quarumdam monialium statui (quae, honestatis laxatis habenis et monachali modestia sexusque verecundia impudenter abjectis, extra sua monasteria nonnumquam per habitacula saecularium personarum discurrunt et frequenter infra eadem monasteria personas suspectas admittunt, in illius, cui suam integritatem voluntate spontanea devoverunt, gravem offensam, religionis opprobrium et scandalum plurimorum) providere salubriter cupientes, praesenti Constitu-

tione perpetuo irrefragabiliter valitura, sancimus, universas et singulas moniales, praesentes atque futuras, cujuscumque Religionis sint vel Ordinis, in quibuslibet mundi partibus exsistentes, sub perpetua in suis monasteriis debere de cetero permanere clausura, ita, quod nulli earum religionem tacite vel expresse professae, sit vel esse valeat quacumque ratione vel causa (nisi forte tanto et tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo seu scandalo commorari) monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas: nullique aliquatenus inhonestae personae, nec etiam honestae (nisi rationabilis et manifesta causa exsistat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia) ingressus vel accessus pateat ad easdem: ut sic a publicis et mundanis conspectibus separatae, omnino servire Deo valeant liberius et (lasciviendi opportunitate sublata) eidem corda sua et corpora in omni sanctimonia diligentius custodire. Sane ut hoc salutare Statutum commodius valeat observari, districtius inhibemus, ne in monasteriis Ordinum non mendicantium, aliquae recipiantur de cetero in sorores, nisi quot poterunt de ipsorum monasteriorum bonis, sive proventibus absque penuria sustentari: si secus actum fuerit, irritum decernentes.

Verum quando Abatissa vel Priorissa cujusvis monasterii, pro feudo, quod monasterium ipsum tenet ab aliquo principe seu domino temporali, sibi debebit homagium vel fidelitatis sacramentum praestare (nisi quod per procuratorem illud praestet, possit efficere apud eum) de monasterio cum honesta et decenti societate exire poterit eo casu licenter, homagio facto, quam primum commode poterit, seu fidelitatis praestito sacramento, ad ipsum monasterium e vestigio reversura: sic, quod in fraudem residentiae sive morae claustralis nihil fiat omnino.

Porro ne moniales causam seu occasionem habeant evagandi, principes saeculares ac alios dominos temporales rogamus, requirimus et obsecramus per viscera misericordiae Jesu Christi, eisdem in remissionem peccaminum nihilominus suadentes, quod Abbatissas ipsas et Priorissas, ac moniales quascumque, monasteriorum suorum curam, administrationem, negotiave gerentes, quibuscumque nominibus censeantur, per procuratores in suis tribunalibus seu curiis litigare permittant: ne

pro constituendis procuratoribus (qui Atornati in aliquibus partibus nuncupantur) seu aliis hujusmodi, easdem oporteat evagari. Si qui vero contra praesumserint, exhortationi hujusmodi rationabili atque sanctae obtemperare nolentes, cum sit juri contrarium, quod mulieres (praesertim religiosae) per seipsas litigare cogantur, et a via deviet honestatis et periculum animarum inducat, ad hoc per suos Ordinarios ecclesiasticos censura ecclesiastica compellantur. Episcopis autem, et aliis Praelatis superioribus et inferioribus quibuscumque injungimus, quod et ipsi causas seu negotia, quae praefatae moniales habebunt agere coram ipsis, aut in curiis eorumdem, sive sint homagia, fidelitatis sacramenta, lites, vel quidquid aliud, ipsa per procuratores earum fieri faciant et tractari.

Et quoniam parum esset condere jura, nisi essent, qui ea executioni debitae demandarent, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis universis districte in virtute sanctae obedientiae, sub obtestatione divini judicii, et interminatione maledictionis aeternae, praecipiendo mandamus, quatenus eorum quilibet in civitate ac dioecesi propria, in monasteriis monialium, sibi ordinario jure subjectis, sua, in iis vero, quae ad Romanam immediate spectant Ecclesiam, Sedis apostolicae auctoritate; Abbates vero et alii, tam exempti quam non exempti Praelati Ecclesiarum, monasteriorum et ordinum quorumcumque, in monasteriis hujusmodi, sibi subjectis, de clausura convenienti, ubi non est, ipsorum monasteriorum expensis et fidelium eleemosynis, quas ad hoc procurent, diligentius facienda, et de ipsis monialibus includendis, quam primum commode poterunt, providere procurent, si divinae ac nostrae indignationis voluerint acrimoniam evitare: contradictores atque rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii saecularis. Per hoc autem in monasteriis exemptis Ordinarii locorum, quoad alia nullam sibi credant jurisdictionem vel potestatem aliquatenus attributam.

## XXIII.

*Ex Innocentio III. in Concilio Lateranensi Cap.* 12. *et Lib* 3. *Decretal. Tit.* 35. *de stat. monachorum* (*ad* §. 482.).

### CAPUT VII. (a. 1216.)

In singulis regnis sive provinciis fiat de triennio in triennium, salvo jure dioecesanorum Pontificum, commune capitulum Abbatum atque Priorum, Abbates proprios non habentium, qui non consueverunt tale Capitulum celebrare: ad quod universi conveniant, praepeditionem canonicam non habentes, apud unum de monasteriis, ad hoc aptum; hoc adhibito moderamine, ut nullus eorum plus quam sex evectiones et octo personas adducat. Advocent autem charitative in hujusmodi novitatis primordiis duos Cisterciensis Ordinis Abbates vicinos, ad praestandum sibi consilium et auxilium opportunum, cum sint in hujusmodi Capitulis celebrandis ex longa consuetudine plenius informati. Qui absque contradictione duos sibi de ipsis associent, quos viderint expedire. Ac ipsi quatuor praesint Capitulo universo, ita, quod ex hoc nullus eorum auctoritatem praelationis assumat: unde, cum expedierit, provida possint deliberatione mutari. Hujusmodi vero Capitulum aliquot certis diebus continue juxta morem Cisterciensis Ordinis celebretur, in quo diligens habeatur tractatus de reformatione Ordinis, et observantia regulari: et quod statutum fuerit, illis quatuor approbantibus, ab omnibus inviolabiliter observetur, omni excusatione et contradictione ac appellatione remotis, proviso nihilominus, ubi sequenti termino deceat Capitulum celebrari. Et qui convenerint, vitam ducant communem, et faciant proportionabiliter simul omnes communes expensas, ita, quod si non omnes potuerint in eisdem, saltem plures simul in diversis domibus commorentur. Ordinentur etiam in eodem Capitulo religiosae ac circumspectae personae, quae singulas abbatias ejusdem regni seu provinciae, non solum monachorum, sed etiam monialium, secundum formam sibi praefixam, vice nostra studeant visitare, corrigentes et reformantes, quae correctionis et reformationis officio viderint indigere, ita, quod si rectorem loci cognoverint ab administratione penitus amo-

vendum, denuntient Episcopo proprio, ut illum amovere procuret; quod si non fecerit, ipsi visitatores hoc referant ad apostolicae Sedis examen. Hoc ipsum regulares Canonicos secundum Ordinem suum volumus et praecipimus observare. Si vero in hac novitate quidquam difficultatis emerserit, quod per praedictas personas nequeat expediri, ad apostolicae Sedis judicium absque scandalo referatur: ceteris irrefragabiliter observatis, quae concordi fuerint deliberatione provisa.

Porro dioecesani Episcopi monasteria sibi subjecta ita studeant reformare, ut, cum ad ea praedicti visitatores accesserint, plus in illis inveniant, quod commendatione, quam quod correctione sit dignum; attentissime praecaventes, ne per eos dicta monasteria indebitis oneribus aggraventur: quia sic volumus superiorum jura servari, ut inferiorum nolimus injurias sustinere. Ad hoc districte praecipimus tam dioecesanis Episcopis, quam personis, quae praeerunt Capitulis celebrandis, ut per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescant Advocatos, Patronos, Vicedominos, Rectores et Consules, Magnates et Milites, seu quoslibet alios, ne monasteria praesumant offendere in personis ac rebus: et, si forsitan offenderint, eos ad satisfactionem compellere non omittant, ut liberius et quietius omnipotenti Deo valeant famulari.

## XXIV.

*In Sexto. Lib.* 1. *Tit.* 3. *De rescriptis* (*ad* §. 561.).

### CAPUT XI. (a. 1302.)

Statutum, quod circa Judices a Sede apostolica deputandos, nuper edidimus, cum quaedam contenta in eo, quae pro communi utilitate credebantur inducta (sicut experientia docuit) tendere dignoscantur ad noxam, Sanctione praesenti, quam irrefragabiliter observari mandamus, suadente utilitate, in melius duximus reformandum. Sancimus igitur, ut nullis, nisi dignitate praeditis, aut personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum cathedralium Canonicis, causae auctoritate litterarum Sedis apostolicae, vel Legatorum ejusdem de cetero committantur, nec audiantur alibi, quam in civitatibus, vel locis insignibus, ubi possit commode copia peritorum haberi.

# ORATIO
## HABITA IN SESSIONE XXV. CONCILII TRIDENTINI,
*ab Hier. Ragazono Veneto, Episc. Nazianzeno, et Coadjutore Famaugustano,*

qua summatim recensentur omnia in Concilio Tridentino definita, quae et ad pie credendum et ad bene vivendum pertinent.

Audite haec omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem! Tridentinum Concilium jam diu coeptum, aliquando intermissum, distractum varie atque divulsum, nunc demum, singulari Dei omnipotentis beneficio, summa atque incredibili omnium ordinum ac nationum voluntate connectitur atque perficitur. Dies haec quidem felicissima christiano populo illuxit, in qua templum Domini disturbatum frequenter ac dissipatum reficitur et absolvitur, et navis haec una bonorum omnium ex maximis ac diuturnis turbinibus atque fluctibus tuta in portu collocatur, quam utinam conscendere nobiscum ii voluissent, quorum in primis gratia haec ipsa navigatio instituta fuit; atque aedificii hujus construendi participes exsisterent, qui hoc nobis negotium exhibuerunt; majoris nunc profecto laetitiae causam haberemus. Sed nostra id certe culpa non accidit.

Nos urbem hanc in Germaniae faucibus, id est, in domus illorum fere limine positam elegimus, nos custodiam nullam nobis, ne suspicionem illis aliquam minus liberi loci daremus, adhibuimus, nos eam fidem publicam illis concessimus, quam sibi ipsi composuerunt, nos hic illos perdiu exspectavimus; neque hortari ac rogare unquam destitimus, ut ad veritatis lucem cognoscendam accederent. Verum illis etiam absentibus, satis, ut puto, a nobis consultum est. Etenim cum duo essent in quibus aegris atque infirmis illorum animis medicina fuit adhibenda; alterum fidei catholicae ac vere evangelicae, illis in rebus quae in dubium ab ipsis vocantur, quaeque opportunae his temporibus viderentur, explicata et confirmata, disjectis omnibus ac dissipatis errorum tenebris, doctrina; alterum disciplinae ecclesiasticae, cujus potissimum depravatione illi se a nobis defecisse affirmant, restitutio; utrumque, quantum in nobis fuit, pro temporum horum ratione, cumulate praestitimus.

Principio enim sancta haec Synodus (facta, ex laudabili majorum nostrorum consuetudine, sua fidei professione) ut quoddam quasi fundamentum futuris actionibus poneret, et quibus testimoniis atque praesidiis in dogmatibus sanciendis nitendum esset, ostenderet, Veteris ac Novi Testamenti libros, qui essent sine ulla dubitatione recipiendi, antiquorum Conciliorum probatissimorum exemplo, pie et prudenter enumeravit, ac, ne de verbis quidem ulla ex variis versionibus oriri posset difficultas, certam ac definitam de Graecis et Hebraeis translationem approbavit. Hinc omnium haeresum caput atque arcem aggrediens, de humanae naturae corruptis initiis ea statuit, quae veritas ipsa, si loqui posset, exprimeret. De justificatione deinceps (res magna, et cum ab antiquis, tum a nostri temporis Haereticis mirum in modum oppugnata) ea definivit, quibus et perniciosissimis eo in genere opinionibus occurreretur; et recta sentiendi ratio miro quodam ordine, atque admirabili sapientia (ut in illis Dei Spiritum facile agnoscas) demonstraretur. Praestantissimo hoc post hominum memoriam decreto haereses fere universae jugulantur, et, quasi caligo sole, discutiuntur ac dispelluntur, eaque claritas isque splendor veritatis apparet, ut, tantum lumen quin videat, dissimulare jam nemo possit. Subsecuta est salutaris septem divinorum Ecclesiae Sacramentorum tractatio; primum simul de omnibus, post de unoquoque separatim. Hic vero quis non videt, quam distincte, explica e, abundanter, illuminate, et (quod caput est) vere tota caelestium horum mysteriorum ratio contineatur? Quis in tam magna multiplicique doctrina, quid aut sequendum aut fugiendum sit, potest ullo modo desiderare? Quis in illis omnibus errandi locum aut occasionem inveniet? Quis denique de Sacramentorum horum vi atque virtute dubitare in posterum poterit? cum gratiam illam, quae illis ipsis quibusdam quasi stillicidiis in fidelium quotidie mentes illabitur, tunc nobis adfuisse tam copiose perspiciatur? Accesserunt ad haec de sacrosancto Missae sacrificio et de Communione sub utraque specie et parvulorum, decreta, quibus quidem nihil sanctius, nihil utilius, ut de coelo lapsa, non ab hominibus composita videantur. Adjungetur his hodie certa de Indulgentiis, de Purgatorio, de Sanctorum Veneratione, Invocatione, Imaginibus et Reliquiis doctrina qua non

solum Haereticorum fraudibus et calumniis obsistetur, sed piorum etiam Catholicorum conscientiis plane satisfiet.

Haec de rebus ad salutem nostram pertinentibus, quae dogmata appellantur, fauste ac feliciter erunt peracta; neque aliud quidquam praeterea eo in genere a nobis hoc tempore exspectabitur.

In eorum autem quibusdam administrandis cum nonnulla essent quae non rite omnino ac recte servarentur; accuratissime, Patres amplissimi, curastis, ut pure illa et caste, atque ex more institutoque majorum tractarentur. Ita omnem superstitionem, omnem quaestum, omnem (ut dicunt) irreverentiam a divina Missarum celebratione abstulistis; vagis, ignotis et criminosis Sacerdotibus sanctum hoc offerre sacrificium interdixistis; rei hujus sacratissimae usum a privatis domibus et profanis, in sacra et religiosa loca revocastis; molliores cantus et symphonias, deambulationes, colloquia, negotiationes a templo Domini summovistis. Ita ecclesiastico unicuique gradui leges illae a vobis praescriptae sunt, ut tradito illis divinitus ordine, abutendi nullus utique locus relinquatur. Ita nonnulla Matrimonii impedimenta, quae ansam quasi quamdam ad violanda Ecclesiae praecepta dare videbantur, removistis; facilem veniae consequendae viam minus legitime connubii foedus ineuntibus interclusistis. Quid de furtivis tenebricosisque matrimoniis commemorem? Equidem ita sentio, si alia nulla causa convocandi Concilium fuisset, (quae multae et maximae fuerunt) propter unam hanc id omnino fuisse faciendum. Nam cum res haec ad omnes spectet, neque ullus in orbe terrarum universo angulus reperiatur, quem labes haec non invaserit; curandum merito fuisset, ut communi huic malo communi etiam consilio provideretur. Innumerabilium, Patres sanctissimi, et gravissimorum delictorum ac scelerum occasio, prudentissima ista vestra ac prope divina sanctione penitus ablata est, et christianae reip. gubernationi sapientissime consultum. Accedet ad haec utilis in primis ac necessaria multorum in Purgatorii, Sanctorum Venerationis, Invocationis, Imaginum, et Reliquiarum atque etiam Indulgentiarum ratione abusuum interdictio, qui rerum ipsarum pulcherrimam faciem inquinare atque turpare mirum in modum videbantur.

Altera vero pars, in qua de labenti ac prope cadenti ecclesiastica disciplina fulcienda erat agendum, diligentissime etiam absoluta fuit, atque perfecta. Eligentur in posterum ad ecclesiastica munera obeunda, qui virtute, non ambitione praestent; quique populi commodis, non suis inserviant, et prosint potius quam praesint. Enunciabitur atque explanabitur frequentius, et studiosius verbum Domini, omni ancipiti gladio penetrantius.

Aderunt suis gregibus et invigilabunt Episcopi, ceterique, quibus animarum cura commissa est; neque extra creditam sibi custodiam vagabuntur. Nihil cuiquam proderunt aut ad impure et flagitiose vivendum, aut ad male et perniciose docendum privilegia: nullum sine poena crimen, nulla sine praemio virtus relinquetur. Pauperum et mendicantium sacerdotum multitudine optime provisum est: certa unusquisquae Ecclesiae, statutoque operi, unde ali possit, adscribetur.

Avaritia, quo nullum vitium est tetrius, praesertim in domo Dei, ab ea omnino tolletur: gratis Sacramenta omnia, ut par est, conferentur. Ex una Ecclesia plures, ex pluribus una, ut populi commodum et ratio postulabit, constituetur. Eleemosynarum quaestores (ut appellant) qui sua, non quae Jesu Christi, quaerentes, magnum nostrae religioni damnum, magnam infamiam afferebant; ex omni hominum memoria (quod summae felicitatis loco ponendum est) penitus evellentur. Hinc nostra praesens calamitas sumpsit exordium; hinc serpere infinitum malum, manareque in dies latius non desistebat; neque occurri illi adhuc multorum Conciliorum cautionibus ac provisionibus potuit. Quamobrem quis non nisi sapientissime factum dixerit, ut membrum hoc, in quo sanando diu ac multum frustra laboratum est, ne reliquo corpori noceret, excideretur?

Porro Deo cultus tribuetur purius et accurratius, atque ita qui ferunt vasa Domini, mundabuntur, ut ad sui imitationem alios trahant. In quo praeclare illud fuit excogitatum, ut, qui sacris essent initiandi, iis moribus atque litteris in unaquaque Ecclesia a prima aetate instituerentur, ut quoddam quasi virtutum omnium seminarium illud exsisteret. Jam vero provincialibus Synodis restitutis, Visitationibus ad populorum utilitatem, non ad querelam et sumptum renovatis: tradita Pasto-

ribus regendi suos, atque pascendi commodius facultate: poenitentia publica in usum renovata: hospitalitate tum ecclesiasticis hominibus, tum piis locis indicta; in curatis sacerdotiis conferendis memorabili, ac paene caelesti ratione constituta: beneficiorum (ut ajunt) pluralitate sublata: hereditaria sanctuarii Dei possessione prohibita: modo excommunicationibus imposito ac terminato: primis judiciis iis in locis, ubi lites oriuntur, assignatis: singularibus certaminibus interdictis: omnium hominum ac sacrorum in primis luxuriae, cupiditati, atque licentiae freno quasi quodam, quod excuti non facile possit, injecto: Regibus ac Principibus sui numeris diligenter admonitis: aliisque rebus hujusmodi prudentissime sancitis: quis non videt vestras vos, T. P. optimi, hac etiam in re partes cumulatissime executos? Actum saepe est in superioribus Conciliis de fide nostra explicanda, moribusque corrigendis, sed nescio, an umquam diligentius, atque distinctius. Hic praesertim hoc biennio, ex omnium populorum ac nationum, in quibus catholicae religionis veritas agnoscitur, non solum Patres, sed Oratores habuimus. At quos viros? Si doctrinam spectemus, eruditissimos; si usum, peritissimos; si ingenia, perspicacissimos; si pietatem, religiosissimos; si vitam, innocentissimos. Numerus is quoque fuit, ut, si praesentes christiani orbis considerentur angustiae, frequentissima haec omnium, quae antea fuerunt, Synodus appareat. Hic singula omnium vulnera detecta, mores expositi fuere: nihil dissimulatum est. Nostrorum adversariorum argumenta et rationes ita tractatae, ut eorum tum causa, non nostra, agi videretur. Tertium nonnulla, atque etiam quartum discussa: summa saepe contentione certatum: eo scilicet consilio, ut, quemadmodum igne aurum, ita quibusdam quasi luctationibus, veritatis vires ac nervi probarentur. Quae enim inter idem sentientes, idemque spectantes, discordia potuit exsistere?

Quae cum ita sint, licet optandum (ut initio dicebam) summopere fuisset, ut una cum illis haec agerentur quorum potissimum causa tractata sunt; absentium tamen etiam incolumitati atque saluti ita provisum est, ut alia ratione provideri, si adfuissent, non potuisse videatur. Legant illi quae de fide nostra statuimus, ut christianum hominem decet, humiliter: et, si lumen eis aliquod fulserit, ne faciem avertant: et, si vocem Domini au-

dierint, corda sua non obdurent. Ac si ad communem matris Ecclesiae complexum, unde se illi distraxerunt, redire voluerint, clementiam sibi omnem ac misericordiam tribuendam non dubitent. Sed praecipua illa ratio est, P. A. dissentientes a nobis animos conciliandi; consentientes in fide atque officio retinendi: si. quae hoc in loco verbis sancivimus, re ipsa in nostris Ecclesiis praestemus. Leges etsi optimae sunt, muta tamen res est. Quid Hebraeo populo Dei ipsius ore latae leges profuerunt? Quid Lycurgi leges Lacedamoniis; Solonis, Atheniensibus, ad libertatem retinendam, quam ob causam erant conscriptae, utilitatis attulere? Sed cur externa, atque antiqua nimis commemoro? Quae ad bene beateque vivendum instituta atque praecepta ex unius Christi Domini nostri vita atque doctrina desiderare aut possumus, aut debemus? Quid item fuit a majoribus nostris omissum, quod cum ad recte sentiendum, tum ad praeclare agendum pertineret? Medicamentum quidem salutare compositum ac paratum jamdiu habemus: verum, si morbum debet expellere, sumendum est, ac per venas in omne corpus diffundendum. Poculo hoc salutis nos primum inebriemur, Charissimi, et vivae atque loquentes leges simus; et norma quasi quaedam ac regula, ad quam aliorum actiones et studia dirigantur; atque ita sibi unusquisque persuadeat, nihil e christianae reip. commodo ac dignitate successurum, nisi quantum in se sit, studiose praestiterit.

Id curandum nobis cum antea fuit, tum multo erit in posterum accuratius. Etenim, si Magistri nostri ac Salvatoris exemplo facere prius debebamus, quam docere: postquam docuimus, quin faciamus, quae esse poterit excusatio? Quis ferre nos ac pati poterit? si, cum non furandum esse demonstraverimus, ipsi furemur? si, cum non moechandum, moechemur? Sanctos a sancto Concilio; innocentes atque integros ab integritatis praeceptis et innocentiae; firmos in fide atque constantes a fidei nostrae firmata doctrina discedere minime convenit. Ac tales quidem exspectant nos populi nostri, qui nostrum jamdiu reditum sustinentes, ea se ipsi ratione consolabantur. fore, ut hanc temporis usuram majori praesentes studio sarciremus. Sed fiet id a vobis, ut spero, Patres sanctissimi, diligenter: et quemadmodum hoc in loco fecistis, ita etiam domi satis Deo atque hominibus facietis. Nunc (quod hujus temporis est)

Deo primum ipsi maximo atque immortali, maximas atque immortales gratias et agamus et habeamus: qui non secundum peccata quae fecimus nos, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis: sed diem hunc laetissimum, quem videre multi concupiverunt, nobis non solum videndum, sed etiam celebrandum, incredibili cum totius christiani populi assensu atque approbatione, sua magna benignitate concessit. P i o deinde IV, summo nostro atque optimo Pontifici gratiae perpetuae ac singulares habendae sunt: qui, cum primum beati Petri Sedem adscendit, tanto Synodum hanc instaurandi desiderio exarsit, ut in eo suas omnes curas et cogitationes defigeret. Nuntios statim viros probatissimos ad indicendum illis nationibus atque provinciis Concilium misit, pro quorum inprimis salute convocabatur. Hi Aquilonis partes prope omnes peragrarunt, rogarunt, obsecrarunt, obtestati sunt: tuta omnia atque amica promiserunt: atque id etiam egerunt, ut in Angliam trajicerent: Legatos postmodum pietate ac doctrina praestantissimos, cum interesse ille Synodo, ut mirum in modum cupiebat, non posset, huc misit: ex quibus duos (quorum memoria in benedictione est) statuta die, tametsi nulli fere Episcopi convenissent, hic esse voluit. Hi, atque additus eis paulo post tertius, novem menses, atque eo amplius, justum ad Synodum instituendam Episcoporum numerum hoc in loco nihil agentes exspectaverunt: cum interea nihil aliud Pontifex ipse aut ageret aut meditaretur, quam ut Patres quam plurimi, quam optimi et quamprimum huc accederent; et christianis nominis Reges omnes ac Principes suos huc Oratores mitterent: ut communi omnium voto atque consilio communis haec causa gravissima omnium atque maxima tractaretur. Quid vero postea omni cura, solicitudine, sumptibus praetermisit, quod ad Concilii hujus amplitudinem, libertatem et commodum pertinere aliquo modo videretur? O singularem Pastoris ac Patris nostri pietatem atque prudentiam! o summam etiam ejusdem felicitatem, cujus auctoritate atque auspiciis jactatum hoc diu et agitatum Concilium constitit et conquiescit! Te Paulum III., te Iulium, mortuos appello: quamdiu, quantoque studio videre, quod nos videmus, exoptastis? quot in eam rem sumptus, quae labores insumpsistis? Quamobrem vere tibi atque ex animo, Pie sanctiss. ac beatiss. gratulamur, quod tantam tibi laeti-

tiam, tantam tuo nomini laudem (id quod maximum divinae in te benevolentiae argumentum est) Dominus reservavit: quem nos precibus omnibus ac votis supplices oramus, ut te nobis incolumem, pro Ecclesiae suae sanctae commodo atque ornamento et quam citissime reddat et quam diutissime conservet. Serenissimo etiam Imperatori gratias agere et gratulari jure optimo debemus. Ille potentissimorum Caesarum, qui propagandae christianae religionis miro quodam desiderio flagrarunt, animum, ut locum, referens, urbem hanc ab omni periculo liberam conservavit et nos, ut tutam tranquillamque pacem traheremus, sua vigilantia perfecit; magnamque nostris animis securitatem, assidua trium suorum Legatorum summorum virorum praesentia, ac prope pignore attulit. Ille de nostris his rebus pro sua eximia pietate solicitus mirifice fuit.

Ille a se atque a nobis dissentientes homines, ex obscurissimis, in quibus versantur, tenebris eruere, atque ad sancta hujus Synodi clarissimam lucem adspiciendam adducere, maximopere laboravit. Regum praeterea christianorum ac Principum in Concilio hoc amplissimis suis legationibus ornando et suos vestrae auctoritati fasces submittendo, pia maxime voluntas grata nobis memoria prosequenda est. Jam vero quis est, illustriss. Legati et Cardinales, qui se vobis debere plurimum non fateatur? Vos, nostrarum actionum duces optimi, ac moderatores exstitistis. Vos, ne nostra aut in dicendo, aut in decernendo libertas violari aliqua ex parte videretur, incredibili patientia ac diligentia curastis. Vos nulli corporis labori, nulli animi contentioni pepercistis, ut ad optatum res exitum, quod alii multi vestri similes frustra tentaverunt, quamprimum perduceretur. In quo praecipuam quamdam ac propriam laetitiam habere, tu Morone illustriss. atque ornatissime, debes, qui, cum vigesimo ab hinc anno primum praeclaro huic aedificio lapidem posueris, extremam nunc manum post alios multos huic operi architectos adhibitos, feliciter, pro summa tua ac prope divina sapientia, impones. Factum hoc tuum egregium ac singulare omnium sermone perpetuo celebrabitur, neque ulla umquam aetas de tuis his laudibus conticescet. Quid de vobis dicam, Patres sanctiss., quam bene de christiana republ. vestris his praestantissimis actionibus meruistis? quanta vestrum uniuscujusque nomini commendatio,

quanta gloria a christiano populo universo tribuetur? Vos vere Patres, vere Pastores et agnoscent omnes et praedicabunt: vobis suam unusquisque vitam atque salutem acceptam libentissime referet. O diem illam populis nostris jucundissimam atque laetissimam, in qua primum revisere illis nos, atque amplecti a templi Domini aedificatione redeuntes contigerit!

Sed fac, tu Domine Deus noster, ut tam eximia de nobis opinioni egregiis factis respondeamus; et semen hoc, quod in agro tuo seminavimus, uberem fructum afferat, fluatque ut ros eloquium tuum: atque, quod fore aliquando pollicitus es, fiat temporibus nostris, ut unum sit omnium ovile et unus pastor, atque is potissimum Pius IV., in tui nominis gloriam sempiternam. Amen.

II.

# PROFESSIO FIDEI

## TRIDENTINAE.

## FORMA PROFESSIONIS ORTHODOXAE FIDEI, OBSERVANDA A PROVISIS DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS CURATIS AC DIGNITATIBUS, ECCLESIIS, MONASTERIIS ET ALIIS LOCIS ORDINUM REGULARIUM ET MILITIARUM.

*Pius Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

Injunctum Nobis apostolicae servitutis officium requirit, ut ea, quae Dominus omnipotens, ad providam Ecclesiae suae directionem sanctis Patribus, in nomine suo congregatis, divinitus inspirare dignatus est, ad ejus laudem et gloriam incunctanter exsequi properemus. Cum itaque juxta Concilii Tridentini dispositionem, omnes, quos deinceps cathedralibus et superioribus Ecclesiis praefici, vel quibus de illarum dignitatibus, canonicatibus et aliis quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, curam animarum habentibus provideri continget, publicam orthodoxae fidei professionem facere, seque in Romanae Ecclesiae obedientia permansuros spondere et jurare, teneantur. Nos volentes, etiam per quoscumque, quibus de Monasteriis, Conventibus, Domibus et aliis quibuscumque locis, Regularium quorumcumque Ordinum, etiam Militiarum, quocumque nomine vel titulo providebitur, idem servari, et ad hoc, ut unius ejusdem fidei professio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque et certa illius forma cunctis innotescat, nostrae solicitudinis partes in hoc alicui minime desiderari, formam ipsam praesentibus annotatam publicari, et ubique gentium per eos, ad quos ex Decretis ipsius Concilii et alios praedictos spectat, recipi et observari, ac sub poenis per Concilium ipsum in contravenientes latis, juxta hanc et non aliam formam, professionem praedictam solemniter fieri, auctoritate apostolica tenore praesentium districte praecipiendo mandamus, hujusmodi sub tenore:

I. Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo sancta

Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium et invisibilium; et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria virgine, et homo factus est; crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, et resurrexit tertia die secundum Scripturas, et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis; et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas; et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam; confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum, et exspecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Amen.

II. Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto, et amplector.

III. Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam umquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

IV. Profiteor quoque, septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis, a Jesu Christo, Domino nostro, instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto.

V. Omnia et singula, quae de Peccato originali et de Justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

VI. Profiteor pariter, in Missa offerri Deum verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat.

VII. Fateor etiam, sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

VIII. Constanter teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari; similiter et Sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

IX. Firmissime assero, imagines Christi ac Deiparae semper virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam; indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse, affirmo.

X. Sanctam catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici, beati Petri, Apostolorum principis, successori ac Jesu Christi vicario, veram obedientiam spondeo, ac juro.

XI. Cetera item omnia a sacris Canonibus et oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia atque haereses quascunque ab Ecclesia damnatas, rejectas et anathematizatas ego pariter damno, rejicio et anathematizo,

XII. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime (Deo adjuvante) retinere et confiteri, atque a meis subditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo

spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Volumus autem, quod praesentes litterae in Cancellaria nostra apostolica de more legantur et, ut omnibus facilius pateant, in ejus Quinterno describantur, ac etiam imprimantur.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae voluntatis et mandati infringere, vel ex ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumserit, indignationem omnispotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quarto. Idibus Novemb. Pontificatus nostri anno quinto.

*Fed. Cardinalis Caesius.*

*Cae. Glorierius.*

Lectae et publicatae fuerunt suprascriptae litterae Romae, in Concellaria apostolica, anno incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quarto, die vero Sabbati, nona mensis Decembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Pii Papae quarti, anno quinto.

*A. Lomelinus Custos.*

---

## FORMA PROFESSIONIS FIDEI CATHOLICAE, OBSERVANDA A QUIBUSCUMQUE PROMOTIS ET PROMOVENDIS AD ALIQUAM LIBERALIUM ARTIUM FACULTATEM, ELECTISQUE ET ELIGENDIS AD CATHEDRAS LECTURAS ET REGIMEN PUBLICORUM GYMNASIORUM.

*Pius Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

In sacrosancta beati Petri, principis Apostolorum, Cathedra meritis licet imparibus, hisce procellosis militantis Ecclesiae tempestatibus constitutos, plurimum Nos oporiet esse solicitos, ut Domini gregem curae nostrae commissum, non solum ab apertis rapacium luporum

undecumque caulis obstrepentium insultibus, sed etiam a magis formidolosis pestiferarum vulpecularum domi latitantium insidiis, per providum pastoralis officii ministerium, ipso Domino cooperante praeservemus, ac illis omnes nocendi occasiones, quantum cum Deo possumus, ubilibet auferamus.

§. 1. Cum itaque juxta notum Sanctissimi Vatis oraculum, timor Domini, sine quo vera religio et catholicae fidei puritas nullibi reperitur, sapientiae sit initium, et qui vel in scientiis proficere vel eas alios docere parant, supremum illum sapientiae parentem, benignumque largitorum devoto sanae fidei obsequio demereri, veraque sincerae Religionis pietate sibi conciliare debeant.

§. 2. Idcirco hanc fidei puritatem, scientiis doctrinisque quibuslibet, tum tradendis tum addiscendis, tamquam necessariam basim, constituere, et ne simplicia nonnullorum adolescentium, res novas audiendi cupidorum, ingenia in naufragos blandientium haeresum scrupules imprudenter impingant, occurrere cupientes; motu proprio, et ex certa scientia nostra, ac apostolicae potestatis plenitudine, quod deinceps nullus Doctor, Magister, Regens, vel alius cujuscumque artis et facultatis Professor, sive clericus, sive laicus ac saecularis, vel cujusvis Ordinis regularis sit, in quibusvis studiorum generalium Universitatibus, aut Gymnasiis publicis, aut alibi ordinariam vel extraordinariam lectoris cathedram assequi, vel jam obtentam retinere, seu alias theologiam, canonicam vel civilem censuram, medicinam, philosophiam, grammaticam, vel alias liberales artes, in quibuscumque civitatibus, terris, oppidis ac locis etiam in Ecclesiis, Monasteriis, aut Conventibus Regularium quorumcumque, publice vel privatim quoque modo profiteri, seu lectiones aliquas in facultatibus hujusmodi habere vel exercere.

§. 3. Neque Doctores ipsi, aut Universitatum seu Gymnasiorum eorumdem Rectores, Cancellarii, vel alii Superiores, sed nec etiam Palatini Comites, aut alii particulares facultatem eruditos viros ad eosdem gradus promovendi, etiam a nobis apostolica Sede, vel alias undecumque habentes, Scholares, tam laicos quam clericos, et cujusvis ordinis Regulares, vel alios quoscum-

que quantalibet eruditione praeditos, ad ullum gradum in eisdem facultatibus suscipiendum recipere et admittere.

§. 4. Neque Doctores, Magistri et Scholares, ad electionem alicujus in Rectorem, vel Cancellarium Universitatis aut Gymnasii procedere; nec ipsi Scholares vel alii quantumlibet docti et alioqui habiles, gradus hujusmodi, vel eorum aliquem, palam vel privatim recipere valeant, nisi Doctores videlicet ac Regentes, Magistri et alii Professores jam ad cathedras et lecturas recepti, in Italia infra tres, extra vero illam infra sex menses a die publicationis praesentium computandos, reliqui vero ad cathedras et alias lecturas ibidem in posterum assumendi ante illorum receptionem, in Rectoris, vel aliorum Superiorum, eligendi autem in Rectores vel Cancellarios ante illorum electionem, vel saltem admissionem in Ordinarii loci, vel ejus in spiritualibus Vicarii; ac promovendi Scholares et alii praefati ante illorum promotionem in eisdem Ordinarii, seu ejus Vicarii, aut Doctorum aliorumve promoventium manibus, praevio etiam processu, vel debita informatione, quantum eis sufficere videbitur, super religione fideque catholica, Rectorum, Cancellariorum, Doctorum, Lectorum, et promovendorum eorumdem per ipsos locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios rite facta praecedente, eamdem catholicam fidem, verbis juxta formae infrascriptae tenorem conceptis, palam et solemniter profiteri teneantur; et desuper instrumentum publicum confici, ac de processu seu informatione et fidei professione in privilegio Doctoratus, vel alterius gradus hujusmodi specialis, ac de verbo ad verbum mentio et relatio fieri debeat, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo statuimus et ordinamus.

§. 5. Ac omnibus et singulis earumdem Universitatum et Gymnasiorum Rectoribus, Doctoribus et aliis Superioribus, ac alias facultatem doctorandi habentibus, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae fuerint, etiam si episcopali, archiepiscopali, patriarchali vel majori dignitate, etiam Cardinalatus honore, ac ducali vel alia etiam regia et imperiali auctoritate praefulgeant, ne quem in Universitatibus, civitatibus, oppidis vel aliis locis sibi, in spiritualibus vel temporalibus subjectis, aliter cathedras aut alias lectiones retinere, consequi, vel ad gradus promoveri respe-

ctive patiantur, in virtute sanctae obedientiae, et sub interdicto ab ingressu Ecclesiae quoad antistites, quo vero ad inferiores, sub excommunicationis latae sententiae, necnon privationis omnium et singulorum dignitatum, beneficiorum, officiorum et feudorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, et inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, eo ipso per contrafacientes incurrendis poenis districtius inhibemus.

§. 6. Ac quascumque receptiones, promotiones, electiones et admissiones absque processu, certaque de religione et fide catholica notitia, ac dicta fidei professione, sic ut praefertur, praecedente, pro tempore factas, nullas, invalidas nulliusque roboris vel momenti esse, neque cuiquam in judicio vel extra suffragari posse.

§. 7. Sicque per quoscumque Judices et Commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, ac quicquid secus a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

§. 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Universitatum et Gymnasiorum, Ordinum et locorum quorumcumque etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, facultatibus et litteris apostolicis eisdem Universitatibus et Gymnasiis, ac Ordinibus et locis, eorumque Rectoribus, Doctoribus, Superioribus, etiam in temporalibus Dominis, Comitibus Palatinis et aliis etiam regularibus personis praefatis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, etiam vim contractus inducentibus clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam per nos ac Sedem praefatam, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, seu ad quorumvis, etiam Imperatorum, Regum, Rerumpublicarum, Ducum et aliorum Principum instantiam, et alias quomodolibet concessis, ac etiam pluries approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque toties tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio

seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, specialiter et expresse motu simili derogamus contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§. 9. Ne autem quispiam praesentium ignorantiam praetendere, vel excusationem allegari possit; sed ipsae ad omnium notitiam deducantur, volumus et mandamus, quod eaedem praesentes in Basilicae Principis Apostolorum de Urbe et Cancellariae nostrae valvis, ac acie Campi Florae per aliquem ex Cursoribus nostris affixae, copia illarum ibi dimissa, omnes in Italia intra tres, extra vero illam existentes intra sex menses proximos ab ea die affixionis computandos, perinde arctent, ac si illis personaliter intimatae fuissent.

*Forma autem dictae Professionis Fidei haec est:*

Ego N. firma fide credo, et profiteor omnia et singula quae continentur in Symbolo fidei, quo S. R. E. utitur, videlicet: Credo in unum Deum, patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis, et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est; crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, et resurrexit tertia die secundum Scripturas, et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis; et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas; et unam sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissio-

nem peccatorum, et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen. Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam, juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum admitto; nec eam umquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vera et proprie Sacramenta novae legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula quae de Peccato originali et de Justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter, corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus, totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi ac Deiparae, semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impartiendam; Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse, affirmo. Sanctam, catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram

agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum principis successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro. Cetera item omnia a sacris Canonibus et oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adjuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis, seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo ac juro, sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei Evangelia.

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae ordinationis, inhibitionis, derogationis, voluntatis, statuti, decreti et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac bb. Petri et Pauli Apost. ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno incarnationis dominicae, 1564. Idibus Novemb. Pontificatus nostri a. 5.

---

Anno a nativitate Dom. 1564. indict. 7. die vero 4. mensis Decembris, Pont. sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Pii divina providentia Papae IV. anno 5. retroscriptae litterae apostolicae affixae, et publicatae fuerunt ad valvas Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, ad valvas Cancellariae apostolicae, et in acie Campi Florae, dimissis in praefatis locis praesentium retroscriptarum litterarum copiis affixis, ut est moris per nos Julium Parinum et Bernardinum Andreutium, praelibati S. D. N. Papae Cursores.

*Ant. Clerici Mag. Curs.*

---

## ADDITAMENTA.

### I.

*Formula christianae et catholicae fidei, tradita in sacra Synodo provinciali Lovitii, celebrata anno Domini MDLVI. die XI. Septembris, praesidentibus in ea reverendissimo Domino Aloysio Lippomano, Episcopo Veronensi, Nuncio apostolico, et reverendissimo Domino Nicolao Dziergowki, Archiepiscopo Gnesnensi, Legato nato et totius regni Poloniae Primate, quae omnibus Ecclesiis provinciae ejusdem inviolabiliter servanda et tenenda mandatur.*

I. Principio Symbolum Apostolorum, Nicaenum et Constantinopolitanum, Symbolum etiam divi Athanasii recipimus, veneramur et complectimur, omnibusque recipiendum et amplectendum mandamus.

II. Juxtaque haec Symbola certa et firma fide credimus sanctam Trinitatem, id est, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum omnipotentem, unius potestatis, Creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.

III. Eadem fide credimus, Patrem a semetipso esse, non ab alio: Filium a Patre genitum, Deum verum de Deo vero, lumen verum de lumine vero, non tamen duo lumina, sed unum lumen.

IV. Eadem pariter fide credimus, Spiritum Sanctum a Patre et Filio aequaliter procedere, consubstantialemque Patri et Filio coaeternum esse, qui super Apostolos in linguis igneis descendit, et a quo totum corpus Ecclesiae sanctificatur, vivificatur et regitur, atque in eo manet in aeternum.

V. Simul et illud credimus et confitemur, aeque Filio et Spiritui Sancto atque Deo Patri cultum latriae praestari debere, aeque Filium et Spiritum Sanctum atque Patrem adorandum et glorificandum esse, quando quidem tres personae Deus unus est; et per Christum nos quidem accessum ad Deum Patrem habere, esse illum advocatum et mediatorem nostrum secundum humanam naturam, quae minor est Patre, secundum divinam vero aequalem esse Patre, et eodem cum illo et Spiritu Sancto honore afficiendum.

VI. Credendum esse, septem Ecclesiae Sacramenta a Christo instituta, quae sunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, extrema Unctio, Ordo et Matrimonium, per quae quamvis externa et corporalia signa Deus invisibiliter, sive per bonos sive per malos ministros, nostram salutem operatur.

VII. Baptismus ad salutem omnibus est necessarius, etiam infantibus, per quem peccata plene tolluntur, et fiunt filii Dei ac haeredes vitae aeternae, nec umquam est iterandus.

VIII. Poenitentiae Sacramentum, quod post Baptismum omnibus relapsis est ad salutem necessarium, complectitur contritionem, confessionem et satisfactionem.

IX. Contritio est dolor de peccatis propter Dei offensam susceptus, cum proposito confitendi et satisfaciendi: non autem, ut quidam hoc seculo perniciose docent, terror conscientiae propter apprehensum gehennae supplicium peccatis debitum; praeparat tamen terror et gehennae metus ad veram contritionem.

X. Confessurus diligentiam legitimam adhibere debet, quo sacerdoti, judici suo, manifestet omnia peccata sua mortalia, etiam occulta cordis, ut ab eis per illum absolvatur, cujus absolutionis minister est solus sacerdos secundum ritum Ecclesiae consecratus.

XI. Satisfactio est persolutio poenae plerumque adhuc debitae, remissa jam culpa. Erroneum est et Scripturis sacris adversatur — — — —

XII. Certa fide tenendum est, hominem habere liberum arbitrium, quocum potest male et cum gratia bene agere, et post peccatum mortale admissum, Deo adjuvante, poenitere et peccatorum remissionem consequi.

XIII. Ad justificationem ante omnia necessaria est in adultis fides, qua certo credimus, Christum Jesum, Dei filium, propitiationem esse pro peccatis nostris in sanguine ipsius, sine qua nullis nostris operibus, nulloque proposito poenitentiae et vivendi secundum mandata Dei justificamur.

XIV. Fides, qua quis firmiter credit et certo statuit, propter Christum sibi remissa esse peccata, seque possessurum vitam aeternam, nullum habet in scripturis testimonium, immo eisdem adversatur, etiamsi firma et

certa spe exspectare debemus. in hac quidem vita per sacramentum Baptismi et Poenitentiae remissionem peccatorum, in seculo autem futuro vitam aeternam.

XV. Itaque quamdiu inter hostes nostros et adversarias potestates hic vivimus, nulla est nobis securitas, sed cum timore et tremore juxta sententiam Apostoli nostram salutem operari debemus, et secundum varias animorum nostrorum affectiones nunc magis sperare, nunc magis timere: simpliciter tamen magis et frequentius de misericordia Domini sperandum est, quam formidandum de severitate.

XVI. Opera bona omnibus adultis sunt ad salutem necessaria et, cum ex fide caritatis spiritu perficiuntur, ita grata sunt Deo, ut eis tamquam justam mercedem vitam retribuat aeternam.

XVII. Confirmatio et extrema Unctio Sacramenta sunt a Christo instituta, sed non, ut duo praecedentia, ad salutem necessaria; ex contemtu tamen illa omittere, est peccatum mortale.

XVIII. In Eucharistiae sacramento est reipsa verum corpus Domini nostri Jesu Christi, illud ipsum, quod de Virgini natum est et in cruce passum est.

XIX. In Eucharistia non manet panis et vinum, sed haec in corpus et sanguinem Christi admirabili potentia verbi illius sunt conversa, manentibus tantum panis vinique speciebus: unde certa fide tenendum est, sacram Eucharistiam a nobis adorari, sive in Missa sive extra Missam ubicumque reposita fuerit, aut quoties in supplicationibus publicis a sacerdote circumfertur.

XX. Non est Laicis necessaria ad salutem communio sub utraque specie, justisque de causis ab Ecclesia sancitum est, ut illis sub una panis tantum specie sacramentum communicetur, in quo carnem et sanguinem, atque ita totum Christum, sub una specie sumunt.

XXI. Sacrificium Missae ex institutione Christi tam vivis prodest quam defunctis, ac solis sacerdotibus secundum Ecclesiae ritum ordinatis data est a Christo potestas consecrandi verum corpus Christi et sanguinem.

XXII. Matrimonium contractum et consumatum inter Christianos est indissolubile, qualiscumque fiat alter conjugum, sive adulter, sive sterilis, sive haereticus.

XXIII. Numquam licet Christiano, post divortium contrahere matrimonium, vivente eo, cum quo quis legitime contraxerat.

XXIV. Matrimonia contracta contra canones ipsa dirimentes simpliciter sunt irrita et nulla,

XXV. Firma fide tenendum est, unam esse in terris veram atque catholicam Christi Ecclesiam, eamque visibilem, quae ab Apostolis fundata in hanc usque nostram aetatem perdurans, retinet et suscipit, quidquid de fide et religione tradidit, et traditur a cathedra Petri, super quam ita a Christo, suo sponso, est aedificata, ut in eis, quae fidei sunt et religionis, errare non possit.

XXVI. Extra hanc nulli est speranda salus, suntque extra haeretici, schismatici, excommunicati, unde vehementer formidanda est excommunicatio, nec humana sed divina est excommunicandi potestas.

XXVII. Unus est Ecclesiae summus Pastor, cui omnes obedire tenentur, ad cujus judicium controversiae, quae super fide et religione existunt, sunt referendae.

XXVIII. Summam hanc praepositurам primus omnium gessit S. Petrus, verus Christi in terris vicarius et totius familiae ejus pastor, post Petrum vero ex Christi institutione omnes deinceps Pontifices, Petri in cathedra successores.

XXIX. Certa fide tenenda sunt non solum, quae Scripturis expresse sunt prodita, sed etiam, quae per traditionem Ecclesiae catholicae credenda accepimus, et quae definita sunt super fidei et morum negotiis per Cathedram Petri vel per Concilia generalia legitime congregata.

XXX. Constitutiones ecclesiasticae de jejuniis, festis et abstinentia ciborum aliisque multis, obligant in conscientia, etiam extra casum scandali.

XXXI. Recte fit in Ecclesia, quod Sanctos in coelis cum Christo agentes veneramur et invocamus, ut pro nobis orent, quorum etiam meritis et intercessione Christus nobis hic multa largitur, alias non largiturus, per quos etiam miracula multa operatur,

XXXII. Quapropter sancte et religiose faciunt, qui loca eis dicata una cum ipsorum reliquiis religiosa pietate visitant, et hoc modo ab ipsis opitulationem quaerunt.

XXXIII. Gratus est Deo imaginum usus recteque coram eis procumbimus invocaturi Sanctos, quos repraesentant.

XXXIV. Firmiter credendum est, post hanc vitam Purgatorium esse animarum, in quo solvitur poena peccatis adhuc debita. Eisdem tamen subvenitur Sacrificio Altaris, oratione, jejunio, eleemosyna vivorum, sicut et indulgentiis, quo citius ab ea liberentur

XXKV. Animae defunctorum purgatae mox regnant cum Christo in coelo, et animae impiorum hinc migrantes sempiternis inferni traduntur suppliciis.

XXXVI. Recte Deo vota facimus. Tam monastica quam alia facta obligant apud Deum, nec adversantur libertati evangelicae, quae a peccatis libertas est, et his, quae spiritum nostrum quoquo modo impediunt, quo minus totus Deo serviat; non autem a voti et juramenti obligatione, nec ab obedientia magistratus ecclesiastici vel saecularis.

## II.

### *Decreta et Articuli fidei jurandi per Episcopos et alios Praelatos in susceptione muneris consecrationis, publicati Romae in Consistorio ap. S. Marcum d. IV. Septbr. a. MDLX.*

Symbolum Apostolorum, et alia quae ab Ecclesia sunt recepta, universas Traditiones eas, quae a sancta Sede apostolica et Romana Ecclesia divinae censentur, et quae ab ipsis Apostolis quasi per manus ad nos usque pervenerunt, atque oecumenica Concilia in iis, quae de fide decernunt, veluti sacram Scripturam credimus, amplectimur et veneramur.

Sacrae Scripturae juxta sanctae Matris Ecclesiae sensum, Patrumqua consensum interpretandae sunt.

Sancta apostolica Sedes, et Romanus Pontifex in universum orbem tenet Primatum, ipseque Pontifex Romanus successor est Petri, principis Apostolorum et verus Christi Vicarius, totiusque Ecclesiae Caput, et

omnium Christianorum Pater et Doctor existit, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plena potestas tradita est.

Novae Legis septem sunt Sacramenta a Christo instituta, ut Baptismus etc. quae non solum significant gratiam, sed etiam continent ac digne suscipientibus conferunt.

Baptismus ad salutem omnibus mortalibus est necessarius, etiam infantibus: delet vero omnem culpam, et originalem et actualem,' simul poenam omnem pro culpa debitam remittit, filios Dei efficit adoptivos, aperit regnum coelorum, et iterari non potest.

In Confirmatione datur gratia Spiritus Sancti ac robur, ut Christianus audacter Christi nomen confiteatur. Ordinarius vero Confirmationis minister est Episcopus.

Verum Christi corpus in Sacramento Altaris, totusque Christus sub specie tam panis quam vini realiter continetur, transsubstantiatis pane in corpus Christi, vino in sanguinem, virtute divina.

Eucharistia non solum Sacramentum est, et cibus animae spiritualis, sed etiam novae Legis Sacrificium, quod in memoriam passionis Christi pro vivis et defunctis offertur.

Est autem in hoc Sacramento Christus cultu latriae, qui vero Deo debetur, adorandus.

Laici sub sola panis specie integrum Christi corpus et sanguinem, totum Christum veraciter sumunt, divinoque praecepto satisfaciunt.

Sacramentum Poenitentiae lapsis post Baptismum est ad salutem necessarium. Hujus vero tres sunt partes: cordis contritio, oris Sacerdoti jurisdictionem habenti integra peccatorum confessio, et ad arbitrium ejusdem Sacerdotis satisfactio.

Si vero poenitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de peccatis commissis et omissis satisfecerint, eorum animae poenis Purgatorii purgantur, et ut a poenis hujusmodi relevent, prosunt eis vivorum fidelium suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynae, et

alia pietatis opera et officia, et indulgentiae secundum sanctae Romanae Ecclesiae et apostolicae instituta.

Sacramento extremae Unctionis aegroti mens sanatur, corpus etiam, in quantum expedit.

In Sacramento Ordinis hujusmodi traditur spiritualis potestas, quam nemo habet, nisi is, cui hoc Sacramentum ab Episcopo, juxta sanctae Romanae Ecclesiae ritum, quoad essentialia collatum est.

Quae ad Ordinis spectant potestatem, aeque mali ac boni Sacerdotes administrant, atque vim, quae ad jurisdictionem attinet, quamdiu illis non fuerit abrogata.

Matrimonii vinculum si legitime contractum fuerit, et consummatum, nullis de causis dirimi potest.

Votum castitatis sacris Ordinibus conjunctum, atque vota, quae in probatis Religionibus emittuntur, et alia quaecumque rite suscepta, fideliter sunt observanda.

Peccata non accidunt volente vel efficiente Deo, sed permittente, id est non impediente, quo minus fiant; quare peccati culpa libero hominis arbitrio attribuenda est, quod primi parentis inobedientia non extinctum, sed viribus attenuatum et inclinatum est. Dei autem gratia praevenitur, a peccatis liberatur, sanatur, et ut mandata servare possimus adjuvatur: itaque sanato libero arbitrio per gratiam Dei et merita Christi, opera vitae aeternae meritoria homo justificatus operatur.

Ad impii Justificationem requiritur Dei praeveniens gratia, et liberi arbitrii motus in Deum per actum fidei et spei, et dilectionis Dei inchoationem, et detestationem peccati, ac propositum suscipiendi Baptismum, et pie vivendi. Ad infantium veto Justificationem sola Baptismi legitima susceptio sufficit.

Ad lapsorum autem post Baptismum Justificationem necesse est, ut excitante Deo procuret peccator amissam gratiam per Poenitentiae Sacramentum recuperare. Caeterum, qui justificantur, non modo reputantur, sed vere nominantur justi, et sunt, justitiam in se unusquisque suam recipientes, dum per Spiritum Sanctum in cordibus eorum charitas Christi diffunditur atque ipsi inhaeret.

Virgo Dei genitrix, Angeli et Sancti religiose coli debent et invocari, ut eorum meritis et precibus juvemur.

Crux Christi et Imagines, ac quaecumque attigerunt, adoranda sunt, juxta Ecclesiae catholicae doctrinam et fidem.

Deiparae Virginis Mariae, Angelorum et Sanctorum sunt Imagines adorandae, tum Corpora et Reliquiae quaevis.

Sanctorum memoriae praeterea, et vigiliae, et dies festi, Christo, Virgini Matri et Angelis et Sanctis dedicati, religiose colendi sunt.

Jejunium Quadragesimae, alia jejunia et aliae abstinentiae à cibis, quae Ecclesia observare praecepit, reverenter sunt observanda.

Caeremoniae, ritus et mores omnes ab Ecclesia recepti et probati, qui vel ad divina officia vel ad alia quaevis munia ecclesiastica adhibentur, observari debent.

Constitutiones Ecclesiae, Canones, Sanctiones, poenae, decreta, sive ad ecclesiasticam pietatem et morum compositionem attineant, sive ad disciplinam et morum emendationem, malorumque depulsionem, quae vel a Summo Pontifice, vel a Conciliis, vel a quavis legitima autoritate proficiscuntur, et suscipi reverenter et fideliter servari debent.

Postremo, quod attinet ad hujus aetatis atque omnium temporum, ab Haereticis ortas vel suscitatas in dogmatibus divinis atque ecclesiasticis controversias, et perversas doctrinas, illud tenemus, credimus et confitemur, quod sancta Romana Ecclesia tenet, credit et confitetur.

Anathema omnibus omnium temporum Haereticis atque haeresibus, nominatim vero, anathema hujus aetatis Haeresiarchis Luthero, Oecolampadio, Zuinglio, Rothmanno, Calvino, eorumque sequacibus, aliisque omnibus Haereticis quascumque in sectas dissecti sint, vel quovis nomine censeantur, universis et eorum haeresibus anathema!

*Forma juramenti praestandi per Promovendos ad Praelaturas.*

Ego N . . . . . toto corde atque ore confiteor, firmiterque teneo omnia, singula in supradictis articulis seu Canonibus contenta, eaque proponam et proponi curabo credenda, confitenda ac tenenda ab omnibus qui curae, administrationi ac jurisdictioni nostrae commissi et subditi, neque unquam aliquid, quod illis, vel illorum alicui ex toto vel ex parte sit contrarium, aut dissonum, doceri, praedicari, quod in me erit, permittam, atque ita coram vobis etc., et in manibus vestris affirmo, promitto et voveo.

## III.

*Canones super abusibus Sacramenti Ordinis examinandi a reverendiss. Patribus Concilii Tridentini.*

I. Ut ea quae alias in hac sancta Synodo de aetate, moribus, litterarum scientia Episcoporum statuta sunt majori cum fructu executioni demandentur, et summus Pontifex de Promovendorum qualitatibus magis certus, securius valeat providere, statuit sancta Synodus, ut quicumque Ecclesiis cathedralibus, metropolitanis, patriarchalibus, primatialibus a summo Pontifice, quovis titulo vel nomine praeficiendi, quorum notitia aut nulla aut recens in Curia fuerit, propter instructionem quae de his in partibus a Sedis apostolicae Legatis seu Nunciis habenda erit, inprimis coram Archiepiscopo vel Episcopo seniori comprovinciali omnibus illis qualitatibus, quae a sancta Synodo et alias in eis requiruntur, se praeditos esse probare omnino teneantur. Ut autem hoc facilius fieri possit, mandat sancta Synodus, ut Archiepiscopus, vel eo absente seu impedito, seu si Ecclesiae metropolitanae sit providendum, Episcopus comprovincialis senior vel vicinior, quando Ecclesia vacans Metropolitanum non habet, ut Sedis apostolicae delegati, a Promovendo requisiti, litteris suis Capitulo Ecclesiae viduatae committat, ut nomen, cognomen, patriam ejus qui praeficiendus est, prima Dominica in cathedrali Ecclesia ac omnibus parochialibus Ecclesiis civitatis et insignibus Dioecesis ex suggestu denunciandum curet, edictaque in valvis Ecclesiae majoris et aliarum, si ex-

pedire videbitur, insignium Ecclesiarum affigi, ibique per quindecim dies continuos sequentes affixa teneri studeat, quibus non modo moneantur Abbates et Archipresbyteri, qui sunt in Dioecesi, ut eo qui praescribitur die examini intersint, sed etiam tam ipsi quam populus, omnium quae peragenda sunt, plenissime instruatur, ut omnes, si quid habent adversus ipsum Promovendum, ipsi Archiepiscopo seu Episcopis libere patefaciant. Die praescripto Archiepiscopus ipse vel Episcopus comprovincialis senior ad Ecclesiam vacantem omnino veniat, duos ad minus comprovinciales Episcopos, qui in virtute sanctae obedientiae ire teneantur, secum habens, aliis et reliquis comprovincialibus, si opus fuerit, per Archiepiscopum seu Episcopum invitandis. Ibi Archiepiscopus seu Episcopus senior apostolicae Sedis nomine, in Capitulo legitime congregato, vocatisque Monasteriorum Collegiatarumque non tam civitatis quam Dioecesis Praelatis, Parochiarumque civitatis curatis, designatum Episcopum, postquam de eo quae jam cognoscere potuerit, fuerit prolocutus, Capitulo et Clero praesentet, qui designatus, oratione ad Archiepiscopum et Episcopos et Clerum habita, Episcopi proprii, et ejus apud quem tunc morabatur, seu si Regularis sit, suae religionis Superioris testimoniales litteras de vita, moribus, aetate et natalibus proferet. Testes etiam graves ac omni exceptione majores, de omnibus plene instructos examinandos curabit, Ordinum sacrorum quos jam suscepit, et gradus Doctoratus aut Licentiatus in sacra theologia vel jure canonico litteras, aut publicum alicujus Academiae testimonium, seu si Regularis fuerit, authenticam praefati suae religionis superioris fidem, quo idoneus ad alios docendos ostendatur, exhibebit. Quae ubi fecerit, exeat, et tunc his omnibus ab Archiepiscopo, Episcopis, Capitulo diligenter discussis, designatus revocetur et ab eisdem examinetur, et alio die in Capitulo ab Archiepiscopo, Episcopis et Clero verbum Dei praedicans audiatur, aut publice, ubi magis expedire videbitur, et finita praedicatione, professionem fidei faciat, quam manu propria signatam Archiepiscopo offerat. Si quis autem aliquid adversum ipsum Promovendum velit objicere, coram Archiepiscopo et Episcopis id faciet. Nemo tamen admittatur ad objiciendum, qui de fide suspectus fuerit, et qui fidei professionem juxta formulam infra scriptam non fecerit. Archiepiscopus autem vel Episcopus et alii

comprovinciales Episcopi vocati, communicato consilio cum Capitulo de eo quod ipsi de Promovendo sentiant, ac de omnibus his quae ibi habita erunt, instrumentum publicum conficiendum, illudque authenticum ipsius Archiepiscopi seu Episcopi et duorum comprovincialium manu obsignatum, necnon ipsorum et Capituli sigillo munitum, ad sanctissimum Dominum nostrum quamprimum mittendum studeant, et fideliter suae sanctitati renuntient, qui dictum instrumentum et litteras ab eo qui proponet in Consistorio publice legendum mandabit, ut ipse prout gregis dominici commodo magis expedire videbitur, possit providere privilegiis, concordiis, tractatibus etiam juramento firmatis, et indultis sub quacumque verborum forma conceptis, quovis modo et quavis auctoritate approbatis, et aliis quibusvis in contrarium facientibus, etiamsi eorum mentio individue esset habenda, quorum omnium et singulorum tenores pro expressis haberi vult, non obstantibus quibuscumque. In Ecclesiis in quibus statutum, privilegium aut alia quaevis concessio seu consuetudo viget, ut nullus nisi de gremio dictae Ecclesiae eligatur Episcopus, decrevit sancta Synodus, ut in dictis Ecclesiis nemo in posteram etiam de gremio eligi possit, qui studiorum Magister, sive Doctor aut Licentiatus in sacra theologia vel jure canonico non existat, aut publicae alicujus Academiae testimonio idoneus ad alios edocendos non ostendatur, privilegiis, statutis, concessionibus et consuetudine immemorabili quibuscumque non obstantibus.

II. Multorum, qui in Episcopos promoti sunt, ea saepe negligentia deprehenditur, ut intra legitimum tempus consecrati omittendo, variisque artibus prorogationes extorquendo, interim debitum commissum sibi populum ministerio fraudare non verentur. Quapropter cum alias sub Julio III. felicis recordationis statutum fuerit, ne cui prorogationes ultra sex menses suffragarentur; sancta Synodus declarat, eas non nisi ex magna et urgenti causa ad dictos sex menses et semel tantum concedi debere, dictoque tempore elapso, suos fructus non facere, collationes beneficiorum ab eis quomolibet factas irritas esse, atque ipso jure absque alia monitione ecclesiastica privatum esse. Consecratio vero si extra Romanam Curiam erit facienda, tunc in Ecclesia ad quam promotus fuerit, si in ejus Dioecesi, peragitur;

quod si necessitas aliqua id non patiatur, saltem intra provinciam celebretur.

III. Quanta cura manus impositionem fieri oporteat, docet Apostolus dicens: *Nemini cito manus imposueris.* A qua lege cum longe discessum fuerit, dum Episcopi ordinandi curam Clericos praecipue suae fidei commissos per alios Episcopos exerceri procurant, qui non quae Jesu Christi, sed mercenariorum more, quae sua sunt quaerentes, indignos promovendo, plura mala quae nunc sentimus, in Ecclesia introduxerunt. Idcirco sancta Synodus statuit, ne Episcopi aliena in his Suffraganeorum aut aliorum quorumcumque Episcoporum opera utantur, sed sacros Ordines per seipsos conferant, nisi aut gravi morbo aut alia necessitate fuerint impediti.

IV. Quia hactenus compertum est, Ecclesiis praesidio facultatum Clero et populo christiano carentibus praefici multos, qui nec prodesse, ut expediret, nec praeesse, ut deceret, valentes, instabilitate vagationis et mendicitatis opprobrio serenitatem pontificalis ob nubilant dignitatis, ac intolerabiles abusus et scandala circa functiones episcopales, non sine episcopalis dignitatis dedecore passim introducunt, dum unicum lucrum sibi proponunt; sancta Synodus declarat hujusmodi Episcopos in posterum non esse ordinandos, nisi urgens et gravis necessitas, aut ejusdem Ecclesiae utilitas id exposcat, quod cum contigerit, tunc congrua et competens portio auctoritate Sedis apostolicae perpetuo assignetur, unde honeste et pro dignitate vivere queant.

V. Et quoniam oportet Ordinandos bonum ab iis qui foris sunt habere testimonium, qui promovendi erunt ad quatuor minores, illud a proprio Parocho vel a Ludimagistro afferant, ubi vero ad sacros Subdiaconatus, Diaconatus vel Presbyteratus ordines iidem ipsi erunt promovendi. ante mensem integrum quam ad Episcopum proficiscantur, desiderium suum plebano significent, et prima postea sequente Dominica de ea re populus ex suggesto inter Missarum solemnia admoneatur, lectis Ordinandorum nominibus, cognominibus et aetate, et per tres alias sequentes Dominicas id omnino non tantum repetatur, sed et programmata Ecclesiae valvis affigantur, ut qui volent dicant, si quid habent contra Ordinan-

dos, quod Episcopos scire velint. His autem peractis, testimoniales describantur litterae, in quibus curatus et cum eo quatuor seniores Presbyteri, si sint, ac quatuor ex praecipuis parochianis jurati, de moribus, natalibus, qualitate ac aetate Ordinandi testimonium perhibeant.

VI. Promovendi die Mercurii proxime praecedente diem Sabbatum, quo ex more ecclesiastico ordinationes fieri solent, se praesentent Episcopo suo, qui eos examinet, adjunctis sibi et ascitis in hoc munere disquisitionis peragendae Archidiaconis, et aliquot Theologis, aut aliis ex reliquo Clero civitatis suae selectis viris. Nomina igitur item Promovendorum valvis Ecclesiae suae cathedralis novis programmatis affigi curabit, praescripto die omnibus, qui eum de iis voluerint admonere. In eo autem examine, primum inquirat de fide, quam tenent Ordinandi, deinde de vita, moribus, de doctrina eorum, ut ex his omnibus colligere possit, an sint admittendi, qui si minus, saltem illud ad quod ordinari petunt, non intellexerint exacte, aut serio exercere noluerint, indigni sunt censendi, qui admittantur; si quidem maxime indecorum esset, eos etiam ad minores promoveri, qui non satis intelligunt quid agatur, aut quid Clerici et reliqua minorum ordinum nomina significent.

VII. Ordinationes posthac numquam extra tempus a jure statutum ullae fiant, et nonnisi jejunio praecedente, et sic in civitate in cathedrali Ecclesia, praesentibus vocatisque ad id Canonicis Ecclesiae quantumvis exemtis, publice celebrentur. Si autem in alio per Dioecesim loco, praesente Clero loci, et ad id exequendum dignior, quantum fieri potest, Ecclesia semper adeatur. Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur, quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam in Romana Curia, si saltem triennio ibi non sit commoratus, cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii, seu licentiae praetextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas aut mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, Ordinans a collatione ordinum per annum sit suspensus, et Ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire. Episcopo tamen, ut prima tonsura familiarem suum non sibi subditum possit insignire, si beneficium ecclesiasticum in sua Dioecesi

reipsa illi conferatur, sine aliquo Ordinarii testimonio declaratur esse permissum. Cum his autem, qui contra formam litterarum in fraudem se ab alio obtinuerint promoveri, nullo modo, nisi ex gravissima causa, dispensetur. Et tunc in litteris subintelligatur semper clausula, eo arbitrio sui Ordinarii suspenso.

VIII. Non liceat in posterum Capitulis, Collegiis, Abbatibus, quantumlibet exemtis, aliisque personis quibus est concessum pontificalia exercendi privilegium, si in Dioecesi aut intra Dioecesim esse dignoscitur, ordinare, aut commendatitias seu dimissorias litteras Clericis saecularibus concedere. Sede autem vacante, ut de Capitulo sancta Synodus statuit, ita nec ullus alius in quavis dignitate et administratione constitutus, qui in jurisdictione Episcopi loco Capituli succederet, litteras dimissorias posthac concedat, nisi solis iis, qui ex necessaria suscepti beneficii causa intra certum tempus coguntur promoveri, privilegiis quibuscunque ac quavis consuetudine etiam immemorabili nullo modo obstantibus. Ubi autem aliqua justa causa suadente contigerit, ut Superiores suis subditis litteras concedant, ut ab alio possint promoveri, idem testimonium, ac alia quae in collatione ordinum desiderantur, in ipsarum litterarum concessione requirantur.

IX. Eorum qui se clericali militiae petunt adscribi, propositum diligenter antea convenit explorare, iisque tantum ad sancta haec ministeria aditum aperire, qui jam legere norint, et quos probabilis sit conjectura, non commodi sui causa, nec saecularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum in timore et innocentia praestent, hoc vitae genus elegisse. In anno autem XIV. et ex legitimo matrimonio nati sint, quique prius Confirmationis Sacramentum susceperint, de ejus institutione et effectu ita docti, ut in ejus susceptione prima fidei fundamenta profiteantur, eaque in primis quae in Sacramento Baptismi ex eorum nomine patrini spoponderunt. Hi autem dum aetas patitur, quantum fieri poterit, praeceptoribus instituendi in Gymnasiis et Scholis ad id institutis tradantur. Lineis vestibus utantur in Ecclesia, in qua serviant cum divina celebrantur officia, admoneanturque quantum eos in majoribus et solemnioribus anni festivitatibus sacratissimum Eucharistiae Sacramen-

tum devote suscipere conveniret, atque ita in sancta religione et in omni pietate ac bonarum artium studio instituantur et exerceantur, ut majori posthac Ecclesiae commodo illis ad ulteriora conscendere sit facilius. Habitum et tonsuram juxta praescriptum Episcopi pro religionis more deferant, quod si etiam generaliter in Synodo admoniti id facere recusaverint, nullo gaudeant privilegio clericali; si fuerint conjugati, Constitutio Bonifacii VIII. de illis edita observetur, consuetudine quavis etiam immemorabili in contrarium non obstante. Quod si autem ab his crimen aliquod animo deliberato committi contigerit, si constiterit eos a sex mensibus tantum habitum et tonsuram detulisse, id factum in fraudem causa evitandi fori praesumatur, et propterea si ante dictos sex menses Clerici erant ordinati, privilegio fori minime potiantur.

X. Cum, divino Clemente testante, sit melius paucos habere ministros, qui digne possint commissum sibi munus exercere, quam multos inutiles Ecclesiae et Ordinatori graves, providendum esse sacra Synodus censet super effrenato Sacerdotum numero, quos hodie turba contemtibiles reddit; ita tamen, ut non propterea cultus imminuatur divinus. Proinde ut ea quae jam in eadem Synodo sancte et salubriter sancita sunt, majori cum fructu executioni demandentur; statuit Canonem sextum Concilii Chalcedonensis, aliqua ex parte innovando, ut Ordinatis etiam ad titulum patrimonii certa ab Episcopo adscribatur Ecclesia, in qua possint fungi suis muneribus, ne cum ordines susceperint ecclesiasticos, incertis vagentur sedibus. Quo si locum inconsulto Episcopo deseruerint, iis sacrorum operatione et exercitio interdicatur, nec ab ullo Episcopo absque litteris commendatitiis recipiantur.

XI. Clerici cum aetatis erunt legitimae, et ita profecerint, ut saltem latinam linguam intelligant, et prima in religione christiana jecerint fundamenta, ad quatuor minores ordines adscendant, qui iis non eodem contextu, sed gradatim per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo magis expedire videatur, conferantur, ut eo accuratius quantum sit hujus disciplinae pondus possint institui, ac in unoquoque munere se exerceant, juxta ea quae ab Episcopis in eorum ordinatione illis injunguntur,

idque in ea cui adscripti erunt et nomen dederunt Ecclesia, nisi forte causa studiorum absint, atque ita de gradu in gradum adscendant, ut in eis cum aetate doctrina major ac pietas excrescat, quod et morum exemplaritas, assiduum in Ecclesia ministerium, et crebrior quam antea corporis Christi communio eis certo temporis intervallo assignanda, maxime probabunt. Presbyteris autem subdantur, et illos ut Patres honorent. Cumque hinc ad altiores gradus et sacratissima Mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiae spes, majoribus et sacris dignum ostendat. Et propterea Scholas et Gymnasia, quantum fieri poterit, non deserant, hi vero nonnisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas aut Ecclesiae utilitas aliud exposcat. Sciat autem Ostiarius etiam sui muneris esse, observando quae sit in domo Dei conversatio, curare ne deambulatio, risus, colloquia otiosa in Ecclesia fiant.

XII. Generalem Ecclesiae observantiam, quae ad aetatem Ordinandorum spectat, sancta Synodus retinens, et inhaerens Constitutioni Clementis V. in Concilio Viennensi, decernit, ut possit quis libere in XVIII. anno ad Subdiaconatus, in XX. ad Diaconatus et in XXV. aetatis suae anno ad Presbyteratus ordines promoveri. Sciant tamen Episcopi non singulos in ea aetate constitutos debere ad hos sacros ordines promovere, sed eos dumtaxat quorum immaculata vita senectus sit, et quibus cetera quae Canones diligenter exigunt non desint, nempe litterarum scientia et fidei ac morum integritas. Quod quidem decretum etiam locum habere vult sancta Synodus in promovendis Regularibus et Monachis cujuscumque ordinis, quos nec in minori aetate, nec sine diligentiori quam hactenus fieri consuevit examine ordinari convenit; privilegiis eorum, quibus hac in parte derogatum sit, non obstantibus quibuscumque, nisi aliud suadeat evidens Ecclesiae utilitas aut necessitas.

XIII. Subdiaconi et Diaconi bonum Cleri et populi testimonium habentes, et qui se bene in minoribus ordinibus gesserint, ordinentur, quique sacris ita sint litteris instituti, ut de fide, atque his quae ad ordinem exercendum spectant parati sint Omnipotenti rationem reddere, sperentque, adjutore Deo, vocationi illi se respondere et continere posse. Hi Ecclesiis quibus adscri-

bentur inserviant, sciantque maxime decere, si saltem semel in mense communicent, munia ordinis sibi injuncta exerceant, et curet Episcopus, ne constituti in minoribus, ubi sunt Subdiaconi, epistolam cantent: omnem operam sacris litteris dent, et sciant se non ante presbyteratus gradum adepturos, quam ipsi digni reperti fuerint, qui populo verbum Dei valeant praedicare. Promoti autem ad sacrum subdiaconatus ordinem, post annum dumtaxat, nisi ex legitima causa aliud Episcopo videatur, ad altiorem gradum adscendere permittantur, dicti ordines, non eodem contextu, sed gradatim, etiam Regularibus, per temporum insterstitia conferantur, privilegiis ac indultis et Religiosis et aliis quibusvis concessis, non obstantibus quibuscumque.

XIV. Hi qui fideliter et pie in ministeriis et officiis sibi injunctis se bene gesserint ab initio, ad presbyteratus ordinem assumuntur, bonum a Clero et populo testimonium habeant, uni tantum Ecclesiae sint addicti, et qui non modo in diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiae utilitatem ac necessitatem, aliud Episcopo videretur, ministraverint. Sed qui ad populum docendum et ministranda Sacramenta, religioso examine praecedente idonei comprobentur, atque ita pietate ac castis moribus conspicui, ut magnum bonorum operum exemplum ab illis possit expectari. Curet Episcopus, ut ii saltem semel in mense, si autem curam habuerint animarum tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, celebrent, cum his qui ex causa suscepti beneficii vigore sacrorum Canonum, quos omnes sancta Synodus innovat, ad sacros presbyteratus ordines adstringuntur, promoveri ad sex menses tantum, et tunc ex magna causa dumtaxat dispensetur, ultra id tempus et aliter dispensatus suos fructus non faciat aut ad illorum restitutionem omnino teneatur. Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex causa legitima possit dispensare: quamvis Presbyteri in sua ordinatione potestatem absolvendi a peccatis recipiant, decernit sancta Synodus, nullum cujuscumque ordinis aut conditionis illic sit, posse confessiones audire, nisi parochiale beneficium, aut ab Episcopo approbationem et licentiam in scriptis obtineat, quam a nullo alio quam ab ipso Episcopo habere possit, eosque solos Sacerdotes censet ad id munus exequendum idoneos, non obstantibus

quibuscumque privilegiis, aut consuetudinibus etiam a tempore immemorabili praescriptis.

XV. Cum sancta ceteraque divina mysteria probatis tantum ecclesiasticis viris debeant exerceri; nemo deinceps peregrinus Clericus, sive saecularis sive regularis, in quacumque Dioecesi ea audeat administrare, nisi id ei antea ab Ordinario, praecedenti examine, fuerit concessum, alias a suorum ordinum executione sit ipso facto suspensus, quamdiu ab Ordinario loci, ubi haec exercuit, ei absolutio videbitur concedenda.

XVI. Cum magna sit hoc tempore Ecclesiasticorum penuria, praesertim idoneorum, qui Ecclesiis seu ecclesiasticis muneribus vel praeficiantur vel inserviant, atque ut huic incommodo nulla ratione magis occurri possit, quam si soboles quaedam, et tamquam seminarium ministrorum, saltem in cathedralibus Ecclesiis instituatur et construatur; sancta Synodus statuit et decrevit, ut singulae metropolitanae et cathedrales Ecclesiae, pro cujuscumque censu et facultatibus, proque dioecesi amplitudine, certum numerum puerorum in collegio, ad haec prope ipsam Ecclesiam constituendo, alere et religiose educare teneantur. In hoc vero qui cooptandi erunt, annos sint minimum XI. vel XII. nati, qui et legere sciant et scribere, quorum indoles ac voluntas certiorem spem offerat, eos Sacerdotes futuros, et ecclesiasticis muneribus perpetuo servituros. Pauperum autem filios praecipue eligi vult, nec tamen ditiorum excludit, modo studium prae se ferant Deo et Ecclesiae inserviendi. Hi primum grammaticam discant, deinde a cananico theologo, cui secundum hujus sanctae Synodi dispositionem, sacrae Scripturae incumbat interpretatio, vel ab alio docto et gravi viro, in ecclesiastica doctrina et disciplina erudiantur. Horum classes instituentur duae, altera provectiorum aetate et litteris, quos Acolythos esse vult; altera juniorum. Universi autem tam prioris classis quam posterioris, tonsura et habitu clericali eademque ratione vivendi utantur, et divinis in Ecclesiae officiis opportune inserviant. Porro ex Acolythorum classe, quicumque ad aetatem legitimam pervenerint, et in moribus atque in litteris profecerint, sacris ordinibus initiabuntur, atque ipsi cathedrali seu metropolitanae Ecclesiae, in quocumque ministerio Epi-

scopo cum consilio Capituli commodum videbitur, operam suam navabunt, atque ut eis pro cujusque merito beneficium aliquod ecclesiasticum deferatur, ipse Episcopus et Capitulum curabit. In eorum autem locum, qui ex Acolythorum classe ad ordines sacros et majora Ecclesiae munera adsciscentur, substituendi erunt qui ex classe inferiori moribus, aetate et litteris proxime accedunt ad scholam grammaticae, et alia commoda discendi causa. Admittantur etiam alii civitatis et Dioecesis pueri, immo curabunt Episcopi, ut quantum fieri possit, omnes qui futuri sunt Sacerdotes in ea edoceantur et instituantur, quibus eodem vestitu quo ceteris, qui ab Ecclesia aluntur, utendum erit, atque eodem modo vivendum. Ex his autem qui maxime idoneus erit, et Ecclesiae inserviendi voluntatem prae se ferat, in ejus locum sufficiatur, qui ex Clericorum numero desiderabitur. Et quia ad hanc puerorum scholam alendam, et ad mercedem solvendam magistris qui eos in grammatica et ecclesiastica doctrina erudiant, necesse est, ut quoad certa dos ex redditibus beneficiorum huic tam pio operi assignandorum, seu quo alio modo erit constituta, census aliquis annus provideatur; possit Synodus provincialis ex fructibus episcopatus, dignitatum, personatuum, officiorum, canonicatuum, portionum, abbatiarum quae segregatos habent fructus a monasteriis, et quorumcunque saecularium beneficiorum, etiamsi Ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, et quibuscunque aliis piis locis perpetuo sit anexa, necnon ex fabricis Ecclesiarum, et ex quibuscunque aliis ecclesiasticis redditibus aliquotam partem, videlicet quinquagesimam, et majorem aut minorem ipsi collegio assignare. Ad cujus solutionem possessores praedictorum beneficiorum seu redditunm ecclesiasticorum tenebuntur, atque per censuras ecclesiasticas, juris remedia per Episcopum loci compellentur, omni appellatione postposita, et non obstantibus quibuscunque privilegiis aut exemtionibus. Si vero aliqua Ecclesia tanta paupertate laboraret, ut judicio ipsius Synodi collegium erigere commode non possit, certum puerorum numerum ejusdem Synodi arbitrio in collegio metropolitanae Ecclesiae, ex commemoratis Ecclesiarum provinciae fructibus alere tenebitur. Praeterea statuit sancta Synodus, ut Episcopus cum consilio Capituli hujus scholae puerorum curam gerat, frequenter visitet, et summa cum diligentia studeat, ut

in ea doctrina simul cum morum integritate in dies augeatur; discolis aut emendatis aut inde expulsis, certisque hominibus negotium det, ut hunc censum ab omnibus qui solvere tenebuntur, in terminis et locis exigant. Reliqua vero quae ad hanc scholam bene ac feliciter administrandam tuendamque erunt statuenda, in ipsa Synodo provinciali secundum morem cujuscumque regionis provideantur. Ut autem cum minori impensa hujusmodi scholis erudiendis provideatur, statuit sancta Synodus, ut Episcopi, Archiepiscopi, Primates et alii locorum Ordinarii, Scholasticos et alios, quibus est lectionis vel doctrinae munus annexum ad docendum in ipsis scholis, instituendosque per idoneos substitutos ab eisdem Ordinariis eligendos, et per subtractionem fructuum cogant et compellant. De caetero vero, dignitates illae nonnisi Doctoribus vel Magistris aut Licentiatis in sacra pagina aut in jure canonico, et alias personis idoneis, et qui per seipsos id munus explere possint conferant: et aliter facta provisio nulla sit et invalida, non obstantibus quibusvis privilegiis et consuetudinibus etiam immemorabilibus in contrarium.

XVII. Quoniam lupis naturale est in vestimentis ovium venire, et irrepere ad populi christiani gubernationem, et tempora periculosa in quae incidimus, satis admonent serenissimos Principes videre, ne incognitis catholici populi regimen committant. Attamen ne hac in parte sancta Synodus suo desit officio, exemplum sanctissimae et frequentissimae Lateranensis Synodi generalis sequuta, rogat et obtestatur per viscera misericordiae Domini nostri Jesu Christi, omnes et singulos cujuscumque majestatis et excellentiae Principes, Dominos et Rectores, ac nihilominus eis in virtute sanctae obedientiae praecipit et mandat, ne deinceps ullum ad ullam dignitatem, magistratum aut aliud quodcumque officium promoveant aut admittant, de cujus fide et religione antea non curaverint inquiri, et a quo sincere, distincte ac libenter non fuerit haec summaria fidei nostrae catholicae formula lecta, confessa et jurata, quam hic duxit approbandam: et postulat in singulis dominiis lingua vulgari transferri, et publice, ut ab omnibus intelligatur, proponi.

Credimus utriusque Testamenti Scripturas divinitus

esse inspiratas; et eas omnes recipimus, quas Ecclesia canonicas esse judicat.

Agnoscimus unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam, sub uno Summo Pontifice Romano, Christi Vicario; ejusque fidem et doctrinam constantissime tenemus et amplectimur, cum a Spiritu Sancto directa errare non possit.

Conciliorum oecumenicorum certam et indubitatam auctoritatem veneramur; et quae semel ab illis sancita fuerunt in dubium non revocamus.

Traditiones ecclesiasticas velut per manus acceptas, et ut sacrum depositum, constanti fide custodiendas esse credimus:

Orthodoxorum Patrum sensum et consensum sequendum esse:

Constitutionibus et praeceptis matris Ecclesiae ea qua decet reverentia parendum.

. Ecclesiasticorum Sacramentorum septenarium numerum: Baptismi scilicet, Confirmationis, Ordinis, Poenitentiae et Absolutionis sacerdotalis, Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, Matrimonii et extremae Unctionis; eorumque usum, virtutem et fructum, sicut hactenus catholica docuit Ecclesia, firmiter credimus et confitemur.

Inprimis vero firma fide credimus et confitemur, in augustissimo Sacramento Altaris verum corpus et sanguinem Jesu Christi esse realiter et substantialiter, sub speciebus panis et vini, virtute et potentia divini verbi prolati a Sacerdote solo ministro, ad hunc effectum ordinato, juxta institutionem et mandatum Domini nostri Jesu Christi: eademque pie in venerabili et sacrosancta Missa Deo offerri pro vivis et mortuis in remissionem peccatorum profitemur.

Omnia denique, quae a majoribus pie, sancte ac religiose ad nos usque observata sunt, firmissime retinemus, nosque ab illis dimoveri nullatenus patiemur.

Contra vero omnem dogmatum novitatem, tamquam perniciosum venenum refugimus et aversamur, ab omni schismate cavemus, et omnem haeresim destamur, sancteque pollicemur, nos adversus Haereticos quoscumque promte et fideliter Ecclesiae adfuturos.

Voluit et statuit haec sancta Synodus, ut ante examen ista Confessio exigatur a designatis Episcopis, Abbatibus, Prioribus et Curatis, priusquam confirmentur aut iis provideatur.

## IV.

## *Confessio Romano-catholica in Hungaria Evangelicis publice praescripta et proposita.*

I. Fatemur et confitemur, nos singulari cura supremi nostri magistratus spiritualis et saecularis, diligentia et ope Dominorum Patrum Soc. Jesu, ab haeretica via et fide ad veram catholico-romanam salvificam deductos esse, eamque ore nostro et lingua universo mundo aperte ad notitiam velle dare.

II. Confitemur, Papam Romanum caput esse Ecclesiae, nec errare posse.

III. Confitemur et certi sumus, Papam Romanum Vicarium esse Christi, plenariamque habere potestatem, omnibus hominibus, pro voluntate sua, peccata remittendi, retinendi, in infernum detrudendi, excommunicandique.

IV. Confitemur, quicquid Papa instituerit novi, sive intra sive extra Scripturam, quicquid etiam demandaverit, esse verum, divinum et salvificum; ideoque a Laicis majoris aestimari debere, Dei vivi praeceptis.

V. Confitemur, Papam sanctissimum ab omnibus honore divino honorari debere, maiori cum genuflexione, ipsi Christo debita.

VI. Confitemur et asserimus, Papam ab omnibus, tamquam Patrem Sanctissimum, in omnibus esse audiendum sine omni exceptione; ejus institutis dirigentibus contrafacientes, sine omni misericordia, tales Haereticos non solum igne tollendos, sed et cum corpore et anima inferno tradendos.

VII. Confitemur, lectionem Scripturae Sacrae ortum esse haeresium et sectarum, scaturiginemque blasphemiae.

VIII. Confitemur, mortuos Sanctos et Sanctas invocare, Imagines eorum honorare, coram eis genua incurvare, ad eos peregrinari, (eos) vestire, lumina eis accendere, bonum, pium, sanctum, utile et salutare esse.

IX. Confitemur, unumquemque Sacerdotem multo majorem esse Deipara, b. Virgine Maria, quae semel solum peperit Christum, nec amplius parit. Sacerdos autem Romanus non solum, dum vult, sed et quandocumque vult, offert et facit Christum, imo et creatum absumit.

X. Confitemur, pro mortuis Missas celebrare, eleemosynas distribuere, orare, utile ac salutare esse.

XI. Confitemur, Papam Romanum habere potestatem, Scripturam immutandi, pro voluntate augendi et minuendi sua.

XII. Confitemur, animas post mortem in Purgatorio purgari, ac Missas Sacerdotum eis auxilium cum eliberatione esse.

XIII. Confitemur, sub una specie Eucharistiam percipere, bonum et salutare; sub utraque, haereticum et damnabile esse.

XIV. Confitemur et asserimus, hos, qui sub una specie utuntur, totum Christum cum carne et sanguine, cum deitate et ossibus, uti vel percipere; qui vero sub utraque, solo nudo pane frui et vesci.

XV. Confitemur, septem esse vera et realia Sacramenta.

XVI. Confitemur, Deum in imaginibus honorari, ac per eas ab hominibus agnosci.

XVII. Confitemur, Mariam, beatam Virginem, majore honore dignam ab Angelis et hominibus, ipso Christo, Filio Dei.

XXIII. Confitemur, beatam Virginem Mariam esse Reginam Coeli, simulque cum filio regnare, cui filium omnia ad voluntatem ejus facere debere.

XIX. Confitemur, ossa Sanctorum magnam habere virtutem, unde ab hominibus honoranda esse, ipsisque sacella exstruenda.

XX. Confitemur, doctrinam Romanam esse catholicam, puram, divinam, salvificam, antiquam et veram; evangelicam autem falsam, erroneam, blasphemam, maledictam, haereticam, damnosam, seditiosam, impiam, excogitatam ac fictam. Cum igitur in totum et plenarie, in omnibus explicationibus, religio Romana sub una

specia bona sit et salutaris, ideo maledicimus omnibus illis, qui nos in haeresi adversa et impia sub utraque erudierunt. Maledictos pronuntiamus Parentes nostros, in fide illis haeretica nos educantes; maledicimus quoque et illis, qui nobis Romano-catholicam fidem in dubium vocarunt, sicut et ducibus illis, qui nobis maledicto illo calice subservierunt. Imo nobis ipsis maledicimus, maledictosque nos pronuntiamus, eo, quod ex maledicto illo calice haeretico, (ex quo nobis bibere non decebat) participavimus.

XXI. Confitemur, Scripturam Sanctam esse imperfectam et litteram mortuam, quousque a Summo Pontifice ea non fuerit explicata, et Laicis ad legendum concessa.

XXII. Confitemur, unam Missam Sacerdotis Romani utiliorem esse centum et pluribus concionibus Evangelicorum. Ex eo maledicimus libris illis, quos legimus, doctrinam illam haereticam et blasphemiam comprehendentibus. Maledictionem etiam superinducimus super omnia opera nostra, in fide illa haeretica exsistendo patrata, ne in extremo die coram Deo nobis aliquid mereantur. Haec omnia ex candido pectore facimus, asserentes, Romanam Ecclesiam in his et similibus articulis esse verissimam, cum solemni haereticae illius doctrinae, coram Vobis, Viri honorati, Matronae honoratae, Juvenes et Virgines praesentes! renuntiatione. Juramus insuper, numquam amplius nos ad haereticam illam sub utraque (etiamsi licitum esset vel fuerit), vita durante conversuros. Juramus etiam, donec una gutta sanguinis in corpore nostro extiterit, doctrinam maledictam illam evangelicam, nos omnimode, clam et aperte, violenter et fraudulenter, verbo et facto persecutoros, ense quoque non excluso. Ultimum juramus (immutatione fors in statu saeculari vel spirituali subsecutura), nos coram Deo, Angelis et Vobis praesentibus, neque metu aut gratia, ab hac salvifica Romano-catholica Ecclesia et divina discessuros unquam, et ad haeresin evangelicam maledictam redituros et reversuros, vel amplexuros.

V.

*Professio orthodoxae fidei a Graecis emittenda.*

Sanctissimus Dominus Noster Dominus Gregorius XIII. etc.

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet:

§. 1. Credo in unum Deum Patrem, omnipotentem factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum non factum, consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis, et incarnatus est de Spiritu S. ex Maria Virgine, et homo factus est; crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est; et resurrexit tertia die secundum Scripturas, et adscendit in coelum, sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos et mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem: qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui loquutus est per Prophetas: et unam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum, et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

§. 2. Credo etiam, suscipio atque profiteor ea omnia, quae sacra oecumenica Synodus Florentina super unione Occidentalis et Orientalis Ecclesiae definivit et declaravit: videlicet quod Spiritus Sanctus a Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter, tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit. Cum id quod sancti Doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendat, ut per hoc significetur, Filium quoque esse, secundum Graecos quidem, causam, secundum Latinos vero, principium subsistentiae Spiritus sancti, sicut et Patrem. Cumque omnia quae Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo

gignendo dederit, praeter esse Patrem; hoc ipsum, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo aeternaliter etiam genitus est. Illamque verborum illorum, Filioque explicationem, veritatis declarandae gratia et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.

§. 3. Item, in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suae Ecclesiae, sive Occidentalis sive Orientalis, consuetudinem.

§. 4. Item, si vere poenitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis Purgatorii post mortem purgari, ut et a poenis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta. Illorumque animas qui post Baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam, incurrerunt, illas etiam quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutae corporibus, prout superius dictum est sunt purgatae, in coelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum sicuti est, meritorum tamen diversitate alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

§. 5. Item, sanctum Apostol. Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universam Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in Actis oecumenicorum Conciliorum et in sacris Canonibus continetur.

§. 6. Insuper profiteor ac recipio alia omnia, quae ex decretis sacrae oecumenicae generalis Synodi Tridentinae, sacrosancta Romana et apostolica Ecclesia,

etiam ultra contenta in supradictis fidei Symbolo, profitenda ac recipienda proposuit atque praescripsit, ut sequitur:

§. 7. Apostolicas et ecclesiasticas Traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector.

§. 8. Item, Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

§. 9. Profiteor quoque, septem esse vere et proprie Sacramenta nostrae legis a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria: scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.

§. 10. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione, recipio et admitto.

§. 11. Omnia et singula, quae de peccato originali, et de Justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

§. 12. Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter, substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate D. N. Jesu Christi; fierique conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat.

§. 13. Fateor etiam, sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

§. 14. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter, et Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque

invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

§. 15. Firmissime assero, Imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum, habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impartiendam.

§. 16. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse, affirmo.

§. 17. Sanctam, catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem et Magistram, agnosco, Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum principis successori ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro.

§. 18. Cetera item omnia a sacris Canonibus et oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata, indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia et schismata atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, anathematizo et abjuro.

§. 19. Hanc veram catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adjuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo.

§. 20. Voveo, ac juro: Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

III.

# CATECHISMUS

EX

DECRETO CONCILII TRIDENTINI AD PAROCHOS CONSCRIPTUS,

SIVE

ROMANUS.

# ANONYMI
## APPARATUS AD CATECHISMUM.

---

### ARTICULUS PRIMUS.

*Cur et quando Tridentina Synodus edendum decreverit Catechismum.*

Cum omnia essent odiis et dissensionibus plena (dissentientibus praesertim Principibus iis inter se, quibus summa rerum pene omnis a Deo permissa est), cum schismatis et haeresibus jaceret christiani nominis divulsa jam prope et lacerata unitas, S. memoriae Paulus III. tantis obstiturus malis anno incarnationis Domini 1537. oecumenicum Mantuae indixit Concilium; sed praeter expectationem, et suggerente tenebrarum rectore, Mantuana civitas Ecclesiae ad hoc concessa non est, nisi sub quibusdam conditionibus a nominis ecclesiastici dignitate, libertateque prorsus alienis, quibus merito jure non positis, alium deligere locum necesse fuit. Nec aptior videbatur aut commodior quam Vicentia, urbs quidem copiosa satis, et Venetorum, qui eam concedebant, auctoritate et potentia, tuta omnino, nullique non facilis: quapropter inibi generale Concilium indictum est, inchoandum Kal. Maij. an. Domini 1538. Interim Papa, Carolum Imperatorem et Franciscum Regem Franciae conciliare studuit, ideoque ipse et ambo illi Principes Nicaeam se contulere, Legatis antea Vicentiam missis, ad Concilium apparandum: Imperatorem inter et Regem pax iniri non potuit, sed ad decennium tantummodo induciae firmatae sunt; et adhuc semel et iterum indictum et dilatum est fere toto triennio Concilium, quo elapso tempore, tot pereuntium impatiens animarum S. Pontifex, mutato loco, delectaque, postulantibus maxime Germanis, Tridentina civitate; ibidem de novo Concilium denunciat ad Kal. Novemb. anni ab Incarnat. Domini 1542. Verum *Impediunt adversae jussae procellae, nec sinit audiri vocem fragor aequoris ullam.* Ad Prin-

cipes diploma non missum est, quin infeliciter Imperatorem inter et Franciscum Regem bellum recens exardeat, unde sexcentis hinc et inde ortis interturbationibus, Concilium inchoari non potuit ante diem decimum tertium mensis Decemb. anno Domini 1545. Interim vero Lutherana haeresis, cum animarum ingenti clade, mirum quantum subrepit, impietas, bellorum foetus, Europam fere universam occupat, et christianae vix umbra superest religionis. Ad hoc tollendum reformandumque, Tridentum Patres undique convolant: at, Deus immortalis! immensum consurgit opus, et in Lerna palude, hydra non una secanda est, manus multas poscit hoc opus, quibus ut arma subministrent Patres, Parochos, qui tunc temporis erant plerique omnes tum scientiae, tum religionis expertes, edocendos suscipiunt, ut deinde vulgus imperitum facilius possit erudiri. De ratione et modo, divinum hoc exequendi Concilium, postquam diu diligentiusque deliberatum est, comperere Patres, ab Haereticis ingentia non tantum conficta esse volumina, quibus catholicam fidem evertere conabantur, verum et infinitos ab iisdem conscriptos esse libellos, qui cum pietatis titulos et religionis speciem prae se ferrent, incredibile est quam difficile frumentum Christi a zizaniis inimici hominis secerni potuisset: tot Catechismi quot provinciae sunt in Europa, imo fere quot urbes, circumferebantur, qui omnes scatebant haeresibus, quibusque simplicium animi ubique decipiebantur; vixque ullus erat in fide bene tersus. „Quamobrem Patres oecumenicae Tridentinae Synodi, cum tanto et cum pernicioso huic malo salutarem aliquam medicinam adhibere maxime cuperent, non satis esse putarunt, graviora catholicae doctrinae capita contra haereses decernere; sed illud praeterea sibi faciendum censuerunt, ut certam aliquam formulam et rationem christiani populi ab ipsis fidei rudimentis instituenti traderent, quam in omnibus Ecclesiis illi sequerentur, quibus legitimi Pastoris et Doctoris munus obeundum esset.“ Adnotate, Pastores! et librum hunc agnoscite vestrum, quando quidem et vestri causa non modo susceptus et editus est, sed ejus etiam usus vobis ab ipso Concilio sic praecipitur: (§. 435.) „Ut fidelis populus ad suscipienda Sacramenta majori cum reverentia atque animi devotione accedat, praecipit sancta Synodus Episcopis omnibus, ut non solum, cum haec per se ipsos erant populo administranda, prius illorum vim et usum

pro suscipientium captu explicent, sed etiam idem a singulis Parochis pie prudenterque, etiam lingua vernacula si opus sit et commode fieri poterit, servari studeant, juxta formam a sancta Synodo in catechesi singulis Sacramentis praescribendam, quam Episcopi in vulgarem linguam fideliter verti atque a Parochis omnibus populo exponi curabunt" etc. Ex his patet, cur et pro quibus sacrosancta Trid. Synodus decreverit edendum esse hoc sanctum opus: et excitatis supra non obscure innuitur, jam ab initio Concili Patres hoc ut maxime necessarium praevidisse statuisseque, vel saltem, quod certum mihi prorsus est, sacrum hoc opus componendum sancivere, Sess. XVIII. quae secunda est, sub Pio IV., procurante tunc et diligentia non credibili promovente, quidquid moribus reformandis erat proficuum, S. Carolo Borromaeo; nam cum ibi de librorum delectu decretum sit, et ad hoc selecti sint Patres quidam, ut suspecti quique ac perniciosi libri seligerentur et prohiberentur a Concilio, indubitatum est simul et de remedio huic pestiferae doctrinae afferendo, hoc est de Catechismo edendo, fuisse sancitum, aliosque quos inferius nominabimus Patres delectos esse, qui tanto operi incumberent, hoc plane constat ex continuatione Sessionis XXV. ubi, de Indice librorum et de ipso Catechismo absolvendo decernitur: ibi enim (§. 541.) sic:

„Sacrosancta Synodus in secunda Sessione sub sanctissimo Domino nostro Pio IV. celebrata, delectis quibusdam Patribus commisit, ut de variis censuris, ac libris vel suspectis vel perniciosis, quid facto opus esset considerarent, atque ad ipsam sanctam Synodum referrent; audiens nunc huic operi ab eis extremam manum impositam, nec tamen ob librorum varietatem et multitudinem, distincte et commode possit a sancta Synodo dijudicari: praecipit, ut quidquid ab illis praestitum est, sanctissimo Romano Pontifici exhibeatur, ut ejus judicio atque auctoritate terminetur et evulgetur, idemque de Catechismo a Patribus quibus illud mandatum fuerat et Missali et Breviario fieri mandat." Ex his manifeste constat: primo, cur hanc Catechesis formam Trid. Synodus edendam praeceperit; secundo, quando id decreverit; tertio, tantae esse auctoritatis hunc Catechismum, ut caeteris omnibus debeat anteponi; quarto, minime umquam a Pastorum manibus recedere debere: ipsis enim

est verae theologiae promptuarium et totius ecclesiasticae disciplinae penus refertissima.

## ARTICULUS SECUNDUS.

*Quibus Patribus componendi Catechismi cura fuerit data, et quamdiu circa eum laboratum sit.*

Duobus diversis temporibus dici potest, a Patribus collaboratum esse Catechismo: priori quidem, dum adhuc Trid. essent in Concilio, hoc est per biennium fere integrum: nempe a Sessione XVIII. celebrata d. 26. Febr. 1562 usque ad finem Synodi, quae absoluta est mense Decemb. an. 1563; posteriori vero, id est, sacrosancto coetu dimisso, Romae, quo quidam delecti Patres hac de causa fuerunt convocati, et huic operi incubuere toto triennio et amplius, nempe a discessione Concilii, ad an. 1566, quo S. memoriae Pio V. totum opus absolutum oblatum est approbandum: unde fit, ut per integrum quinquennium, tum in componendo tum in expoliendo hoc Catechismo, collaboraverint selecti Patres a Concilio, inter caeteros piissimi atque doctissimi. Quod quidem animo revolvens, omnino non bene sanum judicarem eum, qui librum hujusmodi non omni existimatione dignum, nec omni saeculo venerandum arbitraretur: et qui inter disputandum de theologia, si citaretur hic Catechismus, illum ad classem puerorum, contemptim rejicerent, certe sanniones essent et tenebriones. Sed ad Patres veniamus. Certum est ex ultima Sessione, toto postremo Concilii biennio, plurimos ex Patrum coetu delectos celebres Theologos, magnum studium multamque operam contulisse in hunc Catechismum: nam ejus materia est divisa in articulos quosdam, quibus deinde distributis, suum elucubravit quilibet elaboravitque, juxta mentem Concilii et Ecclesiae sensum, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Hoc testatur ita factum Christoph. Sanctorisius, Ordinis Eremitarum D. Augustini, qui asserit, Cardinali Seripando ejusdem Ordinis, hanc particulam Symboli: Et in unam sanctam Ecclesiam catholicam, traditam fuisse explicandam. Quartum vero Symboli articulum designatum esse Mich. Medinae, Ordinis Fratrum Minorum, patet ex ipsomet, qui sibi id attribuit in praefatione ad opusculum de eodem quarto Symboli articulo: ex Possevino autem habemus

in Apparatu, littera P., Petr. Galesinum Catechismi hujus partem in qua Dei praecepta exponuntur, latine exposuisse, et ibidem littera J., Jul. Spogianum ultimum ejusdem Catechismum caput asserit exposuisse. Idem confirmat distincte Castalio, his verbis: „in Catechismo, qui ex Concilii Trid. decreto, Pii V. jussu editus est, complures Theologi et diserti viri conscribendo elaboraverunt. Antoniano Symbolum aut certe Symboli partem explicandum obtigisse Dalius Pasqualinus, vir gravissimus mihi confirmavit: quod et ipse in adversariis ejus reperi.“ Ergo, attendite quaeso, Pastores! non soli Thomistae circa hoc opus collaborarunt, sicuti somniati sunt quidam, ut ejus imminuerent auctoritatem, quasi non esset universalis opus Ecclesiae, sed Sectae cujusdam theologicae peculiaris, in quo sane non mediocrem infamiae notam inurunt Concilio et summo Pontifici.

Dimisso vero sacrosancto Concilio, quod supererat operis commissum esse quibusdam Patribus ex Ordine Fratrum Praedicatorum non inficiamur, sed ex eo, quod ab Ecclesia munus hoc obeundum suscepere, constare debet, eos vel ultro proprios et peculiares animi sensus, si quos habebant, exuisse: vel ex decreto Concilii aut summi Pontificis mandato, saltem viva voce, injunctum esse illis, non ex suo, sed ex Ecclesiae sensu, tractanda esse omnia, alias non satis prudenter actum esset; quod asserere quantum nefas? Dicti autem Patres hi fuere 1) Leonard. Martinus, Genuensis, Archiepisc. Lancianensis; 2) Aegid. Fuscararius, Bononiensis, Episc. Mutinensis: 3) Franc. Foretius, Olisbonensis, Regis Lusitaniae in Concilio Trid. Theologus: qui omnes quantae pietatis, quantae peritiae, quantique nominis extiterint, tum in ipsa Synodo tum extra illam, in exercitandis muneribus ecclesiasticis plurimis, exhibere, mihi satis est unus S. Carol. Borromaeus, in Epistola sua ad Cardinalem Warmiensem, Stanisl. Hosium, ut credam, eos inter Patres Concilii fuisse doctissimos: et meam utique confirmat fidem Joseph. Ripalmontius, dum haec ait: „Is (intellige sanctum Carolum) animo conceperat eximium Catechismi Romani opus, de quo opere conficiendo sanxerunt Patres (Tridentini) idque decretum inter caetera exstabat: etiam ei dirigenda institutione capitibusque disponendis summi Theologorum adlaborabant. Sed consilium erat Caroli, ut divinitas et

altitudo rerum atque sententiarum pari verborum dignitate explicaretur, adhibitisque latinae linguae summis ea tempestate hominibus, per eos absolvit opus, quo meliore Romanorum saeculo natum videri esset.“ Ex quibus patet, et in ipsum S. Carolum non mediocri ex parte hujus sacris operis laudem esse refundendam: quod etiam fit planum ex Epistola ejusdem Sancti ad Lusitaniae Regem, a quo petit, ut sibi sit licitum, post dimissum Concilium, Franc. Foretium retinere, quod ad Catechismum absolvendum esset Ecclesiae maxime necessarius: verum, etsi his Patribus totius hujus sacri operis gloria deberi videatur, tamen nihilominus S. memoriae Pio V. ut primo motori totum referri acceptum jure meritoque oportet, et si testis opus est, habemus Gabutium in ejusdem summi Pontificis vita, ubi sic ille: „Sacrum Catechismum ad Parochos, quo praecipua catholicae doctrinae dogmata luculenter explicata continentur, per viros christiana eloquentia et eruditione insignes latine confici primum, et ubique gentium evulgari, mox in Italicum, Gallicum, Germanicum ac Polonicum sermonem converti curavit.“ His ita se habentibus de Catechismo Romano, quid, quaeso vos, censendum est? cujus meriti? cujus auctoritatis? Edendum illum decrevit oecumenica Synodus: selectis Patribus quamlibet ejus materiae particulam tractandam distribuit, ex omnibus tractatibus, jubente summo Pontifice, totum dirigente negotium sancto Carolo, compingitur et expolitur opus, a viris in omnium scientiarum genere versatissimis, quorum spectata virtus, doctrina et pietas erat universae Ecclesiae: an igitur invenire est librum ullum alium post Scripturam canonicam majoris faciendum, quique saepius evolvi mereatur?

## ARTICULUS TERTIUS.

### *A quibus Catechismus est approbatus.*

Antequam Catechismus prodiret in lucem, etsi tot fuisset tantorumque virorum studio elaboratus, etsi toties, id sollicitante S. Carolo, lectus, relectus et elimatus: attamen oblatus Pio V. sanctae memoriae, ut tandem summa sua auctoritate firmaretur: noluit tamen summus Pontifex sic exire eum a se, quin adhuc ab aliis Doctoribus prius recenseretur, ut qua par erat

maturitate et prudentia editus liber catholicus catholice reciperetur; res commissa est Guilelmo Sirleto Cardinali, utpote cujus doctrinam et pietatem optime noverat, quique nuper adnitentibus aliis Cardinalibus cum S. Carolo non paucis, summus Pontifex vix non erat renunciatus: is tantus vir, Pii V. jussu quosdam secum adhibuit Theologos delectos in caeteris, qui hujus libri non solum dogmata, sed et ipsa verba trutinarent rimarenturque, quo diligentia singulari peracto, mirabilis sane Pastoris vere fidelis sollicitudo, illum approbavit summus Pontifex, atque Roma prodiens integer, purus et sincerus, quocumque deportaretur, jussit eum typis mandari Manutianis, expurgari omnino mendis et ita evulgari. Operae pretium est ipsa Pontificis verba ponderare; haec autem sunt: „Motu proprio et pastorali officio cupientes, quam diligentissime possumus, divina adjuvante gratia, fungi et ea quae sacro Tridentino Concilio statuta et decreta fuerunt, exequi, curavimus ut a delectis Theologis in hac alma urbe componeretur Catechismus, quo Christi fideles de eis rebus, quas eos nosse, profiteri et servare oportet, Parochorum suorum diligentia edocerentur, qui liber cum Deo adjuvante perfectus in lucem edendus sit, providendum duximus ut quam diligentissime et fidelissime imprimatur. Itaque in hac alma urbe eum potissimum imprimi voluimus dilecti Filii Pauli Manutii diligentia, qui alios ecclesiasticos libros hic imprimere solet. Quia vero si alibi imprimeretur, evenire posset, ut non pari fide ac diligentia talis argumenti liber imprimeretur, ob hanc causam etc. Dat. Roma apud S. Marcum septimo Kalend. Octobr. anno primo.“ Ex his manifestum est, quanti fecerit hunc librum summus hic Pontifex, et quanta diligentia typis ille mandandus esset, sane tanti Pontificis exemplo, quoties denuo est imprimendus, curare deberent Episcopi, ne tot erratis quot quasi lineis oppleretur.

Primus igitur Pius quintus non tantum proprio motu suo hunc Catechismum approbavit, sed insuper commendavit eum toties, praecipitque usurpandum, quoties vel de morum emendatione, vel de reformatione Ordinum agebatur; videatur Bulla 102. edita anno 1580. pro reformatione Ordinis Cisterciensis; item Bulla 105. edita eodem anno, circa reductionem ad meliorum statum Congregationis Servorum beatae Mariae; item Bulla 106. eodem quoque anno edita circa Missalis emendationem

Secundus a quo sacrum hoc opus fuit approbatum. Gregorius est XIII., Pii quinti successor, qui in Brevi quodam anni 1583. declarat, suo jussu et approbatione denuo editum esse Catechismum, utilemque adeo librum hunc existimavit hic Pontifex, ut peculiari mandato in linguam Illyricam traduci illum praeceperit, ut patet ex Concilio Aquileiensi mox citando, atque insuper, ut testatur Possevinus, Catechismus erat illi veluti regula quaedam, qua jus ipsum canonicum reformari posse putabat, unde Francisco Gratiano de Garzatoribus, Consulto et Canonico Vicentino, suasit, ut juris canonici epitomen ederet, in qua quidquid vel a summis Pontificibus, vel a Concilio Tridentino vel a Catechismo Romano fuerat abrogatum, resecaret.

Tertius, qui nostrum hunc Catechismum probavit, fuit sanctus Car. Borromaeus, qui non tantum in suis supra citatis Epistolis, sed et maxime in prima Synodo, quam Mediolani habuit anno Domini 1565., ubi Clericis omnibus, postquam decimum annum attigerint, praecipit ut Catechismum hunc assidue legant.

Quarto probatus est idem Catechismus in Synodo Beneventana anno 1567., ubi omnibus tum Parochis, cum verbi Dei praedicatoribus injungitur, ut ad suum munus explendum Catechismum, qui summi Pontificis jussu editus est. assidue prae manibus habeant, ut omnia secundum sanam et ecclesiasticam doctrinam docere valeant.

Quinto probatus est in Synodo Ravennate a. 1568. ibique titulo de Seminario Cap. 4. librum hunc, quem Concilii Tridentini Catechismum vocat, mirum in modum commendat praecipitque, ut qui degunt in Seminariis, eum assidue prae manibus habeant.

Sexto iterum probatus est a S. Carolo in Synodo Mediolanensi a. 1569. ibique praecipitur Parochis, ut frequentius aliquam Catechismi Romani lectionem inter se convenientes tractent.

Septimo probatus est in Synodo Salisburgensi in Germania, quae habita est anno 1569. et sic decrevit Const. 26. „Debent Parochi iis, quae ad ipsorum spectant ministerium quemadmodum et Episcopi cum Sacramenta per ipsos erunt populo administranda, illorum vim et usum pro suscipientium captu in vulgari nostra

lingua germanica explicare, juxta ea, quae in Catechismo Romano sane utilissimo et his temporibus maxime necessario continentur."

Octavo probatus est et tertio a S. Carolo in Synodo Mediolan. a. 1577., in qua praecipitur, ut Parochi in Sacramentorum administratione Catechismi Romani locos et doctrinam adhibeant.

Nono probatus est in Genuensi Synodo anno 1574. Tit. de fidei elementis a Parocho tradendis.

Decimo probatus est et quarto a S. Carolo in Synodo Mediolanensi a. 1576., ubi inter libros. quos Episcopo visitanti Parochus exhibere debet, censetur Catechismus Romanus.

Undecimo probatus et quinto ab eodem S. Carolo in Synodo Mediolanensi a. 1579., ubi de examinandi ratione praecipit, ut inquiratur ab Ordinandis: „An Catechismum Romanum habeant ejusve doctrinam teneant."

Duodecimo probatus est eodem anno a Clero totius Galliae in Conventu Melodunensi, ubi multis in locis, sed maxime quatuor tit. de Baptismo, de Eucharistia, de Poenitentia et de Ordine hic Catechismus, qui ibidem Tridentinus agnoscitur, ita praecipitur Parochis, ut ipsis ab hoc catholico Conventu Cleri necessarius omnino judicetur, et caeteris omnibus anteponendus. Sic autem ibi: „Instituere tenentur Curati suos greges ex praescripto Catechismi Trident., quam pure et simpliciter fieri poterit," et alibi: „Adhibentes ea in re probe efficienda (nempe in exhortandis populis) Catechismi Romani locos et doctrinam Concilii Tridentini de singulis Sacramentis. ob id ab omnibus Curatis accurate et studiose legendum;" praeterea „Catechismi Tridentini in rebus hujusmodi ac piis operibus exercendis, regulas et praecepta, quam fieri poterit accurate sequantur Confessarii.

Decimo tertio probatus est in Synodo Rothomagensi a. 1581., ubi sic: „Ut autem quilibet Parochus officio suo defungi queat, Catechismum Romanum latine et gallice habeat, C. 10.

Decimo quarto in Synodo Burdegalensi a. 1582., ubi sic: „Parochi singulis festis diebus aliquid ex Catechismo Trident., quem latine et gallice auctoritate no-

stra editum penes se habere injungimus, populo proponant etc."

Decimo quinto in Synodo Turonensi a. 1583. tit. de professione et fidei tuendae cura.

Decimo sexto in Synodo Rhemensi a. 1583. tit. de Curatis.

Decimo septimo in Synodo provinciali Aquensi in Gallia a. 1585. tit. de Parochis, ubi sic: „Ut autem quilibet Parochus suo officio defungi queat, Catechismum Romanum latine et gallice habeat etc."

Decimo octavo in Synodo provinciali Tolosana a. 1590., ubi sic: „Injungimus Parochis, ut continuo Catechismum Concilii Tridentini prae manibus habeant, tit. de Sacramentis."

Decimo nono in Synodo Avenionensi a. 1594. tit. de officio Parochi: „Catechismum Romanum sedulo prae manibus habeant etc."

Vigesimo in Synodo Aquileiensi a. 1585., de qua jam supra.

Omitto Synodos dioecesanas complures, in quibus Catechismus hic noster approbatur, omitto et magni omnino nominis Doctores, qui post libros canonicos nullum alium, quam hunc Catechismum tutius aut utilius legi posse asserunt. His ita positis, amice Lector, quis feret frontem eorum, qui hoc opus sacrum quasi puerile despicientes illud vel attingere dedignantur, id propter tantum, quia Catechismus inscribitur? O caecas hominum mentes!

Sed ut homunciones illos omni rubore suffundam, audiant, quaeso, S. Caroli Borromaei amicissimum et sacri Collegii decus Augustinum Valerium, Cardinalem et Episcopum Veronensem, libro priori ad Acolythos Veronenses:

„Catechismus abhinc triennium est editus Pii V. Pontificis maximi jussu, quem ad juvandam rempublicam christianam et restituendam veterem Ecclesiae disciplinam nobis divinitus videmus datam esse. Opus tam praeclarum, si sententiarum gravitatem et lumina etiam verborum spectemus, ut nullum praeclarius, multis abhinc Saeculis editum docti homines judicent: sunt

enim explicata omnia, quae ad instituendas animas pertinent, tanto ordine, tanta perspicuitate tantaque cum majestate, ut sancta mater Ecclesia, Spiritu sancto edocta, non homo quispiam, vocem emittere et omnes docere videatur. Vos, qui aliquantum aetate processistis, legite hunc Catechismum septies et plus quam septies: mirabiles enim fructus ex eo percipietis. Quod si in historiis scriptum est, Demosthenem, ut eloquentiae laudem consequeretur, octies descripsisse Thucididem, eaque ratione, omnes illius conciones plenas argumentis memoriae commendasse, quanto aequius est vos, qui in disciplina Eccles. versantes, omnia vestra studia referre debetis ad gloriam Dei et ad salutem vestram et aliorum, egregium librum, dictante Spiritu sancto, Patrum, qui in Concilio Tridentino aderant, decreto scriptum et Christi Vicariii auctoritate editum, octies legisse diligenter atque etiam descripsisse.

## ARTICULUS QUARTUS.

### *Utilitates et usus Catechismi colliguntur.*

Tot sunt utilitates Catechismi Tridentini, quot possunt numerari necessitates Ecclesiae, si haeresis, ne exspuatur ab inferis et Catholicos interturbet occludenda est: a Parochis saepius explicetur hic Catechismus, si haeresis ominoso et infausto quodam abortu jam exorta suffocanda sit; a Parochis saepius explicetur hic Catechismus, sincera sicubi est et illibata conservanda religio: a Parochis saepius explicetur hic Catechismus, si Clerici adolescentes in Seminariis aut privatim ad munera quaelibet ecclesiastica subeunda sint apparandi; praelegatur illis saepius hic Catechismus; Sacramenta sicut par est, pie et cum proximorum aedificatione, si quis administrare voluerit, unus illi sit prae manibus hic Catechismus; denique si qui Sacerdotes confessionibus excipiendis, habendis concionibus, dirigendis animabus accingere sese cupiant, hoc uno utantur Catechismo.

Sed enim illo utendi non una tantum ratio est, ut ex praenotatis in proclivi est advertere; utiliores hic indigitabo.

Prima ratio utendi Catechismo injungitur, in omnibus fere Synodis tum provincialibus, tum dioecesanis, quae post Concilium Trid. habitae sunt, ejus nimirum assidua lectio, vel saltem ita frequens, ut quidquid hic liber continet, memoriter complectatur.

Secunda ratio utendi sacro hoc opere, praecipitur a S. Carolo in 2. Synodo Mediolanensi citata, ut scilicet convenientes ad se invicem Parochi viciniae cujuslibet aliquam hujus Catechismi lectionem frequentius inter se tractent, quod ex laudabili consuetudine singulis hebdomadis in usu est in celebri Presbyterio S. Nicolai de Cardineto Parisiis.

Tertia ratio utendi Catechismo praescribitur ab eodem S. Carolo in 3. Synodo Mediol., ubi praecipit, quoties Parochi aliquod Sacramentum administraturi sunt, ut locos et doctrinam hujus libri adhibeant et populo exponant; idem praecipitur in Synodo Rothomagensi supra citata.

Quarta ratio utendi hoc libro proponitur in Synodo Burdegal. citata etiam supra, dum praecipitur, ut singulis diebus festis aliquid ex hoc Catechismo Parochi populis proponant, de iis rebus, quas nosse Christianorum omnium interest.

Quinta ratio praescribitur in Synodo Cremonensi a. 1603. p. 9. his verbis: „Divino afflatu Spiritus sancti, illi Patres, qui in Concilio Trid. praefuere, mandarunt, ut quamprimum Romanus Catechismus conscriberetur, ex quo veluti ex foecundissimis sanctae matris uberibus Clerici omnes ecclesiasticae doctrinae suavissimum lac exsugere valerent. Ea igitur consuetudo, quae sancte in nostra Seminaria introducta est, Clericis omnibus Romanum Catechismum explicandi, omnino inde a Ludimagistris Clericis sub poena suspensionis quotidie, vel saltem ter in hebdomada servetur.

Sexta ratio praescribitur in ipsa Praefatione Catechismi ab iisdem Patribus, quorum obtemperando mandatis praxis, quae sequitur, est instituta.

# CATECHISMI
## EX DECRETO CONCILII TRIDENTINI
### AD PAROCHOS SANCTISS. D. N. PII V. JUSSU EDITI

## PROOEMIUM.

*In quo diserte explicatur, quam sint semperque fuerint necessarii divinarum rerum interpretes et fidei Doctores, quorum sermones, tanquam Dei verba recipienda sint* §. 1 — 4.; *quo pacto propter Haereticorum studia et conatus, nostro saeculo sincera divini verbi annunciatio maxime fidelibus sit necessaria* §. 5.; *quibus rationibus et causis permota Tridentina Synodus ad hunc Catechismum pro Parochis edendum* §. 6. 7.; *quid Pastores et Concionatores ante omnia in doctrina christiana considerare et aliis tradere, deinde, quam in ea tradenda rationem ac modum tenere debeant.* §. 8 — 12.

§. 1. Ea est humanae mentis et intelligentiae ratio, ut, cum alia multa, quae ad divinarum rerum cognitionem pertinent, ipsa per se, magno adhibito labore et diligentia, investigaverit ac cognoverit, maximam tamen illorum partem, quibus aeterna salus comparatur, cujus rei inprimis causa homo conditus atque ad imaginem et similitudinem Dei creatus est, naturae lumine illustrata cognoscere aut cernere numquam potuerit. *Invisibilia* quidem *Dei*, ut docet Apostolus *(Rom. I, 20.)*, *a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus et divinitas:* verum *mysterium illud, quod absconditum est a saeculis et generationibus (Col. I, 26)*, ita humanam intelligentiam superat, ut, nisi manifestatum fuisset Sanctis, quibus voluit Deus fidei munere notas facere divitias gloriae Sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus, nullo studio homini ad eam sapientiam adspirare licuisset.

§. 2. Cum autem *fides ex auditu (Rom. X, 17.)* concipiatur, perspicuum est, quam necessaria semper fuerit ad aeternam salutem consequendam, Doctoris legitimi fidelis opera ac ministerium: siquidem dictum est (*Rom. X, 14.*): *Quomodo audient sine praedicante, quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?* et quidem ab ipsius mundi origine, clementissimus ac benignissimus Deus suis numquam defuit, sed *multifarie multisque modis locutus est Patribus in Prophetis (Hebr. I, 1.)*, eisque pro temporum conditione ad coelestem beatitudinem, certum ac directum iter monstravit. Sed quoniam praedixerat *(Ioel. II, 23. Esai. XLIX, 6.)*, *daturum se doctorem iustitiae in lucem gentium, ut esset salus ejus usque ad extremum terrae*, *(Hebr. I, 2.) novissime locutus est nobis in filio*, quem etiam, voce e coelo delapsa a magnifica gloria, jussit *ut omnes audirent, ejusque praeceptis obtemperarent (2 Petr. I, 17. Matth. XVII, 5. Marc. IX, 6.)*. Deinde vero Filius *alios dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores et Doctores (Ephes. IV, 11. 14.)*, qui verbum vitae annunciarent, ne circumferremur, tanquam *parvuli fluctuantes omni vento doctrinae*, sed firmo fidei fundamento adhaerentes, *coaedificaremur in habitaculum Dei, in Spiritu sancto (Ephes. II, 22.)*.

§. 3. Ac ne quis verbum auditus Dei ab Ecclesiae ministris, tamquam *verbum hominum, sed sicut vere est verbum Christi (1 Thess. II, 13.)* acciperet, ille ipse Salvator noster tantam autoritatem eorum magisterio tribuendam esse statuit, ut diceret *(Luc. X, 16.)*: *Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit.* Quod quidem non de iis tantum, quibuscum sermo habebatur, intelligi voluit; verum de omnibus etiam, qui legitima successione docendi munus obirent, quibus se *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi affuturum esse* pollicitus est *(Matth XXVIII, 20.)*.

§. 4. At vero, cum haec divini verbi praedicatio numquam intermitti in Ecclesia debeat, tum certe hoc tempore majori studio et pietate elaborandum est, ut sana et incorrupta doctrina, tamquam pabulo vitae, fideles nutriantur et confirmentur. Exierunt enim falsi Prophetae in mundum, de quibus dixit Dominus *(Jerem. XXIII, 21.)*: *Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant: non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant*: ut variis

*doctrinis et peregrinis (Hebr. XIII, 9.)* Christianorum animos depravarent. Qua in re illorum impietas, omnibus Satanae artibus instructa, tam longe progressa est, ut nullis fere certis finibus contineri posse videatur: ac, nisi Salvatoris nostri praeclara illa promissione niteremur, qui se adeo stabile Ecclesiae suae fundamentum posuisse affirmavit, ut *portae inferi adversus eam praevalere numquam possint (Matth. XVI, 18.)*; maxime verendum esset, ne hoc tempore, tot undique hostibus obsessa, tot machinis tentata et oppugnata concideret. Nam ut omittamus nobilissimas provincias, quae olim veram et catholicam religionem, quam a majoribus acceperant, pie et sancte retinebant, nunc autem derelinquentes viam rectam erraverunt, atque in eo se maxime pietatem colere palam profitentur, quod a Patrum suorum doctrina quam longissime recesserunt: nulla tam remota regio, aut tam munitus locus, nullus christianae reipublicae angulus inveniri potest, quo haec pestis occulte irrepere non tentarit.

§. 5. Qui enim fidelium mentes corrumpere sibi proposuerunt, cum fieri nullo modo posse intelligerent, ut cum omnibus coram colloquerentur, et in eorum aures venenatas voces infunderent, idem alia ratione aggressi, multo facilius ac latius impietatis errores disseminarunt. Nam praeter illa ingentia volumina, quibus catholicam fidem evertere conati sunt, a quibus tamen cavere, cum apertam haeresim continerent, non magni fortasse laboris ac diligentiae fuit, infinitos etiam libellos conscripserunt, qui cum pietatis speciem prae se ferrent, incredibile est, quam facile incautos simplicium animos deceperint. Quamobrem Patres oecumenicae Tridentinae Synodi, cum tanto et tam pernicioso huic malo salutarem aliquam medicinam adhibere maxime cuperent, non satis esse putarunt, graviora catholicae doctrinae capita contra nostri temporis haereses decernere, sed illud praeterea sibi faciendum censuerunt, ut certam aliquam formulam et rationem christiani populi ab ipsis fidei rudimentis instituendi, traderent, quam in omnibus Ecclesiis illi sequerentur, quibus legitimi Pastoris et Doctoris munus obeundum esset.

§. 6. Multi quidem adhuc in hoc scriptionis genere cum magna pietatis et doctrinae laude versati sunt: sed tamen Patribus visum est maxime referre, si liber

sanctae Synodi autoritate ederetur, ex quo Parochi vel omnes alii, quibus docendi munus impositum est, certa praecepta petere atque depromere ad fidelium aedificationem possint; ut quemadmodum *unus* est *Dominus, una fides (Ephes. IV, 5.)*, ita etiam una sit tradendae fidei, ad omniaque pietatis officia populum christianum erudiendi, communis regula atque praescriptio.

§. 7. Ergo cum multa sint, quae ad hanc rationem pertinere videantur, nemo existimet, illud sanctae Synodo propositum fuisse, ut omnia christianae fidei dogmata, uno libro comprehensa, subtiliter explicarentur: quod ab iis fieri solet, qui se profitentur universae religionis institutionem et doctrinam tradere; id enim et infiniti pene operis fuisset, et instituto minus convenire perspicuum est; sed quoniam Parochos Sacerdotesque, animarum curatores, earum rerum cognitione instruendos suscepit, quae pastoralis muneris maxime propriae sunt, et ad fidelium captum accommodatae, ea tantum in medium afferri voluit, quae hac in re pium Pastorum studium, si in difficilioribus divinarum rerum disputationibus non ita versati fuerint, adjuvare possent.

§. 8. Quae cum ita sint, antequam ad ea singulatim tractanda accedamus, quibus hujus doctrinae summa continetur, institutae rei ordo postulat, ut pauca quaedam exponantur, quae Pastores considerare sibique ante oculos proponere inprimis debent, ut sciant, quonam, veluti ad finem, omnia eorum consilia, labores, studia referenda sint, quove pacto id quod volunt facilius consequi et efficere possint. Illud igitur primum videtur esse, ut semper meminerint, omnem christiani hominis scientiam hoc capite comprehendi, vel potius, quemadmodum Salvator noster ait *(Joan. XVII, 3.)*: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Quamobrem in eo praecipue ecclesiastici doctoris opera versabitur, ut fideles scire ex animo cupiant Jesum Christum, et hunc crucifixum, sibique certo persuadeant, atque intima cordis pietate et religione credant, *aliud nomen non esse datum hominibus sub coelo, in quo oporteat nos salvos fieri (Actor. IV, 12.)*, siquidem ipse *propitiatio est pro peccatis nostris (1 Joan. II, 2.)*.

§. 9. At vero quia in hoc scimus, quoniam cognovimus eum si mandata ejus observemus, proximum est

et cum eo quod diximus maxime conjunctum, ut simul etiam ostendat, vitam a fidelibus non in otio et desidia degendam esse, verum oportere, ut quemadmodum ipse ambulavit, ita et nos ambulemus, *sectemurque omni studio justitiam, pietatem, fidem, charitatem, mansuetudinem* (1 *Tim. VI*, 11.): *dedit* enim *semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum* (*Tit. II*, 14.), quae Apostolus Pastoribus praecipit, ut loquantur et exhortentur.

§. 10. Cum autem Dominus, ac Salvator noster non solum dixerit (*Matth. XXII*, 40.), sed etiam exemplo suo demonstrarit, *legem et Prophetas ex dilectione pendere*. Apostolus (1 *Tim. I*, 5. *Rom. XIII*, 10.) deinde confirmarit, *charitatem esse finem praecepti ac legis plenitudinem*; dubitare nemo potest, hoc tamquam praecipuum munus omni diligentia curandum esse, ut fidelis populus ad immensam Dei erga nos bonitatem amandam excitetur, ac divino quodam ardore incensus, ad summum illud et perfectissimum bonum rapiatur, cui adhaerere, solidam et veram felicitatem esse is plane sentiet, qui illud Prophetae dicere poterit (*Psalm. LXXII*, 25.): *Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram?* Haec nimirum est via illa excellentior, quam idem Apostolus demonstravit, cum omnem doctrinae et institutionis suae rationem ad charitatem, quae numquam excidit, dirigeret (1 *Cor. XIII*, 1 — 13.). Sive enim credendum, sive sperandum, sive agendum aliquid proponatur, ita in eo semper charitas Domini nostri commendari debet, ut quivis perspiciat, omnia perfectae christianae virtutis opera non aliunde, quam a dilectione, ortum habere, neque ad alium finem, quam ad dilectionem, referenda esse.

§. 11. Cum autem in omni re tradenda plurimum intersit, utrum hoc an illo modo aliquid doceas; tum vero hoc in christiani populi institutione maximi momenti existimandum est. Observanda est enim audientium aetas, ingenium, mores, conditio, ut qui docendi munus exercet, *omnia omnibus efficiatur* (1 *Cor. IX*, 22.): ut ex omnes Christo lucrifaciat, et se ipsum fidelem *ministrum et dispensatorem* probare possit (1 *Cor. IV*, 1.); ac veluti servus bonus et fidelis, dignus sit, *qui super multa constituatur* (*Matth. XXV*, 21.) a Domino. Neque

vero unius tantum generis homines fidei suae commissos esse arbitretur, ut praescripta quadam et certa docendi formula erudire, atque ad veram pietatem instituere aeque omnes fideles possit: sed cum alii, veluti *modo geniti infantes* sint (*1 Petr. II*, 2.), alii in Christo adolescere incipiant, nonnulli vero quodam modo confirmata sint aetate: necesse est diligenter considerare, quibus *lacte*, quibus *solidiore cibo* opus sit (*Hebr. V*, 13. 14.), ac singulis ea doctrinae alimenta praebere, quae spiritum augeant *donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi* (*Ephes. IV*, 13.). Id vero Apostolus in se ipso omnibus observandum indicavit, cum dixit (*Rom. I*, 14.) *se Graecis et barbaris, sapientibus et insipientibus, debitorem esse*: ut videlicet intelligerent, qui ad hoc ministerium vocati sunt, ita in tradendis fidei mysteriis ac vitae praeceptis, doctrinam ad audientium sensum atque intelligentiam accomodari oportere: ut cum eorum animos, *qui exercitatos sensus habent* (*Hebr. V*, 14.) spirituali cibo expleverint, ne interim parvulos fame perire patiantur, ut qui *panem petant, et non sit qui frangat eis* (*Thren. IV*, 4.).

§. 13. Neque vero cujusquam studium in docendo retardari debet, propterea quod interdum necesse sit, auditorem earum rerum praeceptis instrui, quae leviores et humiliores videntur, nec sine molestia ab iis potissimum tractari solent, quorum animus in sublimium rerum contemplatione versatur ac conquiescit. Nam si ipsa aeterni Patris sapientia in terras descendit, ut in carnis nostrae humilitate coelestis vitae praecepta nobis traderet: quem non compellat charitas Christi, ut *parvulus* fiat *in medio fratrum suorum* (*1 Thess. I*, 7. 8.) *et tamquam nutrix fovens filios suos* ita cupide proximorum salutem desideret, ut quod de se ipso Apostolus testatur, eis velit *non solum Evangelium Dei, sed etiam animam tradere*.

# LIBER PRIMUS.

# DE SYMBOLO APOSTOLICO ET EJUS ARTICULIS.

## PRAEFATIO.

*Totius doctrinae fidei catholicae distributio* §. 13—15.; *generalis quaedam institutio de fide, et Apostolorum Symbolo* §. 16—18.

§. 13. Omnis autem doctrinae ratio, quae fidelibus tradenda sit, verbo Dei continetur, quod in Scripturam, Traditionesque distributum est. Itaque in harum rerum meditatione Pastores dies noctesque versabuntur, memores illius D. Pauli admonitionis, quam ad Timotheum scriptam, omnes, quicunque animarum curae praepositi sunt, ad se pertinere exstimabunt. Est autem haec admonitio in hunc modum *(1 Tim. IV,* 13. 2 *Tim. III.* 16.*)*: *Attende lectioni, exhortationi et doctrinae: est enim omnis Scriptura divinitus inspirata utilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Sed quoniam, quae divinitus tradita fuerunt, multa sunt et varia, ut nec ita facile aut animo comprehendi, aut etiam mente comprehensa, memoria teneri possint: ut cum se obtulerit docendi occasio eorum parata sit et prompta explicatio; sapientissime Majores nostri totam hanc vim et rationem salutaris doctrinae, in quatuor haec capita redactam, distribuerunt: Apostolorum Symbolum, Sacramenta, Decalogum, dominicam Orationem.

§. 14. Nam omnia quae christianae fidei disciplina tenenda sunt, sive ad Dei cognitionem, sive ad mundi creationem et gubernationem, sive ad humani generis redemptionem spectent, sive ad bonorum praemia et malorum poenas pertineant, Symboli doctrina continentur. Quae autem signa sunt et tamquam instrumenta ad divinam gratiam consequendam, haec septem Sacramentorum doctrina complectitur. Jam vero quae ad leges referuntur, *quorum finis est charitas (1 Tim.* 1, 5.*)*, Decalogo descripta sunt. Quidquid denique ab hominibus

optari, sperari ac salutariter peti possit, id dominica Precatione comprehenditur. Quare sequitur, ut explanatis quatuor his, quasi communibus Sacrae Scripturae locis, nihil fere ad eorum intelligentiam, quae christiano homini discenda sunt, desiderari possit.

§. 15. Itaque visum est monere Parochos, ut quoties usu venerit, ut aliquem interpretentur Evangelii vel quemvis alium divinae Scripturae locum, intelligant, ejus loci, quicunque is fuerit, sententiam cadere sub unum aliquod quatuor illorum capitum, quae diximus, quo tamquam ad ejus doctrinae fontem, quod explicandum sit, confugient. Exempli causa, si explanandum sit illud Evangelium primae Dominicae Adventus *(Luc. XXI, 25 sqq.)*: *Erunt signa in sole et luna* etc. Quae ad eam rationem pertinent, tradita sunt illo Symboli articulo: *Venturus est judicare vivos et mortuos.* Quibus inde assumptis, Pastor una eademque opera fidelem populum et Symbolum et Evangelium docebit. Quare in omni docendi et interpretandi munere, hanc consuetudinem tenebit, dirigendi omnia ad prima illa quatuor genera, ad quae referri universam divinae Scripturae vim atque doctrinam diximus.

§. 16. Docendi autem ordinem eum adhibebit, qui et personis et tempori accommodatus videbitur. Nos Patrum autoritatem secuti, qui initiandis Christo Domino, et in ejus disciplina instituendis hominibus, a fidei doctrina initium fecerunt; operaepretium duximus, quae ad fidem pertinent, prius explicare. Sed quoniam in divinis literis multiplex est fidei significatio, hic de ea loquimur, cujus vi omnino assentimur iis, quae tradita sunt divinitus. Hanc autem ad salutem consequendam esse necessariam, nemo jure dubitabit, praesertim cum scriptum sit *(Hebr. XI, 6.)*: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Cum enim finis, qui ad beatitudinem homini propositus est, altior sit quam ut humanae mentis acie perspici possit, necesse ei erat, ipsius a Deo cognitionem accipere. Haec vero cognitio nihil aliud est, nisi fidei, cujus virtus efficit, ut id ratum habeamus, quod a Deo traditum esse sanctissimae matris Ecclesiae autoritas comprobarit: nulla enim fidelibus potest accidere dubitatio in iis, quorum Deus autor est, qui est ipsa veritas: ex quo intelligimus, quantum inter hanc

fidem, quam Deo habemus intersit et illam, quam humanae historiae scriptoribus adhibemus.

§. 17. Fides autem, quamquam late pateat et magnitudine ac dignitate differat (est enim sic in sacris Literis *(Matth. XIV, 31.)*: *Modicae fidei, quare dubitasti?* et *(Matth. XV, 28.)*: *Magna est fides tua:* et *(Luc. XVII, 5.)*: *Adauge nobis fidem;* item *(Jacob. II, 17.)*: *Fides, sine operibus mortua; et (Galat. V, 6.)*: *Fides, quae per charitatem operatur)*; tamen est idem genere, et diversis fidei gradibus eadem definitionis vis et ratio convenit. Quam vero fructuosa sit, et quantam ex ea utilitatem capiamus, in articulorum explicatione dicetur. Quae igitur primum christiani homines tenere debent, illa sunt, quae fidei duces doctoresque sancti Apostoli divino spiritu afflati, duodecim Symboli articulis distinxerunt. Nam cum mandatum a Domino accepissent, ut pro ipso *legatione fungentes (2 Cor. V, 20.) in universum mundum proficiscerentur, atque omni creaturae Evangelium praedicarent (Marc. XVI, 15. Matth. XXVI, 19.)*, christianae fidei formulam componendam censuerunt, ut scilicet *id ipsum omnes sentirent ac dicerent, neque ulla essent inter eos schismata,* quos ad fidei unitatem vocassent, sed *essent perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia (1 Cor. I, 10.)*.

§. 18. Hanc autem christianae fidei et spei professionem a se compositam, Apostoli Symbolum appellarunt: sive quia ex variis sententiis, quas singuli in commune contulerunt, conflata est, sive quia ea veluti nota et tessera quadam uterentur, qua desertos, et subintroductos falsos Fratres, qui Evangelium adulterabant, ab iis, qui vere Christi militiae sacramento se obligarent, facile possent internoscere.

## LIBRI PRIMI PARS PRIMA.

## DE DEO PATRE ET PRIMO SYMBOLI ARTICULO.

### CAPUT I.

*Symboli distributio* §. 19.; *summaria primi articuli explicatio* §. 20.; *significatio verbi:* ***Credo*** §. 21—23.

§. 19. Cum multa in christiana religione fidelibus proponantur, quorum singulatim vel universe certam et

firmam fidem habere oportet, tum vero illud primo ac necessario omnibus credendum est, quod veluti veritatis fundamentum ac summa, de divinae essentiae unitate, et trium personarum distinctione, earumque actionibus, quae praecipua quadam ratione illis attribuuntur, Deus ipse nos docuit. Hujus mysterii doctrinam breviter in Symbolo Apostolorum comprehensam esse, Parochus docebit. Nam ut Majores nostri, qui in hoc argumento pie et accurate versati sunt, observaverunt, in tres potissimum partes ita distributum videtur, ut in una, divinae naturae prima persona, et mirum creationis opus describatur: in altera, secunda persona, et humanae redemptionis mysterium: in tertia, tertia item persona, caput et fons sanctitatis nostrae, variis et aptissimis sententiis concludatur. Eas autem sententias, similitudine quadam a Patribus nostris frequenter usurpata, Articulos appellamus. Ut enim corporis membra articulis distinguuntur, ita etiam in hac fidei confessione, quidquid distincte et separatim ab alio nobis credendum est, recte et apposite Articulum dicimus.

§. 20. Credo in Deum patrem omnipotentem, Creatorem coeli et terrae. His verbis ea sententia subjecta est: Certo credo, ac sine ulla dubitatione profiteor, Deum patrem, primam scilicet Trinitatis personam, qui sua omnipotenti virtute coelum ipsum et terram, et omnia quae coeli et terrae ambitu continentur, ex nihilo condidit et condita tuetur ac regit: neque solum cum corde credo et ore confiteor, verum summo studio ac pietate ad illum, veluti summum et perfectissimum bonum, contendo. Haec igitur sit brevis quaedam primi hujus articuli comprehensio. Sed quoniam magna mysteria in singulis fere verbis latent, ea nunc diligentius Parocho perpendenda sunt, ut quantum Dominus permiserit, ad ejus majestatis gloriam contemplandam cum timore et tremore fidelis populus accedat.

§. 21. Igitur credendi vox hoc loco putare, existimare, opinari non significat, sed (ut docent Sacrae Literae) certissimae assensionis vim habet, qua mens, Deo sua mysteria aperienti, firme constanterque assentitur. Quamobrem is credit (quod ad hujus loci explicationem attinet), cui aliquid sine ulla haesitatione certum et persuasum est. Neque vero existimare quisquam

debet, fidei notitiam minus certam esse, quod ea non cernantur, quae nobis credenda fides proponit: etenim divinum lumen, quo ea percipimus, tametsi rebus perspicuitatem non adferat, nos tamen de his dubitare non sinit. *Deus* enim, *qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris (2 Cor. IV, 6.)*, ut non sit nobis opertum Evangelium, sicut iis qui pereunt.

§. 22. Jam vero ex iis, quae dicta sunt, consequitur, eum qui coelesti hac fidei cognitione praeditus est inquirendi curiositate liberum esse. Deus enim cum jussit nos credere, non divina judicia scrutanda, eorumque rationem et causam perquirendam nobis proposuit, sed immutabilem fidem praecepit, quae efficit, ut animus in aeternae veritatis notitia conquiescat. Ac profecto, cum Apostolus testetur *(Rom. III, 4.)*, *Deus verax est, omnis autem homo mendax;* si arrogantis et impudentis hominis est, gravi ac sapienti viro aliquid affirmanti, fidem non habere, sed praeterea urgere, ut quod dixerit, rationibus aut testibus probetur: cujus temeritatis atque adeo stultitiae fuerit, Dei voces audientem, coelestis ac salutaris doctrinae rationes requirere? Fides itaque, seclusa omni non solum ambiguitate, sed etiam demonstrandi studio, tenenda est.

§. 23. Verum illud praeterea doceat Parochus, eum qui dicit *Credo*, praeterquam quod intimum mentis suae assensum declarat, qui interior fidei actus est, debere id, quod animo inclusum habet, aperta fidei professione prae se ferre, summaque alacritate palam fateri ac praedicare. Oportet enim fideles eum spiritum habere, quo fretus Propheta dixit *(Psalm. CXVI, 10.)*: *Credidi, propter quod locutus sum;* imitari Apostolos, qui ad Principes populi responderunt *(Actor. IV, 20.)*: *Non possumus, quae vidimus et audivimus, non loqui;* divi Pauli praeclara illa voce excitari *(Rom. I, 16.)*: *Non erubesco Evangelium; virtus enim Dei est in salutem omni credenti;* item, quo maxime hujus sententiae veritas confirmatur *(Rom. X, 10.)*: *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

## CAPUT II.

*Discrimen christianae et saecularis philosophiae circa Dei et divinarum rerum cognitionem* §. 24—27. *Unum tantum esse Deum et non multos* §. 28. 29.

§. 24. In Deum. Hinc jam christianae sapientiae dignitatem et praestantiam, ex eaque, quantum divinae bonitati debeamus, cognoscere licet, quibus datum est, statim ad rei praestantissimae maximeque expetendae cognitionem, quasi fidei gradibus adscendere. In hoc enim multum inter se differunt christiana philosophia et hujus saeculi sapientia, quod haec quidem naturalis tantum luminis ductu ab effectibus, et ab iis quae sensibus percipiuntur, paulatim progressa, non nisi post longos labores vix tandem invisibilia Dei contemplatur, primamque omnium rerum causam et autorem agnoscit atque intelligit: contra vero, illa humanae mentis aciem ita exacuit, ut in coelum nullo labore penetrare possit, atque divino splendore collustrata, primum quidem aeternum ipsum luminis fontem, deinde quae infra ipsum posita sunt, intueri: ut nos vocatos esse de tenebris in admirabile lumen, quod est apud Apostolorum principem, cum summa animi jucunditate experiamur, et (1 *Petr. I,* 8.) *credentes exultemus laetitia inenarrabili.*

§. 25. Recte igitur fideles primo se in Deum credere profitentur, cujus majestatem ex Jeremiae sententia (*Jerem. XXXII,* 9.), *incomprehensibilem* esse dicimus: Lucem enim, ut ait Apostolus, (1 *Tim. VI,* 16.) *inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest,* cum enim ad Moysen loqueretur (*Exod. XXXIII,* 20.): *Non videbit me,* inquit, *homo, et vivet.* Nam ut mens nostra ad Deum, quo nihil est sublimius, perveniat, necesse est, eam omnino a sensibus abstractam esse; cujus rei facultatem in hac vita naturaliter non habemus. Sed quamvis haec ita sint, *non reliquit tamen Deus,* ut inquit Apostolus (*Actor. XIV,* 17.) *semet ipsum sine testimonio, bene faciens, de coelo dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda hominum.* Quae causa fuit Philosophis nihil abjectum de Deo sentiendi, et quidquid corporeum, quidquid concretum et admistum est ab eo longissime removendi: cui etiam bonorum omnium perfectam vim

et copiam tribuerunt, ut ab eo, tamquam a perpetuo quodam et inexhausto fonte bonitatis ac benignitatis, omnia ad omnes creatas res atque naturas perfecta bona dimanent: quem sapientem, veritatis autorem et amantem, justum, beneficentissimum et aliis nominibus appellarunt, quibus summa et absoluta perfectio continetur: cujus immensam et infinitam virtutem, omnem complentem locum, et per omnia pertinentem esse dixerunt.

§. 26. Hoc ex divinis litteris longe melius constat et illustrius, ut illo loco *(Joh. IV, 24.)*: *Spiritus est Deus;* item *(Matth. V, 48.)*: *Estote vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est;* tum *(Hebr. IV. 13.)*: *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus;* et illud *(Rom. XXI, 33.)*: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei;* deinde *(Rom. III, 4.)*: *Deus verax est;* et *(Joh. XIV. 6.)*: *Ego sum via, et veritas, et vita;* praeterea *(Psalm. XLVIII. 11.)*: *Justitia plena est dextera tua;* denique *(Psalm. CXIX. 16.)*: *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione;* postremo *(Psalm. CXXXVIII, 7—9.)*: *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam?* et: *si adscendero in coelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades; si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris etc.* Et *(Ierem. XXIII, 24.)*: *Numquid non coelum et terram ego impleo, dicit Dominus?* Magna et praeclara haec sunt, quae de Dei natura sacrorum librorum autoritate, consentanea et consequentia ex rerum effectarum investigatione Philosophi cognoverunt.

§. 27. Quamquam in eo etiam coelestis doctrinae necessitatem cognoscimus, si animadvertamus, fidem non solum hoc praestare, quemadmodum supra dictum est, ut, quae viri tantum sapientes longo studio consecuti sunt, ea rudibus quoque et imperitis hominibus statim pateant, atque in promptu sint: verum ut rerum notitia, quae fidei disciplina comparatur, multo certior, atque ab omni errore purior in mentibus nostris insideat, quam si eas ipsas res humanae scientiae rationibus comprehensas, animus intelligeret. Sed quanto praestantior divini numinis cognitio censenda est, ad quam non communiter omnibus naturae contemplatio, sed proprie credentibus fidei lumen aditum patefecit? Haec autem Symboli articulis continetur, qui nobis di-

vinae essentiae unitatem, et trium Personarum distinctionem, tum vero ipsum Deum esse ultimum hominis finem, aperiunt, a quo coelestis, aeternaeque beatitudinis possessio expectanda sit; siquidem a divo Paulo didicimus *(Hebr. XI, 6.)*: *Deum inquirentibus se remuneratorem esse.* Haec quanta sint, et an ejus generis sint bona, ad quae humana cognitio adspirare potuerit, multo ante eundem Apostolum *(1 Cor. II, 9.)* Iesaias Propheta his verbis ostendit *(Jes. LXIV, 4.)*: *A saeculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus absque te, quae praeparasti expectantibus te.*

§. 28. Sed ex iis, quae diximus, unum etiam Deum esse, non plures Deos, confitendum est: nam cum Deo summam bonitatem et perfectionem tribuamus, fieri non potest, ut id quod summum atque absolutissimum est, inveniatur in pluribus. Quod si cui aliquid ad summum deest, eo ipso imperfectus est: quare nec Dei natura illi convenit. Hoc autem multis sacrarum litterarum locis comprobatur. Scriptum est enim *(Deut. VI, 4.)*: *Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus unus est.* Praeterea est Domini jussum *(Exod. XX, 3.)*: *Non habebis Deos alienos coram me.* Deinde per Prophetam saepe admonet *(Jes. XLIV, 6.)*: *Ego primus, et ego novissimus, et absque me non est Deus.* Apostolus etiam palam testatur *(Ephes. IV, 1.)*: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.*

§. 28. Neque vero nos moveat, quod interdum Sacrae Litterae Dei nomen creatis etiam naturis imponunt. Nam quod Prophetas et Judices Deos appellarunt, non gentium more factum est, quae sibi plures Deos stulte et impie finxerunt, sed quadam loquendi consuetudine significare voluerunt excellentem aliquam virtutem vel functionem, quae Dei munere illis concessa sit. Deum igitur natura, substantia, essentia unum, quemadmodum ad confirmandam veritatem in Symbolo Nicaeni Concilii dictum est, christiana fides credit et profitetur; sed altius etiam adscendens, ita unum intelligit, ut Unitatem in Trinitate, et Trinitatem in Unitate veneretur: de quo nobis mysterio nunc dicere incipiendum est. Sequitur enim in Symbolo:

## CAPUT III.

*Cur Deum nomine Patris appellemus §. 30 — 32.; de proprietatibus personarum sanctissimae Trinitatis §. 33. 34.: quam periculosa sit tam sublimis materiae tractatio §. 35.*

§. 30. Patrem. Sed quoniam Patris vox non una ratione Deo tribuitur, illud prius declarandum erit, quae sit magis propria hujus loci significatio. Deum nonnulli etiam, quorum tenebris fides lucem non attulit, aeternam substantiam esse intellexerunt, a qua res ortae essent et cujus providentia omnia gubernarentur, suumque ordinem et statum conservarent. Ex humanis igitur rebus ducta similitudine, quemadmodum eum, a quo familia propagata est, cujusque consilio et imperio regitur, Patrem vocabant; ita hac ratione factum est, ut Deum, quem omnium rerum opificem et rectorem agnoscebant, Patrem appellari voluerint. Eodem nomine Sacrae etiam Literae usae sunt, cum de Deo loquentes, universorum creationem, potestatem admirabilemque providentiam ei tribuendam indicarent. Legimus enim (*Deut. XXXII, 6.*): *Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te et fecit et creavit te?* et alibi (*Malach. II, 10.*): *Nunquid non Pater unus omnium nostrum? Nunquid non Deus unus creavit nos?*

§. 31. At vero multo frequentius et peculiari quodam nomine, praesertim in Novi Testamenti libris, Deus pater Christianorum dicitur (*Rom. VIII, 15.*), *qui non acceperunt Spiritum servitutis in timore, sed acceperunt Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamant: Abba, Pater.* Eam enim (*1 Joh. III, 1.*), *charitatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur et simus;* quod (*Rom. VIII, 17.*) *si filii et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi*, qui est primogenitus in multis fratribus, *nec confunditur vocare nos fratres* (*Hebr. II, 11.*). Sive igitur communem creationis et providentiae, sive praecipuam spiritualis adoptionis causam spectes, merito fideles Deum Patrem se credere profitentur.

§. 32. Verum praeter eas notiones, quas explicavimus, Patris nomine audito, ad altiora mysteria mentem erigendam esse Parochus docebit. Quod enim in luce illa inaccessibili, quam inhabitat Deus, magis reconditum

et abstrusum est, quodque humana ratio et intelligentia non consequi aut ne suspicari quidem poterat, id Patris vocabulo divina oracula nobis aperire incipiunt. Indicat autem hoc nomen, in una divinitatis Essentia, non unam tantum Personam, sed Personarum distinctionem credendam esse. Tres enim sunt in una Divinitate Personae: Patris, qui a nullo genitus est; Filii, qui ante omnia secula a Patre genitus et; Spiritus Sancti, qui itidem ab aeterno ex Patre et Filio procedit. Atqui Pater est in una Divinitatis substantia, prima Persona, qui cum unigenito Filio suo et Spiritu Sancto unus est Deus, unus est Dominus, non in unius singularitate Personae, sed in unius Trinitate substantiae.

§. 33. Jam vero hae tres Personae, cum in iis quidquam dissimile aut dispar cogitare nefas sit, suis tantummodo proprietatibus distinctae intelliguntur. Pater siquidem ingenitus est, Filius a Patre genitus, Spiritus Sanctus ab utroque procedit. Atque ita trium Personarum eandem essentiam, eandem substantiam confitemur, ut in confessione verae sempiternaeque Deitatis, et in Personis proprietatem, et in Essentia unitatem, et in Trinitate aequalitatem pie et sancte colendam credamus.

§. 34. Nam quod Patris primam esse Personam dicimus, hoc non ita accipiendum est, perinde ac si aliquid in Trinitate prius aut posterius, majus aut minus cogitemus; absit enim haec a fidelium mentibus impietas, cum eandem aeternitatem, eandem gloriae majestatem in tribus Personis christiana religio praedicet. Sed Patrem propterea, quod ipse sit principium sine principio, primam esse Personam, vere et sine ulla dubitatione affirmamus, quae quidem uti Patris proprietate distincta est, ita in unam illam praecipue hoc convenit, quod Filium ab aeterno genuerit; semper enim Deum simul et Patrem fuisse nobis significatur, cum Dei et Patris nomina conjuncta in hac confessione pronuntiamus.

§. 35. Verum quoniam in nullius rei, quam hujus omnium altissimae ac difficilimae notitia atque explicatione, aut periculosius versari aut gravius errare possumus, doceat Parochus, religiose retinenda esse Essentiae et Personae propria vocabula, quibus hoc mysterium significatur, et sciant fideles, unitatem esse in Essentia distinctionem autem in Personis. Sed haec subtilius exquirere nihil oportet, cum meminerimus illius vocis

*(Proverb. XXV, 27.): Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria;* satis enim videri debet, qua fide certum et exploratum habeamus, nos a Deo, cujus oraculis non assentire, extremae stultitiae atque miseriae est, ita edoctos esse. *Docete*, inquit *(Matth. XXVIII, 19.) omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Rursus *(1 Joh. V, 7.): tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt.* Oret tamen assidue, ac precetur Deum et Patrem, qui universa ex nihilo condidit disponitque omnia suaviter, qui dedit nobis potestatem filios Dei fieri, qui Trinitatis mysterium humanae menti patefecit. Oret, inquam, sine intermissione, qui divino beneficio haec credit, ut aliquando in aeterna tabernacula receptus, dignus sit, qui videat, quae tanta sit Dei Patris foecunditas, ut seipsum intuens atque intelligens, parem et aequalem sibi filium gignat; quoque modo duorum idem plane et par charitatis amor, qui Spiritus Sanctus est, a Patre et Filio procedens, genitorem et genitum, aeterno atque indissolubili vinculo inter se connectat, atque ita divinae Trinitatis una sit Essentia, trium Personarum perfecta distinctio.

## CAPUT IV.

*Quomodo Deus omnipotens dicatur* §. 36. 37.; *quam necessaria et utilis sit fides omnipotentiae Dei* §. 38 — 40.; *quod non minus omnipotens sit Deus Filius, aut Deus Spiritus Sanctus, quam Deus Pater* §. 41.

§. 36. Omnipotentem. Solent Sacrae Litterae multis nominibus Dei summam vim et immensam majestatem explicare, ut ostendant, quanta religione et pietate illius sanctissimum numen colendum sit; sed inprimis doceat Parochus, illi omnipotentem vim frequentissime tribui. Ipse enim de se dicit *(Genes. XVII, 1.): Ego Dominus omnipotens;* et rursus Jacob, cum filios ad Josephum mitteret, ita illis precatus est *(Genes. XLIII, 14.): Deus autem meus omnipotens, faciat vobis eum placabilem;* deinde vero in Apocalypsi scriptum est *(Apoc. I, 8.): Dominus Deus, qui est et qui erat et qui venturus est, omnipotens:* et alibi *(Apoc. XVI, 14.): Dies magnus Dei omnipotentis appellatur.* Nonnunquam etiam pluribus verbis illud idem significari solet. Atque huc per-

tinet, quod dicitur (*Luc. I, 37.*): *Non erit impossibile apud Deum omne verbum; et* (*Num. XI, 23.*): *Nunquid manus Domini invalida est?* item (*Sap. XII, 18.*): *Subest tibi, cum volueris, posse;* et alia generis ejusdem Ex quibus variis dicendi formis id percipitur, quod uno Omnipotentis verbo comprehendi perspicuum est.

§. 37. Intelligimus autem hoc nomine, nihil esse, nihil animo et cogitatione fingi posse, quod Deus efficere nequeat. Etenim non solum haec, quae tametsi maxima sunt, aliquo tamen modo in cognitionem nostram cadunt, efficiendi potestatem habet; nimirum, ut omnia ad nihilum recidant, atque ut plures mundi ex nihilo repente existant, verum etiam multo majora in illius potestate sita sunt, quae humanae menti et intelligentiae suspicari non licet. Neque vero, cum omnia Deus possit, mentiri tamen, aut fallere aut falli, aut peccare aut interire, aut ignorare aliquid potest; haec enim in eam naturam cadunt, cujus imperfecta actio est; Deus vero, cujus perfectissima semper est actio, ideo haec non posse dicitur, quia posse ea, infirmitatis est, non summae et infinitae omnium rerum potestatis, quam ille habet. Ita igitur Deum omnipotentem esse credimus, ut ab eo tamen longe omnia abesse cogitemus, quae perfectae ejus essentiae maxime conjuncta et convenientia non sunt.

§. 38. Recte autem sapienterque factum Parochus ostendat, ut, praetermissis aliis nominibus, quae de Deo dicuntur, hoc unum nobis credendum in Symbolo proponeretur. Nam cum Deum omnipotentem agnoscimus, simul etiam fateamur necesse est, eum omnium rerum scientiam habere, omnia item ejus ditioni et imperio subjecta esse. Cum vero omnia ab eo fieri posse non dubitemus, consequens omnino est, ut caetera etiam explorata de illo habeamus, quae si desint, quo modo omnipotens sit, prorsus intelligere non possumus.

§. 39. Praeterea nulla res tam ad fidem et spem nostram confirmandam valet, quam si fixum in animis nostris teneamus, nihil non fieri a Deo posse; quicquid enim deinceps credere oporteat, quamvis magnum et admirabile sit, rerumque ordinem ac modum superet, illi tamen facile humana ratio, postquam Dei omnipotentis notitiam perceperit, sine ulla haesitatione assentitur; quin potius, quo majora sint, quae divina oracula

doceant, eo libentius fidem eis habendam esse existimat. Quod si boni etiam aliquid expectandum sit, nunquam animus rei magnitudine, quam exoptat, frangitur, sed erigit sese atque confirmat, saepe illud cogitans, nihil esse, quod ab omnipotenti Deo effici non possit. Quare hac fide praecipue munitos nos esse oportet, vel cum admiranda aliqua opera ad proximorum usum et utilitatem edere cogimur, vel cum a Deo precibus impetrare aliquid volumus. Alterum enim ipse Dominus docuit, cum Apostolis incredulitatem objiciens, diceret *(Matth. XVII, 20.)*: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc et transibit, et nihil impossibile erit vobis.* De altero autem Sanctus Jacobus ita testatus est *(Jacob. I, 6. 7.)*: *Postulet in fide nihil haesitans; qui enim haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur; non ergo aestimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino.*

§. 40. Multa praeterea haec fides commoda atque utilitates nobis praebet; inprimis vero, ad omnem animi modestiam et humilitatem nos instituit; sic enim inquit Princeps Apostolorum *(1 Petr. V, 6.)*: *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Monet etiam, non esse trepidandum, ubi non sit timor, sed unum Deum timendum esse, in cujus potestate nos ipsi, nostraque omnia posita sint. Inquit enim Salvator noster *(Luc. XII, 6.)*: *Ostendam vobis quem timeatis. Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Utimur deinde hac fide ad immensa erga nos Dei beneficia cognoscenda et celebranda. Nam qui Deum omnipotentem cogitat, tam ingrato animo esse non potest, quin saepius exclamet *(Luc. I, 49.)*: *Fecit mihi magna qui potens est.*

§. 41. Sed quod Patrem omnipotentem in hoc articulo vocamus, neminem eo errore duci oportet, ut arbitretur, ita illi hoc nomen tributum esse, ut Filio etiam et Spiritui Sancto commune non sit. Nam, quemadmodum Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, neque tamen tres Deos sed unum esse dicimus; ita aeque Patrem ac Filium et Spiritum Sanctum omnipotentem, neque tamen tres omnipotentes, sed unum omnipotentem esse confitemur. At vero praecipua quadam ratione Patrem, quia omnis originis fons est, hoc nomine vocamus, uti etiam Filio, qui aeternum patris Verbum est,

sapientiam; et Spiritui Sancto, quia utriusque amor est, bonitatem tribuimus; quamvis haec et alia hujusmodi nomina communiter in tribus Personis, ex catholicae fidei regula, dicantur.

## CAPUT V.

*Quo modo Deus mundum fabricaverit* §. 42.*; coeli et terrae nomine quae intelligantur* §. 43—46.*; Deum etiam conservare et gubernare res creatas, et in eis, tanquam primam causam agentem, operari* §. 47.*; non Patrem solum, sed et Filium et Spiritum Sanctum creasse mundum* §. 48.

§. 42. Creatorem coeli et terrae. Quam necessarium fuerit, omnipotentis Dei cognitionem paulo ante fidelibus tradi, ex iis quae nunc de universorum creatione explicanda erunt, perspici potest. Tanti enim operis miraculum facilius creditur, quod nullus de immensa Creatoris potestate dubitandi locus relinquitur. Deus enim non ex materia aliqua mundum fabricatus est, sed ex nihilo creavit, idque nulla vi aut necessitate coactus, sed sua sponte et voluntate instituit. Neque vero ulla alia fuit causa, quae illum ad opus creationis impelleret, nisi ut rebus, quae ab ipso effectae essent, bonitatem suam impertiretur. Nam Dei natura, ipsa per se beatissima, nullius rei indigens est, ut inquit David *(Psal. XV, 2.)*: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Quemadmodum autem sua bonitate adductus, quaecumque voluit fecit, ita non exemplum aliquod, aut formam, quae extra se posita esset, cum universa conderet, secutus est: verum quia rerum omnium exemplar divina intelligentia continetur, id summus artifex in seipso intuens, ac veluti imitatus, summa sapientia et infinita virtute, quae ipsius propria est, rerum universitatem initio procreavit (*Psal. CXLVIII, 5.)*: *Ipse enim dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt.*

§. 43. Verum coeli et terrae nomine, quidquid coelum et terra complectitur, intelligendum est. Nam praeter coelos, quos *opera digitorum ejus* Propheta *(Psal. VIII, 4.)* appellavit, solis etiam splendorem, lunaeque et ceterorum siderum ornatum addidit, atque ut essent in signa, et tempora, et dies, et annos, ita

coelorum orbes certo et constanti cursu temperavit, ut nihil perpetua eorum conversione mobilius, nihil mobilitate illa certius videri possit.

§. 44. Praeterea spiritualem naturam innumerabilesque Angelos, qui Deo ministrarent atque assisterent, ipse ex nihilo creavit, quos deinde admirabili gratiae suae et potestatis munere auxit atque ornavit. Nam cum illud sit in divinis litteris *(Joh. VIII, 24.)*, *Diabolum in veritate non stetisse:* perspicuum est, eum, reliquosque desertores Angelos, ab ortus sui initio gratia praeditos fuisse. De quo ita est apud Sanctum Augustinum (Lib. XII. De Civit. Dei. Cap. IX.): Cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhaerent, Angelos creavit, simul in eis et condens naturam, et largiens gratiam. Unde sine bona voluntate, hoc est, Dei amore, nunquam sanctos Angelos fuisse, credendum est. Quod autem ad scientiam attinet, extat illud Sacrarum Litterarum testimonium (2 *Reg. XIV, 20.)*: *Tu Domine mi Rex sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia super terram.* Potestatem denique eis tribuit divinus David illis verbis *(Psal. CII, 20.)*: *Potentes virtute, facientes verbum illius.* Atque ob eam rem, saepe in Sacris Literis virtutes et exercitus Domini appellantur. Sed quamvis omnes ii coelestibus donis ornati fuerint, plurimi tamen, qui a Deo parente et creatore suo defecerunt, ex altissimis illis sedibus deturbati, atque in obscurissimum terrae carcerem inclusi, aeternas superbiae suae poenas luunt: de quibus Princeps Apostolorum scribit in hunc modum (2 *Petr. II, 4.)*: *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus Inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari.*

§. 45. At vero *terram* etiam *super stabilitatem suam fundatam (Psal. CIII, 5. 8. 9.)* Deus verbo suo jussit in media mundi parte consistere, effecitque ut *adscenderent montes, et descenderent campi, in locum quem fundavit eis:* ac, ne aquarum vis illam inundaret, *terminum posuit, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram.* Deinde non solum arboribus, omnique herbarum et florum varietate convestivit atque ornavit: sed innumerabilibus etiam animantium generibus, quemadmodum antea aquas et aëra, ita etiam terras complevit.

§. 46. Postremo, ex limo terrae hominem sic corpore affectum et constitutum effinxit, ut non quidem naturae ipsius vi, sed divino beneficio immortalis esset et impassibilis. Quod autem ad animam pertinet, eum ad imaginem et similitudinem suam formavit, liberumque ei arbitrium tribuit: omnes praeterea motus animi atque appetitiones ita in eo temperavit, ut rationis imperio nunquam non parerent. Tum originalis justitiae admirabile donum addidit, ac deinde caeteris animantibus praeesse voluit: quae quidem facile erit Parochis ad fidelium institutionem ex sacra Genesis historia cognoscere. Haec igitur de universorum creatione, coeli et terrae, verbis intelligenda sunt; quae omnia breviter quidem Propheta complexus est illis verbis *(Psal. LXXXVIII, 12.)*: *Tui sunt coeli, et tua est terra: orbem terrae et plenitudinem ejus tu fundasti.* Sed multo etiam brevius Patres Nicaeni Concilii, additis in Symbolo duobus illis verbis *Visibilium* et *Invisibilium*, significaverunt. Quaecunque enim rerum universitate comprehenduntur, atque a Deo creata esse confitemur, ea vel sub sensum cadunt, et Visibilia dicuntur, vel mente et intelligentia percipi a nobis possunt, quae Invisibilium nomine significantur.

§. 47. Nec vero ita Deum creatorem atque effectorem omnium credere oportet, ut existimemus, perfecto absolutoque opere, ea quae ab ipso effecta sunt, deinceps sine infinita ejus virtute constare potuisse. Nam quemadmodum omnia ut essent, Creatoris summa potestate, sapientia et bonitate effectum est; ita etiam, nisi conditis rebus perpetua ejus providentia adesset, atque eadem vi qua ab initio constitutae sunt illas conservaret, statim ad nihilum reciderent. Atque id Scriptura declarat, cum inquit *(Sap. XI, 26.)*: *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses: aut, quod a te vocatum non esset, conservaretur?* Non solum autem Deus universa quae sunt, providentia sua tuetur atque administrat; verum etiam quae moventur et agunt aliquid intima virtute, ad motum atque actionem ita impellit, ut quamvis secundarum causarum efficientiam non impediat, praeveniat tamen; cum ejus occultissima vis ad singula pertineat, et, quemadmodum Sapiens testatur *(Sap. VIII, 1.)*: *Attingat a fine usque ad finem fortiter, et disponat omnia suaviter.* Quare ab Apostolo dictum est, cum apud Athenienses annunciaret Deum.

quem ignorantes colebant *(Actor. XVII, 27. 28.)*: *Non longe est ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus.*

§. 48. Atque haec de primi articuli explicatione satis fuerint, si tamen illud etiam admonuerimus, creationis opus omnibus sanctae et individuae Trinitatis Personis commune esse. Nam hoc loco ex Apostolorum doctrina, Patrem creatorem coeli et terrae confitemur; in Scripturis Sacris legimus de Filio *(Joh. I, 3.)*: *Omnia per ipsum facta sunt*: et de Spiritu Sancto *(Gen. I, 2.)*: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*; et alibi *(Psal. XXXII, 6.)*: *Verbo Domini coeli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

## PARS SECUNDA.

## DE FILIO DEI ET SYMBOLI ARTICULIS, AD EJUS TUM DIVINAM TUM HUMANAM NATURAM PERTINENTIBUS.

### CAPUT I.

*De triplici fructu professionis Filii Dei §. 49.; de lapsu et redemptione generis humani §. 50.; fidem mediatoris et redemptoris semper fuisse ad salutem necessariam, atque idcirco eum et ante legem et legis tempore, saepenumero declaratum ac promissum, et a Prophetis praenunciatum §. 52. 53.*

§. 49. Et in Jesum Christum, filium ejus unicum, Dominum nostrum. Mirificam et uberrimam esse utilitatem, quae ex hujus articuli fide et confessione confluxit ad humanum genus, et illud Sancti Joannis testimonium ostendit *(1 Joh. IV, 15.)*: *Quisquis confessus fuerit, quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet et ipse in Deo*; et beatitudinis praeconium declarat, quod a Christo Domino tributum est principi Apostolorum *(Matth. XVI, 17.)*: *Beatus es Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est.* Hoc enim fundamentum firmissimum est nostrae salutis ac redemptionis.

§. 50. Sed quoniam admirabilis hujus utilitatis fructus, maxime ex felicissimi illius status ruina intelligitur, in quo Deus primos homines collocaret, incumbat

in hanc curam Parochus, ut fideles communium miseriarum et aerumnarum causam cognoscant. Cum enim a Dei obedientia descivisset Adam, interdictumque violasset illud (*Genes. II, 16. 17.*): *Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas; in quocunque enim die comederis, ex eo morte morieris;* in summam illam incidit calamitatem, ut sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amitteret et reliqua subiret mala, quae sancta Tridentina Synodus (Sess. V. Cap. 1. 2. et Sess. VI. Cap. 1.) uberius explicavit.

§. 51. Propterea vero peccatum et peccati poenam in uno Adam non constitisse commemorabunt, sed ex eo, tanquam ex semine et causa, ad omnem posteritatem jure permanasse. Cum igitur ex altissimo dignitatis gradu concidisset nostrum genus, sublevari inde et in pristinum locum restitui nullo modo poterat hominum aut Angelorum viribus; quare reliquum erat illud ruinae et malorum subsidium, ut Dei Filii infinita virtus, assumpta carnis nostrae imbecillitate, infinitam tolleret peccati vim, et nos reconciliaret Deo in sanguine suo.

§. 52. Hujus autem redemptionis fides et confessio hominibus ad salutem consequendam necessaria est, semperque fuit, quam Deus initio praemonstravit. Nam in illa damnatione humani generis, quae statim peccatum consecuta est, ostensa etiam fuit spes redemptionis, illis verbis, quibus proprium Diabolo damnum, quod ex liberatione hominum facturus erat, denunciavit (*Genes. III, 15.*): *Inimicias ponam inter te et mulierem, semen tuum, et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Et deinceps eandem promissionem saepe confirmavit, majoremque sui consilii significationem, iis praesertim hominibus dedit, quibus voluit singularem benevolentiam praestare. Inter caeteros vero, cum Patriarchae Abrahae saepenumero hoc mysterium significasset, tum eo tempore apertius declaravit, cum ille Dei jussis obediens, filium suum unicum Isaac immolare voluit: inquit enim (*Genes. XXII, 16. 17. 18.*): *Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum, sicut stellas coeli, et velut arenam, quae est in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae.* Ex quibus verbis facile colligi po-

terat, ex progenie Abrahae futurum, qui omnibus ab immanissima Satanae tyrannide liberatis salutem adferret.

§. 53. Illum autem Dei Filium, natum ex semine Abrahae secundum carnem fore necesse erat. Non ita multo post Dominus, ut ejusdem promissionis memoria conservaretur, idem foedus cum Jacobo, Abrahae nepote, sancivit. Nam, cum ille in somnis vidit scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens coelos, Angelos quoque Dei adscendentes et descendentes per eam, ut testatur Scriptura, audivit etiam Dominum innixum scalae, dicentem sibi (*Gen. XXVIII*, 12. 14.): *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac: terram, in qua dormis, tibi dabo, et semini tuo, eritque semen tuum quasi pulvis terrae. Dilataberis ad orientem et occidentem, et septentrionem et meridiem, et benedicentur in te et in semine tuo cunctae tribus terrae.* Neque postea destitit Deus, eadem sui promissi memoria renovanda, et generi Abraham et multis praeterea hominibus Saluatoris expectationem commovere: siquidem Judaeorum republica et religione constituta, notior populo suo fieri coepit: nam et mutae res significarunt et homines praedixerunt, quae et quanta nobis bona Salvator ille et Redemptor noster Christus Jesus allaturus esset. Ac Prophetae quidem, quorum mens coelesti lumine illustrata fuit, filii Dei ortum, admirabilia opera, quae homo natus effecit, doctrinam, mores, consuetudinem, mortem, resurrectionem, caeteraque ejus mysteria, haec omnia, quasi tum adessent, palam docentes, populo praenuntiarunt; ita ut si futuri et praeteriti temporis tollatur diversitas, nihil jam inter Prophetarum praedicta et Apostolorum praedicationem, nihil inter veterum Patriarcharum fidem et nostram interesse videamus. Sed jam de singulis articuli partibus dicendum videtur.

## CAPUT II.

*Cur, et unde Filio Dei nomen (Jesus) tributum sit, et multo quidem aptius quam quibusdam aliis in Veteri Testamento, et de nominis istius dignitate* §. 54. *Eundem Dei Filium recte Christum appellatum, id est, unctum, quia in summum Prophetam, Sacerdotem et Regem unctus sit.* §. 55 — 59.

§. 54. Jesus proprium est nomen ejus, qui Deus et Homo est, quod Salvatorem significat, non quidem for-

tuito aut hominum judicio et voluntate, sed Dei consilio et praecepto illi impositum. Angelus enim Mariae matri ita annunciavit *(Luc. I, 31.)*: *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Ac deinde Josepho, Virginis sponso, non solum, ut eo nomine puerum appellaret, praecepit, sed etiam cur ita nominandus esset, declaravit: inquit enim *(Matth. I, 20. 21.)*: *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est: pariet autem Filium, et vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Ac multi quidem hoc nomine fuerunt in Divinis Literis. Nam idem nomen Nave filio fuit, qui Moysi successit, et populum a Moyse ex Aegypto liberatum, in terram promissionis, quod illi negatum fuerat, deduxit. Eodem etiam nomine, Josedeci sacerdotis filius appellatus est *(Hagg. I, 1.)*. Sed quanto verius Saluatorem nostrum hoc nomine appellandum existimabimus? qui non uni alicui populo, sed universis omnium aetatum hominibus, non quidem fame, aut Aegyptiaco vel Babylonico dominatu oppressis, sed in umbra mortis sedentibus, et durissimis peccati et Diaboli vinculis obstrictis, lucem, libertatem et salutem dederit, qui eis coelestis regni jus et haereditatem acquisiverit, qui eos Deo Patri reconciliaverit: in illis Christum Dominum adumbratum videmus, a quo iis beneficiis, quae diximus, cumulatum est genus humanum. Quae praeterea nomina praedicta sunt Dei filio divinitus imponenda, ad unum hoc, Jesus, nomen referuntur. Cum enim caetera salutem, quam nobis daturus erat, aliqua ex parte attingerent, hoc ipsum universae salutis humanae vim rationemque complexum est.

§. 55. Jesu nomini Christi etiam nomen additum est, quod unctum significat et honoris et officii nomen est, nec unius rei proprium sed commune multorum. Nam veteres illi Patres nostri, Christos appellabant Sacerdotes et Reges, quos Deus propter muneris dignitatem ungi praeceperat. Sacerdotes enim ii sunt, qui populum assiduis precibus Deo commendant, qui sacrificia Deo faciunt, qui pro populo deprecantur. Regibus autem populorum gubernatio commissa est, ad eosque pertinet maxime, legum autoritatem, innocentium vitam tueri, et nocentium audaciam ulcisci. Quoniam igitur utraque harum functionum, Dei majestatem referre in

terris videtur. ideo qui vel ad regium, vel ad sacerdotale munus obeundum delecti erant, unguento ungebantur. Prophetas etiam ungendi mos fuit, qui Dei immortalis interpretes et internuncii, coelestia arcana nobis aperuerunt. atque ad emendandos mores salutaribus praeceptis, et futurorum praedicatione hortati sunt.

§. 56. At vero, cum **Jesus Christus** Salvator noster in mundum venit, trium personarum partes et officia suscepit, Prophetae. Sacerdotis ac Regis: atque ob eas causas Christus dictus est, unctus ad illorum munerum functionem, non quidem alicujus mortalis opera, sed coelestis Patris virtute: non terreno unguento, sed spirituali oleo; quippe cum in sanctissimam ejus animam Spiritus Sancti plenitudo gratiaque, et omnium donorum uberior copia effusa sit, quam ulla alia creata natura capere potuerit: atque id praeclare Propheta ostendit, cum redemptorem ipsum affatus, diceret *(Psalm. XLIV, 8.)*: *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae, prae consortibus tuis.* Idem etiam ac multo apertius Jesaias iis verbis demonstravit *(Jes. LXI, 1.)*: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annunciandum mansuetis misit me.*

§. 57. Itaque Jesus Christus summus Propheta, et Magister fuit, qui nos Dei voluntatem docuit, et a cujus doctrina orbis terrarum Patris coelestis cognitionem accepit: quod ei nomen praeclarius ac praestantius convenit, quod omnes quicunque Prophetae nomine dignati sunt, ejus discipuli fuerunt, atque ob illam praecipue causam missi, ut Prophetam hunc, qui ad salvandos omnes venturus erat, praenunciarent.

§. 58. Christus item Sacerdos fuit, non quidem ex ordine, ex quo in veteri lege Leviticae tribus Sacerdotes exstiterunt, verum ex illo, de quo David Propheta cecinit *(Psalm. CIX, 4.)*: *Tu es Sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedec.* Cujus rei argumentum Apostolus ad Hebraeos scribens *(Hebr. V. VII.)*, accurate persecutus est.

§. 59. Sed Christum non solum, ut Deus, verum ut homo ac nostrae naturae particeps est, Regem etiam agnoscimus, de quo Angelus testatus est *(Luc. I, 32. 33.)*: *Regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non*

*erit finis.* Quod quidem Christi regnum spirituale est atque aeternum, in terrisque inchoatur, in coelo perficitur. Ac Regis quidem officia, admirabili providentia suae praestat Ecclesiae; ipse regit eam, ipse ab hostium impetu atque insidiis tuetur; ipse ei leges praescribit; ipse non solum sanctitatem et justitiam largitur, verum etiam ad perseverandum, facultatem et vires praebet.

§. 60. Quamquam autem hujus regni finibus tam boni quam mali contineantur, atque adeo omnes homines jure ad illud pertineant, ii tamen prae caeteris summam regis nostri bonitatem et beneficentiam experiuntur, qui ex ejus praeceptis integram atque innocentem vitam degunt. Neque vero hoc illi regnum haereditario aut humano jure obtigit, tametsi genus a clarissimis regibus duceret: sed Rex fuit propterea, quod Deus in illum hominem contulit, quidquid potestatis, amplitudinis, dignitatis hominis natura capere posset. Illi igitur totius mundi regnum tradidit, eique omnia, quod jam fieri coeptum est, plene perfecteque in die judicii subjicientur.

## CAPUT III.

*Christus, quomodo secundum divinam et aeternam generationem Dei filius dicatur* §. 61 — 63.; *quae sit differentia inter nativitatem ejus aeternam, et in tempore factam* §. 64.

§. 61. Filium ejus unicum. His verbis altiora mysteria de Jesu credenda et contemplanda fidelibus proponuntur, nimirum filium Dei esse et verum Deum, sicuti Pater est, qui eum ab aeterno genuit. Praeterea illum divinae Trinitatis secundam Personam, aliis duabus omnino aequalem confitemur. Nihil enim impar et dissimile in divinis Personis aut esse aut fingi animo debet, cum unam omnium essentiam, voluntatem, potestatem agnoscamus. Quod cum multis pateat divinae Scripturae oraculis, tum praeclarissime illud ostendit Sancti Johannis testimonium *(Joh. 1.1.)*: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.*

§. 62. Sed cum Jesum Filium Dei esse audimus, nihil terrenum aut mortale de ejus ortu cogitandum est:

verum ortum illum, quo ab omni aeternitate Pater Filium genuit, quem ratione percipere atque perfecte intelligere nullo modo possumus, constanter credere et summa animi pietate colere debemus, ac veluti mysterii admiratione obstupefacti, illud cum Propheta dicere *(Jes. LIII. 8.)*: *Generationem ejus quis enarrabit?* Hoc igitur credendum est; Filium ejusdem esse naturae, ejusdem potestatis et sapientiae cum Patre, ut in Symbolo Nicaeno explicatius confitemur. Inquit enim: *Et in Jesum Christum Filium ejus unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum, non factum; consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.*

§. 63. Ex omnibus autem, quae ad indicandum modum, rationemque aeternae generationis similitudines afferuntur, illa propius ad rem videtur accedere, quae ab animi nostri cogitatione sumitur. Quamobrem Sanctus Johannes Filium ejus Verbum appellat. Ut enim mens nostra se ipsam quodammodo intelligens, sui effingit imaginem, quam Verbum Theologi dixerunt; ita Deus (quantum tamen divinis humana conferri possunt) se ipsum intelligens, Verbum aeternum generat; etsi praestat contemplari quod fides proponit, et sincera mente Jesum Christum verum Deum et verum Hominem credere et confiteri, genitum quidem ut Deum ante omnium saeculorum aetates ex Patre, ut hominem vero natum in tempore ex Maria Virgine.

§. 64. Et quamquam duplicem ejus nativitatem agnoscamus, unum tamen Filium esse credimus. Una enim Persona est, in quam divina et humana natura convenit. Et quod ad divinam generationem attinet, nullos aut fratres aut cohaeredes habet, cum ipse, Patris unicus Filius, nos vero homines, figmentum et opus manuum ejus simus. At si humanum ortum consideremus, multos ille non solum fratrum nomine appellat, sed fratrum etiam loco habet, ut una cum eo paternae haereditatis gloriam adipiscantur: ii sunt, qui fide Christum Dominum receperunt, et fidem, quam nomine profitentur, re ipsa et charitatis officiis praestant. Quare *Primogenitus in multis fratribus* ab Apostolo *(Rom. VIII. 29.)* vocatur.

## CAPUT IV.

*Christum esse Dominum nostrum secundum utramque naturam, divinam et humanam §. 65. 66.; quid ex ea appellatione discamus, et quantopere ad divinum amorem accendi nos oporteat §. 67. 68.*

§. 65. Dominum nostrum. Multa sunt, quae de Salvatore nostro in Sacris Litteris dicuntur: quorum alia, ut Deus est, alia, ut homo, ipsi convenire perspicuum est: quoniam a diversis naturis, diversas earum proprietates accepit. Igitur vere dicimus Christum esse omnipotentem, aeternum, immensum, quod a divina habet. Rursus de illo dicimus, passum, mortuum esse, resurrexisse, quae naturae hominum convenire nemo dubitat. Verum, praeter haec, quaedam alia utrique naturae congruunt, ut hoc loco, cum Dominum nostrum dicimus. Igitur, si ad utramque naturam hoc nomen referatur, merito Dominus noster praedicandus est. Nam quemadmodum ipse aeternus Deus est, uti Pater, ita etiam omnium rerum aeque Dominus est, ac Pater: et quemadmodum ipse et Pater, non est alius atque alius Deus, sed idem plane Deus; ita etiam Ipse et Pater, non est alius atque alius Dominus.

§. 66. Sed recte etiam multis rationibus, ut homo est, Dominus noster appellatur. Ac primum quidem, quoniam ipse redemptor noster fuit, atque a peccatis nos liberavit, jure hanc potestatem accepit, ut vere Dominus noster esset, ac diceretur. Ita enim Apostolus docet (*Phil. II, 6—11.*): *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium et infernorum: et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Atque ipse de se post resurrectionem (*Matth. XXVIII, 18.*): *Data est,* inquit, *mihi omnis potestas in coelo et in terra.* Ob eam quoque rem Dominus dicitur, quod in una persona, duae naturae, divina et humana, conjunctae sint. Hac enim admirabili conjunctione meruit, ut quamvis pro nobis mortuus non esset, tamen Dominus constitueretur communiter quidem omnium rerum, quae conditae sunt:

praecipue autem fidelium, qui illi parent, atque summo animi studio inserviunt.

§. 67. Quod igitur reliquum est, Parochus fidelem populum ad eam rationem cohortabitur, ut sciat aequissimum esse prae caeteris hominibus, nos, qui ab eo nomen invenimus, Christianique vocamur, et quanta ille in nos beneficia contulerit, ignorare non possimus: ob id maxime, quod ejus munere haec omnia fide intelligimus: aequum esse, inquam, nos ipsos, non secus ac mancipia, Redemptori nostro et Domino in perpetuum addicere et consecrare. Et quidem cum Baptismo initiaremur, ante Ecclesiae fores id professi sumus. Declaravimus enim nos Satanae et mundo renunciare, et Jesu Christo totos nos tradere. Quod si, ut christianae militiae adscriberemur, tam sancta et solenni professione nos ipsos Domino nostro devovimus: quo supplicio digni erimus, si, postquam Ecclesiam ingressi sumus, Dei voluntatem et leges cognovimus, postquam Sacramentorum gratiam percepimus, ex mundi et Diaboli praeceptis ac legibus vixerimus, perinde ac si, cum Baptismo abluti sumus, mundo et Diabolo, non Christo Domino ac Redemptori, nomen dedissemus?

§. 68. Sed cujus animum amoris facibus non incendat tanti Domini tam benigna et propensa in nos voluntas, qui, tametsi nos in potestate sua et dominatu, veluti servos sanguine suo redemptos, habeat, ea tamen charitate complectitur, ut non servos vocet, sed amicos, sed fratres *(Joh. XV.)*? Haec profecto justissima causa est, atque haud scio an non omnium sit maxima, cur eum perpetuo debeamus Dominum nostrum agnoscere, venerari et colere.

## CAPUT V.

*De conceptione et incarnatione Filii Dei; cui divinum hoc opus tribuendum sit, et quae in eo mirabilia acciderunt; quis item fructus ex talium rerum contemplatione colligendus sit* §. 69 — 75. *De jucunda Christi nativitate ex Maria virgine permanente, et de prophetiis ac figuris conceptionis et nativitatis Jesu Christi* §. 76 — 79. *Quae circa utrumque mysterium contemplanda nobis sunt, et imitanda* §. 80 — 82.

§. 69. Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. Maximo quidem et

singulari beneficio humanum genus a Deo affectum esse, qui nos e durissimi Tyranni servitute in libertatem vindicarit, ex iis, quae superiori articulo declarata sunt, intelligere fideles possunt. At vero, si consilium etiam et rationem, qua potissimum id efficere voluit, nobis ante oculos ponamus, profecto nihil divina in nos beneficentia ac bonitate illustrius, nihil magnificentius esse videbitur. Ejus igitur mysterii magnitudinem, quod nobis, tamquam salutis nostrae praecipuum caput Sacrae Literae considerandum saepissime proponunt, Parochus a tertii articuli explicatione ostendere incipiet: cujus hanc esse sententiam docebit, nos credere et confiteri, eum ipsum Jesum Christum unicum Dominum nostrum, Dei Filium; cum pro nobis humanam carnem suscepit in utero Virginis, non ex virili semine, ut alii homines, sed supra omnem naturae ordinem, Spiritus Sancti virtute conceptum esse, ita ut eadem persona Deus permanens, quod ex aeternitate erat, homo fieret, quod ante non erat.

§. 70. Ea autem verba ita accipienda esse, ex sacri Concilii Constantinopolitani confessione plane perspicitur. Inquit enim: *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis: et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est.* Atque id etiam Sanctus Johannes Evangelista explicavit, ut qui ex ipsius Domini Salvatoris pectore, altissimi hujus mysterii cognitionem hausisset. Nam cum divini Verbi naturam declarasset illis verbis *(Joh. I, 1. 14.)*: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*, ad extremum conclusit: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, Verbum enim, quod divinae naturae hypostasis est, ita humanam naturam assumpsit, ut una et eadem esset divinae et humanae naturae hypostasis ac persona: quo factum est, ut tam admirabilis conjunctio utriusque naturae actiones et proprietates conservaret, atque, ut est apud Sanctum Leonem Magnum illum Pontificem *(Serm. 1. de nativitate Domini)*: „Nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio."

§. 71. Sed quoniam praetermittenda non est verborum explanatio, doceat Parochus, cum dicimus, Dei filium Spiritus Sancti virtute conceptum esse, unam hanc divinae Trinitatis Personam incarnationis mysterium non

confecisse. Quamvis enim unus Filius humanam naturam assumpserit, tamen omnes divinae Trinitatis Personae, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, hujus mysterii autores fuerunt; siquidem illa christianae fidei regula tenenda est: Omnia, quae Deus extra se in rebus creatis agit, tribus Personis communia esse, neque unam magis quam aliam, aut unam sine alia agere. Quod autem una Persona ab alia procedat, hoc unum omnibus commune esse non potest. Nam Filius a Patre tantum generatur, Spiritus a Patre et Filio procedit. Quidquid vero extra illas ab ipsis proficiscitur, tres Personae sine ullo discrimine agunt: atque ex hoc genere Filii Dei incarnatio censenda est.

§. 72. Quamquam vero haec ita se habeant, solent tamen Sacrae Litterae earum rerum, quae omnibus Personis communes sunt, aliam aliis tribuere; quemadmodum summam omnium rerum potestatem Patri, sapientiam Filio, Spiritui Sancto amorem adscribunt. Et quoniam divinae incarnationis mysterium, singularem atque immensam Dei erga nos benignitatem declarat, ob eam rem peculiari quadam ratione hoc opus Spiritui Sancto tribuitur. In hoc mysterio quaedam supra naturae ordinem, quaedam naturae vi effecta esse animadvertimus. Nam quod ex purissimo Virginis matris sanguine Christi corpus formatum credimus, in eo naturam humanam agnoscimus, cum illud omnium hominum corporibus commune sit, ut ex matris sanguine formentur. Quod vero et naturae ordinem, et humanam intelligentiam superat, illud est, simul atque beata Virgo Angeli verbis assentiens dixit *(Luc. I. 38.)*: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*: statim sanctissimum Christi corpus formatum, eique anima rationis compos conjuncta est, atque ita in ipso temporis articulo, perfectus Deus et perfectus homo fuit. Hoc autem novum fuisse, atque admirabile Spiritus Sancti opus, nemo dubitare potest, cum servato naturae ordine, nullum corpus, nisi intra praescriptum temporis spatium, hominis anima informari queat.

§. 73. Deinde vero illud accedit, maxima admiratione dignum, quod, ut primum cum corpore anima conjuncta fuit, ipsa etiam divinitas cum corpore et anima copulata est. Quare simul corpus formatum atque animatum est, corpori et animae divinitas conjuncta.

Ex quo fit, ut eodem temporis puncto perfectus Deus et perfectus homo esset, et Virgo sanctissima vere et proprie mater Dei et hominis diceretur, quod eodem momento Deum et hominem concepisset. Hoc autem ab Angelo ei significatum est, cum ait *(Luc. I, 31, 32.)*: *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum: hic erit magnus, et filius altissimi vocabitur.* Et eventu comprobatum est, quod Jesaias praedixit *(Jes. VII, 14.)*: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium.* Idem quoque Elisabeth, cum Spiritu Sancto repleta, Filii Dei conceptionem intellexisset, his verbis declaravit *(Luc. I, 43.)*: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?*

§. 74. Sed quemadmodum Christi corpus ex purissimis integerrimae Virginis sanguinibus, sine ulla viri opera, ut antea diximus, verum sola Spiritus Sancti virtute formatum est: ita etiam, ut primum conceptus est, illius anima uberrimam Spiritus Dei copiam, atque omnem charismatum abundantiam accepit. *Neque* enim, ut aliis hominibus, qui sanctitate et gratia ornantur, ipsi *ad mensuram,* ut testatur Sanctus Johannes *(Joh. III, 34.)*, *dat Deus spiritum*, sed omnem gratiam tam affluenter in ejus animam infudit, ut *de plenitudine ejus nos omnes acceperimus (Joh. I, 16.)*. Neque tamen Filium Dei adoptivum appellare licet, quamvis spiritum illum habuerit, quo sancti homines filiorum Dei adoptionem consequuntur. Nam cum natura Filius Dei sit, adoptionis gratiam aut nomen in eum convenire, nullo modo existimandum est.

§. 75. Haec sunt, quae de admirabili conceptionis mysterio explicanda visa sunt: ex quibus, ut salutaris fructus ad nos redundare possit, illa inprimis fideles memoria repetere, ac saepius cogitare cum animis suis debent; Deum esse, qui humanam carnem assumpsit: ea vero ratione hominem factum, quam mente nobis assequi non licet, nedum verbis explicare; ob eum denique finem hominem fieri voluisse, ut nos homines, Filii Dei renasceremur. Haec cum attente consideraverint, tum vero omnia mysteria, quae hoc articulo continentur, humili ac fideli animo credant et adorent, nec curiose (quod sine periculo vix unquam fieri potest) illa investigare ac perscrutari velint.

§. 76. Natus ex Maria Virgine. Haec altera est hujus articuli pars, in qua explicanda Parochus diligenter versabitur, cum fidelibus credendum sit, Jesum Dominum, non solum conceptum Spiritus Sancti virtute, sed etiam ex Maria Virgine natum et in lucem editum esse. Cujus mysterii fides quanta cum laetitia et jucunditate animi, meditanda sit, Angeli vox, qui primus felicissimum nuncium mundo attulit, declarat. Inquit enim (*Luc. II*, 10.): *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Tum ex illius coelestis militiae cantico: *Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis,* quod Angeli cecinerunt (*Luc. II*, 13.), facile est intelligere. Hinc etiam amplissimum illud Dei promissum ad Abraham, impleri incepit, cui dictum est (*Genes. XXII*, 18.), *fore aliquando, ut in ejus semine omnes gentes benedicerentur.* Maria enim, quam vere Matrem Dei praedicamus et colimus, quod eam personam, quae simul Deus et homo erat, peperit, a Davide rege originem duxit.

§. 77. Sed quemadmodum conceptio ipsa naturae ordinem prorsus vincit, ita in ortu nihil non divinum licet contemplari. Praeterea, quo nihil admirabilius dici omnino aut cogitari potest, nascitur ex matre sine ulla maternae virginitatis diminutione. Et quo modo postea ex sepulchro clauso et obsignato egressus est, atque ad discipulos clausis januis introivit: vel, ne a rebus etiam, quae natura quotidie fieri videmus, discedatur, quo modo solis radii concretam vitri substantiam penetrant, neque frangunt tamen aut aliqua ex parte laedunt: simili, inquam, et altiori modo Jesus Christus ex materno alvo, sine ullo maternae virginitatis detrimento editus est: ipsius enim incorruptam et perpetuam virginitatem verissimis laudibus celebramus. Quod quidem Spiritus Sancti virtute effectum est, qui in Filii conceptione et partu, matri ita affuit, ut ei et foecunditatem dederit, et perpetuam virginitatem conservarit.

§. 78. Solet interdum (1 *Cor. XV*, 22.) Apostolus Christum Jesum novissimum Adam appellare, eumque primo Adam conferre. Nam ut in primo omnes homines moriuntur, ita in secundo omnes ad vitam revocantur; atque ut Adam, quod ad naturalem conditionem pertinet, humani generis parens fuit, ita Christus gratiae et gloriae autor est. Ad eum modum nobis etiam

licet Virginem Matrem cum Eva ita conferre, ut priori Evae secunda Eva, quae est Maria, respondeat: quemadmodum secundum Adam, hoc est, Christum, primo Adam respondere ostendimus. Eva enim, quia serpenti fidem habuit, maledictum et mortem in humanum genus invexit: et Maria, postquam Angelo credidit, Dei bonitate effectum est, ut benedictio et vita ad homines perveniret. Propter Evam nascimur filii irae; a Maria Jesum Christum accepimus, per quem filii gratiae regeneramur. Evae dictum est *(Gen. III, 16.)*: *In dolore paries filios:* Maria hac lege soluta est, ut quae salva virginalis pudicitiae integritate, sine ullo doloris sensu (ut antea dictum est) Jesum filium Dei peperit.

§. 79. Cum igitur tanta et tam multa sint admirandae hujus conceptionis et nativitatis sacramenta, divinae providentiae consentaneum fuit, ut ea multis figuris et oraculis significarentur. Quare huc pertinere Sancti Doctores intellexerunt, multa, quae in variis Sacrae Scripturae locis legimus; praecipue vero Portam illam Sanctuarii, quam Ezechiel *(Cap. XLIV.)* clausam vidit; item *lapidem de monte sine manibus abscissum*, ut est apud Danielem *(Cap. II, 35.)*, qui factus est magnus mons, et implevit universam terram; deinde *(Num. XVII, 8.)*, *Aaron virgam, quae una inter virgas principum Israelis germinavit;* et rubum, quem Moyses *(Exod. III, 2.)* vidit ardere, et non comburi. Multis verbis Sanctus Evangelista *(Luc. II.)* Christi nativitatis historiam descripsit. Qua de re nihil est, quod plura a nobis dicantur, cum ea lectio Parocho in promptu sit.

§. 80. Danda autem illi est opera, ut haec mysteria, quae ad doctrinam nostram scripta sunt, infixa animo et mentibus fidelium haereant. Primum quidem, ut tanti beneficii commemoratione, aliquam gratiam ejus autori Deo referant: deinde, ut eximium hoc et singulare humilitatis exemplum, eis ante oculos ad imitandum proponat. Quid enim nobis utilius, atque ad animorum nostrorum superbiam et elationem comprimendam accommodatius esse potest, quam saepius cogitare, Deum ita sese humiliare, ut cum hominibus gloriam suam communicet, et hominum infirmitatem fragilitatemque assumat: Deum hominem fieri, summamque illam et infinitam majestatem homini ministrare, *ad cujus nutum columnae coeli*, ut inquit Scriptura *(Job. XXVI, 11.)*,

*contremiscunt et parent*, eumque in terra nasci, quem in coelis Angeli adorant? Quid igitur, cum haec Deus nostra causa faciat: quid, inquam, nos, ut illi obsequamur, facere oportet? quam libenti atque alacri animo debemus omnia humilitatis officia amare, amplecti, praestare?

§. 81. Videant fideles, quam salutari doctrina Christus nascens nos instituat, antequam vocem aliquam emittere incipiat. Nascitur egenus, nascitur ut peregrinus in diversorio, nascitur in vili praesepio, nascitur media hieme. Ita enim scribit Sanctus Lucas *(Cap. II, 6. 7.)*: *Factum est cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret: et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in praesepio, quia non erat ei locus in diversorio.* Potuitne Evangelista humilioribus verbis, omnem coeli et terrae majestatem et gloriam includere? Neque vero scribit, non fuisse locum in diversorio, sed ei non fuisse, qui dicit *(Psal. XLIX, 12.)*: *Meus est orbis terrae, et plenitudo ejus.* Quod etiam alius Evangelista testatus est *(Joh. I, 11.)*: *In propria venit, et sui eum non receperunt.*

§. 82. Haec cum fideles sibi ante oculos proposuerint, tum vero cogitent, Deum carnis nostrae humilitatem et fragilitatem subire voluisse, ut humanum genus in altissimo dignitatis gradu collocaretur. Nam illud unum satis declarat excellentem hominis dignitatem et praestantiam, quae illi divino beneficio tributa est, quod homo fuerit, qui idem verus et perfectus Deus sit: ut jam gloriari nobis liceat, Filium Dei os nostrum et carnem nostram esse: quod beatissimis illis Spiritibus non licet. *Nusquam enim*, ut est apud Apostolum *(Hebr. II, 16.)*, *Angelos apprehendit.* Praeterea cavendum est, ne maximo nostro malo eveniat, ut quemadmodum illi in diversorio Bethleem locus, ubi nasceretur, defuit; ita etiam quando jam in carne non nascitur, locum in cordibus nostris invenire non possit, ubi in spiritu nascatur. Hoc enim, cum salutis nostrae cupidissimus sit, vehementer optat. Nam ut ille Spiritus Sancti virtute supra naturae ordinem homo factus et natus est, sanctusque atque adeo sanctitas ipsa fuit: ita nos oportet *(Joh. I, 13.)*, *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nasci*, ac deinde veluti novam creaturam in novitate spiritus ambulare, sanctita

tem illam ac mentis integritatem custodire, quae homines Spiritu Dei regeneratos maxime decet *(Rom. VI. VII.)*. Hac enim ratione sanctae hujus filii Dei conceptionis, et nativitatis imaginem aliquam in nobis ipsis exprimemus, quam fideli animo credimus, et credentes *(1 Cor. II, 7.) Dei sapientiam mysterio, quae abscondita est*, suspicimus et adoramus.

## CAPUT VI.

*De passione et cruce Christi* §. 80 — 87.; *de morte et sepultura* §. 88 — 91.; *de quinque circumstantiis passionis et mortis Christi considerandis* §. 92 — 99.

§. 83. **Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus.** Quantam habeat necessitatem hujus articuli cognitio, et quam diligenter Parochus curare debeat, ut fideles dominicae passionis memoriam saepissime animo repetant, docet Apostolus *(1 Cor. II, 2.)*, qui *nihil aliud se scire* testatus est, *nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.* Quare in hoc argumento omne studium et opera adhibenda est, ut quam maxime illustretur, fidelesque tanti beneficii commemoratione excitati, totos se ad Dei erga nos amorem et bonitatem suscipiendam, convertant. Fides itaque priore articuli parte (nam de altera postea dicetur) illud nobis credendum proponit; Christum Dominum, cum Pontius Pilatus Tiberii Caesaris jussu Judaeam provinciam administraret, cruci affixum esse: nam captus, irrisus, variis injuriarum et cruciatuum generibus affectus, demum in crucem sublatus est. Nec vero cuiquam dubitandum est, ejus animam, quod ad inferiorem partem attinet, ab iis cruciatibus liberam non fuisse. Nam quod humanam naturam vere assumpsit, necesse est fateri, animo etiam gravissimum dolorem sensisse. Quare inquit *(Matth. XXVI, 38.)*: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Nam etsi Personae divinae humana natura conjuncta fuit, tamen propter eam conjunctionem nihilo minus passionis acerbitatem sensit, quam si ea conjunctio facta non fuisset, cum in una Jesu Christi persona, utriusque naturae, divinae et humanae, proprietates servatae sint: atque idcirco, quod erat passibile et mortale permansit: rursus vero, quod impassibile et immortale erat, qualem esse divinam naturam intelligimus, suam proprietatem retinuit.

§. 84. Quod autem hoc loco tam diligenter observari videmus, Jesum Christum eo tempore passum esse, quo Pontius Pilatus Judaeam Provinciam procuraret, id ea re factum esse docebit Parochus, quia tantae rei et tam necessariae cognitio, exploratior omnibus esse poterat, si rei gestae certum (quod et Apostolo Paulo 1 *Tim. VI,* 13. factum legimus) tempus describeretur: tum etiam, quia iis verbis declaratur, illam Saluatoris praedictionem exitu comprobatam esse: *Tradent*, inquit (*Matth. XX,* 19.), *eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum.*

§. 85. Sed quod potissimum in ligno crucis pertulit, hoc etiam divino consilio tribuendum est: ut scilicet, unde mors oriebatur, inde vita resurgeret. Serpens enim, qui in ligno primos parentes vicerat, victus est a Christo in ligno crucis. Plures ejus rei afferri rationes possunt, quas Sancti Patres latius persecuti sunt, ut ostendamus, consentaneum fuisse, Redemptorem nostrum mortem crucis potissimum subire. Verum satis esse, Parochus admoneat, si fideles credant illud genus mortis a Salvatore delectum esse, quod quidem ad humani generis redemptionem aptius atque accommodatius videretur: quemadmodum certe nullum turpius atque indignius esse potuit. Non solum enim apud Gentiles crucis supplicium execrandum, et dedecoris, ignominiaeque plenissimum semper existimatum est, verum etiam in lege Moysis, *maledictus homo* appellatur (*Deut. XXI,* 23. *cf. Galat. III,* 13.), *qui pendet in ligno.*

§. 86. Neque vero Parochus hujus articuli historiam praetermittet, quae dilgentissime a Sanctis Evangelistis exposita est, ut saltem summa ejus mysterii capita, quae ad confirmandam fidei nostrae veritatem magis necessaria videntur, fideles cognita habeant. Hoc enim articulo, veluti fundamento quodam, christiana religio et fides nititur, eoque posito, reliqua omnia recte constituta sunt. Nam si quid aliud humanae menti et intelligentiae difficultatem adfert, certe crucis mysterium omnium difficillimum existimandum est, vixque percipi a nobis potest: salutem nostram ex cruce ipsa, et ex eo, qui pro nobis ligno illi affixus est, pendere. Sed in hoc, ut docet Apostolus, summam Dei providentiam licet admirari. *Nam quia in Dei sapientia non cognovit mun-*

*dus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes (1 Cor. I, 21.).*

§. 87. Quare mirandum non est, si Prophetae ante Christi adventum, Apostoli post ejus mortem et resurrectionem tantopere laborarunt, ut hominibus persuaderent, hunc esse mundi Redemptorem, eosque in crucifixi potestatem atque obedientiam redigerent. Quare Dominus, cum nihil tam ab humana ratione remotum esset, quam crucis mysterium, statim post peccatum nunquam destitit, tum figuris, tum Prophetarum oraculis filii sui mortem significare. Atque ut de figuris pauca quaedam attingamus, Abel primum, qui fratris invidia occisus est, deinde Isaac sacrificium, praeterea agnus, quem Judaei, cum e terra Aegypti egrederentur, immolarunt: tum serpens aeneus, quem Moyses in deserto exaltavit, Christi Domini passionis ac mortis figuram praemonstrabant (*Genes. IV. Genes. XXII. Exod. XII. Num. XXI.* Quod autem ad Prophetas pertinet, quam multi extiterint, qui de ea vaticinati sunt, id vero multo notius est, quam ut explicari hoc loco oporteat. Sed prae caeteris (ut Davidem omittamus, qui omnia praecipua redemptionis nostrae mysteria in Psalmis complexus est) Jesaiae oracula tam aperta et clara sunt, ut recte dici queat, eum potius rem gestam exposuisse, quam futuram praedixisse.

§. 88. Mortuus et sepultus. His verbis Parochus credendum explicabit, Jesum Christum, postquam crucifixus est, vere mortuum ac sepultum esse. Neque vero sine causa hoc separatim fidelibus credendum proponitur, cum non defuerint, qui eum in cruce mortuum negarent. Illi igitur errori hanc fidei doctrinam Sancti Apostoli merito opponendam censuerunt: de cujus articuli veritate dubitandi nullus locus relinquitur; nam omnes Evangelistae consentiunt, Jesum spiritum emisisse. Praeterea, cum Christus verus et perfectus homo fuerit, vere etiam mori potuit: moritur autem homo, cum anima separatur a corpore. Quare, cum Jesum mortuum esse dicimus, id significamus, ejus animam a corpore divisam esse: neque tamen concedimus divinitatem sejunctam a corpore; quin potius constanter credimus et confitemur, anima ejus a corpore divisa, divinitatem tum corpori in sepulchro, tum animae apud inferos conjunctam semper fuisse. Decebat autem filium Dei mori, ut

*(Hebr. II. 14. 15.) per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, Diabolum, et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.*

§. 89. Sed illud in Christo Domino singulare fuit, quod tunc mortuus est, cum ipse mori decrevit, et mortem non tam aliena vi illatam, quam voluntariam obiit. Nec vero mortem solum, sed locum etiam et tempus, in quo moreretur, ipse sibi constituit. Ita enim Jesaias *(Jes. LIII, 7.)* scripsit: *Oblatus est: quia ipse voluit.* Atque idem Dominus de se, ante passionem dixit *(Joh. X. 17. 18.)*: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam: nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso; potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Quod autem ad tempus et locum attinet; cum Herodes ejus vitae insidiaretur, ipse inquit *(Luc. XIII. 32. 33.)*: *Dicite vulpi illi, ecce ejicio daemonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consumor; veruntamen oportet me hodie et cras, et sequenti die ambulare: quia non capit Prophetam perire extra Hierusalem.* Ille igitur nihil invitus aut coactus fecit, sed ipse sese volens obtulit, atque inimicis suis obviam procedens, dixit *(Joh. XVIII. 5.)*: *Ego sum:* et sponte sua ea omnia supplicia pertulit, quibus illum injuste et crudeliter affecerunt.

§. 90. Quo quidem nihil ad commovendos animi nostri sensus majorem vim habere potest, cum poenas tormentaque ejus omnia cogitatione perpendimus. Nam si quispiam nostra causa omnes dolores patiatur, non quos ipse sua voluntate suscipiat, sed quos vitare nequeat, hoc vero haud magni beneficii loco a nobis ponetur: verum si nostro tantum nomine mortem, quam defugere poterat, libenter occumbat, profecto hoc beneficii genus tantum est, ut omnem non solum referendae, sed etiam habendae gratiae facultatem, vel gratissimo cuique eripiat: ex quo Jesu Christi summa et eximia charitas, ejusque divinum et immensum in nos meritum perspici potest.

§. 91. Iam vero quod sepultum fuisse confitemur, hoc quidem veluti articuli pars non constituitur, quod novam aliquam difficultatem habeat, praeter ea, quae jam de morte dicta sunt. Nam si Christum mortuum credimus, facile etiam nobis persuaderi potest, eum se-

pultum esse. Verum hoc additum est, primum, ut minus dubitare de morte liceat: cum maximo argumento sit, aliquem mortuum esse, si eius corpus sepultum probemus: deinde, ut resurrectionis miraculum magis declaretur atque eluceat. Neque vero hoc solum credimus, Christi corpus sepultum esse, sed illud praecipue his verbis credendum proponitur, Deum sepultum esse, quemadmodum ex fidei catholicae regula verissime etiam dicimus, Deum mortuum et ex Virgine natum esse. Nam cum divinitas nunquam divisa fuerit a corpore, quod in sepulchro conditum est, recte confitemur Deum sepultum esse. Ac de genere quidem et loco sepulturae illa Parocho satis erunt, quae a Sanctis Evangelistis *(Matth. XXVII. Marc. XV. Luc. XXIII. Joh. XIX.)* dicta sunt. Duo vero inprimis observanda sunt: alterum, Christi corpus in sepulchro nulla ex parte corruptum esse, de quo Propheta ita vaticinatus erat *(Psalm. XV, 10.)*: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Alterum est, quod ad omnes hujus articuli partes attinet, sepulturam scilicet, passionem etiam et mortem, Christo Jesu, ut homini non ut Deo, convenire. Nam pati et mori, in humanam tantum naturam cadunt: quamvis Deo etiam haec omnia tribuantur, quoniam de illa Persona, quae simul perfectus Deus, perfectus homo fuit, recte dici perspicuum est.

§. 92. His cognitis, ea de Christi passione & morte Parochus explicabit, ex quibus tanti mysterii immensitatem, si non comprehendere, contemplari saltem fideles possint. Ac primum quidem considerandum est, quis ille sit, qui haec omnia patitur. Et quidem nullis verbis ejus dignitatem explicare, aut mente comprehendere possumus. Sanctus Joannes *(Joan, I, 1.)* *Verbum* esse dicit, *quod erat apud Deum.* Apostolus (*Hebr. I,* 2. 3.) magnificis verbis describit in hunc modum: Esse eum *quem* Deus *constituit haeredem universorum, per quem fecit et secula: qui est splendor gloriae, et figura substantiae ejus, qui portat omnia verbo virtutis suae.* Hic igitur purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis. Atque ut uno verbo complectamur: patitur Jesus Christus Deus et homo: patitur creator pro iis, quos ipse condidit: patitur Dominus pro seruis: patitur is, per quem Angeli, homines, coeli, elementa facta sunt, ille, inquam, in quo, per quem, et ex quo sunt omnia (*Rom. XI.* 36.). Quare mirandum non est, si eo

tot passionum tormentis commoto, totum etiam aedificium concussum est. Nam, ut inquit Scriptura (*Matth. XXVII, 51. Luc. XXIII, 44.*): *Terra mota est et petrae scissae sunt; tenebrae etiam factae per universam terram, et sol obscuratus est.* Quod si mutae etiam res et sensu carentes creatoris sui passionem luxerunt, cogitent fideles, quibus lachrymis ipsi tanquam vivi lapides hujus aedificii, dolorem suum declarare debeant.

§. 93. Jam vero causae etiam passionis exponendae sunt, ut eo magis divinae erga nos charitatis magnitudo et vis appareat. Si quis igitur quaerat, quae causa fuerit, cur filius Dei acerbissimam passionem subierit, hanc potissimum fuisse inveniet, praeter haereditariam labem primorum parentum, vitia et peccata, quae homines a mundi origine usque ad hanc diem admiserunt, ac deinceps usque ad consummationem saeculi admissuri sunt. Hoc enim in passione et morte filius Dei Salvator noster spectavit, ut omnium aetatum peccata redimeret ac deleret, et pro eis Patri abunde cumulateque satisfaceret. Illud etiam accedit ad augendam rei dignitatem, quod non solum Christus pro peccatoribus passus est, sed etiam poenarum omnium, quas pertulit, peccatores, et auctores et ministri fuerunt, de quo Apostolus admonet, ita ad Hebraeos scribens (*XII, 3.*): *Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes.* Atque hac culpa omnes teneri judicandum est, qui in peccata saepius prolabuntur. Nam cum peccata nostra Christum Dominum impulerint, ut crucis supplicium subiret, qui in flagitiis et sceleribus volutantur, rursus, quod in ipsis est, crucifigunt in semetipsis filium Dei et ostentui habent (*Hebr. VI, 6.*). Quod quidem scelus eo gravius in nobis videri potest, quam fuerit in Judaeis, quod illi eodem Apostolo teste (*1 Cor. II, 8.*), *si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent:* nos autem et nosse eum profitemur, tamen factis negantes, quodammodo violentas ei manus videmur inferre.

§. 94. Sed a Patre etiam, et a semetipso Christum Dominum traditum esse Sacrae Literae testantur; inquit enim apud Jesaiam (*Jes. LIII, 8.*): *Propter scelus populi percussi eum.* Et paulo ante idem Propheta, cum Dominum plagis et vulneribus affectum, Spiritu Dei ple-

nus videret, dixit *(V, 6.)*: *Omnes nos, quasi oves, erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* De Filio autem scriptum est *(Jes. LIII, 10.)*: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum.* Sed eandem rem Apostolus gravioribus etiam verbis expressit, cum tamen ex altera parte vellet ostendere, quantum nobis de immensa Dei misericordia et bonitate sperare liceat; inquit enim *(Rom. VIII, 32.)*: *Qui enim proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*

§. 95. Sequitur nunc, ut quanta fuerit passionis acerbitas, Parochus doceat. Quanquam si memoria teneamus sudorem Domini factum, ut guttas sanguinis decurrentis in terram, cum ille tormenta et cruciatus animo perciperet, quibus paulo post afficiendus erat, facile ex eo unusquisque intelliget, nihil ad illum dolorem addi potuisse. Nam si malorum imminentium cogitatio tam acerba fuit, id quod sanguis sudor declaravit, quid ipsam perpessionem fuisse existimandum est? Sed tamen Christum Dominum summis tum animi, tum corporis doloribus affectum esse constat. Ac primum quidem nulla fuit ejus corporis pars, quae gravissimas poenas non senserit. Nam et pedes et manus clavis cruci affixae, caput spinis compunctum et arundine percussum, facies sputis foedata, alapis caesa, totum corpus flagellis verberatum est. Praeterea omnium et generum et ordinum homines convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus. Gentes enim et Judaei passionis suasores, auctores, ministri fuerunt. Judas eum prodidit, Petrus negavit, caeteri omnes deseruerunt. Jam vero in cruce ipsa acerbitatemne, an ignominiam, an utrumque simul queremur? Ac profecto nullum aut turpius genus mortis, aut acerbius excogitari eo potuit, quo affici non nisi nocentissimi et sceleratissimi homines consueverunt, et in quo summi doloris et cruciatus sensum mortis diuturnitas vehementiorem efficiebat.

§. 96. Augebat autem poenarum magnitudinem ipsa Christi Jesu corporis constitutio et habitus, quod quidem cum Spiritus Sancti virtute formatum esset, multo perfectius et temperatius fuit, quam aliorum hominum corpora esse possunt, atque ideo acriorem quoque sen-

tiendi vim habuit, et gravius tormenta illa omnia perpessum est. Quod vero ad intimum animi dolorem pertinet, nemo dubitare potest, quin summus in Christo fuerit. Sanctis enim hominibus, quicunque supplicia et cruciatus pertulerunt, non defuit animae solatium divinitus datum, quo recreati, tormentorum vim aequo animo ferre possent; imo vero in cruciatibus plerique intima laetitia efferebantur; inquit enim Apostolus *(Col. I, 24.)*: *Gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea, quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Et alibi *(2 Cor. VII, 4.)*: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Verum Christus Dominus amarissimae passionis calicem, quem bibit, nulla suavitate permixta temperavit. Humanae enim naturae quam assumpserat, sentire omnia tormenta permisit, non secus, ac si homo, non etiam Deus fuisset.

§. 97. Reliquum modo est, ut commoda etiam et bona, quae ex passione Domini percepimus, a Parocho accurate explicentur. Primum igitur, Domini passio, a peccato liberatio fuit. Nam, ut est apud Sanctum Johannem *(Apoc. I, 5.)*: *Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo;* et Apostolus inquit *(Col. II, 13. 14.)*: *Convivificavit vos, donans vobis omnia delicta, delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Deinde a Daemonis tyrannide nos eripuit; ipse enim Dominus inquit *(Joh. XII, 31. 32.)*: *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Poenam praeterea peccatis nostris debitam persolvit. Tum vero quia nullum gratius et acceptius Deo sacrificium afferri potuit, Patri nos reconciliavit, eumque nobis placatum et propitium reddidit. Postremo quoniam peccata sustulit, coelorum etiam adiuun, communi humani generis peccato interclusum, nobis patefecit. Atque id Apostolus significavit illis verbis *(Hebr. X, 19.)*: *Habemus fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi.* Neque vero in veteri lege hujus mysterii figura et imago quaedam defuit. Nam illi, quibus interdictum erat, ne in patriam ante summi Sacerdotis mortem reverterentur *(Num. XXXV.)*, hoc significabant, nemini, quamvis juste et pie vixisset, adi-

tam in coelestem patriam patere, antequam summus ille atque aeternus Sacerdos Christus Jesus mortem obiret. Qua quidem obita, statim coeli fores patuerunt iis, qui Sacramentis expiati, fideque, spe et charitate praediti, passionis ejus participes fiunt.

§. 98. Haec autem omnia maxima et divina bona, Parochus docebit ex Domini passione ad nos pervenisse: primum quidem, quia est integra atque omnibus numeris perfecta satisfactio, quam admirabili quadam ratione Jesus Christus pro peccatis nostris Deo patri persolvit. Neque vero pretium, quod pro nobis persolvit, debitis nostris par solum et aequale fuit, verum ea longe superavit. Deinde sacrificium Deo acceptissimum fuit, quod cum illi filius in ara crucis obtulit, patris iram atque indignationem prorsus mitigavit. Atque hoc nomine Apostolus usus est, cum inquit (*Eph. V,* 2.): *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis, oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Praeterea redemptio, de qua est apud Apostolorum Principem (1 *Pet. I,* 18. 19.): *Non curruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati.* Et Apostolus docet (*Gal. III,* 13.): *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.*

§. 99. Verum, praeter haec immensa beneficia, illud etiam vel maximum consecuti sumus, ut in hac una passione, omnium virtutum clarissima exempla habeamus. Nam et patientiam, et humilitatem, et eximiam charitatem, et mansuetudinem, et obedientiam et summam animi constantiam non solum in perferendis propter justitiam doloribus, sed etiam in morte oppetenda ita ostendit, ut vere dicere possimus, Salvatorem nostrum, quaecunque vitae praecepta toto praedicationis suae tempore verbis nos docuit, ea omnia uno passionis die in seipso expressisse. Atque haec breviter de Christi Domini saluberrima passione et morte dicta sunt. Utinam vero haec mysteria in animis nostris assidue versentur, et una cum Domino pati et sepeliri discamus, ut deinde, abjecta omni sorde peccati, ad novam vitam cum illo resurgentes, aliquando tandem, ipsius gratia et misericordia digni simus, qui coelestis regni et gloriae participes efficiamur.

## CAPUT VII.

*De Descensu Christi ad inferos, deque modo et causis ejus* §. 100—105.; *de Resurrectionis modo, necessitate et utilitate* §. 106—115.

§. 100. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis. Maxime quidem refert nosse gloriam sepulturae Domini nostri Jesu Christi, de qua proxime dictum est, sed plus interest fidelis populi, cognoscere illustres triumphos, quos ex devicto Diabolo, et spoliatis inferorum sedibus deportavit, de quibus, simulque de resurrectione dicendum est. Qui locus etsi separatim per se recte tractari possit; nos tamen, Sanctorum Patrum auctoritatem secuti, eum cum descensu ad inferos conjungendum putavimus. Ejus igitur priori parte hoc nobis credendum proponitur; Christo jam mortuo, ejus animam ad inferos descendisse, ibique tamdiu mansisse, quamdiu ejusdem corpus in sepulchro fuit. His autem verbis simul etiam confitemur, eandem Christi personam eo tempore et apud inferos fuisse, et sepulchro jacuisse. Quod quidem cum dicimus, nemini mirum videri debet; propterea, quod (ut saepe jam docuimus) quamvis anima a corpore discesserit, nunquam tamen divinitas vel ab anima, vel a corpore separata est.

§. 101. Sed quoniam articuli explicationi plurimum lucis afferri potest, si Parochus prius doceat, quid hoc loco Inferorum vocabulo intelligendum sit, monere oportet, Inferos hoc loco pro sepulchro non accipi, ut quidam non minus impie quam imperite putaverunt. Superiori enim articulo, Christum Dominum sepultum esse, edocti sumus, nec ulla causa erat, cur in fide tradenda alio, et quidem obscuriori loquendi genere, idem a Sanctis Apostolis repeteretur; verum Inferorum nomen abdita illa receptacula significat, in quibus animae detinentur, quae coelestem beatitudinem non sunt consecutae. Ita vero Sacrae Literae hanc vocem multis in locis usurparunt. Nam apud Apostolum legimus *(Phil. II.)*: *In nomine Jesu omne genu flecti, coelestium, terrestrium et Infernorum.* Et in Actis Apostolorum D. Petrus testatur *(Actor. II, 24.)*: *Christum Dominum suscitatum solutis doloribus Inferni.*

§. 102. Neque tamen ea receptacula unius et ejusdem generis sunt omnia. Est enim teterrimus et obscu-

rissimus carcer, ubi perpetuo et inextinguibili igne damnatorum animae, simul cum immundis spiritibus torquentur, qui etiam Gehenna, Abyssus et propria significatione Infernus vocatur. Praeterea, est purgatorius ignis, quo piorum animae ad definitum tempus cruciatae expiantur, ut eis in aeternam patriam ingressus patere possit, in quam nihil coinquinatum ingreditur. Ac de hujus quidem doctrinae veritate, quam et Scripturarum testimoniis et apostolica traditione confirmatam esse, Sancta Concilia declarant, eo diligentius et saepius Parocho disserendum erit, quod in ea tempora incidimus, qnibus homines sanam doctrinam non sustinent. Tertium postremo receptaculi genus est, in quo animae Sanctorum ante Christi Domini adventnm excipiebantur, ibique sine ullo doloris sensu, beata redemptionis spe sustentati, quieta habitatione fruebantur. Horum igitur piorum animas, qui in sinu Abrahae Salvatorem expectabant, Christus Dominus ad Inferos descendens liberavit.

§. 103. Nec vero existimandum est, eum sic ad Inferos descendisse, ut ejus tantummodo vis ac virtus, non etiam anima, eo pervenerit; sed omnino credendum est, ipsam animam re et praesentia ad Inferos descendisse, de quo extat firmissimum illud Davidis testimonium *(Psal. XV, 10.)*: *Non derelinques animam meam in Inferno.* Verum etsi Christus ad Inferos descendit, nihil de ejus summa potestate detractum est; neque ejus sanctitatis splendor macula aliqua adspersus; cum potius hoc facto verissima esse omnia, quae de illius sanctitate celebrata erant, eumque filium Dei esse, quemadmodum antea tot prodigiis declaraverat, apertissime comprobatum sit. Id quod facile intelligemus, si causas, cur Christus et alii homines in ea loca venerint, inter se conferamus. Caeteri enim omnes captivi descendunt; ipse vero inter mortuos liber et victor, ad profligandos Daemones, a quibus illi, ob noxam inclusi et constricti tenebantur, descendit. Praeterea alii omnes, qui descenderunt, partim poenis acerbissimis torquebantur, partim vero, ut alio doloris sensu carerent, tamen Dei adspectu privati, et spe beatae gloriae, quam expectabant, suspensi torquebantur. At Christus Dominus descendit, non ut aliquid pateretur, verum ut sanctos et justos homines ex misera illius custodiae molestia liberaret, eisque passionis suae fructum impertiret. Quod

igitur ad Inferos descendit, nulla prorsus de summa ejus dignitate et potestate diminutio facta est.

§. 104. His expositis, docendum erit, propterea Christum Dominum ad Inferos descendisse, ut ereptis Daemonum spoliis, sanctos illos Patres caeterosque pios e carcere liberatos, secum adduceret in coelum. Quod ab eo admirabiliter summaque cum gloria perfectum est: statim enim illius adspectus clarissimam lucem captivis attulit, eorumque animas immensa laetitia gaudioque implevit, quibus etiam optatissimam beatitudinem, quae in Dei visione consistit, impertivit. Quo facto, id comprobatum est, quod latroni promiserat illis verbis (*Luc.* XXIII, 43.): *Hodie mecum eris in paradiso.* Hanc vero piorum liberationem Hoseas (XIII, 14.) diu ante praedixerat in hunc modum: *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero Inferne.* Hoc etiam significavit Zacharias Propheta, cum ait (IX, 11.): *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Idipsum denique expressit Apostolus illis verbis (*Colos.* II, 15.): *Exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Verum, ut hujus mysterii vim melius intelligamus, saepe illud memoria repetere debemus, pios homines, non solum, qui post adventum Domini in lucem editi erant, sed qui illum post Adam antecesserunt, vel qui usque ad finem saeculi futuri sunt, ejus passionis beneficio salutem consecutos esse. Quamobrem, antequam ille moreretur ac resurgeret, coeli portae nemini unquam patuerunt, sed piorum animae, cum e vivis excessissent, vel in sinum Abrahae deferebantur, vel quod etiam nunc iis contingit, quibus aliquid diluendum et persolvendum est, Purgatorii igne expiabantur.

§. 105. Est illa praeterea causa, cur descenderit ad Inferos Christus Dominus, ut ibi etiam (quemadmodum in coelo et in terris) vim suam, potestatemque declaret, et omnino, ut in nomine ejus omne genu flecteretur coelestium, terrestrium et inferorum. Quo loco, quis summam Dei benignitatem in genus humanum non admiretur et obstupescat, qui non modo pro nobis acerbissimam mortem subire, sed infimas etiam terrae partes penetrare voluerit, ut sibi charissimas animas inde ereptas, ad beatitudinem traduceret?

§. 106. Sequitur altera articuli pars, in qua explicanda quantum laborare Parochus debeat, declarant illa Apostoli verba *(2 Timoth. II, 8.)*: *Memor esto, Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis.* Quod enim Timotheo praecipit, idem etiam reliquis animarum curatoribus praeceptum esse, dubitandum non est. Ea autem articuli est sententia: Postquam Christus Dominus sexta feria, hora diei nona, in cruce spiritum emisit, et eadem die vespere sepultus est ab ejus discipulis, qui Pilati Praesidis permissu corpus Domini e cruce depositum, in propinqui horti monumentum novum intulerunt, tertio a morte die, qui fuit Dominicus, summo mane illius anima corpori iterum conjuncta est: atque ita is, qui triduum illud mortuus fuerat, ad vitam, ex qua moriens discesserat, rediit et surrexit.

§. 107. Sed Resurrectionis voce non illud solum intelligendum est: Christum a mortuis excitatum esse, quod multis aliis commune fuit, sed sua vi ac virtute resurrexisse, quod proprium in illo fuit et singulare. Neque enim natura patitur, nec ulli homini concessum est, ut se ipsum possit virtute sua a morte ad vitam revocare. Hoc vero summae Dei potestati tantummodo reservatum est, ut ex illis Apostoli verbis intelligimus *(2 Cor. XIII, 4.)*: *Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei*, quae, quoniam neque a Christi corpore in sepulchro, neque ab anima, cum ad Inferos descendisset, sejuncta unquam fuit, divina vis tum in corpore inerat, qua animae iterum conjungi, tum in anima, qua ad corpus denuo reverti posset, qua et licuit sua virtute reviviscere, atque a mortuis resurgere. Id vero David Spiritu Dei plenus praedixit his verbis *(Psalm. XCVII, 1.)*: *Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus.* Deinde, ipse Dominus divino oris sui testimonio confirmavit *(Joh. X, 17. 18.)*: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam: et potestatem habeo ponendi eam, et iterum sumendi eam.* Judaeis etiam ad confirmandam doctrinae veritatem dixit *(Joh. II, 19.)*: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Quod quidem, tametsi de templo illo magnifice ex lapidibus structo, intelligerent, ille tamen, ut Scripturae verbis eodem in loco declaratum est, dicebat de templo corporis sui. Quamvis autem in Scripturis interdum legamus, Christum Dominum a Patre suscitatum esse;

hoc ad eum, ut ad hominem, referendum est: quemadmodum illa rursus ad eundem, ut Deum, spectant, quibus significatur, eum sua virtute resurrexisse.

§. 108. Sed illud etiam praecipuum Christi fuit, quod ipse primus omnium, hoc divino resurrectionis beneficio affectus est. Nam in Scripturis et *primogenitus ex mortuis (Col. I, 18.)*, *primogenitus mortuorum (Apoc. I, 5.)* vocatur. Atque, ut est apud Apostolum *(1 Cor. XV, 20—23.)*: *Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium: quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum: et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in suo ordine, primitiae Christus: deinde ii, qui sunt Christi.* Quae quidem verba de perfecta resurrectione interpretanda sunt, qua ad immortalem vitam, omni prorsus moriendi necessitate sublata, excitamur. Atque in eo genere Christus Dominus primum locum obtinet. Nam si de resurrectione loquimur, hoc est, de reditu ad vitam, cui iterum moriendi necessitas adjuncta est, ante Christum multi alii a mortuis excitati sunt, qui omnes tamen ea conditione revixerunt, ut eis iterum moriendum esset: at Christus Dominus ita resurrexit, morte subacta et oppressa, ut mori amplius non posset: quod quidem apertissimo illo testimonio confirmatur *(Rom. VI, 9.)*: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur: mors illi ultra non dominabitur.*

§. 109. Quod vero articulo additur: **Tertia die**, Parocho explanandum erit, ne fideles arbitrentur, totos ipsos tres dies Dominum in sepulchro fuisse. Nam quod integrum naturalem diem, partemque tum antecedentis, tum consequentis diei in sepulchro conditus est, ob eam rem verissime dicitur triduo in sepulchro jacuisse, ac tertia die a mortuis surrexisse. Ut enim divinitatem suam declaret, resurrectionem ad finem saeculi differre noluit. Rursus vero, ut eum vere hominem, vereque mortuum esse crederemus, non statim post mortem, sed tertio die revixit: quod temporis spatium ad veram mortem comprobandam satis esse videbatur.

§. 110. Patres primae Constantinopolitanae Synodi huic loco addiderunt, *Secundum Scripturas.* Quod quidem ab Apostolo *(1 Cor. XV, 3.)* acceptum, in fidei Symbolum propterea transtulerunt, quod resurrectionis

mysterium maxime necessarium esse, idem Apostolus docuerit iis verbis (1 *Cor. XV*, 14 — 17.): *Si Christus non surrexisset, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra: adhuc enim estis in peccatis vestris.* Quare D. Augustinus, cum hujus articuli fidem admiraretur, ita scripsit (*in Psalm. CXX.*): „Non magnum est credere, quia mortuos est Christus. Hoc et Pagani, et Judaei, et omnes iniqui credunt. Hoc omnes credunt, quia mortuus est: fides Christianorum, resurrectio Christi est: hoc pro magno habemus, quia credimus eum resurrexisse." Ex quo factum est, ut frequentissime Dominus de sua resurrectione locutus sit: ac nunquam fere de passione sua cum discipulis collocutus est, quin de resurrectione loqueretur. Quare, cum dixisset (*Luc. XVIII*, 32. 33.): *Filius Hominis tradetur gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur, et postquam flagellaverint, occident eum:* ad extremum addidit, *et tertia die resurget.* Et cum Judaei ab eo peterent, ut aliquo signo et miraculo, doctrinam suam comprobaret, respondit (*Luc. XI*, 29. *Matth. XII*, 39. 40.): *nullum aliud signum eis datum iri, quam Jonae Prophetae signum; sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic futurum affirmavit Filium Hominis in corde terrae, tribus diebus et tribus noctibus.*

§. 111. Verum, ut hujus articuli vim et sensum melius perspiciamus, tria nobis investiganda et cognoscenda sunt: Primum quidem, quare necesse fuerit Christum resurgere? deinde, qui resurrectionis finis et scopus sit; et quae ab ea utilitates et commoda in nos sint profecta. Quod igitur ad primum attinet, necesse fuit eum resurgere, ut Dei justitia ostenderetur, a quo maxime decebat eum extolli, qui, ut illi obtemperaret, depressus atque omni ignominia affectus erat. Hanc Apostolus causam attulit, cum ad Philippenses inquit (*Phil. II*, 8. 9.): *Humiliavit semet ipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum.* Praeterea, ut fides nostra confirmaretur, sine qua hominis justitia constare non potest. Illud enim maximo argumento esse debet, Christum Filium Dei fuisse, quod sua virtute a mortuis resurrexit; deinde, ut spes nostra aleretur atque sustentaretur. Cum enim Christus resurrexerit, certa spe nitimur fore, ut nos

etiam resurgamus: siquidem membra capitis sui conditionem consequantur, necesse est. Ita enim Apostolus argumentationem concludere videtur, cum ad Corinthios (1 *Cor. XV.*) et Thessalonicenses (*Thess. IV.*) scribit. Et a Principe Apostolorum Petro dictum est (1 *Petr. I,* 3. 4.): *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in haereditatem incorruptibilem.* Postremo ob eam etiam rem Domini resurrectionem necessariam fuisse, docendum est, ut salutis et redemptionis nostrae mysterium absolveretur. Christus enim morte sua nos a peccatis liberavit: resurgens vero, praecipua nobis bona restituit, quae peccando amiseramus. Quare est apud Apostolum dictum (*Rom. IV,* 25.): *Christus traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.*

§. 112. Ne quid igitur humani generis saluti deesset, quemadmodum illum mori, ita resurgere etiam oportuit. Ex iis vero, quae hactenus dicta sunt, perspicere possumus, quantum utilitatis Christi Domini resurrectio fidelibus attulerit. In resurrectione enim Deum esse immortalem, plenum gloria, mortis et Diaboli victorem, agnoscimus; quod de Christo Jesu, sine ulla dubitatione credendum est. Deinde Christi resurrectio nobis etiam corporis resurrectionem peperit, tum quia ejus mysterii efficiens causa fuit, tum quia ad Domini exemplum resurgere omnes debemus. Nam quod ad corporis resurrectionem attinet, Apostolus ita testatur (1 *Cor. XV,* 21.): *Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.* Quaecunque enim Deus in redemptionis nostrae mysterio egit, ad omnia Christi humanitate, tamquam efficienti instrumento, usus est.

§. 113. Quare ejus resurrectio instrumentum quoddam fuit ad resurrectionem nostram efficiendam; exemplar vero dici potest, quoniam Christi Domini resurrectio omnium est perfectissima: ac, quemadmodum Christi corpus resurgens ad immortalem gloriam immutatum est, ita nostra etiam corpora, quae prius imbecilla et mortalia fuerant, gloria et immortalitate ornata restituentur. Ut enim Apostolus docet (*Phil. III,* 20. 21.): *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum cor-*

*pori claritatis suae.* Hoc etiam de anima in peccatis mortua dici potest: cui quo pacto Christi resurrectio exemplar proponatur, idem Apostolus iis verbis ostendit (*Rom. VI,* 4. 5. 6—11.): *Quo modo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus.* Et paucis interjectis, inquit: *Scientes, quod Christus, resurgens ex mortuis, jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu.*

§. 114. Duo igitur a Christi resurrectione exempla petere debemus. Alterum est, ut postquam peccati maculas eluimus, novum vitae genus instituamus, in quo morum integritas, innocentia, sanctitas, modestia, justitia, beneficentia, humilitas eluceant. Alterum est, ut in eo vitae instituto ita perseveremus, ut, adjuvante Domino, a justitiae via, quam semel ingressi fuerimus, non excidamus. Neque vero Apostoli verba id solum demonstrant, Christi resurrectionem ad resurrectionis exemplum nobis proponi; verum etiam resurgendi virtutem nobis praebere, viresque et spiritum largiri, quo in sanctitate et justitia permaneamus, ac Dei praecepta servemus, declarant. Nam quemadmodum ex ejus morte non solum peccatis moriendi exemplum capimus, sed virtutem etiam haurimus, qua peccatis moriamur: ita ejus resurrectio ad justitiam consequendam nobis vires affert, ut deinde pie et sancte Deum colentes, in novitate vitae ambulemus, ad quam resurgimus. Hoc enim maxime resurrectione sua Dominus effecit, ut qui antea una cum illo peccatis et huic saeculo mortui eramus, cum illo etiam ad novam vitae institutionem et disciplinam resurgeremus.

§. 115. Cujus resurrectionis, quae potissimum signa observanda sint, Apostolus nos admonet. Nam cum inquit (*Col. III,* 1.): *Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens:* plane ostendit, eos qui vitam, honores, otium, divitias ibi maxime, ubi Christus est, habere cupiunt, vere cum Christo surrexisse. Cum vero addit; quae sursum sunt sapite, non quae super terram: alteram

etiam hanc veluti notam apposuit, qua perspicere possimus, num vere cum Christo surreximus. Ut enim corporis affectionem et valetudinem gustus indicare solet: ita, si quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque sancta alicui sapiant, isque coelestium rerum jucunditatem initio mentis sensu percipiat, hoc maximo argumento esse potest, eum, qui ita affectus sit, ad novam et spiritualem vitam una cum Christo Jesu surrexisse.

## CAPUT VIII.

*De Adscensione Christi et Sessione ad dexteram Patris* §. 116 — 119.; *quibus de causis in coelum adscenderit et quae nobis inde beneficia atque commoda evenerunt* §. 120 — 124.

§. 116. **Ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.** David Propheta, cum beatam et gloriosam Domini adscensionem Spiritu Dei plenus contemplaretur, omnes ad eum triumphum, summa laetitia et gaudio celebrandum illis verbis hortatur, cum inquit (*Psalm. XLVI,* 1 — 6.): *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis: adscendit Deus in jubilatione.* Ex quo intelliget Parochus, maximo studio hoc mysterium explicandum esse, sibique diligenter curandum, ut fideles illud non solum fide et mente percipiant, sed, quoad ejus fieri poterit, juvante Domino, factis etiam et vita exprimere studeant.

§. 117. Quod igitur ad sexti articuli explanationem attinet, in quo potissimum de divino hoc mysterio agitur, a priore ejus parte incipiendum est, et quae ejus sit vis atque sententia, aperiendum. De Christo enim Jesu illud etiam fideles sine ulla dubitatione credere oportet, eum, perfecto jam et absoluto redemptionis nostrae mysterio, ut homo est, in coelum corpore et anima adscendisse. Nam, ut Deus est, nunquam ab eo abfuit, ut qui divinitate sua omnia compleret. Adscendisse autem sua virtute doceat, non aliena vi sublatum, quemadmodum Elias, qui igneo curru in coelum evectus est; vel Habacuc Propheta, vel Philippus Diaconus, qui divina virtute per aërem delati, longinqua terrarum

spatia permearunt. Neque vero solum, ut Deus, praepotenti divinitatis virtute in coelos adscendit, sed etiam ut Homo est. Quamvis enim naturali vi id fieri non potuerit, tamen virtus illa, qua beata Christi anima praedita erat, corpus ut libuit movere potuit: corpus vero, quod jam gloriam adeptum erat, moventis animae imperio facile parebat. Atque hac ratione, ut Deus et ut Homo est, Christum in coelum sua virtute adscendisse credimus.

§. 118. In altera articuli parte haec sunt: Sedet ad dexteram Patris. Quo loco tropum, id est, verbi immutationem licet animadvertere frequentem in divinis literis, cum humanas affectiones, et membra ad nostram intelligentiam accommodantes, Deo tribuimus. Neque enim, cum spiritus sit, quidquam in eo corporeum cogitari potest. Sed quoniam in humanis rebus, ei majorem honorem tribui existimamus, qui ad dexteram collocatus est, eandem rem ad coelestia etiam transferentes, ad explicandam Christi gloriam, quam, ut Homo, prae caeteris omnibus adeptus est, eum in Patris dexteram esse confitemur. Sedere autem, hoc loco non situm et figuram corporis significat, sed eam regiae summaeque potestatis, ac gloriae firmam et stabilem possessionem, quam a Patre accepit, declarat: de quo ait Apostolus (*Ephes. I,* 20 — 22.): *Suscitans illum a mortuis, et constituens ad dextreram suam in coelestibus, supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem; et omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro: et omnia subjecit sub pedibus ejus.* Ex quibus verbis apparet, hanc gloriam adeo propriam et singularem Dei esse, ut cujus alii creatae naturae convenire non possit. Quare alio loco testatur (*Hebr. I,* 13.): *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede a dexteris meis?* Sed articuli sensum, Parochus latius explanabit, adscensionis historiam persequens, quam Sanctus Lucas Evangelista in Actis Apostolorum admirabili ordine descripsit.

§. 119. In cujus explicatione illud primum observare oportebit; caetera omnia mysteria, ad adscensionem, tamquam ad finem, referri, in eoque omnium perfectionem et absolutionem contineri. Nam ut ab incarnatione Domini omnia religionis nostrae mysteria initium habent, ita adscensione ejus peregrinatio conclu-

ditur. Praeterea alia Symboli capita, quae ad Christum Dominum pertinent, summam ejus humilitatem et contemptionem ostendunt. Neque enim abjectius aut humilius quidquam cogitari potest, quam quod Filius Dei pro nobis humanam naturam et imbecillitatem assumpserit, patique et mori voluerit. At vero, quod tum superiori articulo a mortuis resurrexisse, nunc vero in coelum adscendisse, et ad Dei Patris dexteram sedere confitemur, nihil ad ejus summam gloriam divinamque majestatem declarandam magnificentius dici aut admirabilius potest.

§. 120. Jam his expositis accurate docendum est, cujus rei causa Christus Dominus in coelum adscenderit. Primum enim adscendit, propterea quod ejus corpori, quod immortalitatis gloria in resurrectione donatum fuerat, non terrenae hujus et obscurae habitationis locus, sed altissimum et splendidissimum coeli domicilium conveniret: nec vero solum, ut ejus gloriae et regni solio potiretur, quod sanguine meruerat, verum etiam, ut ea, quae ad salutem nostram pertinebant, curaret. Deinde, ut regnum suum non esse ex hoc mundo, re ipsa comprobaret. Nam mundi regna, terrena et fluxa sunt, magnisque opibus et carnis potentia nituntur: Christi vero regnum non terrenum, quale Judaei expectabant, sed spirituale et aeternum. Itemque ejus opes et divitias spirituales esse ipse ostendit, cum suam sedem in coelis collocavit. In quo quidem regno illi ditiores, et omnium bonorum copia affluentiores existimandi sunt, qui ea, quae Dei sunt, diligentius quaerunt. Nam et Sanctus Jacobus testatur *(Jac. II, 5.)*: *Deum elegisse pauperes in hoc mundo, divites in fide, et haeredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se.* Sed illud etiam Dominus noster in coelum adscendens efficere voluit, ut nos eum adscendentem mente et desiderio prosequeremur. Nam quemadmodum morte et resurrectione sua moriendi et resurgendi spiritu exemplum nobis reliquerat, ita adscensu nos docet atque instruit, ut in terris positi, in coelum nos cogitatione conferamus, confitentes nos peregrinos et hospites esse super terram, ac patriam inquirentes, cives esse Sanctorum et domesticos Dei. *Nostra enim*, ut idem inquit Apostolus *(Phil. III, 20.)*, *conversatio in coelis est.*

§. 121. Jam vero vim et magnitudinem inexplicabilium bonorum, qua in nos Dei benignitas effundit, divinus David *(Psalm. LXXVII, 19.)*, Apostolo interprete *(Ephes. IV, 8.)* multo ante cecinerat, illis verbis: *Adscendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Nam decimo die Spiritum Sanctum dedit, cujus virtute atque ubertate complevit praesentem illam fidelium multitudinem. Et vere tum magnifica illa promissa persolvit *(Joh. XVI, 7.)*: *Expedit vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Adscendit etiam in coelum ex Apostoli sententia *(Hebr. IX.)*, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis, et apud Patrem advocati officio fungatur. *Filioli mei*, inquit Sanctus Johannes *(1 Joh. II, 1. 2.)*, *haec scribo vobis ut non peccetis: sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Nec vero quidquam est, unde fideles majorem laetitiam et animi jucunditatem capere debeant, quam Jesum Christum patronum causae, ac deprecatorem salutis nostrae constitutum esse, cujus sit apud aeternum Patrem summa gratia et autoritas. Paravit denique nobis locum, quod etiam se facturum promiserat *(Joh. XIV.)*, atque omnium nostrum nomine caput ipse Jesus Christus venit in coelestis gloriae possessionem. Nam in coelum abiens, portas, quae Adami peccato interclusae fuerant, patefecit, nobisque viam munivit, qua ad coelestem beatitudinem perveniremus; quemadmodum ipse in coena discipulis futurum praedixerat.

§. 122. Quod quidem ut rei etiam eventu aperte comprobaret, piorum animas, quas ab inferis eripuerat, secum in aeternae beatitudinis domicilium introduxit. Hanc coelestium munerum admirabilem copiam, salutaris illa commodorum series consecuta est. Primum enim fidei nostrae merito maximus cumulus accessit: Nam fides earum rerum est, quae sub adspectum non cadunt, atque ab hominum ratione ac intelligentia remotae sunt. Quare si Dominus a nobis non discessisset, fidei nostrae meritum minueretur: siquidem a Christo Domino beati praedicantur, qui non viderunt, et crediderunt. Praeterea Christi in coelum adscensus ad confirmandam spem in cordibus nostris, magnum momentum habet. Nam quoniam Christum hominem in coelum adscendisse, et hu-

manam naturam in dextera Dei Patris collocasse credimus, magna in spe sumus fore, ut nos etiam, ejus membra, illuc adscendamus, atque ibi cum capite nostro conjungamur: quod ipse Dominus his verbis testatus est *(Joh. XVII, 24.)*: *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum.*

§. 123. Deinde hoc quoque vel maximum beneficium consecuti sumus, quod amorem nostrum ad coelum rapuit, ac divino spiritu inflammavit: nam verissime dictum est *(Matth. VI, 21.)*, *ibi cor nostrum esse, ubi thesaurus noster est.* Ac profecto, si Christus Dominus in terris versaretur, omnis nostra cogitatio in ipso hominis adspectu et consuetudine defixa esset, et illum duntaxat hominem spectaremus, qui nos tantis beneficiis afficeret, eumque terrena quadam benevolentia prosequeremur: verum in coelum adscendens, amorem nostrum spiritualem reddidit, effecitque, ut quem nunc absentem cogitamus, eum ut Deum veneremur et diligamus. Id autem partim Apostolorum exemplo intelligimus, quibus dum praesens affuit Dominus, humano fere sensu de illo judicare videbantur; partim vero ipsius Domini testimonio confirmatum est, cum inquit *(Joh. XVI, 7.)*: *Expedit vobis, ut ego vadam.* Nam imperfectus ille amor, quo Christum Jesum praesentem diligebant, divino amore perficiendus erat, idque Spiritus Sancti adventu: quare statim addit: *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.*

§. 124. Accedit etiam, quod in terris domum suam, id est, Ecclesiam amplificavit, quae Spiritus Sancti virtute et ductu gubernaretur. Ejus vero universae inter homines Pastorem et summum antistitem Petrum Apostolorum principem reliquit. Tum vero dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores. Atque ita ad dexteram Patris sedens, aliis diversa dona semper impertitur. Nam testatur Apostolus, unicuique nostrum datam esse gratiam secundum mensuram donationis Christi. Ad extremum vero, quod antea de mortis et resurrectionis mysterio docuimus, idem etiam de adscensu fidelibus cogitandum est. Quamvis enim Christi passioni salutem et redemptionem nostram debeamus,

qui merito suo aditum justis ad coelum aperuit: tamen ejus adscensus non solum veluti exemplar nobis propositum est, quo alte spectare, et spiritu in coelum adscendere discamus, sed divinam etiam virtutem, qua id efficere possimus, largitus est.

## CAPUT IX.

*De Christi adventu ad judicium, in genere* §. 125; *de duplici judicio, privato cujusque, et generali omnium hominum: quaeque posterioris necessitas et fructus* §. 126; *de judicii generalis circumstantiis* §. 127—134; *judicii fides et recordatio quam fructuosa sit tum malis tum bonis hominibus* §. 135.

§. 125. **Inde venturus est judicare vivos et mortuos.** Tria sunt Domini nostri Jesu Christi ad suam Ecclesiam decorandam et illustrandam insignia officia et munera; redemptionis, patrocinii et judicii. Cum autem superioribus articulis ab eo genus humanum passione et morte redemptum esse, adscensu etiam in coelum, nostram causam et patrocinium in perpetuum susceptum constet; sequitur ut ejus judicium hoc articulo declaretur, cujus articuli ea vis est et ratio; summo illo die Christum Dominum de universo hominum genere judicaturum esse. Sacrae enim Literae duos Filii Dei adventus esse testantur: alteram, cum salutis nostrae causa carnem assumpsit, et homo in virginis aluo effectus est; alterum, cum in consummatione saeculi ad judicandos omnes homines veniet. Hic adventus, in Sacris Litteris dies Domini appellatur: de quo Apostolus ait *(1 Thess. V, 2.)*: *Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet;* et Salvator ipse *(Matth. XXIV, 16.)*: *De die autem illa et horo nemo scit.* Ac de summo judicio satis sit illa autoritas Apostoli *(2 Cor. V, 10.)*: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Plena enim est Sacra Scriptura testimoniorum, quae passim Parochis occurrent, ad rem non solum comprobandam, sed etiam fidelium oculis subjiciendam, ut, quemadmodum a mundi initio dies ille Domini, quo humanam carnem induit, omnibus optatissimus semper fuit, quod in eo mysterio liberationis suae spem positam haberent, ita deinceps post Filii Dei mor-

tem et adscensum in coelum, alterum diem Domini vehementissimo studio desideremus, *expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei (Tit. II, 13.).*

§. 126. Sed duo tempora Parochis ad rei explicationem observanda sunt, in quibus unicuique necesse est in conspectum Domini venire, et singularum cogitationum, actionum, verborum denique omnium rationem reddere, demumque judicis praesentem subire sententiam. Primum est, cum unusquisque nostrum migrat e vita. Nam statim ad Dei tribunal sistitur, ibique de omnibus justissima quaestio habetur, quaecumque aut egerit, aut dixerit, aut cogitarit unquam. Atque hoc privatum judicium vocatur. Alterum vero, cum uno die, atque uno in loco omnes simul homines ad tribunal judicis stabunt, ut omnibus omnium saeculorum hominibus inspectantibus et audientibus, singuli, quid de ipsis decretum et judicatum fuerit, cognoscant: cujus sententiae pronunciatio impiis et scelestis hominibus non minima futura est poenarum et suppliciorum pars: rursus vero pii et justi non parvum ex ea praemium, fructumque percepturi sunt, cum qualis quisque in hac vita fuerit, apparebit.

§. 127. Hoc autem generale judicium appellatur: de quo illud necessario ostendendum est, quae causa fuerit, cur, praeter privatum de singulis, alterum etiam de universis hominibus judicium exerceretur. Nam cum vel ipsis hominibus mortuis, interdum superstites sint filii parentum imitatores, reliqui sint liberi, discipuli, exemplorum, orationum, actionum amatores ac propugnatores: quibus rebus ipsorum mortuorum praemia, et poenas augeri necesse est: cum haec utilitas, vel calamitas ad plurimos pertinens, non prius finem habitura sit, quam extremus veniat mundo dies: aequum erat, de universa hac recte aut perperam factorum dictorumque ratione perfectam quaestionem haberi; quod fieri non poterat, nisi facto cummuni omnium hominum judicio.

§. 128. Accedit etiam, quod cum piorum fama saepe laedatur, impii vero innocentiae laude commendentur, divinae justitiae ratio postulat, ut pii ereptam injuriam apud homines existimationem, in publico uni-

versorum hominum conventu et judicio recuperent. Deinde vero boni et mali homines, quaecunque in vita egerunt, cum non sine corporibus egerint, omnino sequitur, ut benefacta sive malefacta ad corpora etiam pertineant, quae actionum ipsarum instrumentum fuerunt. Maxime igitur conveniebat, corporibus una cum eorum animis debita aeternae gloriae praemia aut supplicia impertiri: quod quidem neque sine omnium hominum resurrectione, neque sine generali judicio fieri poterat.

§. 129. Postremo, quoniam in adversis et secundis hominum rebus, quae promiscue nonnumquam bonis et malis eveniunt, probandum erat, nihil non infinita Dei sapientia et justitia geri ac gubernari; par fuit, non solum bonis praemia, improbis supplicia in futuro saeculo constitui, verum etiam publico ac generali judicio decerni, quo omnibus notiora et illustriora fierent, atque ut Deo justitiae et providentiae laus ab omnibus tribueretur, pro injusta illa querela, qua sancti etiam viri deplorare interdum, ut homines, solebant, cum improbos valentes opibus et honoribus florentes animadverterent. Nam Propheta: *Mei*, inquit *(Psal. LXXII, 2. 3. 12—14.)*, *pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei: quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Et paulo post: *Ecce ipsi peccatores et abundantes in saeculo, obtinuerunt divitias et dixi: Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas, et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis.* Atque haec frequens querela multorum fuit. Ergo necesse erat, ut generale judicium exerceretur, ne forte homines dicerent, *Deum circa cardines coeli perambulantem (Iob XXII, 14.)*, non curare terrena.

§. 130. Haec autem veritatis formula, jure una ex duodecim fidei christianae articulis constituta est, ut si quorum animi in providentia et justitia Dei nutarent, hujus doctrinae ratione confirmarentur. Praeterea, proposito judicio pios recreari, impios terreri oportebat, ut cognita Dei justitia, illi ne deficerent, hi a malis, aeterni supplicii metu atque expectatione, revocarentur. Quare Dominus et Salvator noster, cum de extremo die loqueretur *(Matth. XXIV. Luc. XXI.)*, declaravit futurum aliquando generale judicium, signaque adven-

tantis ejus temporis descripsit, ut cum illa viderimus, finem saeculi prope esse intelligamus; ac deinde in coelum adscendens, Angelos misit, qui Apostolos, ejus absentia moerentes, his verbis consolarentur (*Actor. I, 11.*) : *Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum.*

§. 131. Verum Christo Domino non solum ut Deo, sed etiam ut homini hoc judicium datum esse, Sacrae Litterae declarant. Quamvis enim judicandi potestas omnibus Sanctae Trinitatis personis communis sit, praecipue tamen Filio eam tribuimus, quod ipsi quoque sapientiam convenire dicimus. Quod autem ut homo mundum judicaturus sit, Domini testimonio confirmatur, qui inquit (*Ioh. V, 26. 27.*): *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso, et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Decebat autem maxime a Christo Domino hoc judicium exerceri, ut cum de hominibus decernendum esset, illi corporeis oculis judicem videre, et auribus sententiam, quae proferebatur, audire possent, et omnino judicium illud sensibus percipere. Ac praeterea aequissimum erat, ut homo ille, qui iniquissimis hominum sententiis condemnatus fuerat, omnium deinde judex sedere ab omnibus conspiceretur. Quamobrem Apostolorum Princeps, cum in Cornelii domo summa christianae religionis capita exposuisset, docuissetque Christum a Judaeis in ligno suspensum atque occisum, tertia vero die ad vitam resurrexisse, subjunxit (*Actor. X, 42.*): *Et praecepit nobis, praedicare populo et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum.*

§. 132. Sed tria haec praecipua signa judicium antecessura esse, Sacrae Litterae declarant; praedicationem Evangelii per universum orbem, discessionem et Antichristum: inquit enim Dominus (*Matth. XXIV, 14.*): *Praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio.* Et Apostolus nos admonet (*2 Thess. II, 3.*), *ne ab aliquo seducamur, quasi instet dies Domini: quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, judicium non fiet.*

§. 133. Quae autem judicii forma et ratio futura sit, Parochis ex Danielis oraculis, tum ex Sanctorum Evangeliorum et Apostoli doctrina facile erit cognoscere. Praeterea sententia, quae a Judice pronuncianda sit, diligentius hoc loco expendenda erit. Christus enim Salvator noster, laetis oculis pios a dextera stantes intuens, ita de illis judicium summa cum benignitate pronunciabit *(Matth. XXV, 34.)*: *Venite benedicti Patris mei; possidete regnum, quod paratum est vobis a constitutione mundi.* Quibus verbis nihil jucundius audiri posse illi intelligent, qui ea cum impiorum damnatione contulerint, ac cum animo suo cogitaverint, iis verbis pios et justos homines a laboribus ad quietem, a lacrymarum valle ad summum gaudium, a miseriis ad perpetuam beatitudinem, quam illi charitatis officiis promeriti fuerint, vocari. Deinde ad eos, qui a sinistra stabunt, conversus, suam justitiam in eos effundet his verbis *(Matth. XXV, 41.)*: *Discedite a me, maledicti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo et angelis ejus.* Prioribus illis verbis: *Discedite a me*, maxima poena significatur, qua impii plectendi erunt, cum a Dei adspectu, quam longissime ejicientur, neque ulla spes eos consolari poterit, fore aliquando, ut tanto bono perfruantur. Atque haec quidem a Theologis poena damni appellata est, quod scilicet impii apud inferos divinae visionis luce perpetuo cerituri sint. Quod vero additur, Maledicti, mirum in modum auget illorum miseriam et calamitatem. Si enim, cum a divina praesentia expellendi essent, aliqua saltem benedictione digni haberentur, hoc profecto magno eis solatio esse potuisset. At quoniam nihil ejusmodi ipsis expectandum est, quod calamitatem leviorem faciat, jure optimo, cum expellentur, divina justitia eos omni maledictione persequetur.

§. 134. Sequitur deinde *(l. c.)*: *In ignem aeternum*, quod quidem alterum poenarum genus, poenam sensus, Theologi vocarunt: propterea, quod sensu corporis percipiatur, ut in verberibus et flagellis, aliove graviore suppliciorum genere, inter quae dubitari non potest, ignis tormenta summum doloris sensum efficere. Cui malo cum accedat, ut perpetuum tempus duraturum sit, ex eo ostenditur, damnatorum poenam omnibus suppliciis cumulandam esse. Atque hoc magis declarant

verba illa, quae in extrema sententiae parte posita sunt: *Qui paratus est Diabolo, et angelis ejus.* Cum enim ita comparatum sit, ut omnes molestias levius feramus, si calamitatis nostrae socium aliquem et consortem habeamus, cujus prudentia atque humanitate, aliqua ex parte, juvari possimus, quae tandem erit damnatorum miseria, quibus in tantis aerumnis a perditissimorum Daemonum societate divelli nunquam licebit? Et haec quidem sententia in impios justissime a Domino, Salvatore nostro, referetur, ut qui omnia verae pietatis opera neglexerint, et esurienti ac sitienti nec cibum nec potum ministraverint, hospitem non exceperint, nudum non operuerint, aut in carcere inclusum aegrumque non visitarint.

§. 135. Haec sint, quae Pastores fidelis populi auribus saepissime inculcare debent. Nam hujus articuli veritas fide concepta, maximam vim habet ad frenandas pravas animi cupiditates, atque a peccatis homines abstrahendos. Quare in Ecclesiastico dictum est (*Eccl. VII, 40.*): *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.* Ac profecto vix quisquam adeo praeceps in scelera fertur, quem illa cogitatio ad pietatis studium non revocet, fore aliquando, ut ei apud justissimum Judicem, omnium, non solum factorum dictorumque, sed occultissimarum etiam cogitationum ratio reddenda, et pro meritis poena persolvenda sit. Justus vero ad colendam justitiam, magis ac magis incitetur ac summa laetitia efferatur necesse est, quamvis etiam in egestate, infamia, cruciatibus vitam degat, cum animum ad eum diem refert, quo post aerumnosae hujus vitae certamina, victor universis hominibus audientibus declarabitur, et divinis atque illis quidem aeternis honoribus, in coelestem patriam receptus, afficietur. Quod igitur reliquum est, hortari fideles oportet, ut optime vivendi rationem comparent, ad omne pietatis studium se exerceant, possint adventantem magnum illum diem Domini, majore cum securitate animi expectare, atque adeo, ut filios decet, cum summa cupiditate expetere.

# PARS TERTIA.

## DE SPIRITU SANCTO ET RELIQUIS SYMBOLI ARTICULIS.

### CAPUT I.

*Notitia et fides Spiritus Sancti, quam necessaria sit et utilis* §. 136*; de nomine Spiritus Sancti* §. 137. 138*; quid de Spiritus Sancti natura sentiendum et credendum sit* §. 139 — 142*; de effectibus et donis ejus* §. 143. 144.

§. 136. Credo in Spiritum Sanctum. Hactenus, quae ad primam et secundam Sanctae Trinitatis Personam pertinebant, quantum propositi argumenti ratio postulare videbatur, exposita sunt: sequitur nunc, ut illa etiam, quae in Symbolo de tertia Persona, hoc est, de Spiritu Sancto traduntur, explicentur. Qua in re declaranda, omne studium et diligentiam Pastores adhibebunt, cum homini christiano non magis liceat hanc partem ignorare, vel de ea minus recte sentire, quam de aliis superioribus articulis existimandum sit. Quare Apostolus non permisit Ephesios quosdam Spiritus Sancti personam ignorare, a quibus, cum quaesisset, *an Spiritum Sanctum accepissent,* cum illi, *ne si Spiritus Sanctus quidem esset, se scire* respondissent, statim rogavit: *In quo ergo baptizati estis (Actor. XIX, 3.)*? quibus verbis significavit, distinctam hujus articuli notitiam fidelibus maxime necessariam esse: ex qua eum praecipue fructum capiunt, quod, cum attente cogitant, se, quidquid habent, Spiritus Sancti munere et beneficio consecutos esse: tum vero de se ipsis modestius et humilius sentire, et in Dei praesidio omnem spem ponere incipiunt: qui primus homini christiano gradus ad summam sapientiam et felicitatem esse debet.

§. 137. Hujus igitur articuli explanationem a vi et notione, quae hoc loco Spiritus Sancti vocabulo subjecta est, exordiri oportebit. Nam cum illud aeque de Patre et Filio rectissime dicatur (uterque enim spiritus est et sanctus: siquidem Deum spiritum esse confitemur), deinde vero hac voce Angeli etiam et piorum animae significentur, cavendum est, ne populus verbi ambiguitate in errorem inducatur. Quare docendum est in

hoc articulo, Spiritus Sancti nomine, tertiam Trinitatis Personam intelligi: quo modo in Sacris Litteris, tum Veteris nonnunquam, tum Novi Testamenti frequenter accipitur. Nam David precatur *(Palm. L, 13.)*: *Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.* In libro Sapientiae legimus *(Sap. IX, 17.)*: *Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis?* Et alibi *(Eccl. I, 9.)*: *Ipse creavit illam in Spiritu Sancto.* In Novo vero Testamento jubemur *(Matth. XXVIII, 19.)*, *baptizari in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Et sanctissimam Virginem *de Spiritu Sancto concepisse* legimus *(Matth. I, 18—20.)*. Tum vero a Sancto Johanne ad Christum mittimur, *qui nos Spiritu Sancto baptizat (Luc. I, 35. Joh. I, 33. Marc. I, 8.)*, ac plurimis praeterea aliis in locis ea vox legentibus occurrit.

§. 138. Verùm nemo mirari debet, tertiae Personae, quemadmodum primae et secundae, proprium nomen tributum non esse. Nam secunda Persona ideo proprium nomen habet et Filius dicitur, quia ejus aeternus a Patre ortus proprie generatio vocatur; ut in superioribus articulis explicatum est. Ut igitur ortus ille, generationis nomine significatur, ita Personam, quae emanat, proprie Filium appellamus, et a qua emanat, Patrem. Nunc, cum tertiae Personae productioni proprium nomen impositum non sit, sed spiratio et processio appelletur; sequitur, ut etiam Persona, quae producitur, suo nomine careat. Nullum autem proprium nomen ejus emanatio habet propterea, quod nomina, quae Deo tribuuntur, a rebus creatis mutuari cogimur, in quibus, quoniam nullam aliam naturae et essentiae communicandae rationem, quam generandi virtute agnoscimus, ob eam causam fit, ut rationem, qua se ipsum totum Deus vi amoris communicat, proprio vocabulo exprimere non possimus. Quare communi Spiritus Sancti nomine tertia Persona appellata est. Quod quidem illi maxime convenire ex eo intelligimus, quia *(Rom. VIII.)* spiritualem vitam in nos infundit, ac sine ejus sanctissimi numinis afflatu, nihil aeterna vita dignum efficere possumus.

§. 139. Verum, explicata vocabuli significatione, docendus inprimis erit populus, Spiritum Sanctum aeque ac Patrem et Filium Deum esse, eidem aequalem, aeque omnipotentem, aeternum et infinitae perfectionis, summum

bonum ac sapientissimum, ejusdemque cum Patre et Filio naturae. Quod quidem illius vocis, in, cum dicimus: Credo in Spiritum Sanctum, proprietas satis indicat, quae ad exprimendam fidei nostrae vim, singulis Trinitatis Personis apposita est. Atque id etiam aperta Sacrarum Litterarum testimonia, confirmant; nam cum Sanctus Petrus in Actis Apostolorum dixisset *(Actor. V, 3. 4.)*: *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto?* mox inquit: *Non es mentitus hominibus, sed Deo*: quem prius Spiritum Sanctum appellaverat, eundem statim Deum vocat. Apostolus etiam ad Corinthios, quem Deum dixerat, Spiritum Sanctum esse interpretatur *(1 Cor. XII, 6. 11.)*: *Divisiones*, inquit, *operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Deinde subjungit: *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.* Praeterea in Actis Apostolorum, quod uni Deo Prophetae tribuunt, ille Spiritui Sancto adscribit. Dixerat enim Jesaias *(Jes. VI, 8—10.)*: *Audivi vocem Domini, dicentis: Quem mittam? et dixit mihi: Vade, et dices populo huic: Excaeca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculus ejus claude: ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat.* Quae verba, cum Apostolus citaret *(Actor. XXVIII, 25.)*: *Bene*, inquit, *Spiritus Sanctus locutus est per Iesaiam Prophetam.*

§. 140. Deinde vero, cum Scriptura Spiritus Sancti Personam cum Patre et Filio conjungit, ut, cum Patris et Filii et Spiritus Sancti nomen in Baptismo adhiberi praecipit, nullus nobis de hujus mysterii veritate dubitandi locus relinquitur. Nam, si Pater Deus est et Filius Deus, omnino fateri cogimur, etiam Spiritum Sanctum, qui cum eis pari honoris gradu conjungitur, Deum esse. Accedit autem, quod is, qui in nomine cujusvis rei creatae baptizatur, nullum ex eo fructum consequi potest: *Nunquid in nomine Pauli*, inquit *(1 Cor. I. 13.)*, *baptizati estis?*, ut ostenderet hoc eis nihil ad comparandam salutem profuturum esse. Cum igitur baptizemur in nomine Spiritus Sancti, eum esse Deum fateri oportet. Sed hunc eundem trium Personarum ordinem, quo Spiritus Sancti divinitas comprobatur, licet animadvertere tum in Epistola Johannis *(1 Joh. V, 7.)*: *Tres sunt qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt:* tum ex

praeclaro illo Sanctae Trinitatis eulogio, quo divinae laudes et psalmi concluduntur; *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.* Postremo, quod ad eam veritatem confirmandam maxime pertinet, quaecunque Dei propria esse credimus, ea Spiritui Sancto convenire Sacrae Literae testantur. Quare illi templorum honorem tribuunt, ut cum Apostolus ait (1 *Cor. VI*, 12.): *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti?* Item sanctificationem, et vivificationem, et scrutari profunda Dei, et per Prophetas loqui, et ubique esse (1 *Cor. II*, 10. *III*, 16. *VI*, 19. *etc.*): quae omnia divino tantum numini tribuenda sunt.

§. 141. Sed illud praeterea fidelibus accurate explanandum est, Spiritum Sanctum ita Deum esse, ut eum tertiam Personam in divina natura a Patre et Filio distinctam, et voluntate productam, confiteri oporteat. Nam (ut alia Scripturarum testimonia omittantur) Baptismi forma, quam Salvator noster docuit, apertissime ostendit, Spiritum Sanctum tertiam esse Personam, quae in divina natura per se constet, et ab aliis distincta sit. Quod etiam Apostoli verba declarant, cum inquit (2 *Cor. XIII*, 13.): *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus, sit cum omnibus vobis, Amen.* Idem vero multo apertius demonstrant, quae Patres in Constantinopolitano primo Concilio, hoc loco, ad confutandam impiam Macedonii amentiam, addiderunt: *Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem qui ex Patre, Filioque procedit: qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas.* Quod igitur Spiritum Sanctum Dominum confitentur, in eo declarant, quantum Angelis antecellat, qui tamen nobilissimi spiritus a Deo conditi sunt. Illos enim omnes Sanctus Paulus (*Hebr. I*, 14.) testatur esse administratorios spiritus, in ministerium missos, propter eos qui haereditatem capiunt salutis. Vivificantem vero appellant, quod anima cum Deo conjuncta magis vivit, quam corpus animae conjunctione alitur ac sustinetur. Quoniam vero Spiritui Sancto Sacrae Literae hanc animae cum Deo conjunctionem tribuunt, rectissime vivificantem Spiritum Sanctum vocari perspicuum est.

§. 142. Jam vero quod sequitur: Qui ex Patre Filioque procedit, docendi sunt fideles, Spiritum Sanctum a Patre et Filio, tamquam ab uno principio, aeterna

processione procedere. Id enim ecclesiastica regula (a qua Christiano non licet aberrare) credendum nobis proponit, et Divinarum Literarum et Conciliorum autoritate confirmatur. Nam Christus Dominus, cum de Spiritu Sancto loqueretur, dixit *(Joh. XVI, 14.)*: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Hoc idem ex eo colligitur, quod in Scripturis Sacris, Spiritus Sanctus nonnunquam Spiritus Christi, interdum Spiritus Patris, appellatur; modo a Patre, modo a Filio mitti dicitur, ut aeque a Patre et Filio procedere, non obscure significetur. *Qui Spiritum Christi non habet,* inquit Sanctus Paulus *(Rom. VIII, 9.)*, *hic non est ejus.* Et idem Spiritum Christi vocat, cum ad Galatas inquit *(Gal. IV, 6.)*: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem; Abba Pater.* Apud Sanctum Matthaeum, Spiritus Patris appellatur *(Matth. X, 20.)*: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri.* Et Dominus in coena inquit *(Joh. XV, 26.)*: *Paracletus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Tum alibi eundem Spiritum Sanctum a Patre mittendum affirmat, his verbis *(Joh. XIV, 27.)*: *Quem mittet Pater in nomine meo.* Ex quibus verbis, cum processionem Spiritus Sancti intelligamus, perspicuum est, eundem ab utroque procedere. Haec sunt, quae de Spiritus Sancti Persona tradenda erunt.

§. 143. Docere praeterea oportebit, quosdam esse Spiritus Sancti admirabiles effectus, et amplissima quaedam munera, quae ab ipso, tamquam a perenni bonitatis fonte, oriri et manare dicuntur. Quamvis enim Sanctissimae Trinitatis opera, quae extrinsecus fiunt, tribus Personis communia sint: ex iis tamen multa Spiritui Sancto propria tribuuntur, ut intelligamus, illa in nos a Dei immensa charitate proficisci. Nam cum Spiritus Sanctos a divina voluntate, veluti amore inflammata, procedat, perspici potest, eos affectus qui proprie ad Spiritum Sanctum referuntur, a summo erga nos Dei amore oriri. Quare ex eo consequitur, ut Spiritus Sanctus Donum appelletur. Nam D o n i vocabulo significatur id, quod benigne et gratuito, nulla spe remunerationis proposita, donatur. Ac proinde quaecunque bona et beneficia a Deo in nos collocata sunt *(quid autem habemus, quod a Deo,* ut inquit Apostolus *(1 Cor. IV, 7.)*, *non acceperimus?)*, ea nobis Spiritus

Sancti concessu et munere data esse, pio et grato animo agnoscere debemus.

§. 144. Ejus autem plures effectus sunt. Nam ut mundi creationem, creaturamque rerum propagationem et gubernationem omittamus, de quibus in primo articulo commemoravimus, vivificationem Spiritui Sancto proprie tribui, paulo ante demonstratum est, et Ezechielis testimonio confirmatur: *Dabo*, inquit *(Ezech. XXXVII, 6.)*, *vobis Spiritum et vivetis.* Praecipuos tamen et maxime proprios Spiritus Sancti effectus Propheta enumerat *(Jes. XI, 2. 3.)*: *Spiritum sapientiae et intellectus, Spiritum consilii et fortitudinis, Spiritum scientiae et pietatis, et Spiritum timoris Domini:* quae dona Spiritus Sancti vocantur: interdum autem Spiritus Sancti nomen eis tribuitur. Quare sapienter D. Augustinus *(Lib. de Trinit. C.* 18 *et* 19.*)* monet, animadvertendum esse, cum in Sacris Literis hujus vocis *Spiritus Sancti* mentio fit, ut dijudicare possimus, tertiamne Trinitatis Personam, an ejus effectus atque operationes significet. Nam haec duo eodem intervallo distinguenda sunt, quo etiam creatorem a rebus creatis differre credimus. Atque haec eo diligentius explicanda sunt, quod ex hisce Spiritus Sancti donis, christianae vitae praecepta haurimus, sentireque possumus, an Spiritus Sanctus in nobis sit. Verum prae caeteris ejus amplissimis muneribus, gratia illa praedicanda est, quae nos justos facit, signatque Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus haereditatis nostrae. Haec enim mentem nostram arctissimo amoris vinculo Deo jungit: ex quo fit, ut summo pietatis studio accensi, novam vitam instituamus, ac naturae divinae participes effecti, Filii Dei nominemur, et vere simus.

## CAPUT II.

*Explicatio articuli de Ecclesia, quam hodie necessaria sit* §. 145; *de Ecclesiae nomine, et ejus partibus* §. 146 — 153; *proprietates Ecclesiae verae, quibus a falsis Ecclesiis discernitur, quae sunt: una, sancta, catholica, et apostolica* §. 154 — 160; *cur Ecclesiam. et non in Ecclesiam credere dicamur* §. 161 — 163.

§. 145. Credo sanctam Ecclesiam catholicam. Quanta diligentia curare Pastores debeant, ut

hujus noni Articuli veritatem fidelibus explicent, si duo potissimum considerantur, facile cognosci poterit. Primum enim, teste Sancto Augustino *(Conc. in Psalmum XXX. C. 2.)*, Prophetae planius et apertius de Ecclesia, quam de Christo locuti sunt, cum in eo multo plures errare ac decipi posse, quam incarnationis sacramento, praeviderent. Neque enim defuturi erant impii, qui ad simiae imitationem, quae se hominem esse fingit, solos se Catholicos esse profiterentur, et catholicam Ecclesiam apud se tantum, non minus nefarie, quam superbe affirmarent. Deinde, si quis hanc veritatem firmo animo conceptam habuerit, facile horrendum haeresis periculum effugiet. Non enim, ut quisque primum in fide peccarit, Haereticus dicendus est; sed qui Ecclesiae autoritate neglecta, impias opiniones pertinaci animo tuetur. Cum igitur fieri non possit, ut aliquis se haeresis peste commaculet, si iis fidem adhibeat, quae in hoc articulo credenda proponuntur, curent omni studio Pastores, ut fideles, cognito hoc mysterio, contra adversarii artes muniti, in fidei veritate perseverent. Pendet autem hic articulus a superiori; quia cum jam demonstratum sit, Spiritum Sanctum omnis sanctitatis fontem et largitorem esse, nunc ab eodem Ecclesiam sanctitate donatam confitemur.

§. 146. Ac quoniam Ecclesiae vocem Latini a Graecis mutuati, post divulgatum Evangelium ad res sacras transtulerunt, quam vim habeat hoc vocabulum, aperiendum est. Significat autem Ecclesia evocationem: verum Scriptores postea usurparunt pro Concilio et Concione. Neque vero refert, utrum populus ille veri Dei, an falsae religionis cultor extiterit. In Actis enim *(Actor. XIX, 39.)* de Ephesino populo scriptum est, cum Scriba turbas sedasset, dixisse: *Si quid autem alterius rei quaeritis, in legitima Ecclesia poterit absolvi.* Legitimam vocat Ecclesiam populum Ephesinum, Dianae cultui addictum. Neque solum gentes, quae Deum non noverunt, sed etiam malorum et impiorum hominum concilia interdum Ecclesia nominantur. *Odivi,* inquit Propheta *(Psalm. XXV, 5.)*, *Ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo.* Communi vero, deinde Sacrarum Scripturarum consuetudine haec vox ad rempublicam christianam, fideliumque tantum congregationes significandas usurpata est, qui scilicet ad lucem veritatis, et Dei notitiam per fidem vocati sunt, ut rejectis

ignorantiae et errorum tenebris, Deum verum et vivum pie et sancte colant, illique ex toto corde inserviant. Atque, ut unico verbo haec res tota absolvatur, Ecclesia, ut ait Sanctus Augustinus *(in Psalm. CXLIX.)* est populus fidelis per universum orbem dispersus.

§. 147. Nec vero levia mysteria in hoc vocabulo continentur. Etenim in e v o c a t i o n e, quam Ecclesia significat, statim divinae gratiae benignitas et splendor elucet, intelligimusque Ecclesiam ab aliis rebus publicis maxime differre. Illae enim humana ratione et prudentia nituntur, haec autem, Dei sapientia et consilio constituta est. Vocavit enim nos intimo quidem Spiritus Sancti afflatu, qui corda hominum aperit: extrinsecus autem Pastorum et Praedicatorum opera ac ministerio. Praeterea, ex hac vocatione quis nobis finis propositus esse debeat: nimirum aeternarum rerum cognitio et possessio, is optime perspiciet, qui animadverterit, cur olim fidelis populus sub lege positus, Synagoga, id est, Congregatio diceretur. Nam, ut docet Sanctus Augustinus *(in Psalm. LXXVII et LXXXI.)*, hoc ei nomen impositum est, quia pecudum more, quibus magis congregari convenit, terrena et caduca tantum bona spectaret. Quare merito christianus populus, non Synagoga, sed Ecclesia dicitur: quia, terrenis et mortalibus rebus contemptis, coelestes et aeternas tantummodo consectatur.

§. 148. Multa praeterea nomina, quae plena sunt mysteriis, ad christianam rempublicam significandam traducta sunt. Nam et domus et aedificium Dei ab Apostolo vocatur. *Si tardavero*, inquit ad Timotheum *(1 Tim. III, 15.)*, *ut scias quo modo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.* Domus autem Ecclesia idcirco appellatur, quia sit veluti una familia, quam unus paterfamilias moderatur, et in qua est bonorum omnium spiritualium communio. Dicitur etiam grex ovium Christi, quarum ille ostium est et Pastor *(Ezech. XXXIV. Joh. X.)*. Vocatur Sponsa Christi: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*, inquit Apostolus ad Corinthios *(2 Cor. XI. 2.)*. Idem ad Ephesios *(Ephes. V, 25. 32.)*: *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam*; ac de Matrimonio: *Sacramentum hoc*, inquit, *magnum est, ego autem dico*

*in Christo, et in Ecclesia.* Dicitur denique Ecclesia corpus Christi, ut ad Ephesios, et Colossenses licet videre (*Ephes. I,* 13. *Coloss. I,* 18.). Et haec singula plurimum valent ad fideles excitandos, ut se dignos immensa Dei clementia et bonitate praebeant, qui eos, ut populus Dei essent, elegit.

§. 149. His vero explicatis, necesse erit singulas Ecclesiae partes enumerare, earumque differentias docere, quo magis Deo dilectae Ecclesiae naturam, proprietates, dona et gratias populus percipiat, et ob eam causam sanctissimum Dei numen laudare nunquam intermittat. Ecclesiae autem duae potissimum sunt partes, quarum altera triumphans, altera militans vocatur. Triumphans est, coetus ille clarissimus et felicissimus beatorum spirituum, et eorum, qui de mundo, de carne, de iniquissimo Daemone triumpharunt, et ab hujus vitae molestiis liberi ac tuti, aeterna beatitudine fruuntur. Militans vero Ecclesia, est coetus omnium fidelium, qui adhuc in terris vivunt: quae ideo militans vocatur, quod illi cum immanissimis hostibus, mundo, carne, Satana, perpetuum sit bellum. Neque idcirco tamen duas esse Ecclesias censendum est, sed ejusdem Ecclesiae, ut antea diximus, partes duae sunt, quarum una antecessit et coelesti patria jam potitur: altera indies sequitur, donec aliquando cum Salvatore nostro conjuncta, in sempiterna felicitate conquiescat.

§. 150. Jam in Ecclesia militanti duo sunt hominum genera, bonorum et improborum, et improbi quidem eorundem Sacramentorum participes, eandem quoque, quam boni, fidem profitentur, vita ac moribus dissimiles: boni vero in Ecclesia dicuntur ii, qui non solum fidei Professione et Communione Sacramentorum, sed etiam Spiritu gratiae et charitatis vinculo inter se conjuncti et colligati sunt, de quibus dicitur (1 *Tim. II,* 19.): *Cognovit Dominus, qui sunt ejus.* Possunt vero etiam homines aliquibus conjecturis opinari, quinam sint, qui ad hunc piorum hominum numerum pertineant, certo autem scire minime possunt. Quare existimandum non est, Christum Salvatorem de hac Ecclesiae parte locutum esse, cum ad Ecclesiam nos remisit, eique ut pareamus, praecepit (*Matth. XVIII,* 17.). Nam cum illa sit incognita, cui certum esse poterit, ad cujus judicium confugiendum, et cujus autoritati obtemperandum

sit? Bonos igitur et improbos Ecclesia complectitur, quemadmodum et Divinae Literae et Sanctorum Virorum scripta testantur. In quam sententiam scriptum est illud Apostoli *(Ephes. IV, 4.)*: *Unum corpus, et unus spiritus.*

§. 151. Haec autem Ecclesia nota est, *urbique supra montem sitae (Matth. V, 14.)* comparata, quae undique conspicitur. Nam cum illi ab omnibus parendum sit, cognoscatur necesse est. Neque bonos tantum sed malos etiam complectitur, ut multis parabolis Evangelium docet: veluti cum regnum coelorum, id est, militantem Ecclesiam, simile esse sagenae in mare missae commemorat: vel agro, in quo zizania superseminata sunt *(Matth. XIII.)*: vel areae, in qua frumentum cum paleis continetur *(Matth. III.)*: vel decem virginibus partim fatuis, partim prudentibus *(Matth. XXV.)*. Sed multo ante etiam in arca Noë, qua non solum munda sed etiam immunda animantia concludebantur, hujus Ecclesiae figuram et similitudinem licet intueri. Quamvis autem bonos et malos ad Ecclesiam pertinere catholica fides vere et constanter affirmet, ex iisdem tamen fidei regulis fidelibus explicandum est, utriusque partis diversam admodum rationem esse. Ut enim paleae cum frumento in area confusae sunt, vel interdum membra varie intermortua corpori conjuncta; ita etiam mali in Ecclesia continentur.

§. 152. Ex quo fit, ut tria tantummodo hominum genera ab ea excludantur: primo Infideles, deinde Haeretici et Schismatici, postremo Excommunicati. Ethnici quidem, quod in Ecclesia nunquam fuerunt, neque eam unquam cognoverunt, nec ullius Sacramenti participes in populi christiani societate facti sunt; Haeretici vero atque Schismatici, quia ab Ecclesia desciverunt. Neque enim illi magis ad Ecclesiam spectant, quam transfugae ad exercitum pertineant, a quo defecerunt. Non negandum tamen, quin in Ecclesiae potestate sint, ut qui ab ea in judicium vocentur, puniantur et anathemate damnentur. Postremo etiam Excommunicati, quod Ecclesiae judicio ab ea exclusi, ad illius communionem non pertineant, donec resipiscant. De caeteris autem quamvis improbis et sceleratis hominibus, adhuc eos in Ecclesia perseverare dubitandum non est: idque fidelibus tradendum assidue, ut si forte Ecclesiae antistitum vita fla-

gitiosa sit, eos tamen in Ecclesia esse, nec propterea quidquam de eorum potestate detrahi certo sibi persuadeant.

§. 153. Verum universae etiam Ecclesiae partes, Ecclesiae nomine significari solent, ut cum Apostolus Ecclesiam, quae est Corinthi, Galatiae, Laodicensium, Thessalonicensium nominat *(2 Cor. I. 1 Cor. XVI. Coloss. IV. 1 Thess. I.)* privatas etiam fidelium familias Ecclesias vocat. Nam Priscae et Aquilae domesticam Ecclesiam salutari jubet *(Rom. XVI, 5.)*: item alio in loco *(1 Cor. XVI, 19.)*: *Salutant vos*, inquit, *in Domino multum Aquila et Priscilla cum domestica sua Ecclesia.* Ad Philemonem etiam scribens, eandem vocem usurpavit. Interdum quoque Ecclesiae nomine, ejus Praesides ac Pastores significantur: *Si te non audierit*, inquit Christus *(Matth. XVIII, 17.)*, *dic Ecclesiae*: quo in loco Praepositi Ecclesiae designantur. Sed locus etiam, in quem populus, sive ad concionem, sive alicujus rei sacrae causa convenit, Ecclesia appellatur *(1 Cor. XI, 18.)*. Praecipue vero in hoc articulo Ecclesia, bonorum simul et malorum multitudinem, nec praesides solum, sed eos etiam, qui parere debent, significat.

§. 154. Aperiendae autem sunt fidelibus hujus Ecclesiae proprietates, ex quibus licebit agnoscere, quanto beneficio a Deo affecti sint, quibus contigerit in ea nasci. atque educari. Prima igitur proprietas in Symbolo Patrum describitur, ut Una sit: *Una enim*, inquit *(Cantic. VI, 8.)*, *est columba mea. Una est speciosa mea.* Vocatur autem Una tanta hominum multitudo, quae tam longe lateque diffusa est, ob eas causas, quae ab Apostolo ad Ephesios *(Ephes. IV, 5.)* scriptae sunt: *unum* enim *Dominum*, *unam fidem*, *unam baptisma* tantum esse praedicat. Unus est etiam ejus rector ac gubernator, invisibilis quidem Christus, quem aeternus Pater dedit Caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus ejus.

§. 155. Visibilis autem is, qui Romanam Cathedram Petri Apostolorum Principis legitimus successor, tenet: de quo fuit illa omnium Patrum ratio et sententia consentiens, hoc visibile Caput ad unitatem Ecclesiae constituendam et conservandam necessarium fuisse. Quod

praeclare et vidit et scripsit S. Hieronymus contra Jovinianum *(Lib. I. circa med.)* iis verbis: *Unus eligitur, ut Capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Et ad Damasum *(Epist. LVII.)*: *Facessat invidia, Romani culminis recedat ambitio, cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum, sequens, beatitudine tuae, id est, Cathedrae Petri, communione consortior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est: Si quis in arca Noae non fuerit, peribit, regnante diluvio.* Quod et longe antea ab Irenaeo *(Lib. III. contra haeres. C. 3.)* probatur, et Cypriano *(de Simplicit. Praelator. sive de Unitate Ecclesiae)*, qui de unitate Ecclesiae loquens, ait: *Loquitur Dominus ad Petrum: Ego (Petre) dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Super unum aedificat Ecclesiam: et quamvis Apostolis omnibus, post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, et dicat *(Ioh. XX, 21. 22.)*: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum;* tamen, ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem origenem, ab uno incipientem, autoritate sua disposuit etc. Optatus deinde Milevitanus ait *(Init. Libr. II. contra Parmen. Donatist.)*: *Ignorantia tibi adscribi non potest, scienti in urbe Romana, Petro primo Cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, in quo uno Cathedrae unitas ab omnibus servaretur, ne caeteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam Schismaticus et praevaricator esset, qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret.* Post vero Basilius sic scriptum reliquit *(Homil. XXIX., quae est de Poenitentia)*: „Petrus collocatus est in fundamento, dixit enim: Tu es Christus filius Dei vivi; et vicissim audivit, se esse petram. Licet enim petra esset, non tamen petra erat, ut Christus. Nam Christus vere immobilis petra, Petrus vero propter petram. Dignitates enim suas Deus largitur aliis: Sacerdos est, et facit Sacerdotes, petra est, et petram facit; et quae sua sunt, largitur servis suis.“ Postremo vero S. Ambrosius ait: „Si quis objiciat, Ecclesiam, uno capite et sponso Jesu Christo contentam, praeterea nullum requirere, in promptu responsio est.

Ut enim Christum Dominum singulorum Sacramentorum non solum autorem, sed intimum etiam praebitorem habemus (nam ipse est qui baptizat, et qui absolvit, et tamen is homines Sacramentorum externos ministros instituit): sic Ecclesiae, quam ipse intimo Spiritu regit, hominem suae potestatis Vicarium et ministrum praefecit."

§. 156. Nam cum visibilis Ecclesia, visibili capite egeat: ita Salvator noster *(Matth. X, 16. 17. Joh. I. Actor. I.)* Petrum universi fidelium generis caput et pastorem constituit, cum illi oves suas pascendas verbis amplissimis *(Ioh. XXI, 16. 17.)* commendavit, ut qui ei successisset, eandem plane totius Ecclesiae regendae et gubernandae potestatem habere voluerit. Unus praeterea, idemque est Spiritus, inquit Apostolus ad Corinthios *(1 Cor. XII.)* qui fidelibus gratiam perinde, atque anima corporeis membris vitam, impertitur. Ad quam unitatem servandam cum Ephesios hortaretur, inquit *(Ephes. IV, 3. 4.)*: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis: unum corpus, et unus spiritus.* Quemadmodum enim humanum corpus multis constat membris, eaque ab una anima aluntur, quae oculis visum, auribus auditum, et aliis sensibus diversas vires subministrat: ita corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, ex multis fidelibus compositum est. Una quoque est spes, ut in eodem loco idem Apostolus testatur, ad quam vocati sumus: siquidem omnes eandem rem, nempe aeternam et beatam vitam, speramus. Una est denique fides, quae omnibus tenenda est, ac prae se ferenda. *Non sint*, inquit Apostolus *(1 Cor. I, 10.)*, *in vobis schismata*: atque *unum Baptisma (Ephes. IV, 5.)*, quod quidem est christianae fidei Sacramentum.

§. 157. Altera proprietas Ecclesiae est, ut sit Sancta: quod a Principe Apostolorum accepimus eo loco *(1 Petr. II, 9.)*: *Vos autem genus electum, gens sancta.* Appellatur autem sancta, quod Deo consecrata dedicataque sit. Sic enim caetera hujuscemodi, quamquam corporea sint, sancta vocari consueverunt, cum divino cultui addicta et dedicata sunt. Cujus generis sunt in lege veteri vasa, vestes et altaria: in qua primogeniti quoque, qui Deo altissimo dedicabantur, sancti sunt appellati. Nec mirum cuiquam videri debet,

Ecclesiam dici sanctam, tametsi multos peccatores contineat. Sancti enim vocantur fideles, qui populus Dei effecti sunt, quive se, fide et baptismate suscepto, Christo consecrarunt: quamquam in multis offendunt, et quae polliciti sunt, non praestant; quemadmodum etiam, qui artem aliquam profitentur, etsi artis praecepta non servant, nomen tamen artificum retinent. Quare D. Paulus Corinthios sanctificatos et sanctos appellat *(1 Cor. I.)*, in quibus nonnullos fuisse perspicuum est, quos ut carnales et gravioribus etiam nominibus acriter objurgat. Sancta etiam dicenda est, quod veluti corpus cum sancto capite Christo Domino, totius sanctitatis fonte, conjungitur, a quo Spiritus Sancti charismata, et divinae bonitatis divitiae diffunduntur *(Ephes. IV.)*. Praeclare Sanctus Augustinus *(in Psalm. LXXXV.)* interpretans verba illa Prophetae: Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: *Audeat,* inquit, *et corpus Christi, audeat et unus ille homo, clamans a finibus terrae cum capite suo dicere, sanctus sum: accepit enim gratiam sanctitatis, gratiam Baptismi, et remissionis peccatorum.* Ac paulo post: *Si Christiani omnes et fideles, in Christo baptizati, ipsum induerunt, sicut Apostolus dicit: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis: si membra sunt facta corporis ejus, et dicunt se Sanctos non esse, capiti ipsi faciunt injuriam, cujus membra sancta sunt.* Accedit etiam, quod sola Ecclesia legitimum sacrificii cultum, et salutarem habet Sacramentorum usum, per quae, tanquam efficacia divinae gratiae instrumenta, Deus veram sanctitatem efficit, ita, ut quicunque vere sancti sunt, extra hanc Ecclesiam esse non possint. Patet igitur, Ecclesiam esse sanctam, ac sanctam quidem, quoniam corpus est Christi, a quo sanctificatur, cujusque sanguine abluitur.

§. 158. Tertia proprietas Ecclesiae ea est, ut Catholica, nempe universalis, vocetur: quae appellatio vere illi tributa est, quoniam, ut testatur Sanctus Augustinus *(Serm. CXXXI et CLXXXI. de tempore et in Epist. CLXX et CLXVI.)*, a solis ortu usque ad occasum, unius fidei splendore diffunditur. Neque enim, ut in humanis Rebuspublicis aut Haereticorum conventibus, unius tantum regni terminis, aut uno hominum genere, Ecclesia definita est; verum omnes homines, sive masculi sive foeminae, charitatis sinu complectitur.

Quare scriptum est *(Apoc. V, 9. 10.)*: *Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum.* De Ecclesia dicit David *(Psalm. II, 8.)*: *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae;* item *(Psalm. LXXX, 4. 5.)*: *Memor ero Raab et Babylonis, scientium me;* et *Homo natus est in ea.* Praeterea omnes fideles, qui ab Adam in hunc usque diem fuerunt, quive futuri sunt, quamdiu mundus extabit, veram fidem profitentes, ad eandem Ecclesiam pertinent, quae *super fundamento Apostolorum* fundata est, *ac Prophetarum*, qui omnes *in illo lapide angulari Christo (Eph. II, 20.)*, qui fecit utraque unum, et pacem iis, qui prope, et iis qui longe, annunciavit, constituti sunt et fundati. Universalis etiam ob eam causam dicitur, quod omnes, qui salutem aeternam consequi cupiunt, eam tenere et amplecti debeant, non secus ac qui arcam, ne diluvio perirent, ingressi sunt. Haec igitur veluti certissima regula tradenda est, qua vera et falsa Ecclesia judicetur.

§. 159. Sed ex origine etiam, quam revelata gratia ab Apostolis ducit, Ecclesiae veritatem agnoscimus: siquidem ejus doctrina veritas est, non recens, neque nunc primum orta, sed ab Apostolis jam olim tradita, et in omnem orbem terrarum disseminata. Ex quo fit, ut nemo dubitare possit, impias Haereticorum voces longe a verae Ecclesiae fide abesse, cum doctrinae Ecclesiae, quae ab Apostolis ad hanc diem praedicata est, adversentur. Quare, ut omnes intelligerent, quaenam sit Ecclesia Catholica, Patres in Symbolo illud divinitus addiderunt, Apostolicam. Etenim Spiritus Sanctus, qui Ecclesiae praesidet, eam non per aliud genus ministrorum, quam per apostolicum, gubernat. Qui Spiritus primum quidem Apostolis tributus est, deinde vero summa Dei benignitate semper in Ecclesia mansit. Sed quemadmodum haec una Ecclesia errare non potest, in fide ac morum disciplina tradenda, cum a Spiritu Sancto gubernetur: ita caeteras omnes, quae sibi Ecclesiae nomen arrogant, ut quae Diaboli spiritu ducantur, in doctrinae et morum perniciosissimis erroribus versari necesse est.

§. 160. Sed quoniam magnam vim habent figurae Veteris Testamenti, ad excitandos fidelium animos, revo-

candamque rerum pulcherrimarum memoriam, cujus rei potissimum causa Apostoli his usi sunt; illam quoque doctrinae partem, quae magnas utilitates habet, Parochi non praetermittent. In his autem illustrem significationem habet arca Noë: quae ob eam rem tantum divino jussu constructa est, ut nullus dubitandi locus relinquatur, quin Ecclesiam ipsam significet, quam Deus sic constituit, ut quicunque per Baptismum illam ingrederentur, ab omni mortis aeternae periculo tuti esse possent: qui vero extra illam essent: quemadmodum iis evenit, qui in arcam recepti non fuit: suis sceleribus obruerentur. Alia figura est, magna illa civitas Hierusalem, cujus nomine Scripturae saepius sanctam Ecclesiam significant. Nimirum in illa sola offerre Deo sacrificia licebat: quia in sola etiam Dei Ecclesia, neque extra eam usquam, verus cultus, verumque sacrificium reperitur, quod Deo placere ullo modo possit.

§. 161. Jam illud etiam extremo loco de Ecclesia docendum erit, quanam ratione nos credere Ecclesiam, ad articulos fidei pertineat. Nam, etsi quivis ratione et sensibus percipit, Ecclesiam, id est, hominum conventum, in terris esse, qui Christo Domino addicti et consecrati sunt; neque ad eam rem animo concipiendam fide opus esse videatur, cum nec Judaei, nec Turcae quidem de eo dubitent; tamen illa mysteria, quae in Sancta Dei Ecclesia contineri partim declaratum est, partim in Sacramento Ordinis explicabitur, mens fide tantummodo illustrata, non ullis rationibus convicta intelligere potest. Cum igitur hic articulus non minus quam caeteri intelligentiae nostrae facultatem et vires superet, jure optimo confitemur, nos Ecclesiae ortum, munera, et dignitatem non humana ratione cognoscere, sed fidei oculis intueri.

§. 162. Neque enim homines hujus Ecclesiae autores fuerunt, sed Deus ipse immortalis, qui eam super firmissimam petram aedificavit, teste Propheta (*Psalm. LXXXVI, 5.*): *Ipse fundavit eam Altissimus*; quam ob causam haereditas Dei, et Dei populus appellatur (*Psalm. II, 8. Hoseae II. 34.*). Nec potestas, quam accepit, humana est, sed divino munere tributa. Quare, quemadmodum naturae viribus comparari non potest, ita etiam fide solum intelligimus, in Ecclesia claves regni coelorum esse, eique potestatem peccata remittendi,

excommunicandi, verumque Christi corpus consecrandi traditam: deinde cives, qui in ea morantur, *non habere hic civitatem permanentem, sed futuram inquirere (Hebr. XIII, 14.).*

§. 163. Unam igitur Ecclesiam, Sanctam et Catholicam esse, necessario credendum est. Tres enim Trinitatis Personas, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, ita credimus, ut in eis fidem nostram collocemus. Nunc autem mutata dicendi forma, sanctam, et non in sanctam Ecclesiam, credere profitemur; ut hac etiam diversa loquendi ratione, Deus omnium effector a creatis rebus distinguatur: praeclaraque illa omnia, quae in Ecclesiam collata sunt, beneficia, divinae bonitati accepta referamus.

## CAPUT III.

*De altera noni Articuli parte* §. 164. *Bona Ecclesiae divinitus communicata, ut sunt fructus Sacramentorum et bonorum operum, communia esse bonis et malis in ea permanentibus, quamvis dissimiliter* §. 165—168.*; communes item esse quodam modo gratias gratis datas, et externa bona temporalia* §. 169.

§. 164. **Sanctorum Communionem.** Cum Sanctus Johannes Evangelista de divinis mysteriis ad fideles scriberet, cur eos in illis erudiret, hanc rationem attulit (*1 Joh. I,* 3.): *Ut et vos,* inquit, *societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo.* Haec societas in communione Sanctorum sita est, de qua in hoc Articulo sermo habetur. Utinam vero in eo explicando Ecclesiarum praesides, Pauli et aliorum Apostolorum diligentiam imitarentur. Est enim non solum quaedam superioris articuli interpretatio, doctrinaque uberrimorum fructuum, sed etiam, quis usus mysteriorum esse debeat, quae Symbolo continentur, declarat. Omnia enim ejus rei causa pevestiganda sunt ac percipienda, ut in hanc amplam et beatam societatem Sanctorum admittamur, admissique, constantissime perseveremus, *cum gaudio gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine (Col. I,* 11. 12.*).*

§. 165. Inprimis igitur fideles docendi sunt, hunc articulum esse illius, qui de una sancta Ecclesia Catho-

lica antea positus est, veluti explicationem quandam. Unitas enim spiritus a quo illa regitur, efficit, ut quidquid in eam collatum est, commune sit. Omnium enim Sacramentorum fructus ad universos fideles pertinet: quibus Sacramentis, veluti sacris vinculis Christo connectuntur et copulantur, et maxime omnium Baptismo, quo tamquam janua in Ecclesiam ingredimur. Hac autem Sanctorum communione, Sacramentorum communionem intelligi debere, Patres in Symbolo *(Constantinopolitano)* significant illis verbis: *Confiteor unum Baptisma.* Baptismum vero inprimis Eucharistia, et deinceps caetera Sacramenta consequuntur. Nam etsi hoc nomen omnibus Sacramentis convenit, cum Deo nos conjungant, illiusque participes, cujus gratiam recipimus, efficiant: magis tamen proprium est Eucharistiae, quae hanc efficit communionem.

§. 166. Sed alia etiam Communio in Ecclesia cogitanda est. Quaecunque enim pie, sancteque ab uno suscipiuntur, ea ad omnes pertinent, et ut illis prosint, charitate, quae non quaerit quae sua sunt, efficitur. Id vero, cum S. Ambrosii *(in Psalm. CXVIII. Serm. VIII.)* testimonio comprobatur, qui locum illum Psalmi explanans: Particeps ego sum omnium timentium te, ita inquit: *Sicut membrum particeps esse dicimus totius corporis, sic conjunctum omnibus timentibus Deum.* Quare Christus eam nobis orandi formam praescripsit, ut diceremus: Panem nostrum, non meum; ac reliqua ejus generis, non nobis tantum, sed omnium saluti et commodis prospicientes.

§. 167. At vero haec bonorum communicatio, membrorum humani corporis aptissima similitudine in Sacris Literis saepe demonstratur. Nam in corpore multa sunt membra: sed etsi multa sunt, unum tamen corpus constituunt, in quo singula proprio, non autem omnia eodem munere funguntur. Nec vero omnia eandem dignitatem habent, aut aeque utiles et decoras functiones exequuntur: nullique suum, sed totius corporis commodum atque utilitas proposita est. Omnia deinde tam apta inter se et connexa sunt, ut si unum aliquod dolore afficitur, caetera item naturae cognatione et consensu doleant: si contra, bene affectum est, communis sit omnibus ille jucunditatis sensus. Atque haec eadem in Ecclesia licet contemplari: in qua, etsi diversa sunt

membra, nempe variae nationes, Judaeorum, Gentium, liberi et servi, pauperes et divites, cum tamen Baptismo initiantur, unum corpus cum Christo fiunt, cujus ille caput est. Unicuique praeterea in hac Ecclesia suum munus assignatum est. Ut enim alii in ea Apostoli, alii Doctores, omnes vero publicae utilitatis causa sunt constituti: ita aliorum est, praeesse ac docere, aliorum item, parere et subiectos esse.

§. 168. At vero tot tantisque muneribus ac bonis divinitus collatis, fruuntur illi, qui in charitate vitam christianam degunt, justique et chari Deo sunt. Membra vero mortua, nimirum homines sceleribus obstricti, et a Dei gratia alienati, hoc quidem bono non privantur, ut hujus corporis membra esse desinant: sed cum sint mortua, fructum spiritualem, qui ad justos et pios homines pervenit, non percipiunt: tametsi, cum in Ecclesia sint, ad amissam gratiam, vitamque recuperandam ab iis adjuvantur, qui spiritu vivunt, et eos fructus capiunt, quorum expertes esse dubitari non potest, qui omnino ab Ecclesia sunt praecisi.

§. 169. Nec vero tantum communia sunt ea dona, quae homines charos Deo ac justos reddunt, sed gratiae etiam gratis datae, in quibus numerantur Scientia, Prophetia, Donum linguarum ac miraculorum, et caetera hujus generis: quae dona malis etiam hominibus, non privatae, sed publicae utilitatis causa, ad aedificandam Ecclesiam conceduntur. Nam sanitatis gratia, non illius qui ea praeditus est, sed aegroti curandi causa, tributa est. Ac nihil tandem a vere christiano homine possidetur, quod sibi cum caeteris omnibus commune esse, non existimare debeat. Quare ad sublevandam indigentium miseriam prompti ac parati esse debent. Nam qui hujusmodi bonis ornatus est, si viderit fratrem suum egere, nec illi subvenerit, is Dei charitatem non habere, plane convincitur. Quae cum ita se habeant, satis constat, eos, qui in hac sancta communione sunt, quadam felicitate perfrui, et vere illud dicere posse (*Psal. LXXXIII*, 1. 2. 5.). *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.* Et: *Beati qui habitant in domo tua, Domine.*

## CAPUT IV.

*Amplissimam potestatem remittendi peccata in Ecclesia relictam esse: deinde, quorum ministerio et quibus instrumentis illa exerceatur* §. 170—172.; *de hujus divini muneris et potestatis dignitate, et in ea hominibus communicanda Dei bonitate et liberalitate* §. 173 — 175.; *fructus et utilitas, quae ex hujus potestatis consideratione sequitur* §. 176 — 179.

§. 170. Remissionem peccatorum. Nemo est, qui cum videat, hunc articulum de remissione peccatorum, in caeteris fidei articulis numeratum esse, dubitare possit, eo non solum divinum aliquod mysterium, sed etiam ad salutem comparandam maxime necessarium contineri. Nam antea declaratum est, sine certa eorum fide, quae in Symbolo credenda proponuntur, nemini ad christianam pietatem aditum patere. Verum si id, quod per se omnibus notum esse debet, aliquo etiam testamento confirmandum videatur, satis illud erit, quod Salvator noster paulo ante adscensum in coelum, de ea re testatus est, cum discipulis sensum aperuit, ut intelligerent Scripturas. *Oportebat*, inquit *(Luc. XXIII, 46. 47.)*, *Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et praedicari in nomine ejus poenitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma.* Quae verba si Parochi animadverterint, facile intelligent, cum caetera, quae ad religionem pertinent, fidelibus tradenda sint, tum vero praecipue hujus articuli diligenter explicandi magnam eis a Domino necessitatem impositam esse.

§. 171. Munus igitur Parochi erit, quod ad hunc locum attinet, docere, non solum peccatorum remissionem in catholica Ecclesia reperiri, de qua Jesaias praedixerat *(Jes. XXXIII. 24.)*: *Populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas*, sed etiam potestatem peccata remittendi in ea esse: qua si rite et secundum leges a Christo Domino praescriptas Sacerdotes utantur, vere peccata remitti et condonari credendum est. Haec autem venia, cum primum fidem profitentes sacro Baptismo abluimur, adeo cumulate nobis datur, ut nihil aut culpae delendum, sive ea origine contracta, sive quid propria voluntate omissum vel commissum sit, aut poenae persolvendum relinquatur. Verum per Baptismi gratiam nemo tamen ab omni naturae infirmitate liberatur: quin

potius cum unicuique adversus concupiscentiae motus, quae nos ad peccata incitare non desinit, pugnandum sit: vix ullum reperias, qui vel tam acriter resistat, vel tam vigilanter salutem suam tueatur, ut omnes plagas vitare possit. Cum igitur necesse fuerit, in Ecclesia potestatem esse peccata remittendi, alia etiam ratione, quam Baptismi Sacramento, claves regni coelorum illi concreditae sunt, quibus possint unicuique poenitenti, etiam si usque ad extremum vitae diem peccasset, delicta condonari. Clarissima cujus rei testimonia in Sacris Literis habemus. Nam apud S. Matthaeum *(Matth. XVI, 19.)* Dominus ita ad Petrum loquitur: *Tibi dabo claves regni coelorum et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Item *(Matth. XVIII, 18.)*: *quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Deinde Sanctus Joannes testatur *(Joh. XX, 22. 23.)* Dominum, cum insufflasset Apostolis, dixisse: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.*

§. 172. Neque vero existimandum est, hanc potestatem certis quibusdam peccatorum generibus definitam esse. Nullum enim tam nefarium facinus vel admitti vel cogitari potest, cujus remittendi potestatem Sancta Ecclesia non habeat. Quemadmodum etiam nemo adeo improbus et scelestus fuerit, quem si erratorum suorum vere poeniteat, certa ei veniae spes proposita esse non debeat. Sed neque haec eadem potestas ita circumscribitur, ut praefinito solum aliquo tempore ea uti liceat. Nam quacunque hora peccator ad sanitatem redire voluerit, rejiciendum non esse docuit Salvator noster, *(Matth. XVIII, 21. 22.)* cum Principi Apostolorum interroganti, quoties peccatoribus ignoscendum esset, an septies? respondit: *Non septies, sed usque septuagies septies.* Verum si ministros divinae hujus potestatis spectemus, ea minus late patere videbitur. Dominus enim non omnibus, sed Episcopis tantum et Sacerdotibus, tam sancti muneris potestatem dedit. Idem etiam censendum erit, quod ad rationem ejus potestatis exercendae pertinet. Nam per Sacramenta solum, si eorum forma servetur, peccata remitti possunt, aliter vero nullum jus a peccatis solvendi Ecclesiae datum est. Ex

quo sequitur, tum Sacerdotes, tum Sacramenta ad peccata condonanda, veluti instrumenta valere, quibus Christus Dominus, autor ipse et largitor salutis, remissionem peccatorum et justitiam in nobis efficit.

§. 173. Ut autem fideles coeleste hoc munus, quod singulari in nos Dei misericordia Ecclesiae donatum est, magis suspiciant, atque ad ejus usum et tractationem ardentiori pietatis studio accedant, conabitur Parochus hujus gratiae dignitatem et amplitudinem demonstrare. Ea autem ex hoc potissimum perspicitur, si, cujus virtutis sit peccata remittere et homines ex injustis justos reddere, diligenter expositum fuerit. Constat enim, infinita et immensa Dei vi hoc effici, quam eandem excitandis mortuis, et in mundi creatione necessariam esse credimus. Quod si etiam, ut Augustini sententia (*Tract. 72. in Joannem*) confirmatur, majus opus existimandum est, aliquem ex impio pium facere, quam coelum et terram ex nihilo creare, cum ipsa creatio non nisi ex infinita virtute possit existere; consequens est, ut multo magis peccatorum remissio infinitae potestati tribuenda sit. Quare verissimas esse priscorum Patrum voces agnoscimus, quibus confitentur, ab uno Deo peccata hominibus condonari, neque ad alium autorem, quam ad summam ejus bonitatem et potentiam, tam mirificum opus referendum esse. *Ego sum*, inquit ipse Dominus per Prophetam (*Jes. XLIII, 25.*), *ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas.* Nam scelerum remittendorum eadem ratio videtur esse, quam in pecunia debita servare oportet. Quemadmodum igitur a nemine, nisi a creditore pecunia, quae debetur, remitti potest; ita, cum uni Deo peccatis obstricti sumus (siquidem quotidie oramus: *Demitte nobis debita nostra*), perspicuum est, a nemine, praeter illum, debita nobis condonari posse.

§. 174. Hoc vero admirabile et divinum munus, antequam Deus homo fieret, nulli creatae naturae impertitum est. Primus omnium Christus Salvator noster, ut homo, cum idem verus Deus esset, hoc munus a coelesti patre traditum accepit. *Ut sciatis*, inquit (*Matth. IX, 6.*), *quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Surge, tolle grabatum tuum et vade in domum tuam.* Cum igitur homo factus esset, ut hominibus hanc peccatorum veniam largiretur, priusquam in coelum adscenderet, ut ibi ad dex-

teram Dei in perpetuum sederet, eam potestatem Episcopis et Presbyteris in Ecclesia concessit; quanquam, ut antea docuimus, Christus sua auctoritate, caeteri, ut ejus ministri, peccata dimittunt. Quamobrem, si quae infinita virtute effecta sunt, maxime admirari et suspicere debemus; satis intelligimus, pretiosissimum hoc munus esse, quod Christi Domini benignitate Ecclesiae donatum est.

§. 175. Sed ipsa etiam ratio, qua Deus clementissimus pater, mundi peccata delere constituit, animos fidelium ad hujus beneficii magnitudinem contemplandam vehementer excitabit. Sanguine enim unigeniti filii sui scelera nostra expiari voluit, ut poenam, quam nos pro peccatis commeruimus, ultro ille persolveret, justusque pro injustis damnaretur, innocens pro reis morte acerbissima afficeretur. Quare cum animo cogitabimus, nos non corruptibilibus, auro et argento, redemptos esse, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati (1 *Petr. I,* 18.), facile statuemus, nihil nobis salubrius contingere potuisse hac remittendi peccata potestate, quae inexplicabilem Dei providentiam, summamque erga nos charitatem ostendit.

§. 176. Ex hac autem cogitatione maximus fructus ad omnes perveniat, necesse est. Nam, qui Deum mortali aliquo peccato offendit, quidquid meritorum ex Christi morte et cruce consecutus est, statim amittit, et omnino paradisi aditu, quem prius interclusum Salvator noster passione sua omnibus patefecit, prohibetur. Quod quidem cum in mentem venit, facere non possumus, quin humanae miseriae consideratio vehementer sollicitos nos habeat. Verum si animum ad hanc admirabilem potestatem referamus, quae Ecclesiae divinitus tributa est, et hujus articuli fide confirmati, oblatam unicuique facultatem credamus, ut possit divina ope adjutus, in pristinum dignitatis statum restitui; tunc vero cogimur summo gaudio et laetitia exultare, et immortales Deo gratias agere. Ac profecto, si grata et jucunda medicamenta videri solent, quae nobis medicorum arte et industria, cum gravi aliquo morbo laboramus, parantur; quanto jucundiora esse debent ea remedia, quae Dei sapientia ad animorum curationem, atque adeo ad vitam reparandam instituit? cum praesertim non quidem dubiam salutis spem, ut medicinae illae, quae corporibus

adhibentur, sed certissimam iis, qui sanari cupiunt, salutem afferant.

§. 177. Erunt igitur fideles hortandi, postquam tam ampli et praeclari muneris dignitatem cognoverint, ut illud etiam studeant ad suum commodum religiose convertere. Vix enim fieri potest, ut qui re utili et necessaria non utatur, eam contemnere non existimetur; praesertim vero, cum Dominus hanc potestatem remittendi peccata, ea re tradiderit Ecclesiae, ut omnes hoc salutari remedio uterentur. Nam, quemadmodum nemo sine Baptismo expiari potest, ita, quicunque Baptismi gratiam. mortiferis sceleribus amissam, recuperare voluerit, ad aliud expiationis genus, nimirum Poenitentiae Sacramentum, confugiat necesse est.

§. 178. Verum hoc loco admonendi sunt fideles, ne tam ampla veniae facultate proposita, quam etiam nullius temporis termino definiri declaravimus, vel ad peccandum faciliores, vel ad recipiendum tardiores reddantur. In altero enim cum injuriosi et contumeliosi in hanc divinam potestatem manifeste deprehendantur, indigni sunt, quibus Deus misericordiam suam impertiatur; in altero vero magnopere verendum est, ne morte praeoccupati, frustra peccatorum remissionem confessi fuerint, quam tarditate et procrastinatione merito amiserunt.

## CAPUT V.

*Undecimi articuli fides quam sit necessaria, et ejusdem articuli interpretatio §. 179. 180. Resurrectio mortuorum probatur Scripturae exemplis et testimoniis, similitudinibus et rationibus theologicis §. 181 — 185.; utrum omnes resurrecturi sint, et quo corpore §. 186 — 189.; quae erit corporum conditio post resurrectionem tum justorum, tum impiorum §. 190 — 193.; de triplici fructu, qui ex hoc articulo colligitur §. 194.*

§. 179. Carnis resurrectionem. Magnam hujus articuli vim esse ad fidei nostrae veritatem stabiliendam, id maxime ostendit, quod Divinis Literis non solum credendus fidelibus proponitur, sed multis etiam rationibus confirmatur. Quod quidem, cum in aliis Symboli articulis vix fieri videamus, intelligi potest, hoc veluti firmissimo fundamento, salutis nostrae spem nixam esse.

Nam, ut Apostolus ratiocinatur (1 Cor. XV, 13. 14.): *Si mortuorum resurrectio non est, neque Christus resurrexit; quod si Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, inanis est et fides vestra.* In eo igitur explicando Parochus non minus operae et studii ponet, quam in eo evertendo multorum impietas laborarit. Magnas enim et praeclaras utilitates ex ea cognitione ad fidelium fructum redundare, paulo post demonstrabitur.

§. 180. Sed hoc inprimis attendere oportebit, resurrectionem hominum in hoc articulo, carnis resurrectionem appellari. Quod quidem sine causa factum non est. Nam docere voluerunt Apostoli id, quod necessario ponendum est, animam esse immortalem. Quare ne quis forte eam simul cum corpore interiisse, utrumque vero in vitam revocari existimaret, cum animam plurimis Sacrarum Literarum locis immortalem esse plane constet, ob eam rem carnis tantum suscitandae mentio in articulo facta est. Et quanquam saepe etiam in Sacris Scripturis caro integrum hominem, ut est apud Jesaiam (Jes. XL, 6.): *Omnis caro foenum*, et apud Sanctum Joannem (Joh. I, 14.): *Et Verbum caro factum est*; significet: hoc tamen loco carnis vox corpus declarat, ut duarum partium, animae et corporis, quibus homo constat, alteram tantum, nempe corpus, corrumpi, et in pulverem terrae, ex qua compactum est, redire; animam vero incorruptam manere, intelligamus. At vero, cum nemo, nisi mortuus fuerit, ad vitam revocetur, anima proprie non dicitur resurgere. Carnis quoque mentio facta est, illius haeresis confutandae causa, quae, vivo Apostolo, Hymenaei et Phileti fuit, qui asserebant, cum de resurrectione in Scripturis Sacris ageretur, non de corporea, sed de spirituali, qua a morte peccati ad vitam innocentem resurgitur, accipiendum esse. Itaque his verbis planum fit, eum errorem tolli, et veram corporis resurrectionem confirmari.

§. 181. Verum Parochi partes erunt, hanc veritatem illustrare exemplis, ex Veteri Novoque Testamento, et ex omni ecclesiastica historia depromptis. Alii enim ab Elia et Elisaeo in Veteri Testamento, alii praeter eos, quos Christus Dominus a morte excitavit, a Sanctis Apostolis, aliisque permultis ad vitam revocati sunt, quae resurrectio multorum, hujus articuli doctrinam confirmat. Ut enim plures a morte excitatos credimus; ita univer-

sos ad vitam revocatum iri credendum est: quin etiam praecipuus fructus, quem nos ex hujusmodi miraculis capere debemus, ille est, ut summam fidem huic articulo tribuamus. Sunt multa testimonia, quae Parochis, qui in Sacris Literis mediocriter versati sunt, facile occurrent. Illustriora vero loca sunt in Veteri quidem Testamento, quae leguntur apud Iob, cum ait *(Cap. XIX, 26.)*, *se in carne sua conspecturum Deum suum;* et apud Danielem *(Dan. XII, 2.)* de iis, *qui in pulvere terrae dormiunt, alios in vitam aeternam, alios in opprobrium sempiternum evigilaturos.* In Novo autem Testamento, quae Sanctus Matthaeus *(Matth. XXII, 23 sqq.)* refert de disputatione, quam Dominus cum Sadducaeis habuit; praeterea, quae Evangelistae narrant de extremo judicio. Atque huc etiam referenda sunt, quae Apostolus ad Corinthios *(1 Cor. XV.)* et ad Thessalonicenses *(1 Thess. IV, 13.)* scribens, accurata oratione disseruit.

§. 182. Sed quamvis hoc fide certissimum sit, multum tamen proderit, vel exemplis vel rationibus ostendere id, quod fides credendum proponit, a natura aut ab humanae mentis intelligentia non abhorrere. Itaque Apostolus quaerenti, quo modo resurgerent mortui, sic respondit *(1 Cor. XV, 36—38. 42.)*: *Insipiens tu, quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur; et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus caeterorum; Deus autem dat illi corpus, sicut vult;* et paulo post inquit: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.* Ad eam similitudinem multas praeterea adjungi posse, Sanctus Gregorius *(Lib. XIV. Moral. C. 30.)*, ostendit. *Lux enim,* inquit, *quotidie quasi moriendo oculis subtrahitur, et rursus quasi resurgendo revocatur, et arbusta viriditatem amittunt, et rursus quasi resurgendo reparantur: semina putrescendo moriuntur, et rursum germinando resurgunt.*

§. 183. Rationes illae praeterea, quae ab ecclesiasticis Scriptoribus afferuntur, satis ad eam rem probandam accommodatae videri possunt. Ac primum quidem cum animae immortales sint, et tanquam pars hominis ad humana corpora naturalem propensionem habeant, eas a corporibus sejunctas perpetuo manere, praeter naturam existimandum est. Quoniam vero, quod naturae adversatur ac violentum est, diuturnum esse non

potest, consentaneum fore videtur, ut denuo cum corporibus jungantur, ex quo etiam sequitur, ut corporum resurrectio futura sit. Quo quidem argumentandi genere Salvator ipse noster usus est (*Matth. XXII*, 31 sq.), cum adversus Sadducaeos disputans, ex animarum immortalitate corporum resurrectionem conclusit.

§. 184. Deinde cum malis supplicia, bonis praemia a justissimo Deo sint proposita, ex illis vero quamplurimi, antequam debitas poenas persolvant, ex his magna ex parte nullis affecti virtutis praemiis e vita decedant, necesse est iterum animas cum corporibus conjungi, ut pro sceleribus, aut recte factis, corpora, quibus veluti peccati sociis homines utuntur, una cum anima poena aut praemio afficiantur. Qui locus diligentissime tractatus est a Sancto Chrysostomo in Homilia ad populum Antiochenum. Quare Apostolus, cum de resurrectione dissereret: *Si in hac vita*, inquit (1 *Cor. XV*, 19.), *tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Quae quidem verba nemo ad animae miseriam referri existimabit, quae, cum immortalis sit, quamvis corpora non resurgerent, in futura tamen vita beatitudine frui posset, verum de toto homine intelligenda sunt. Nisi enim corpori debita pro laboribus praemia reddantur, necesse est, ut qui, quemadmodum Apostoli, tot aerumnas et calamitates in vita perpessi sunt, omnium sint miserrimi. Idem vero multo apertius docet ad Thessalonicenses, his verbis (2 *Thess. I*, 4—8.): *Gloriamur in Ecclesiis Dei pro patientia vestra, et fide in omnibus persecutionibus vestris et tribulationibus, quas sustinetis in exemplum justi judicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini: si tamen justum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant, et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de coelo, cum Angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi.*

§. 185. Adde etiam, non posse homines, quamdiu anima a corpore sejuncta est, plenam felicitatem et bonis omnibus cumulatam adipisci. Ut enim quaelibet pars, a toto separata, imperfecta est; ita etiam anima, quae corpori non est adjuncta. Ex quo sequitur, ut illi ad summam felicitatem nihil desit, corporum resurrectionem

necessariam esse. His igitur atque aliis hujusmodi rationibus Parochus fideles in hoc articulo erudire poterit.

§. 186. Explicare praeterea diligenter oportebit ex Apostoli doctrina, quinam ad vitam suscitandi sint. Nam ad Corinthios scribens *(1 Cor. XV, 22.)*: *Sicut in Adam*, inquit, *omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Omni itaque malorum bonorumque discrimine remoto, omnes a mortuis, quanquam non omnium par conditio futura est, resurgent: *qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii (Joh. V, 29.).* Cum autem omnes dicimus, tam eos intelligimus, qui adventante judicio mortui jam erunt, quam eos, qui morientur. Huic enim sententiae, quae asserit omnes morituos esse, nemine excepto, Ecclesiam acquiescere, ipsamque sententiam magis veritati convenire, scriptum reliquit Sanctus Hieronymus in Epist. 152. ad Minerium et Alexandr. Idem sentit et Sanctus Augustinus L. XX. de Civit. Dei, Cap. 20. Neque vero huic sententiae repugnant Apostoli verba, ad Thessalonicenses scripta *(1 Thess. IV, 15. 16.)*: *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi: deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra.* Nam Sanctus Ambrosius, cum ea explanaret, ita inquit *(in 1. Epist. ad Thess. C. 4.)*: *In ipso raptu mors praeveniet; et quasi per soporem, ut egressa anima in momento reddatur: cum enim tollentur, morientur, ut pervenientes ad Dominum, praesentia Domini recipiant animas, quia cum Domino mortui esse non possunt.* Eademque sententia comprobatur S. Augustini autoritate in Lib. XX. de Civit. Dei *(Cap. 20.)*.

§. 187. Cum vero multum referat, nobis certo persuaderi, hoc ipsum atque adeo idem corpus, quod uniuscujusque proprium fuit, quamvis corruptum sit, et in pulverem redierit, tamen ad vitam suscitandum esse, illud etiam Parochus accurate explicandum suscipiet. Haec Apostoli est sententia, cum inquit *(1 Cor. XV, 53.)*: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem:* ea voce, h o c proprium corpus aperte demonstrans. Iob etiam de eo clarissime vaticinatus est *(Iob XIX, 26. 27.)*: *Et in carne mea*, inquit, *videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius.* Hoc idem colligitur ex ipsius resurrectionis definitione. Est enim resurrectio, autore Damasceno *(Lib. IV. de orthod.*

*fide, Cap.* 28.), ad eum statum, unde cecideris, revocatio. Denique, si consideremus, cujus rei causa resurrectionem futuram paulo ante demonstratum est, nihil erit, quod cujusquam animum hac in re dubium facere possit. Idcirco autem corpora excitanda esse docuimus, ut *referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum (2 Cor. V,* 10.). Hominem igitur ex ipso corpore, cujus opera vel Deo vel Daemoni servivit, resurgere oportet, ut cum eodem corpore triumphi coronas et praemia consequatur, aut poenas et suplicia miserrima perferat.

§. 188. Neque vero corpus tantum resurget, sed quidquid ad illius naturae veritatem, atque ad hominis decus et ornamentum pertinet, restituendum est. Praeclarum ea de re Sancti Augustini testimonium legimus (*Lib. XXII. de Civit. Dei, C.* 19. *et Enchir. C.* 90.). Nihil tunc vitii, inquit, in corporibus existet: si aliqui plus pinguedine obesi et crassi extiterint, non totam corporis molem assument, sed quod illam habitudinem superabit, reputabitur superfluum: et e diverso, quaecunque vel morbus, vel senium confecit in corpore, reparabitur per Christum virtute divina, ut si aliqui propter macrorem fuerint graciles, quia Christus non solum nobis corpus reparabit, sed quidquid per miseriam hujus vitae fuerit nobis ademptum. Idem alio loco (*Enchir. Cap.* 89.): Non resumet homo capillos, quos habuerit, sed quos decuerit, juxta illud: *Omnes capili capitis vestri numerati sunt,* qui secundum divinam sapientiam sunt reparandi. Inprimis vero, quoniam membra ad veritatem humanae naturae pertinent, simul restituentur omnia. Qui enim vel ab ipso ortu oculis capti sunt, vel ob aliquem morbum lumina amiserunt, claudi atque omnino manci, et quibusvis membris debiles, integro ac perfecto corpore resurgent. Aliter enim animae desiderio, quae ad corporis conjunctionem propensa est, minime satisfactum esset: cuius tamen cupiditatem in resurrectione explendam esse, sine dubitatione credimus. Praeterea satis constat resurrectionem aeque ac creationem, inter praecipua Dei opera numerari.

§. 189. Quemadmodum igitur omnia Deo initio creationis perfecta fuerunt: ita etiam in resurrectione futurum omnino affirmare oportet. Neque id de Martyribus solum fatendum est, de quibus Sanctus Augustinus ita

testatur: *(Lib. XXII. de Civit. Dei, Cap. 20.) Non erunt absque illis membris: non enim posset illa mutilatio non esse corporis vitium; alioquin, qui capite truncati sunt, deberent sine capite resurgere. Veruntamen extabunt in eorundem membrorum articulis gladii cicatrices, refulgentes super omne aurum et lapidem pretiosum, veluti et cicatrices vulnerum Christi: quod de improbis quoque verissime dicitur, et si illorum culpa membra amputata fuerint. Nam quo plura membra habebunt, tanto acerbiori dolorum cruciatu conficientur.* Quare illa membrorum restitutio non ad eorum felicitatem, sed calamitatem ac miseriam est redundatura, cum merita non ipsis membris, sed personae, cujus corpori conjuncta sunt, adscribantur. Nam iis, qui poenitentiam egerunt, ad praemium; illis vero, qui eandem contemserunt, ad supplicium restituentur. Haec vero, si a Parochis attente considerentur, nunquam eis rerum et sententiarum copia deerit ad excitandos, inflammandosque pietatis studio fidelium animos, ut vitae hujus molestias et aerumnas cogitantes, beatam illam resurrectionis gloriam, quae justis et piis proposita est, avide expectent.

§. 190. Sequitur nunc, ut fideles intelligant, si ea spectemus, quae corporis substantiam constituunt, quamvis illud ipsum atque idem corpus a mortuis revocari oporteat, quod antea extinctum fuerat, longe aliam tamen et diversam ejus conditionem fore. Ut enim caetera omittamus, in eo maxime resurgentium corpora omnia a se ipsis different, quod, cum antea mortis legibus subjecta essent, posteaquam ad vitam suscitata fuerint, sublato bonorum malorumque discrimine, immortalitatem assequentur. Quam quidem admirabilem naturae restitutionem insignis Christi victoria meruit, quem de morte reportavit, quemadmodum Sacrarum Scripturarum testimonia nos admonent. Scriptum est enim *(Jes. XXV, 8.)*: *Praecipitabit mortem in sempiternum;* et alibi *(Hos. XIII, 14.)*: *Ero mors tua, o mors!* quod explicans Apostolus inquit *(1 Cor. XV, 26.)*: *Novissima inimica destruetur mors.* Et apud Sanctum Johannem legimus *(Apoc. XXI, 4.)*: *Mors ultra non erit.* Decebat autem maxime, Christi Domini merito, quo mortis imperium eversum est, peccatum Adae longo intervallo superari. Idem etiam divinae justitiae consentaneum fuit, ut boni beata vita perpetuo fruerentur,

mali vero sempiternas poenas luentes, *quaererent mortem, et non invenirent: optarent mori, et mors fugeret ab eis (Apoc. IX, 6.)*. Atque haec quidem immortalitas bonis, malisque communis erit.

§. 191. Habebunt praeterea Sanctorum rediviva corpora insignia quaedam et praeclara ornamenta, quibus multo nobiliora futura sint, quam unquam antea fuerint. Praecipua vero sunt quatuor illa, quae Dotes appellantur, ex Apostoli doctrina a Patribus observatae. Earum prima est Impassibilitas, munus scilicet et dos, quae efficiet, ne molesti aliquid pati, ullove dolore aut incommodo affici queant. Nihil enim aut frigorum vis, aut flammae ardor, aut aquarum impetus obesse eis poterit. *Seminatur*, inquit Apostolus *(1 Cor. XV, 42.)*, *in corruptione, surget in incorruptione.* Quod autem impassibilitatem potius, quam incorruptionem Scholastici appellarint, ea causa fuit, ut, quod est proprium corporis gloriosi, significarent; non enim impassibilitas illis communis est cum damnatis, quorum corpora, licet incorruptibilia sint, aestuare tamen possunt, atque algere, variisque cruciatibus affici.

§. 192. Hanc consequitur Claritas, qua Sanctorum corpora, tamquam sol, fulgebunt. Ita enim apud Sanctum Matthaeum testatur Salvator noster *(Matth. XIII, 43.)*: *Justi*, inquit, *fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Ac, ne quis de eo dubitaret, suae transfigurationis exemplo declaravit *(Matth. XVII.)*. Hanc interdum Apostolus gloriam modo claritatem appellat. *Reformabit*, inquit *(Phil. III, 21.)*, *corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae*: et rursum *(1 Cor. XV, 43.)*: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Hujus etiam gloriae imaginem quandam vidit populus Israël in deserto, cum facies Moysis ex colloquio et praesentia Dei ita colluceret, ut in eam filii Israël oculos intendere non possent. Est vero claritas haec fulgor quidam ex summa animae felicitate ad corpus redundans, ita ut sit quaedam communicatio illius beatitudinis, qua anima fruitur: quo modo etiam anima ipsa beata efficitur, quod in eam pars divinae felicitatis derivetur. Hoc vero munere non aeque omnes, perinde ac primo, ornari credendum est. Erunt quidem Sanctorum corpora omnia aeque impassibilia, sed eundem splendorem non habebunt. Nam ut testatur Apostolus

*(1 Cor. XV, 41. 42.): Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum: stella enim a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum.*

§. 193. Cum hac dote conjuncta est illa, quam Agilitatem vocant, qua corpus ab onere, quo nunc premitur, liberabitur, facillimeque in quamcumque partem anima voluerit, ita moveri poterit, ut ea motione nihil celerius esse queat: quemadmodum aperte Sanctus Augustinus in libro de Civitate Dei *(Lib. XX. Cap.* 18 *et Lib. XIII. Cap.* 18. 20.*)*, et Hieronymus in Jesaiam *(Cap. XL. in fine)* docuerunt. Quare ab Apostolo dictum est *(1 Cor. XV, 43.)*: *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.* His vero addita est, quae vocatur Subtilitas: cujus virtute corpus animae imperio omnino subjicietur, eique serviet, et ad nutum praesto erit: quod ex illis Apostoli verbis ostenditur *(1 Cor. XV, 44.)*: *Seminatur,* inquit, *corpus animale, surget corpus spirituale.* Haec fere sunt praecipua capita, quae in hujus articuli explicatione tradenda erunt.

§. 194. Ut autem fideles sciant, quem fructum ex tot tantorumque mysteriorum cognitione capere possint, primum declarare oportebit, maximas a nobis Deo gratias agendas esse, qui haec *sapientibus absconderit, et revelaverit parvulis (Matth. XI, 21.)*. Quot enim viri vel prudentiae laude praestantes, vel singulari doctrina praediti, in hac tam certa veritate caeci plane fuerunt? Quod igitur nobis illa patefecerit, quibus ad eam intelligentiam adspirare non licebat, est, quod summam ejus benignitatem et clementiam perpetuis laudibus celebremus. Deinde magnus etiam ille fructus ex hujus articuli meditatione consequetur, quod scilicet in eorum morte, qui nobis necessitudine vel benevolentia conjuncti sunt, facile tum alios, tum nos ipsos consolabimur. Quo quidem genere consolationis Apostolum usum esse constat, cum ad Thessalonicenses *(Cap. IV, 12.)* de dormientibus scriberet. Sed in omnibus etiam aliis aerumnis, et in calamitatibus, futurae resurrectionis cogitatio, summam nobis doloris levationem afferet; quemadmodum Sancti Job exemplo didicimus, qui una hac spe afflictum et moerentem animum sustentabat. fore aliquando, ut in resurrectione Dominum Deum suum conspiceret *(Job XIX, 27.)*. Praeterea, hoc plurimum valebit ad persuadendum fidelibus populis, ut rectam vitam. integram. ab omnique prorsus

peccati labe puram agere quam diligentissime curent. Si enim cogitaverint, ingentes illas divitias, quae resurrectionem consequuntur, ipsis propositas esse, facile ad virtutis et pietatis studia allicientur. Contra vero, nulla res majorem vim habitura est ad comprimendas animi cupiditates, hominesque a sceleribus avocandos, quam si saepius admoneantur, quibusnam malis et cruciatibus improbi afficiendi sunt, qui extremo illo die procedent in resurrectionem judicii.

## CAPUT VI.

*De duodecimo articulo, et quid vitae aeternae nomine intelligendum sit* §. 195—197.; *de inexplicabili felicitate Sanctorum, tum essentiali, tum accidentali* §. 198—205.; *qua via et ratione vitam aeternam consequamur* §. 206.

§. 195. Vitam aeternam. Sancti Apostoli, duces nostri, Symbolum, quo fidei nostrae summa continetur, aeternae vitae articulo claudi et terminari voluerunt, tum quia post carnis resurrectionem nihil aliud fidelibus expectandum est, nisi aeternae vitae praemium, tum vero, ut perfecta illa felicitas et bonis omnibus cumulata, nobis semper ante oculos versaretur, doceremurque in ea mentem et cogitationes nostras omnes defigendas esse. Quare Parochi in erudiendis fidelibus nunquam intermittent, praemiis aeternae vitae propositis, eorum animos accendere, ut, quaecumque vel difficillima, christiani nominis causa, subeunda esse docuerint, facilia atque adeo jucunda existiment, promptioresque ad parendum Deo, et alacriores reddantur. Sed quoniam sub his verbis, quae ad beatitudinem nostram declarandam hoc loco usurpantur, plurima mysteria in occulto latent, ea sic aperienda sunt, ut, quantum cujusque ingenium ferat, omnibus patere possint.

§. 196. Admonendi igitur sunt fideles, his vocibus, Vitam aeternam, non magis perpetuitatem vitae, cui etiam Daemones sceleratique homines addicti sunt, quam in perpetuitate beatitudinem, quae Beatorum desiderium expleat, significari. Atque ita intelligebat Legisperitus ille (*Luc.* XVIII,18.), qui a Domino Salvatore nostro, quid sibi faciendum esset, ut vitam aeternam possideret, in Evangelio quaesivit: perinde ac si diceret: Quaenam mihi prae-

standa sunt, ut ad eum locum, ubi perfecta felicitate frui liceat, perveniam? In hunc vero sensum Sacrae Literae haec verba accipiunt, ut multis in locis licet animadvertere. Hoc vero potissimum nomine summa illa beatitudo appellata est, ne quis existimaret eam in rebus corporeis et caducis, quae aeternae esse non possunt, consistere. Neque enim haec ipsa beatitudinis vox satis explicare poterat, quod quaerebatur, praesertim cum non defuerint homines inanis cujusdam sapientiae opinione inflati, qui summum Bonum in iis rebus ponerent, quae percipiuntur sensibus. Haec enim pereunt et veterascunt: beatitudo vero nullo temporis termino definienda est. Quin potius terrena haec longissime a vera felicitate absunt: a qua is quammaxime recedit, qui mundi amore et desiderio tenetur. Scriptum est enim (1 *Joh. II,* 15. 17.): *Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo;* et paulo post: *Mundus transit, et concupiscentia ejus.* Haec igitur Parochi fidelium mentibus imprimenda diligenter curabunt, ut mortalia contemnere, nullamque in hac vita, in qua non cives sed advenae sumus, felicitatem obtineri posse, in animum inducant. Quamquam hic etiam spe beati merito dicemur, si *abnegantes impietatem ac saecularia desideria, sobrie, et juste, et pie vixerimus in hoc saeculo, expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri, Jesu Christi* (*Tit. II,* 12. 13.). Haec autem cum permulti, qui sibi ipsis sapientes videbantur, minus intelligerent, et in hac vita felicitatem quaerendam putarent, stulti facti sunt, et in maximas calamitates inciderunt.

§. 197. Sed illud praeterea ex vi hujus nominis, Vitam aeternam, percipimus, semel adeptam felicitatem amitti nunquam posse, ut falso nonnulli suspicati sunt. Nam felicitas ex omnibus bonis sine ulla mali admixtione cumulatur: quae cum hominis desiderium expleat, in aeterna vita necessario consistit. Neque enim potest beatus non magnopere velle, ut illis bonis, quae adeptus est, sibi perpetuo frui liceat. Quare, nisi ea professio stabilis et certa sit, maximo cruciatu timoris angatur necesse est.

§. 198. Verum, quanta sit Beatorum, qui in coelesti patria vivunt, felicitas, eaque ab ipsis tantum,

praeterea nemine, comprehendi possit, hae ipsae voces, cum vitam beatam dicimus, satis demonstrant. Nam cum ad rem aliquam significandam eo nomine utimur, quod cum multis aliis commune est, facile intelligimus, deesse propriam vocem, qua res illa plane exprimatur. Cum igitur felicitas iis vocibus declaretur, quae non magis in Beatos, quam in omnes, qui perpetuo vivant, recte conveniunt, hoc nobis argumento esse potest, altiorem et praestantiorem quandam rem esse, quam ut proprio vocabulo perfecte significare ejus rationem possimus. Nam etsi plurima alia nomina coelesti huic beatitudini in Sacris Literis tribuuntur, cujusmodi sunt, regnum Dei, Christi, coelorum, paradisus, sancta civitas, nova Hierusalem, domus Patris: tamen perspicuum est, nullum ex iis ad ejus magnitudinem explicandam satis esse. Quare Parochi hoc loco oblatam sibi occasionem non praetermittent, fideles tam amplis praemiis, quae vitae aeternae nomine declarantur, ad pietatem et justitiam, et omnia christianae religionis officia invitandi. Constat enim, vitam in maximis bonis, quae natura expetuntur, numerari solere. Atqui hoc potissimum bono, cum vitam aeternam dicimus Beatitudo definitur. Quod si exigua hac et calamitosa vita, quae tot et tam variis miseriis subjecta est, ut mors verius dicenda sit, nihil magis amatur, nihil aut charius aut jucundius esse potest: quo tandem animi studio, qua contentione aeternam illam vitam quaerere debemus, quae defunctis omnibus malis, perfectam et absolutam bonorum omnium rationem conjunctam habet? Nam, ut Sancti Patres tradiderunt, aeternae vitae felicitas, omnium malorum liberatione, et bonorum adeptione definienda est.

§. 199. De malis clarissima sunt Sanctarum Literarum testimonia. Scriptum est enim in Apocalypsi *(Apoc VII, 16. XXI, 4.)*: *Non esurient, neque sitient amplius: neque cadet super illos sol, neque ullus aestus;* et rursus: *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* Jam vero Beatorum immensa gloria, innumeraque solidae laetitiae et voluptatis genera futura sunt: cujus gloriae magnitudinem, cum animus noster capere, aut illa in animos nostros penetrare nullo modo possit, ne-

esse est, nos in illam, nempe in gaudium Domini inroire, ut eo circumfusi, mentis desiderium cumulare xpleamus. Quamvis autem, ut Sanctus Augustinus scriit *(Serm. LXXIV. de verbis Dom.* et *de Symb. ad Catechum. Lib. III. Cap. ult.)*, facilius mala, quibus caturi sumus, quam bona ac voluptates, quas hausturi umus, numerari posse videantur: danda tamen erit pera, ut, quae fideles summae illius felicitatis adipicendae cupiditate inflammare poterunt, breviter et diucide explicentur.

§. 200. Sed illa inprimis distinctione uti oportebit, uam a gravissimis divinarum rerum Scriptoribus acceimus. Ii enim duo bonorum genera esse statuunt, uorum alterum ad beatitudinis naturam pertinet, altem ipsam beatitudinem consequitur. Quare illa essenialia, haec vero accessoria bona, docendi causa ppellarunt. Ac solida quidem beatitudo, quam essentialem ommuni nomine licet vocare, in eo sita est, ut Deum ideamus, ejusdem pulchritudine fruamur, qui est omnis onitatis ac perfectionis fons et principium. *Haec est ita aeterna,* inquit Christus Dominus *(Joh. XVII, 3.), t cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti esum Christum.* Quam sententiam Sanctus Johannes idetur interpretari, cum ait *(1 Joh. III, 2.)*: *Charisimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid rimus: scimus quoniam cum apparuerit, similes ei rimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Significat nim beatitudinem ex iis duobus constare, tum quod Deum intuebimur, qualis in natura sua ac substantia st, tum quod veluti Dii efficiemur. Nam qui illo fruunur, quamvis propriam substantiam retineant, admirabiem tamen quandam, et prope divinam formam induunt, t Dii potius, quam homines, videantur.

§. 201. Hoc autem cur ita fiat, ex eo perspicuum est, quod unaquaeque res vel ex ejus essentia, vel ex similitudine et specie cognoscitur. At quoniam nihil est Deo simile, cujus similitudinis adjumento ad perfectam ejus notitiam pervenire possimus; consequens est, ut ejus naturam et essentiam videre nemini liceat, nisi haec eadem divina essentia se nobis conjunxerit. Atque id Apostoli verba illa significant *(1 Cor. XIII, 12.)*: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem.* Nam quod inquit, in aenigmate:

interpretatur Sanctus Augustinus *(Lib. XV. de Trinit. Cap. 9.)*, in similitudine ad Deum intelligendum accommoda. Quod etiam S. Dionysius *(Cap. 1. de divin. nominib.)* aperte ostendit, cum affirmat, nullam inferiorum similitudine superiora percipi posse. Neque enim ex alicujus rei corporeae similitudine, ejus, quae corpore careat, essentia et substantia cognosci potest; cum praesertim necesse sit, rerum similitudines minus concretionis habere, et magis spirituales esse, quam res ipsas, quarum imaginem referunt: quemadmodum in omnium rerum cognitione facile experimur. Quoniam vero fieri non potest, ut alicujus rei creatae similitudo aeque pura et spiritualis, ac Deus ipse est, reperiatur: ita fit, ut ex nulla similitudine divinam essentiam perfecte intelligere possimus.

§. 202. Accedit etiam, quod omnes creatae res certis perfectionis terminis circumscribuntur: at Deus infinitus est, neque ullius rei creatae similitudo ejus immensitatem capere potest. Quocirca una illa ratio divinae substantiae cognoscendae relinquitur, ut ea se nobis conjungat, et incredibili quodam modo intelligentiam nostram altius extollat, atque idonei ad ejus naturae speciem contemplandam reddamur. Id vero lumine gloriae assequemur, cum eo splendore illustrati, Deum *lumen* verum *in ejus lumine videbimus (Ps. XXXV, 10.)*. Nam Beati Deum praesentem semper intuentur: quo quidem dono omnium maximo et praestantissimo, divinae essentiae participes effecti, vera et solida beatitudine potiuntur: quam nos ita credere debemus, ut eam Dei benignitate cum certa spe nobis exspectandam esse, in Symbolo Patrum definitum sit: Inquit enim: *Exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi.*

§. 203. Divina haec plane sunt, neque ullis verbis explicari, aut cogitatione comprehendi a nobis possunt. Verum, licet aliquam hujus beatitudinis imaginem in iis etiam rebus, quae sensu percipiuntur, cernere. Nam quemadmodum ferrum, admoto igni, ignem concipit, et quamvis ejus substantia non mutetur, fit tamen, ut diversum quippiam, nimirum ignis, esse videatur: eodem modo, qui in coelestem illam gloriam admissi sunt, Dei amore inflammati, ita afficiuntur, cum tamen id, quod sunt, esse non desinant, ut multo magis distare ab iis, qui in hac vita sunt, merito dici possint, quam

ferrum candens ab eo, quod nullam caloris vim in se contineat. Ut igitur rem paucis complectamur, summa illa et absoluta beatitudo, quam essentialem vocamus, in Dei possessione, constituenda est. Quid enim ei ad perfectam felicitatem deese potest, qui Deum optimum et perfectissimum possidet?

§. 204. Verum ad illam tamen quaedam accedunt ornamenta, omnibus Beatis communia, quae quoniam ab humana ratione minus remota sunt, vehementius quoque animos nostros commovere et excitare solent. Hujus generis ea sunt, de quibus Apostolus ad Romanos *(Rom. II, 10.)* videtur intelligere: *Gloria, et honor, et pax omni operanti bonum.* Nam gloria quidem Beati perfruentur, non illa solum, quam tandem essentialem beatitudinem, vel cum ejus natura maxime conjunctam esse ostendimus: sed ea etiam, quae constat ex clara et aperta notitia, quam singuli de alterius eximia et praestanti dignitate habituri sunt. At vero quantus ille honor existimandus est, qui eis a Domino tribuitur, cum non amplius servi, sed amici, fratres ac filii Dei vocentur? Quare ita electos suos amantissimis et honorificentissimis verbis Salvator noster compellabit *(Matth. XXV, 24.)*: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum,* ut merito liceat exclamare *(Psalm. CXXXVIII, 17.)*: *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus.* Sed laudibus etiam a Christo Domino, coram Patre coelesti et Angelis ejus, celebrabuntur. Praeterea, si hoc commune omnibus hominibus desiderium natura ingenuit honoris, qui a viris sapientia praestantibus habeatur, quod eos locupletissimos virtutis suae testes fore existiment: quantum Beatorum gloriae accessurum putamus, quod alius alium summo honore prosequetur? Infinita esset omnium oblectationum enumeratio, quibus Beatorum gloria cumulata erit, ac ne cogitatione quidem fingere eas possumus.

§. 205. Sed tamen hoc fidelibus persuasum esse debet, quaecunque nobis jucunda in hac vita contingere, vel etiam optari queant; sive ea ad mentis cognitionem, sive ad corporis perfectum habitum pertineant, earum rerum omnium copiis beatam Coelestium vitam circumfluere: quamvis hoc altiore quodam modo, *quam oculus vidit, aut auris audivit, aut in cor hominis adscendit,* fieri Apostolus *(1 Cor. II, 9.)* affirmat. Nam corpus

quidem, quod antea crassum et concretum erat, cum in coelo, detracta mortalitate, tenue et spirituale effectum fuerit, nullis amplius alimentis indigebit: anima autem aeterno gloriae pabulo, quod magni illius convivii autor transiens omnibus ministrabit, cum summa voluptate exsaturabitur. Quis vero pretiosas vestes, aut regales corporis ornatus desiderare poterit, ubi nullus harum rerum usus futurus sit, omnesque immortalitate et splendore amicti, et sempiternae gloriae corona ornati erunt? Sed si amplae etiam et magnificae domus possessio ad humanam felicitatem pertinet, quid coelo ipso, quod Dei claritate undique collustratur, vel amplius, vel magnificentius cogitari potest? Quare Propheta, cum ejus domicilii pulchritudinem sibi ante oculos poneret, et ad beatas illas sedes perveniendi cupiditate arderet: *Quam dilecta,* inquit *(Psalm. LXXXIII, 2. 3.), tabernacula tua, Domine virtutum; concupiscit et deficit anima mea in atria Domini: cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Atque, ut hic sit omnium fidelium animus, haec communis omnium vox, quemadmodum Parochi vehementer optare, ita etiam omni studio curare debent. Nam, *in domo Patris mei,* inquit Dominus *(Joh. XIV, 2.), mansiones multae sunt,* in quibus majora et minora praemia, ut quisque promeritus erit, reddentur. *Qui enim parce seminat, parce et metet: et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet (2 Cor. IX, 6.).*

§. 206. Quare non solum ad eam beatitudinem fideles excitabunt, verum etiam ejus consequendae certam rationem hanc esse frequenter monebunt, ut fide et charitate instructi, et in oratione et Sacramentorum salutari usu perseverantes, ad omnia benignitatis officia in proximos se exerceant. Ita enim Dei misericordia fiet, qui beatam illam gloriam diligentibus se praeparavit, ut aliquando impleatur, quod dictum est per Prophetam *(Jes. XXXII, 18.): Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciae, et in requie opulenta.*

# LIBER SECUNDUS.

## DE SACRAMENTIS ET PRIMUM QUIDEM DE IIS IN GENENRE.

### CAPUT I.

*Cur doctrina de Sacramentis studiose tradenda sit* §. 207*; de nomine Sacramenti* §. 208 — 210*; explicatur natura et definitio Sacramenti novae legis* §. 211 — 221.

§. 207. Cum omnis christianae doctrinae pars scientiam diligentiamque desiderat: tum Sacramentorum disciplina, quae et Dei jussu necessaria, et utilitate uberrima est, Parochi facultatem et industriam postulat singularem, ut ejus accurata ac frequenti perceptione fideles tales evadant, quibus praestantissimae ac sanctissimae res digne et salutariter impertiri possint: et Sacerdotes ab illa divini interdicti regula non discedant (*Matth. VII, 6.*): *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.*

§. 208. Principio igitur, quoniam universe de toto genere Sacramentorum agendum est, ab ipsius nominis vi atque notione oportet incipere, ejusque ambiguam significationem explanare, ut, quae hujus verbi sententia hoc loco propria sit, facilius intelligatur. Quare docendi sunt fideles, Sacramenti nomen, quod ad proprositam rem attinet, aliter a profanis, quam a sacris Scriptoribus, acceptum esse. Nam alii Autores Sacramenti nomine obligationem illam significari voluerunt, cum jurati aliquo servitutis vinculo obstringimur, ex quo jusjurandum, quo se milites fidelem operam reipublicae praestaturos pollicentur, Sacramentum militare dictum est. Atque haec frequentissima hujus vocabuli significatio apud illos videtur fuisse.

§. 209. Verum apud latinos Patres, qui res divinas scriptis tradiderunt, Sacramenti nomen aliquam rem sacram, quae in occulto latet, declarat: quemadmodum Graeci, ad eandem rem significandam, Mysterii vocabulo usi sunt. In eam vero sententiam, Sacramenti vocem accipiendam esse intelligimus, cum ad Ephesios

scribitur *(Ephes. I, 9.)* : *Ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suae;* deinde ad Timotheum *(1 Tim. III, 16.)* : *magnum est pietatis Sacramentum;* praeterea in libro Sapientiae *(Sap. II, 22.)* : *Nescierunt Sacramenta Dei.* Quibus in locis, et aliis multis, licet animadvertere, Sacramentum nihil aliud, nisi rem sacram, abditam atque occultam significare. Quare latini Doctores signa quaedam sensibus subjecta, quae gratiam, quam efficiunt, simul etiam declarant, ac veluti ante oculos ponunt, Sacramenta commode appellari posse existimarunt. Quamquam, ut D. Gregorio *(in Cap. 16. Lib. I. Regg. super illud: Directus est Spiritus etc.)* placet, ob id Sacramenta dici possunt, quod divina virtus sub rerum corporearum tegumentis occulte salutem efficiat

§. 210. Neque vero quisquam putet, hoc vocabulum nuper in Ecclesiam inductum esse. Nam qui Sanctos Hieronymum et Augustinum legerit, facile perspiciet, antiquos religionis nostrae Scriptores, ad eam de qua loquimur rem demonstrandam, saepissime Sacramenti nomine, interdum vero etiam Symboli, vel mystici signi, vel sacri signi voce usos esse. Atque haec de Sacramenti nomine dicta sint: quod quidem veteris etiam legis Sacramentis convenit, de quibus nihil opus est Pastoribus praecepta tradere, cum ea Evangelii lege et gratia sublata sint.

§. 211. Verum, praeter nominis notionem, quae hactenus declarata est, rei etiam vis et natura diligenter investiganda, et quid Sacramentum sit, fidelibus aperiendum est. Sacramenta enim ex genere earum rerum esse, quibus salus et justitia comparatur, dubitare nemo potest. Sed cum multae rationes sint, quae ad hanc rem explicandam aptae et accommodatae videantur, nulla tamen planius et dilucidius eam demonstrat, quam definitio a Divo Augustino *(Lib. X. de Civit. Dei, Cap. 5.)* tradita, quam deinde omnes Doctores scholastici secuti sunt. *Sacramentum*, inquit ille, *est signum rei sacrae:* vel ut aliis verbis, in eandem tamen sententiam, dictum est: Sacramentum est invisibilis gratiae visibile signum, ad nostram justificationem institutum.

§. 212. Quae quidem definitio ut magis pateat, singulae ejus partes a Pastoribus exponenda erunt. Atque

inprimis docere oportebit, rerum omnium, quae sensibus percipiuntur, duo esse genera. Aliae enim ob id inventae sunt, ut aliquid significent, aliae non alterius rei significandae, sed sua tantum causa effectae sunt; quo in numero omnes pene res, quae natura constant, haberi possunt. At vero in priori genere vocabula rerum, scriptura, vexilla, imagines, tubae et alia hujusmodi permulta ponenda sunt. Nam si ex vocabulis vim significandi detraxeris, sublata videtur esse causa, quamobrem vocabula instituerentur. Haec igitur signa proprie dicuntur. Illud enim signum esse Sanctus Augustinus *(Lib. II. de Doctr. christ. Cap. 1.)* testatur, quod praeter rem, quam sensibus objicit, efficit etiam, ut ex se alterius rei cognitionem capiamus; sicut ex vestigio, quod terrae impressum intuemur, transisse aliquem, cujus vestigium apparet, facile cognoscimus.

§. 213. Quae cum ita se habeant, Sacramentum ad hoc rerum genus, quae significandi causa institutae sunt, referri perspicuum est, siquidem specie quadam et similitudine id nobis declarat, quod Deus in animis nostris sua virtute, quae sensu percipi non potest, efficit. Baptismus enim (ut, quod docetur, exemplo notius fiat) cum, adhibitis certis et solennibus verbis, aqua extrinsecus abluimur, hoc significat, Spiritus Sancti virtute omnem peccati maculam et turpitudinem interius elui, et animas nostras praeclaro illo coelestis justitiae dono augeri atque ornari, simulque ea corporis ablutio, ut postea suo loco explicabitur, illud in animo efficit, quod significat.

§. 214. Sed ex Scripturis etiam aperte colligitur, Sacramentum inter signa numerandum esse. Apostolus enim de Circumcisione, veteris legis Sacramento, quae Abraham, patri omnium credentium, data erat, ita ad Romanos scribit *(Rom. IV. 11.)*: *Et signum accepit Circumcisionis, signaculum justitiae fidei.* Et alio loco, cum affirmat nos omnes, qui baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizatos esse, licet cognoscere, Baptismum hujus rei significationem habere, nimirum, ut ait idem Apostolus *(Rom. VI, 3. 4.)*: *nos consepultos esse cum illo per Baptismum in mortem.*

§. 215. Neque vero parum proderit, si fidelis populus Sacramenta ad signa pertinere intellexerit. Ita enim fiet, ut quae illis significantur, continentur atque

30

efficiuntur, sancta et augusta esse facilius sibi persuadeat, cognitaque eorum sanctitate, ad divinam ergo nos beneficentiam colendam ac venerandam magis excitetur.

§. 216. Sequitur nunc, ut verba illa, rei sacrae, quae est altera definitionis pars, explicentur. Quod quidem, ut commode fieri possit, paulo altius repetenda sunt, quae de signorum varietate Sanctus Augustinus *(Lib. II. de Doctr. christian. Cap. 1 sqq.)* acute et subtiliter disputavit. Quaedam enim signa naturalia dicuntur, quae praeter seipsa alterius rei notitiam (quod omnibus signis commune esse, antea demonstratum est) in animis nostris gignunt; veluti fumus, ex quo statim ignem adesse intelligitur. Atque hoc signum ob eam causam naturale appellandum est, quod fumus non voluntate ignem significat, sed rerum usus efficit, ut si quis fumum tantum videat, naturam simul et vim ignis, qui adhuc latet, subesse, mente et cogitatione percipiat. Quaedam vero signa natura non constant, sed constituta atque ab hominibus inventa sunt, ut et colloqui inter se et aliis animi sui sensa explicare, vicissimque aliorum sententiam et consilia possent cognoscere. Haec autem quam varia et multiplicia sint, ex eo libet animadvertere, quod nonnulla ad oculorum, pleraque ad aurium sensum, reliqua ad caeteros sensus pertinent. Nam, cum aliquid alicui innuimus, et (exempli causa) sublato vexillo quippiam declaramus, satis constat, eam significationem ad oculos tantum referri, quemadmodum tubarum, tibiarum aut citharae sonus, qui non solum delectandi, sed plerumque significandi causa funditur, ad aurium judicium spectat, quo quidem praecipue sensu verba etiam accipiuntur, quae ad exprimendas intimas animi cogitationes maximam vim habent.

§. 217. Verum, praeter illa signa, quae hominum consensu et voluntate constituta esse, hactenus diximus, alia quaedam sunt divinitus data, quorum tamen non unum genus esse, omnes consentiunt. Alia enim signa ob eam tantum rem a Deo hominibus commendata sunt, ut aliquid significarent vel admonerent, cujusmodi fuerunt legis purificationes, panis azymus et alia permulta, quae ad Mosaici cultus caeremonias pertinebant; alia vero Deus instituit, quae non significandi modo, sed efficiendi etiam vim haberent. Atque in hoc posteriori signorum genere Sacramenta novae legis numeranda

esse, liquido apparet. Signa enim sunt divinitus tradita, non ab hominibus inventa, quae rei cujuspiam sacrae, quam declarant, efficientiam in se continere certo credimus.

§. 218. Sed quemadmodum signa in multiplici varietate esse ostendimus, ita etiam res sacra non unius modi existimanda est. Quod vero ad propositam Sacramenti definitionem attinet, divinarum rerum Scriptores, sacrae rei nomine Dei gratiam, quae nos sanctos efficit, ac omnium divinarum virtutum habitu exornat, demonstrant. Huic enim gratiae propriam sacrae rei appellationem tribuendam merito putarunt, quippe cum ejus beneficio animus noster Deo consecretur et conjungatur.

§. 219. Quare, ut explicatius quid Sacramentum sit, declaretur, docendum erit, rem esse sensibus subjectam, quae ex Dei institutione, sanctitatis et justitiae tum significandae, tum efficiendae vim habet. Ex quo sequitur, ut facile quivis possit intelligere, Imagines Sanctorum, Cruces et alia id generis, quamvis sacrarum rerum signa sint, non ideo tamen Sacramenta dicenda esse. Hujus autem veritatis doctrinam, facile erit omnium Sacramentorum exemplo comprobare, si (quod antea de Baptismo admonuimus, cum dicebamus solennem illam corporis ablutionem signum esse, et efficientiam habere rei sacrae. quae interius Spiritus Sancti vi fieret) idem etiam in aliis Sacramentis exercere aliquis velit Jam vero hisce mysticis signis, quae a Deo instituta sunt, illud etiam praecipue convenit, ut ex Domini institutione, non unam aliquam rem, sed plures simul significent. Quod in singulis Sacramentis licet cognoscere, quae non solum sanctitatem et justitiam nostram, sed praeterea duo alia cum ipsa sanctitate maxime conjuncta declarant; Christi scilicet redemptoris passionem, quae sanctitatis causa est, et vitam aeternam coelestemque beatitudinem, ad quam sanctitas nostra, tanquam ad finem, referri debet.

§. 220. Quod quidem cum in omnibus Sacramentis perspici possit, merito sacri Doctores unicuique Sacramentorum triplicem significandi vim inesse tradiderunt, tum quia alicujus rei praeteritae memoriam adferat, tum quia aliam praesentem indicet ac demonstret, tum quia aliam futuram praenunciet. Neque vero existimandum est, hoc ita ab illis doceri, ut etiam Sanctarum Scriptu-

rerum testimonio non probetur. Nam cum Apostolus ait (*Rom. VI, 3. 4. 5.*): *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus;* plane ostendit, idcirco Baptismum signum dicendum esse, quod dominicae passionis et mortis nos admoneat. Deinde cum inquit: *Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quo modo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus;* ex iis verbis perspicuum est, Baptismum signum esse, quo coelestis gratia in nos infusa declaratur, cujus munere nobis datum est, ut novam vitam instituentes, omnia verae pietatis officia facile et libenti animo exsequamur. Postremo cum addit: *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus;* apparet, Baptismum vitae etiam aeternae, quam per illum consecuturi sumus, non obscuram significationem dare.

§. 221. Sed praeter haec, quae commemoravimus, varia significandi genera et rationes, saepe etiam evenit, ut Sacramentum non unam tantum rem praesentem, sed plures demonstret ac notet; id vero sanctissimum Eucharistiae Sacramentum intuentibus, facile est intelligere, quo veri corporis et sanguinis Domini praesentia, nec non gratia, quam non impure sacra mysteria sumentes percipiunt, designatur. Ex iis igitur, quae dicta sunt, Pastoribus argumenta deesse non poterunt, quibus ostendant, quanta divinitatis potentia, quot arcana miracula Sacramentis novae legis insint, ut ea summa cum religione colenda et suscipienda esse, omnibus persuadeant.

## CAPUT II.

*Septem causae, cur novae legis Sacramenta instituta sint* §. 222—228.

§. 222. Verum ad rectum Sacramentorum usum docendum nihil accommodatius videri potest, quam diligenter causas exponere, cur Sacramenta institui oportuerit. Plures autem numerari solent, quarum prima est: humani ingenii imbecillitas; siquidem natura ita comparatum videmus, ut ad earum rerum notitiam, quae mente atque intelligentia comprehensae sunt, nisi per ea, quae aliquo sensu percipiuntur, nemini adspirare liceat. Ut igitur, quae occulta Dei virtute efficiuntur,

facilius intelligere possemus, idem summus rerum omnium artifex sapientissime fecit, ut eam ipsam virtutem aliquibus signis, quae sub sensum cadunt, pro sua in nos benignitate declararet. Nam, ut praeclare a S. Chrysostomo *(Homil. 83. in Matth. et Hom. 60. ad Pop. Antioch.)* dictum est, si homo corporis concretione caruisset, nuda ipsa bona, neque ullis integumentis involuta, ei oblata essent; quoniam vero anima corpori conjuncta est, omnino opus fuit, ut rerum, quae sentiuntur, adminiculo ad ea intelligenda uteretur.

§. 223. Altera vero causa est, quod animus noster haud facile commovetur ad ea, quae nobis promittuntur, credenda. Quare Deus a mundi exordio quae facere instituerat, verbis quidem frequentissime indicare consuevit; interdum vero, cum opus aliquod institueret, cujus magnitudo promissi fidem abrogare posset, alia etiam signa, quae nonnunquam miraculi speciem haberent, verbis adjunxit. Nam cum Deus Moysen ad Israëlitici populi liberationem mitteret, ille vero, ne Dei quidem praecipientis auxilio fretus, timeret, ne onus sibi gravius imponeretur, quam ut sustinere posset, aut ne populus divinis oraculis et dictis fidem non adjungeret, Dominus promissionem suam multa signorum varietate firmavit *(Exod. III. IV.)*. Quemadmodum igitur in Veteri Testamento Deus fecerat, ut magni alicujus promissi constantiam signis testificaretur; ita etiam in nova lege Christus Salvator noster, cum nobis peccatorum veniam, coelestem gratiam, Spiritus Sancti communicationem pollicitus est, quaedam signa oculis et sensibus subjecta instituit, quibus eum, quasi pignoribus, obligatum haberemus, atque ita fidelem in promissis futurum dubitare nunquam possemus.

§. 224. Tertia causa fuit, ut illa tanquam remedia, ut scribit S. Ambrosius *(Lib. V. de Sacram. Cap. 4.)*, atque evangelici Samaritani medicamenta ad animarum sanitatem vel recuperandam vel tuendam praesto essent. Virtutem enim, quae ex passione Christi manat, hoc est, gratiam quam ille nobis in ara crucis meruit, per Sacramenta, quasi per alveum quendam, in nosipsos derivare oportet; aliter vero nemini ulla salutis spes reliqua esse poterit. Quare clementissimus Dominus Sacramenta verbo suo et promissione sancita relinquere in Ecclesia voluit, per quae passio-

nis suae fructum nobis reipsa communicari sine dubitatione crederemus, si modo unusquisque nostrum ad se eam curationem pie et religiose admoveret.

§. 225. Sed quarta etiam causa accedit, cur Sacramentorum institutio necessaria videri possit, ut scilicet notae quaedam et symbola essent, quibus fideles internoscerentur, cum praesertim nullus hominum coetus queat, ut etiam a D. Augustino *(Lib. XIX. contr. Faust. Cap.* 11.*)* traditum est, sive verae sive falsae religionis nomine quasi unum corpus coagmentari, nisi aliquo visibilium signorum foedere conjungantur. Utrumque igitur praestant novae legis Sacramenta, quae et christianae fidei cultores ab infidelibus distinguunt, et ipsos fideles sancto quodam vinculo inter se connectunt.

§. 226 Praeterea, aliam etiam justissimam fuisse causam Sacramenta instituendi, ex illis Apostoli verbis *(Rom. X,* 10.*)*: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, ostendi potest. Sacramentis enim fidem nostram, in hominum conspectu, profiteri et notam facere videmur. Quare ad Baptismum accedentes, palam testamur nos credere, ejus aquae virtute, qua in Sacramento abluimur, spiritualem animae purgationem fieri.

§. 227. Magnam deinde vim habent Sacramenta, non solum ad fidem in animis nostris excitandam et exercendam, sed etiam eam charitatem inflammandam, qua amare inter nos debemus; cum arctissimo nos vinculo colligatos, et unius corporis membra effectos esse, ex sacrorum mysteriorum communione, recordamur.

§. 228. Postremo, quod in christianae pietatis studio plurimi faciendum est, humanae mentis superbiam edomant ac comprimunt, nosque ad humilitatem exercent, dum sensibilibus elementis subiicere nos cogimur, ut Deo obtemperemus, a quo antea impie defeceramus, ut mundi elementis serviremus. — Haec sunt, quae potissimum de Sacramenti nomine, natura, institutione, fideli populo tradenda esse, visa sunt: quae posteaquam a Pastoribus accurate exposita fuerint, docere deinceps oportebit, quibus ex rebus singula Sacramenta constent, quaeve sint illorum partes, ac praeterea, qui ritus et caeremoniae additae illis fuerint.

## CAPUT III.

*Certam Materiam et verborum Formam in confectione Sacramentorum necessariam esse* §. 229. 230.*; de Caeremoniis quae Sacramentis adhibentur* §. 231.

§. 229. Primum igitur explicandum est, rem sensibilem, quae supra in Sacramenti definitione posita est, non unam tantum esse, quamvis unum signum constitui credendum sit. Duo enim sunt, ex quibus quodlibet Sacramentum conficitur: quorum alterum materiae rationem habet, atque Elementum dicitur: alterum formae vim, et Verbum communi vocabulo appellatur. Sic enim a Patribus accepimus. Qua in re notum est, atque apud omnes pervulgatum illud Sancti Augustini testimonium *(Tract. 80. in Johan.)*: Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum. Rei igitur sensibilis nomine tum materiam sive Elementum intelligunt, ut in Sacramento Baptismi aquam, Confirmationis Chrisma, et extremae Unctionis Oleum, quae omnia sub adspectum cadunt: tum praeterea Verba, quae formae rationem habent, atque ad aurium sensum pertinent. Apostolus vero utrumque aperte indicavit, cum inquit *(Ephes. V, 25. 26.)*: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae, in verbo vitae.* Quo in loco materia et forma Sacramenti exprimitur.

§. 230. Addenda autem erant verba ad materiam, ut apertior clariorque rei, quae gerebatur, significatio fieret. Verba enim inter omnia signa, maximam vim habere perspicuum est: ac, si ipsa desint, plane obscurum erit, quidnam materia Sacramentorum designet ac demonstret. Nam, ut in Baptismo licet videre, cum aqua non minus refrigerandi, quam abluendi vim habeat, et utriusque rei symbolum esse possit, nisi verba addantur, utrum horum in Baptismo significet, aliquis fortasse conjectura aliqua dijudicabit: nemo autem ea de re quippiam certi affirmare audebit; at cum verba adhibentur, statim intelligimus, abluendi vim et significationem habere. In hoc autem nostra Sacramenta antiquae legis Sacramentis plurimum praestant, quod in illis administrandis nulla, quod quidem acceperimus, definita forma servaretur: quo etiam fiebat, ut incerta admodum et obscura essent: nostra vero formam verborum ita praescriptam habent, ut si forte ab ea disce-

datur, Sacramenti ratio constare non possit; ob eamque rem clarissima sunt, ac nullum relinquunt dubitandi locum. Hae igitur sunt partes, quae ad naturam et substantiam Sacramentorum pertinent, et ex quibus unumquodque Sacramentum necessario constituitur.

§. 231. His accedunt Caeremoniae, quae, tametsi praetermitti sine peccato non possunt, nisi aliud facere ipsa necessitas cogat; tamen, si quando omittantur, quoniam rei naturam non attingunt, nihil de vera Sacramenti ratione imminui credendum est. Ac merito quidem, a primis usque Ecclesiae temporibus illud semper servatum est, ut Sacramenta solennibus quibusdam Caeremoniis ministrarentur. Primum enim maxime decuit, sacris Mysteriis eum religionis cultum tribuere, ut sancta sancte tractare videremur. Praeterea, quae Sacramento efficiuntur, Caeremoniae ipsae magis declarant, ac veluti ante oculos ponunt, et earum rerum sanctitatem in animos fidelium altius inprimunt. Deinde vero mentes illorum, qui eas intuentur et diligenter observant, ad sublimium rerum cogitationem erigunt, fidemque in eis et charitatem excitant, quo major cura et diligentia adhibenda erit, ut fideles vim Caeremoniarum, quibus singula Sacramenta conficiuntur, cognitam et perspectam habeant.

## CAPUT IV.

*De septenario Sacramentorum numero §. 232 — 234.; de discrimine eorum quantum ad necessitatem vel dignitatem attinet §. 235.; de autore et institutore Sacramentorum §. 236.*

§. 232. Sequitur, ut Sacramentorum etiam numerus explicetur, quae quidem cognitio hanc utilitatem affert, quod populus eo majori pietate omnes animi sui vires ad laudandam et praedicandam Dei erga nos singularem beneficentiam convertat, quo plura salutis ac beatae vitae adjumenta nobis divinitus parata esse intellexerit. Catholicae igitur Ecclesiae Sacramenta, quemadmodum ex Scripturis probatur *(Matth. XXVIII. Joh. III. Actor. VIII. Luc. XXIV. Matth. XXVI. Joh. XX. Jacob. V. 1 Tim. IV. Ephes. V.)*, et Patrum traditione ad nos pervenit, et Conciliorum testatur auctoritas, septenario numero definita sunt.

§. 233. Cur autem neque plura, neque pauciora numerentur, ex iis etiam rebus, quae per similitudinem a naturali vita ad spiritualem transferuntur, probabili quadam ratione ostendi poterit. Homini enim ad vivendum, vitamque conservandam, et ex sua reique publicae utilitate traducendam, haec septem necessaria videntur, ut scilicet in lucem edatur, augeatur, alatur, si in morbum incidat sanetur, imbecillitas virium reficiatur, deinde quod ad remp, attinet, ut Magistratus nunquam desint, quorum auctoritate et imperio regatur, ac postremo, legitima sobolis propagatione, seipsum et humanum genus conservet. Quae omnia quoniam vitae illi, qua anima Deo vivit, respondere satis apparet, ex iis facile Sacramentorum numerus colligetur.

§. 234. Primus enim est Baptismus, veluti caeterorum janua, quo Christo renascimur. Deinde Confirmatio, cujus virtute fit, ut divina gratia augeamur et roboremur. Baptizatis enim jam Apostolis, ut D. Augustinus (*Epist.* 108.) testatur, inquit Dominus: Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto. Tum Eucharistia, qua, tanquam cibo vere coelesti, Spiritus noster alitur et sustinetur. De ea enim dictum est a Salvatore (*Joh. VI*, 56.): *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Sequitur quarto loco Poenitentia, cujus ope sanitas amissa restituitur, postquam peccati vulnera accepimus. Postea vero extrema Unctio, qua peccatorum reliquiae tolluntur, et animi virtutes recreantur, siquidem D. Jacobus, cum de hoc Sacramento loqueretur, ita testatus est (*Jacob. V*, 15.): *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Sequitur Ordo, quo publica Sacramentorum ministeria perpetuo in Ecclesia exercendi, sacrasque omnes functiones exsequendi potestas traditur. Postremo additur Matrimonium, ut ex maris et foeminae legitima et sancta conjunctione, filii ad Dei cultum et humani generis conservationem procreentur, et religiose educentur.

§. 235. Illud vero maxime animadvertendum est, quamvis omnia Sacramenta divinam et admirabilem virtutem in se contineant, tamen non et parem omnia et aequalem necessitatem aut dignitatem, aut unam eandemque significandi vim habere. Atque ex iis tria sunt, quae, tametsi non eadem ratione, tamen prae caeteris necessaria dicuntur. Baptismum enim unicuique sine

ulla adjunctione necessarium esse, Salvator his verbis declaravit *(Joh. III, 3.)*: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Poenitentia vere illis tantummodo necessaria est, qui se post Baptismum aliquo mortali peccato obstrinxerunt; neque enim aeternum exitium effugere poterunt, nisi eos admissi peccati rite poenituerit. Ordo praeterea, etsi non singulis fidelibus, toti tamen Ecclesiae omnino necessarius est. Verum si dignitas in Sacramentis spectetur, Eucharistia sanctitate et mysteriorum numero ac magnitudine longe caeteris antecellit. Quae omnia facilius intelligentur, cum suo loco ea, quae ad singula Sacramenta pertinent, explicabuntur.

§. 236. Deinceps videndum est, a quo haec sacra et divina Mysteria acceperimus; neque enim dubitandum est, quin praeclari alicujus muneris dignitas, ejus, a quo donum ipsum profectum est, dignitate et praestantia quammaxime augeatur. Sed ea quaestio difficilem explicationem habere non potest. Nam cum Deus sit, qui homines justos efficiat, ipsa vero Sacramenta justitiae adipiscendae mirifica quaedam instrumenta sint, patet, unum eundemque Deum in Christo justificationis et Sacramentorum auctorem agnoscendum esse. Praeterea Sacramenta eam vim et efficientiam continent, quae ad intimam animam penetrat. Cum vero unius Dei potentiae proprium sit, in corda et mentes hominum illabi; ex hoc etiam perspicitur, Sacramenta a Deo ipso per Christum instituta esse, quemadmodum ab eo quoque intus dispensari, certa et constanti fide tenendum est. Hoc enim testimonium de illo se accepisse, Sanctus Johannes affirmat, cum ait *(Joh. I, 33.)*: *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.*

## CAPUT V.

*Sacramentorum ministros esse posse tum bonos tum malos* §. 237. 238.; *quod mali eorum administratione perniciem et mortem sibi afferant* §. 239.

§. 237. Sed quamvis Deus Sacramentorum autor et dispensator sit, ea tamen non per Angelos, verum per homines ministrari in Ecclesia voluit. Non minus

enim Ministrorum officio, quam materia et forma ad Sacramenta conficienda opus esse, perpetua Sanctorum Patrum traditione confirmatum est. Atque hi quidem Ministri, quoniam in sacra illa functione non suam, sed Christi personam gerunt, ea re fit, ut sive boni sive mali sint, modo ea forma et materia utantur, quam ex Christi instituto semper Ecclesia catholica servavit; idque facere proponant, quod Ecclesia in ea administratione facit, vere Sacramenta conficiant et conferant: ita ut gratiae fructum nulla res impedire possit, nisi, qui ea suscipiunt, se ipsos tanto bono fraudare, et Spiritui Sancto velint obsistere.

§. 238. Hanc vero in Ecclesia certam et exploratam sententiam semper fuisse, Sanctus Augustinus in iis disputationibus, quas adversus Donatistas conscripsit, clarissime demonstravit. Quod si etiam Scripturae testimonia quaerimus, ipsum Apostolum, his verbis loquentem, audiamus *(1 Cor. III, 6. 7.)*: *Ego*, inquit, *plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit; neque enim qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Ex quo loco satis intelligitur, quemadmodum arboribus nihil obest eorum improbitas, quorum manu satae sunt: ita nihil vitii aliena culpa contrahi illis posse, qui malorum hominum ministerio Christo insiti sunt. Quare, ut ex D. Johannis Evangelio Sancti Patres nostri docuerunt, Judas etiam Iscariotes plures baptizavit; ex quibus tamen neminem iterum baptizatum fuisse legimus. Ita, ut praeclare D. Augustinus *(Tract. V. in Joh.)* scriptum reliquerit: „Dedit Baptismum Judas, et non baptizatum est post Judam: dedit Johannes, et baptizatum est post Johannem; quia, si datum est a Juda, Baptisma Christi erat; quod autem a Johanne datum est, Johannis erat: non Judam Johanni; sed Baptismum Christi, etiam per Judae manus datum, Baptismo Johannis, etiam per manus Johannis data, recte praeponimus."

§. 239. Neque vero Pastores aliive Sacramentorum Ministri, cum haec audiunt, satis sibi esse arbitrentur, si posthabita morum integritate ac conscientiae munditia, illud tantum cogitent, quomodo Sacramenta ab illis rite ministrentur. Id enim, etsi diligenter curandum est, in hoc tamen omnia, quae ad eam functionem pertinent, posita non sunt. Meminisse autem semper

debent, Sacramenta divinam quidem virtutem, quae illis inest, nunquam amittere; at vero impure ea ministrantibus, aeternam perniciem et mortem afferre. Sancta enim (quod semel atque iterum ac saepius admonere oportet) sancte et religiose tractanda sunt. Peccatori, ut est apud Prophetam *(Psalm. XLIX, 16. 17.)* dixit Deus: *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? tu vero odisti disciplinam.* Quod si homini peccatis contaminato, minus licet de rebus divinis agere; quantum ab eo scelus concipi existimandum erit, qui sibi multorum scelerum conscius est, nec tamen sacra mysteria polluto ore conficere, vel in foedas manus sumere, contrectare, atque aliis porrigere et ministrare vereatur? cum praesertim apud S. Dionysium *(de eccles. Hierarch. Cap. 1.)* scriptum sit, malis Symbola (ita enim Sacramenta appellat) ne contingere quidem permissum esse. Sanctitatem igitur, sacrarum rerum ministri inprimis sectentur, pure ad Sacramenta ministranda accedant, atque ita se ad pietatem exerceant, ut ex eorum frequenti tractatione et usu, uberiorem indies gratiam, adjuvante Deo, consequantur.

## CAPUT VI.

*De duplici Sacramentorum effectu, Gratia videlicet justificationis et Charactere* §. 240 — 244.; *fructus qui ex hac tractatione colligendus est* §. 245.

§. 240. Sed jam his rebus explicatis, docendum erit, quinam Sacramentorum effectus sint: id enim Sacramenti definitioni, quae supra tradita est, non parum lucis allaturum videtur; ii autem, duo praecipue numerantur. Ac principem quidem locum merito *Gratia* illa obtinet, quam usitato a sacris Doctoribus nomine, *justificantem* vocamus. Ita enim Apostolus *(Ephes. V, 25. 26.)* apertissime nos docuit, cum inquit: *Christum dilexisse Ecclesiam, et se ipsum tradidisse pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo.* Quo autem pacto tanta res et tam admirabilis per Sacramentum efficiatur, ut, quemadmodum S. Augustini sententia *(Tract. XVIII. in Joh.)* celebratum est, aqua corpus abluat, et cor tangat; id quidem humana ratione atque intelligentia comprehendi non potest. Constitutum enim esse debet, nullam rem sensibilem suapte natura

ea vi praeditam esse, ut penetrare ad animam queat. At fidei lumine cognoscimus, omnipotentis Dei virtutem in Sacramentis inesse, qua id efficiant, quod sua vi res ipsae naturales praestare non possunt.

§. 241. Quocirca, ne ulla unquam hujus effectus dubitatio in animis fidelium resideret, cum ministrari Sacramenta coeptum est, voluit clementissimus Deus quid illa interius efficerent, miraculorum significationibus declarare, ut eadem perpetuo interius fieri constantissime crederemus, quamvis longe a nostris sensibus remota essent. Itaque, ut omittamus, Salvatore nostro in Jordane baptizato, coelos apertos esse, et Spiritum Sanctum columbae specie apparuisse, ut admoneremur, ejus gratiam, cum salutari fonte abluimur, in animam nostram infundi: ut hoc, inquam, omittamus (magis enim ad Baptismi sanctificationem, quam Sacramenti administrationem pertinent) nonne legimus *(Actor. II, 2. 3.)*, cum Pentocostes die Apostoli Spiritum Sanctum acceperunt, quo deinde ad praedicandam fidei veritatem, adeundaque pro Christi gloria pericula alacriores et fortiores fuerunt, tunc *facto repente de coelo sonitu, tamquam advenientis spiritus vehementis apparuisse illis dispertitas linguas quasi ignis?* Ex quo intellectum est, Sacramento Confirmationis eundem nobis spiritum tribui, easque vires addi, quibus possimus carni, mundo et Satanae, perpetuis scilicet hostibus nostris, fortiter repugnare et resistere. Atque hac miracula quoties Apostoli Sacramenta ista ministrarent, initio nascentis Ecclesiae aliquamdiu visa sunt, donec firmata jam fide et corroborata, fieri desierunt.

§. 242. Ex iis igitur, quae de priori Sacramentorum effectu (gratia scilicet justificante) demonstrata sunt, illud etiam plane constat, excellentiorem et praestantiorem vim Sacramentis novae legis inesse, quam olim veteris legis Sacramenta habuerunt; quae cum infirma essent egenaque elementa, inquinatos sanctificabant ad emundationem carnis, non animae. Quare, ut signa tantum earum rerum, quae Mysteriis nostris efficienda essent, instituta sunt. At vero Sacramenta novae legis ex Christi latere manantia, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundant conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi; atque ita eam gratiam, quam significant,

Christi sanguinis virtute operantur. Quocirca, si ea cum antiquis Sacramentis conferamus, praeterquam quod plus efficaciae habent, et utilitate uberiora, et sanctitate augustiora esse invenientur.

§. 243. Alter vero Sacramentorum effectus, non quidem omnibus communis, sed trium tantummodo proprius, Baptismi, Confirmationis et Ordinis sacri, est *Character*, quem animae imprimunt. Nam cum Apostolus ait *(2 Cor. I, 21. 22.)*: *Unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus spiritus in cordibus nostris,* voce illa Signavit, non obscure characterem descripsit, cujus proprium est, aliquid signare et notare. Est autem Character veluti insigne quoddam animae impressum, quod deleri nunquam potest, eique perpetuo inhaeret. De quo ita apud S. Augustinum *(Lib. II. contra Epist. Parmen. Cap. 13. et Epist. L. post medium)* scriptum est: „An minus forte Sacramenta christiana, quam corporalis haec nota, qua scilicet miles insignitur, poterunt? Illa namque militi, ad militam quam deservisset revertenti, non nova imprimitur, sed antiqua cognoscitur et approbatur. Jam vero character hoc praestat, tum ut apti ad aliquid sacri suscipiendum vel peragendum efficiamur, tum ut aliqua nota alter ab altero internoscatur."

§. 244. Ac Baptismi quidem Charactere utrumque consequimur; ut ad alia Sacramenta percipienda reddamur idonei, et eo praeterea fidelis populus a Gentibus, quae fidem non colunt, distinguatur. Idem autem in charactere Confirmationis et sacri Ordinis licet cognoscere: quorum altero, veluti Christi milites, ad ejus nominis publicam confessionem et propugnationem, ac contra insitum nobis hostem, et spirituales nequitias in coelestibus armamur atque instruimur, simulque ab iis qui nuper baptizati, tamquam modo geniti infantes sunt, discernimur: Alter vero tum potestatem Sacramenta conficiendi et ministrandi conjunctam habet, tum eorum, qui ejusmodi potestate praediti sunt, a reliquo fidelium coetu distinctionem ostendit. Tenenda igitur est catholicae Ecclesiae regula, qua docemur; tria haec Sacramenta characterem imprimere, neque ullo unquam tempore iteranda esse.

§. 245. Haec sunt, quae generatim de Sacramentis tradenda erunt, in cujus argumenti explicatione, Pa-

stores duo potissimum efficere omni studio conentur. Primum est, ut fideles intelligant, quanto honore et cultu et veneratione haec divina et coelestia munera digna sint: alterum vero, ut quoniam a clementissimo Deo ad communem omnium salutem proposita sunt, iis pie et religiose utantur, atque ita christianae perfectionis desiderio exardescant; ut, si Poenitentiae praesertim et Eucharistiae saluberrimo usu aliquamdiu careant, plurimum damni se fecisse existiment. Haec autem facile Pastores assequi poterunt, si, quae de Sacramentorum divinitate et fructu supra dicta sunt, auribus fidelium saepius inculcabunt. Primum a Domino Salvatore nostro, a quo nihil nisi perfectissimum proficisci potest, instituta esse: praeterea, cum ministrantur, Spiritus Sancti intima cordis nostri permeantis efficacissimum numen praesto esse: deinde, admirabili et certa curandarum animarum virtute praedita esse: tum, per ea immensas illas dominicae passionis divitias ad nos derivari. Postremo vero ostendent, totum christianum aedificium firmissimo quidem lapidis angularis fundamento inniti: verum, nisi verbi Dei praedicatione et Sacramentorum usu undique fulciatur, magnopere verendum esse, ne magna ex parte labefactatum concidat. Ut enim per Sacramenta in vitam suscipimur ita hoc veluti pabulo alimur, conservamur, augemur.

## DE BAPTISMI SACRAMENTO.

### CAPUT I.

*Doctrinam de Baptismo fidelibus utilem atque adeo necessariam esse, et quibus temporibus potissimum tradenda* §. 246. 247.*; de nomine hujus Sacramenti* §. 248. 249.*; de Baptismi, ut est Sacramentum, definitione* §. 250.

§. 246. Ex iis quidem, quae hactenus de Sacramentis universe tradita sunt, cognosci potest, quam necessarium sit ad christianae religionis vel doctrinam percipiendam vel pietatem exercendam, ea intelligere, quae de illorum singulis credenda, catholica Ecclesia proponit. Sed si quis diligentius Apostolum legerit, sine dubitatione ita statuet, perfectam Baptismi cognitionem a fidelibus magnopere requiri: adeo non solum frequenter, sed gravibus verbis et Spiritu Dei plenis, ejus

Mysterii memoriam renovat, divinitatem commendat, atque in eo Redemptoris nostri mortem, sepulturam et resurrectionem nobis ante oculos tum ad contemplandum, tum ad imitandum constituit. Quare Pastores nunquam se satis multam operam et studium in hujus Sacramenti tractatione collocasse arbitrentur.

§. 247. Verum praeter eos dies, in quibus more Majorum divina Baptismi Mysteria potissimum explananda essent, in Sabbatho magno Paschae et Pentecostes, quo tempore Ecclesia summa cum religione maximisque caeremoniis hoc Sacramentum celebrare consueverat, aliis etiam diebus occasionem captent de hoc argumento disserendi. Atque illud inprimis tempus maxime oportunum ad eam rem videri poterit, si interdum, cum Baptismus alicui ministrandus sit, fidelis populi multitudinem convenisse animadverterint; tunc enim facilius multo erit, si minus liceat omnia capita, quae ad hoc Sacramentum attinent, persequi, unum saltem aut alterum docere; cum fideles earum rerum doctrinam, quam auribus percipiunt, simul etiam sacris Baptismi caeremoniis expressam vident, pioque et attento animo contemplantur. Ex quo deinde fiet, ut unusquisque iis rebus admonitus, quae in alio geri videat, secum recordetur, qua se sponsione Deo obligaverit, cum Baptismo initiatus est; simulque illud cogitet, an vita et moribus talem se praebeat, qualem ipsa christiani nominis professio pollicetur.

§. 248. Ut igitur quae docenda erunt, dilucide exponantur, quaenam sit Baptismi natura et substantia, aperiendum est, si prius tamen ipsius vocis significatio explicetur. Ac Baptismus quidem graecum esse nomen nemo ignorat, quod etsi in Sacris Literis non solum eam ablutionem, quae cum Sacramento conjuncta est, sed etiam omne ablutionis genus, quod aliquando ad Passionem translatum est, significat; tamen apud Ecclesiae Scriptores, non quamvis corporis ablutionem declarat, sed eam, quae cum Sacramento conjungitur, nec sine praescripta verborum forma ministratur. Qua quidem significatione Apostoli ex Christi Domini instituto frequentissime usi sunt.

§. 249. Alia quoque nomina ad eandem rem significandam Sancti Patres usurparunt. Sacramentum enim fidei appellari, quod illud suscipientes, universam chri-

stianae religionis fidem profiteantur, divus Augustinus *(Epist. 23.)* testatur. Alii vero *(S. Dionys. Areop. Cap. 3. de eccl. Hierarch.* Nazianz. *in Orat. in sanctum Lavacr.)*, quia fide corda nostra illuminantur, quam in Baptismo profitemur, hoc Sacramentum Illuminationem vocarunt. Nam et Apostolus ita inquit *(Hebr. X, 32.)*: *Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum;* tempus nimirum, quo baptizati erant, significans. Chrysostomus praeterea in Oratione, quam ad baptizandos habuit, tum Expurgationem, quia per Baptismum expurgamus vetus fermentum, ut simus nova conspersio, tum Sepulturam, tum Plantationem, tum Crucem Christi nominat, quarum omnium appellationum causam, ex Epistola ad Romanos scripta *(Rom. VI.)* licet colligere. Cur autem d. Dionysius *(de eccles. Hierarch. Cap. 2. Part. 1.)* Principium sanctissimorum mandatorum vocaverit, perspicuum est, cum hoc Sacramentum veluti janua sit, qua in christianae vitae societatem ingredimur, atque ab eo divinis praeceptis obtemperandi initium facimus. Atque haec de nomine breviter exponenda erant.

§. 250. Quod autem ad rei definitionem attinet, etsi multa ex Sacris Scriptoribus afferri possunt, illa tamen aptior et commodior esse videtur, quam ex verbis Domini apud Johannem et Apostoli ad Ephesios licet intelligere. Nam cum Salvator dicat *(Joh. III, 3.)*: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei;* et Apostolus, cum de Ecclesia loqueretur *(Ephes. V, 26.)*: *Mundans eam lavacro aquae in verbo;* ita fit ut recte et apposite definiatur, Baptismum esse Sacramentum regenerationis per aquam in verbo. *Natura* enim ex Adam *filii irae nascimur (Ephes. II, 3.)*, per Baptismum vero in Christo, filii misericordiae renascimur. Siquidem *dedit hominibus potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt (Joh. I, 12. 13.)*. Sed quibuscunque tandem verbis Baptismi naturam explicari contigerit, docendus erit populus, hoc Sacramentum confici ablutione, cui ex Domini Salvatoris instituto *(Matth. XXVIII.)* certa et solemnia verba necessario adhibentur, quemadmodum semper S. Patres docuerunt. Quod apertissimo illo d. Augustini testimonio *(Tract. 80. in Johannem)*

demonstratur: „Accedit verbum ad elementum et fit Sacramentum.“ Id vero eo diligentius monere oportebit, ne forte fideles in eum errorem inducantur, ut existiment, quod vulgo dici solitum est, aquam ipsam, quae ad conficiendum Baptismum in sacro fonte asservatur, Sacramentum esse. Tunc enim Sacramentum Baptismi dicendum est, cum aqua ad abluendum aliquem, additis verbis, quae a Domino instituta sunt, reipsa utimur.

## CAPUT II.

*Materiam Baptismi esse aquam naturalem* §. 251.*; de figuris et prophetiis ejus* §. 252.*; quibus de causis aqueum potius quam alium liquorem, instituit Christus, ut esset materia Baptismi* §. 253.*; de benedictione et chrismatione aquae Baptismi* §. 254.

§. 251. Jam vero, quoniam singula Sacramenta ex materia et forma constitui initio diximus, cum generatim de omnibus Sacramentis ageretur, idcirco, quae utraque sit in Baptismo, a Pastoribus declarandum erit. Materiam igitur sive Elementum hujus Sacramenti esse omne naturalis aquae genus, sive ea maris sit, sive fluvii, sive paludis, sive putei aut fontis, quae sine ulla adjunctione aqua dici solet. Nam et Salvator docuit *(Joh. III,* 5.*)*: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei;* et Apostolus inquit *(Ephes. V,* 26.*)*, *Ecclesiam lavacro aquae mundatam esse;* et in b. Johannis Epistola scriptum legimus *(*1 *Joh. V,* 8.*)*: *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua et sanguis.* Quod etiam aliis Sacrarum Literarum testimoniis comprobatur. Quod vero a Johanne Baptista dictum est *(Matth. III,* 11.*)*, venturum esse Dominum, qui baptizaret in Spiritu Sancto et igne, id quidem nullo modo de Baptismi materia intelligendum est, sed vel ad intimum Spiritus Sancti effectum, vel certe ad miraculum referri debet, quod die Pentecostes apparuit, cum Spiritus Sanctus e coelo in Apostolos ignis specie delapsus est, de quo alio loco Christus Dominus noster praedixit *(Actor. I,* 5.*)*: *Johannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto, non post multos hos dies.*

§. 252. Verum idem quoque a Domino tum figuris, tum Prophetarum oraculis significatum esse, ex divinis

Scripturis animadvertimus: Diluvium enim, quo mundus purgatus est, quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum, hujus aquae figuram et similitudinem gessisse, Apostolorum Princeps in priori Epistola *(1 Pet. III, 20.)* ostendit. Et maris rubri transitum, ejusdem aquae significationem habuisse, d. Paulus ad Corinthios scribens *(1 Cor. X, 1.)*, exposuit. Ut interim omittamus tum Naaman Syri ablutionem *(4 Reg. V, 14.)*, tum probaticae piscinae admirabilem vim *(Joh. V, 2. 4.)*, et alia id genus multa, in quibus hujus mysterii Symbolum inesse facile apparet. De praedictionibus autem dubitare nemo potest, quin aquae illae, ad quas tam liberaliter Jesaias Propheta *(Jes. LV.)* omnes sitientes invitat, vel quas e templo egredientes Ezechiel *(Cap. XLVII.)* in spiritu vidit, tum praeterea *fons ille, quem domui David habitantibus Hierusalem paratum, in ablutionem peccatoris et menstruatae*, Zacharias *(Cap. XIII, 1.)* praenunciavit, ad salutarem Baptismi aquam indicandam atque exprimendam, pertineant.

§. 253. Quantum vero Baptismi naturae et virtuti consentaneum fuerit, ut ejus propria materia aqua institueretur, pluribus quidem rationibus d. Hieronymus ad Oceanum scribens, demonstravit. Sed quod ad hunc locum attinet, Pastores docere inprimis poterunt, quoniam hoc Sacramentum omnibus sine ulla exceptione ad consequendam vitam necessarium erat, idcirco atque materiam, quae nunquam non praesto est, atque ab omnibus facile parari potest, maxime idoneam fuisse. Deinde aqua effectum Baptismi maxime significat. Ut enim aqua sordes abluit, ita etiam Baptismi vim atque efficientiam, quo peccatorum maculae eluuntur, optime demonstrat. Accedit illud, quod quemadmodum aqua refrigerandis corporibus aptissima est, sic Baptismo cupiditatum ardor magna ex parte restinguitur.

§. 254. Illud vero animadvertendum est, quamvis aqua simplex, quae nihil aliud admixtum habet, materia apta sit ad hoc Sacramentum conficiendum, quoties scilicet, Baptismi ministrandi necessitas incidat; tamen ex Apostolorum traditione semper in catholica Ecclesia observatum esse, ut cum solemnibus Caeremoniis Baptismus conficitur, sacrum etiam Chrisma addatur, quo Baptismi effectum magis declarari perspicuum est. Docendus quoque erit populus, etsi aliquando incertum

esse potest, utrum haec an illa vera aqua sit, qualem Sacramenti perfectio requirat, hoc tamen pro certo habendum esse, nunquam ex alia materia, quam ex aquae naturalis liquore, Baptismi Sacramentum ulla ratione confici posse.

### CAPUT III.

*De forma Baptismi* §. 255—257; *de Baptismo in nomine Jesu* §. 258.

§. 255. Sed duarum partium, ex quibus Baptismus constare debet, postquam altera, hoc est materia, diligenter explicata fuerit, studebunt Pastores eadem diligentia formam etiam tradere, quae est altera ejus pars maxime necessaria. In hujus autem Sacramenti explicatione eo majori cura et studio elaborandum putabunt, quod tam sancti Mysterii notitia non solum sua sponte fideles vehementer delectare potest, quod quidem in omni divinarum rerum scientia communiter evenit, verum etiam ad usus fere quotidianos summopere expetenda est. Cum enim saepe incidant tempora, quemadmodum suo loco planius dicetur, in quibus tum ab aliis de populo, tum saepissime a mulierculis Baptismum ministrari oporteat, ita fit, ut promiscue omnibus fidelibus ea, quae ad hujus Sacramenti substantiam pertinent, cognita et perspecta esse debeant.

§. 256. Quare dilucidis et apertis verbis, quae facile percipi ab omnibus possint, Pastores docebunt, hanc esse perfectam et absolutam Baptismi formam: „Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.“ Ita enim a Domino et Salvatore nostro traditum est, cum Apostolis apud Matthaeum praecipit (*Matth. XXVIII,* 19.): *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Ex illo autem verbo, b a p t i z a n t e s, catholica Ecclesia divinitus edocta, optime intellexit, in hujus Sacramenti forma actionem Ministri exprimendam esse, quod quidem fit, cum dicitur: Ego te baptizo. Ac quoniam, praeter Ministros, tum illius personam, qui baptizatur, tum principalem causam, quae Baptismum efficit, significare oportebat; idcirco illud pronomen T e et distincta divinarum Personarum nomina adduntur, ut absoluta Sacramenti forma iis verbis concludatur, quae modo exposita sunt: „Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et

Spiritus Sancti.“ Neque enim sola Filii Persona, de quo a Johanne scribitur *(Joh. I, 33.)*: *Hic est, qui baptizat*; sed simul omnes Sanctae Trinitatis Personae ad Baptismi Sacramentum operantur. Quod autem „in nomine“, non „in nominibus“ dictum est, hoc plane declarat unam Trinitatis naturam et divinitatem.

§. 257. Etenim hoc loco nomen ad Personas non refertur, sed divinam substantiam, virtutem et potestatem, quae una et eadem est in tribus Personis, significat. Sed in hac forma, quam integram et perfectam esse ostendimus, observandum est, quaedam prorsus necessaria esse, quae si omittantur, Sacramentum confici non potest; quaedam vero non ita necessaria, ut, si desint, Sacramenti ratio non constet; cujusmodi est vox illa: Ego, cujus vis in verbo Baptizo continetur; imo vero in Ecclesiis Graecorum, variata dicendi ratione, praetermitti consuevit; propterea quod nullam fieri oportere ministri mentionem judicarunt. Ex quo factum est, ut in Baptismo hac forma passim utantur: Baptizetur servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, a quibus tamen perfecte Sacramentum ministrari, ex Concilii Florentini *(in doctr. de Sacram.)* sententia et definitione apparet, cum iis verbis satis explicetur id, quod ad Baptismi veritatem attinet, nimirum ablutio, quae tunc reipsa peragitur.

§. 258. Quod si etiam aliquando tempus fuisse dicendum est, cum Apostoli in nomine tantum Domini Jesu Christi baptizarent *(Actor. II. VIII. X. XIX.)*, id quidem Spiritus Sancti afflatu eos fecisse, exploratum nobis esse debet, ut initio nascentis Ecclesiae, Jesu Christi nomine praedicatio illustrior fieret, divinaque et immensa ejus potestas magis celebraretur. Deinde vero rem penitus introspicientes, facile intelligemus, nullam earum partium in ea forma desiderari, quae ab ipso Salvatore praescriptae sunt. Qui enim Jesum Christum dicit, simul etiam Patris Personam, a quo unctus, et Spiritum Sanctum, quo unctus est, significat. Quanquam dubium fortasse videri potest, an hujusmodi forma Apostoli aliquem baptizaverint, si Ambrosii *(Lib. I. de Spir. Sanct. Cap. 3.)* et Basilii *(de Spir. Sanct. Cap. 12.)* sanctissimorum et gravissimorum Patrum, auctoritatem sequi volumus, qui ita Baptismum in nomine Jesu Christi interpretati sunt, ut dixerint, iis verbis significari Ba-

ptismum, non qui a Johanne, sed qui a Christo Domino traditus esset, tametsi a communi et usitata forma, quae distincta trium Personarum nomina continet, Apostoli non discederent. Atque hoc loquendi genere Paulus etiam in Epistola ad Galatas usus videtur, cum inquit *(Galat. III, 27.)*: *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis;* ut significaret in fide Christi, nec alia tamen forma, quam idem Salvator et Dominus noster servandam praeceperat, baptizatos esse.

## CAPUT IV.

*De immersione vel ablutione* §. 259. 260.; *de institutione et lege Baptismi* §. 261. 262.; *de fructu ex hac doctrina colligendo* §. 263.

§. 259. Hactenus igitur de materia et forma, quae ad Baptismi substantiam maxime pertinent, fideles docere satis fuerit. Quoniam vero in hoc Sacramento conficiendo legitimae etiam ablutionis rationem servari oportet; idcirco ejus quoque partis doctrina a Pastoribus tradenda est, atque ab eis breviter explicandum, communi Ecclesiae more et consuetudine receptum esse, ut Baptismus uno aliquo ex tribus modis confici posset. Nam qui hoc Sacramento initiari debent, vel in aquam merguntur, vel aqua in eos infunditur, vel aquae adspersione tinguntur. Ex his autem ritibus quicunque servetur, Baptismum vere perfici credendum est. Aqua enim in Baptismo adhibetur, ad significandam animae ablutionem, quam efficit; quare Baptismus ab Apostolo *(Ephes. V*, 26. *Tit. III,* 5.*) lavacrum* appellatus est. Ablutio autem non magis fit, cum aliquis in aquam mergitur, quod diu a primis temporibus in Ecclesia observatum animadvertimus, quam vel aquae effusione, quod nunc in frequenti usu positum videmus, vel adspersione, quemadmodum a Petro factum esse colligitur, cum uno die tria millia hominum ad fidei veritatem traduxit et baptizavit *(Actor. II.)*.

§. 260. Utrum vero unica an trina ablutio fiat, nihil referre existimandum est. Utrovis enim modo et antea in Ecclesia Baptismum vere confectum esse et nunc confici posse, ex D. Gregorii Magni Epistola ad Leandrum *(Lib. I. Epist.* 41.*)* scripta, satis apparet. Retinendus est tamen a fidelibus is ritus, quem unus-

quisque in sua Ecclesia servari animadverterit. Atque illud praecipue monere oportet, non quamlibet corporis partem, sed potissimum caput, in quo omnes tum interiores tum externi sensus vigent, abluendum, simulque ab eo, qui baptizat, non ante aut post ablutionem verba Sacramenti, quae formam continent, sed eodem tempore, quo ablutio ipsa peragitur, pronuntianda esse.

§. 261. His expositis, conveniet praeterea docere, atque in memoriam fidelium reducere, Baptismum, quemadmodum et reliqua Sacramenta, a Christo Domino institutum esse. Hoc igitur Pastores frequenter docebunt explicabuntque, duo diversa tempora Baptismi notanda esse; alterum, cum Salvator eum instituit, alterum, cum lex de eo suscipiendo sancita est. Ac quod ad primum attinet, tunc a Domino hoc Sacramentum institutum esse perspicitur, cum ipse a Johanne baptizatus, sanctificandi virtutem aquae tribuit. Testantur enim S. Gregorius Nazianzenus *(Orat. in Natalem Salvatoris circa fin.)* et Augustinus *(Serm. XXIX. de tempore)*, eo tempore aquae vim generandi, in spiritualem scilicet vitam, datam esse. Et alio loco *(Serm. XXXVI. de temp.)* ita scriptum reliquit: „Ex quo Christus in aqua mergitur, ex eo omnia peccata abluit aqua.“ Et alibi *(Serm. XXXVII. de temp.)*: „Baptizatur Dominus, non mundari indigens, sed tactu mundae carnis aquas mundans, ut vim abluendi habeant.“ Atque ad eam rem illud maximo argumento esse potuit, quod tunc sanctissima Trinitas, in cujus nomine Baptismus conficitur, numen suum praesens declaravit. Vox enim Patris audita est: Filii persona aderat, et Spiritus Sanctus in Columbae specie descendit: praeterea coeli aperti sunt, quo nobis jam per Baptismum licet adscendere. Quod si quis scire cupiat, quanam ratione, tanta et tam divina virtus a Domino aquis tributa sit, id quidem humanam intelligentiam superat. Hoc vero satis percipi a nobis potest, Baptismo a Domino suscepto, sanctissimi et purissimi ejus corporis tactu aquam ad Baptismi salutarem usum consecratam esse; ita tamen, ut hoc Sacramentum, etsi ante passionem institutum fuerit, a passione tamen, quae omnium Christi actionum tanquam finis erat, vim et efficientiam duxisse credendum sit.

§. 262. Sed de altero etiam, quo scilicet tempore lex de Baptismo lata fuerit, nullus dubitandi locus re-

linquitur. Nam inter Sacros Scriptores convenit, post Domini resurrectionem, cum Apostolis praecepit *(Matth. XXVIII, 19.)*: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti:* ex eo tempore omnes homines, qui salutem aeternam consecuturi erant, lege de Baptismo, teneri coepisse. Quod quidem ex Apostolorum Principis autoritate colligitur, cum inquit *(1 Petr. I, 3.)*: *Regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis;* idemque ex illo Pauli loco *(Ephes. V, 25. 26.)*: *Se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret* (cum de Ecclesia loqueretur) *mundans eam lavacro aequae in verbo*, licet cognoscere: uterque enim Baptismi obligationem ad tempus, quod mortem Domini consecutum est, videtur retulisse, ut dubitandum nullo modo sit, verba etiam illa Salvatoris *(Joh. III, 3.)*: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei;* id ipsum tempus spectasse, quod post passionem futurum erat.

§. 263. Ex iis igitur, si accurate a Pastoribus tractentur, haud dubium esse potest, quin fideles maximam in hoc Sacramento dignitatem agnoscant, ac summa animi pietate venerentur; praesertim vero cum cogitarint, praeclara illa et amplissima munera, quae, cum Christus Dominus baptizaretur, miraculorum significationibus declarata sunt, singulis, cum baptizantur, intima Spiritus Sancti virtute donari atque impertiri. Ut enim, si, quemadmodum Elisaei puero contigit *(4 Reg. VI, 17.)*, nobis oculi ita aperirentur, ut coelestes res intueri possemus, nemo adeo communi sensu carere putandus esset, quem divina Baptismi mysteria in maximam admirationem non traducerent: cur idem etiam eventurum non existimemus, cum a Pastoribus hujus Sacramenti divitiae ita expositae fuerint, ut eas fideles, si non corporeis oculis, at mentis acie, fidei splendore illuminatae, contemplari queant?

## CAPUT V.

*De Ministris propriis sive ordinariis* §. 264; *de iis, qui necessitate cogente, ministri esse possunt* §. 265. 266.

§. 264. Jam vero, a quibus Ministris hoc Sacramentum conficiatur, non utiliter modo, sed necessario tradendum videtur: tum ut ii, quibus praecipue hoc

munus commissum est, illud sancte et religiose curare studeant, tum ut ne quis, tamquam fines suos egressus, in alienam possessionem intempestive ingrediatur, vel superbe irrumpat; cum in omnibus ordinem servandum esse, Apostolus admoneat *(1 Cor. XIV, 40.)*. Doceantur igitur fideles, triplicem esse eorum ordinem: ac in primo quidem Episcopos et Sacerdotes collocandos esse, quibus datum est, ut jure suo, non extraordinaria aliqua potestate, hoc munus exerceant. Iis enim in Apostolis praeceptum est a Domino: Euntes baptizate, quamvis Episcopi, ne graviorem illam docendi populi curam deserere cogerentur, Baptismi ministerium Sacerdotibus relinquere soliti essent. Quod vero Sacerdotes jure suo hanc functionem exerceant, ita, ut praesente etiam Episcopo, ministrare Baptismum possint, ex doctrina Patrum et usu Ecclesiae constat. Nam cum ad Eucharistiam consecrandam instituti sint, quae est pacis et unitatis Sacramentum; consentaneum fuit, potestatem iis dari omnia illa administrandi, per quae necessario hujus pacis et unitatis quilibet particeps fieri posset. Quod si aliquando Patres Sacerdotibus, sine Episcopi venia, baptizandi jus permissum non esse dixerunt, id de eo Baptismo, qui certis anni diebus solenni ceremonia administrari consueverat, intelligendum videtur. Secundum Ministrorum locum obtinent Diaconi: quibus sine Episcopi aut Sacerdotis concessu non licere hoc Sacramentum administrare, plurima Sanctorum Patrum decreta testantur.

§. 265. Extremus ordo illorum est, qui cogente necessitate, sine solennibus ceremoniis baptizare possunt: quo in numero sunt omnes etiam de populo, sive mares sive feminae, quamcunque illi sectam profiteantur. Nam et Judaeis quoque, infidelibus et Haereticis, cum necessitas cogit, hoc munus permissum est: si tamen id efficere propositum eis fuerit, quod Ecclesia catholica in administrationis genere efficit. Haec autem cum multa veterum Patrum et Conciliorum decreta confirmarunt, tum vero a sacra Tridentina Synodo (§. 120.) anathema in eos sancitum est, qui dicere audeant, Baptismum, qui etiam datur ab Haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum. In quo profecto summam Domini nostri bonitatem et

sapientiam licet admirari. Jam cum hoc Sacramentum necessario ab omnibus percipiendum sit (quemadmodum aquam ejus materiam instituit, qua nihil magis commune esse potest) sic etiam neminem ab ejus administratione excludi voluit: quamvis, ut dictum est, non omnibus liceat solennes ceremonias adhibere, non quidem quod ritus aut ceremoniae plus dignitatis, sed quod minus necessitatis, quam Sacramentum, habeant.

§. 266. Neque vero hoc munus ita omnibus promiscue permissum esse, fideles arbitrentur, quin ordinem aliquem Ministrorum statuere maxime deceat: mulier enim, si mares adsint, Laicus item praesente Clerico, tum Clericus coram Sacerdote, Baptismi administrationem sibi sumere non debent. Quamquam obstetrices, quae baptizare consueverunt, improbandae non sunt, si interdum, praesente aliquo viro, qui hujus Sacramenti conficiendi minime peritus sit, quod alias viri magis proprium officium videretur, ipsae exequantur.

## CAPUT VI.

*Cur Patrini sive Susceptores adhibeantur, et quam illi affinitatem contrahant* §. 267. 268.*; quod eorum sit officium, quo munere singulis baptizandis adjungantur* §. 269.

§. 267. Accedit autem ad eos Ministros, qui, ut hactenus declaratum est, Baptismum conficiunt, aliud etiam Ministrorum genus, qui ad sacram et salutarem ablutionem celebrandam, ex vetustissima catholicae Ecclesiae consuetudine adhiberi solent: ii nunc Patrini, olim Susceptores seu Fideijussores, communi vocabulo a rerum divinarum Scriptoribus vocabantur. De quorum munere, quoniam ad omnes fere Laicos pertinet, accurate a Pastoribus agendum erit, ut fideles intelligant, quae potissimum ad illud recte perficiendum necessaria sint. Inprimis vero explicare oportet, quae causa fuerit, cur ad Baptismum, praeter Sacramenti Ministros, Patrini etiam et Susceptores adjungerentur. Quod quidem optimo jure factum esse, omnibus videbitur, si meminerint, Baptismum esse spiritualem regenerationem, per quam filii Dei nascimur. De ea enim ita loquitur d. Petrus (*1 Petr. II, 2.*): *Sicut modo geniti infantes rationabiles, sine dolo lac concupiscite.*

Ut igitur, postquam aliquis in hanc lucem editus est, nutrice et paedagogo indiget, quorum ope atque opera educetur, ac doctrina et bonis artibus erudiatur: ita etiam necesse est, ut qui ex Baptismi fonte vitam spiritualem vivere incipiunt, alicujus fidei et prudentiae committantur, a quo christianae religionis praecepta haurire, ad omnemque pietatis rationem institui possint; atque ita paulatim in Christo adolescere, donec tandem viri perfecti, juvante Domino, evadant; cum praesertim Pastoribus, qui publicae parochiarum curationi praepositi sunt, tantum temporis non supersit, ut privatam illam curam pueros in fide erudiendi suscipere possint. Hujus autem vetustissimae consuetudinis praeclarum testimonium a d. Dionysio *(Cap. ult. eccl. Hierarch.)* habemus, cum inquit: „Divinis nostris ducibus (sic enim Apostolos vocat) in mentem venit et visum est, suscipere infantes, secundum istum sanctum modum, quod naturales parentes pueri, eum cuidam docto in divinis, veluti paedagogo traderent, sub quo, sicut sub divino Patre, et salvationis sanctae Susceptore, reliquum vitae puer degeret.“ Eandem vero sententiam confirmat Higinii autoritas.

§. 268. Quamobrem sapientissime a Sancta Ecclesia constitutum est, ut non solum is qui baptizat, cum baptizato, sed etiam Susceptor cum eo, quem suscipit, et cum ejus veris parentibus affinitate devinciantur: ita, ut legitima nuptiarum foedera inter hos omnes iniri non possint, atque inita dirimantur.

§. 269. Praeterea docere oportet fideles, quae sint Susceptoris partes. Et enim hoc munus adeo negligenter in Ecclesia tractatur, ut nudum tantum hujus functionis nomen relictum sit: quid autem sancti in eo contineatur, ne suspicari quidem homines videantur. Hoc igitur universi Susceptores semper cogitent, se hac potissimum lege obstrictos esse, ut spirituales filios perpetuo commendatos habeant, atque in iis, quae ad christianae vitae institutionem spectant, curent diligenter, ut illi tales se in omni vita praebeant, quales eos futuros esse solenni ceremonia spoponderunt. Audiamus quid ea de re Sanctus Dionysius *(loco supra citato)* scribat, verba Sponsoris exprimens: „Spondeo puerum inducturum, cum ad sacram intelligentiam venerit, sedulis adhortationibus meis, ut abrenunciet contrariis omnino,

profiteatur, peragatque divina, quae pollicetur.“ Item Divus Augustinus *(Serm. CLVII et CCXV de tempore):* Vos, inquit, ante omnia, tam viros quam mulieres, qui filios in Baptismate suscepistis, moneo, ut cognoscatis, fideijussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere. Ac profecto decet maxime eum, qui aliquod officium suscepit, in eo diligentiam exequendo nunquam defatigari, et qui se alterius paedagogum et custodem professus est, minime pati, illum esse desertum, quem semel in fidem et clientelam suam recepit, donec illum opera et praesidio suo egere intellexerit. Quae autem filiis spiritualibus tradenda sint, paucis d. Augustinus comprehendit, cum de hoc ipso Susceptorum officio loqueretur: inquit enim *(l. c. it. Serm. CXVI de tempore)*: „Debent eos admonere, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant; et ante omnia Symbolum et Orationem dominicam eos doceant, Decalogum etiam, et quae sint prima christianae religionis rudimenta.“

§. 270. Quae cum ita se habeant, facile intelligimus, cuinam hominum generi, sanctae hujus tutelae administratio committenda non sit; nimirum iis, qui eam gerere aut fideliter nolint aut sedulo et accurate non queant. Quocirca praeter naturales parentes, quibus non licet eam curationem suscipere (ut ex eo magis appareat, quantum haec spiritualis educatio a carnali distet) Haeretici inprimis, Judaei, infideles, ab hoc munere omnino prohibendi sunt; ut qui in ea cogitatione et cura semper versentur, ut fidei veritatem mendaciis obscurent, atque omnem christianam pietatem evertant.

§. 271. Plures quoque, ne baptizatum de Baptismo suscipiant, sed ut unus tantum, sive vir sive mulier, vel ad summum unus et una, Tridentino Concilio (§. 401) statutum est: tum quia disciplinae atque institutionis ordo a multitudine magistrorum perturbari poterat: tum quia providere oportebat, ne inter plures ejusmodi affinitates conjungerentur, quae impedirent, quo minus legitimo matrimonii vinculo hominum inter homines societas latius diffunderetur.

## CAPUT VII.

*Baptismum omnibus esse ad salutem necessarium* §. 272; *parvulos esse baptizandos* §. 273. 274.

§. 272. Sed cum caeterarum rerum cognitio, quae hactenus expositae sunt, fidelibus utilissima habenda sit: tum vero nihil magis necessarium videri potest, quam ut doceantur, omnibus hominibus Baptismi legem a Domino praescriptam esse, ita, ut nisi per Baptismi gratiam Deo renascantur, in sempiternam miseriam et interitum a parentibus (sive illi fideles, sive infideles sint) procreentur. Igitur saepius a Pastoribus explicandum erit, quod apud Evangelistam legitur *(Joh. III, 3.)*: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei.*

§. 273. Quam legem non solum de iis, qui adulta aetate sunt, sed etiam de pueris infantibus intelligendam esse, idque ab apostolica traditione Ecclesiam accepisse, communis Patrum sententia et autoritas confirmat. Praeterea credendum est, noluisse Christum Dominum Baptismi Sacramentum et gratiam pueris denegari, de quibus dicebat *(Matth. XIX, 14. Marc. X, 14. 16.)*: *Sinite parvulos et nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum coelorum. — Quos amplexabatur, super quos manus imponebat, quos benedicebat.* Deinde, cum legimus totam aliquam familiam a Paulo baptizatam esse *(1 Cor. I, 15.)* satis apparet, pueros etiam, qui in illorum numero erant', salutari fonte ablutos esse. Deinde Circumcisio, quae figura fuit Baptismi, eum morem maxime commendat. Pueros enim octavo die circumcidi solitos, nemo est qui ignoret. Ac quibus Circumcisio manufacta in expoliatione corporis carnis proderat, iisdem Baptismum, qui est Circumcisio Christi non manufacta, prodesse perspicuum est. Postremo, ut Apostolus docet *(Rom. V, 17.)*: *Si unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae et donationis et justitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* Cum itaque per Adae peccatum pueri ex origine noxam contraxerint: multo magis per Christum Dominum possunt gratiam et justitiam consequi, ut regnent in vitam: quod quidem sine Baptismo fieri nullo modo potest. Quare docebunt Pastores, infantes omnino baptizandos,

et deinde paulatim teneram aetatem christianae religionis praeceptis ad veram pietatem informandam esse. Nam, ut a Sapiente praeclare dictum est *(Proverb. XXII, 6.)*: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.*

§. 274. Neque enim dubitare licet, quin fidei Sacramenta, cum abluuntur, accipiant; non, quia mentis suae assensione credant, sed quia parentum fide, si parentes fideles fuerint, sin minus, fide (ut d. Augustini verbis loquamur) universae societatis Sanctorum muniuntur. Etenim ab iis omnibus recte dicimus eos Baptismo offerri, quibus placet, ut offerantur, et quorum charitate ad communionem Sancti Spiritus adjunguntur.

## CAPUT VIII.

*Periculosum esse, si differatur parvulorum Baptismus* §. 275.; *an adultis dilatio Baptismi expediat* §. 276—278.

§. 275. Hortandi autem sunt magnopere fideles, ut liberos suos, quam primum id sine periculo facere liceat, ad Ecclesiam deferendos, et solennibus Ceremoniis baptizandos curent. Nam cum pueris infantibus nulla alia salutis comparandae ratio, nisi eis Baptismus praebeatur, relicta sit: facile intelligitur, quam gravi culpa illi sese obstringant, qui eos Sacramenti gratia diutius, quam necessitas postulet, carere patiuntur; cum praesertim, propter aetatis imbecillitatem, infinita pene vitae pericula illis impendeant.

§. 276. Diversam vero rationem in iis servandam esse, qui adulta aetate sunt, et perfectum rationis usum habent, qui scilicet ab infidelibus oriuntur, antiquae Ecclesiae consuetudo declarat. Nam christiana quidem fides illis proponenda est, atque omni studio ad eam suscipiendam cohortandi, alliciendi, invitandi sunt. Quod si ad Dominum Deum convertantur, tum vero monere oportet, ne ultra tempus, ab Ecclesia praescriptum, Baptismi Sacramentum differant. Nam cum scriptum sit *(Eccles. V, 8.)*: *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem;* docendi sunt, perfectam conversionem, in nova per Baptismum generatione positam esse. Praeterea, quo serius ad Baptismum veniunt,

eo diutius sibi carendum esse caeterorum Sacramentorum usu et gratia, quibus christiana religio colitur, cum ad ea sine Baptismo nulli aditus patere possit: deinde etiam maximo fructu privari, quem ex Baptismo percipimus. Siquidem non solum omnium scelerum, quae antea admissa sunt, maculam et sordes Baptismi aqua prorsus eluit ac tollit, sed divina gratia nos ornat, cujus ope et auxilio in posterum etiam peccata vitare possumus, justitiamque et innocentiam tueri: qua in re summam christianae vitae constare, facile omnes intelligunt.

§. 277. Sed quamvis haec ita sint, non consuevit tamen Ecclesia Baptismi Sacramentum huic hominum generi statim tribuere, sed ad certum tempus differendum esse constituit. Neque enim ea dilatio periculum, quod quidem pueris imminere supra dictum est, conjunctum habet, cum illis qui rationis usu praediti sunt, Baptismi suscipiendi propositum atque consilium, et male actae vitae poenitentia, satis futura sit ad gratiam et justitiam, si repentinus aliquis casus impediat, quo minus salutari aqua ablui possint. Contra vero, haec dilatio aliquas videtur utilitates afferre. Primum enim, quoniam ab Ecclesia diligenter providendum est, ne quis ad hoc Sacramentum ficto et simulato animo accedat, eorum voluntas, qui Baptismum petunt, magis exploratur atque perspicitur. Cujus rei causa in antiquis Conciliis decretum legimus, ut qui ex Judaeis ad fidem catholicam veniunt, ante quam Baptismus illis administretur, aliquot menses inter Catechumenos essent: deinde in fidei doctrina, quam profiteri debent, et christianae vitae institutionibus erudiuntur perfectius. Praeterea, major religionis cultus Sacramento tribuitur, si constitutis tantum Paschae et Pentecostes diebus, solemni ceremonia Baptismum suscipiant.

§. 278. Sed interdum tamen Baptismi tempus, justa aliqua et necessaria de causa differendum non est, veluti si vitae periculum instare videatur, ac praesertim si illi abluendi sint, qui jam fidei mysteria plene perceperint. Quod quidem Philippum, et Apostolorum Principem fecisse satis constat, cum alter Candacis reginae Eunuchum, alter Cornelium, nulla interposita mora, sed statim ut se fidem amplecti professi sunt, baptizavit *(Actor. VIII et X.)*.

## CAPUT IX.

*Conditiones suscipientis Baptismum* §. 279. 280; *hujus doctrinae fructus* §. 281.

§. 279. Docendum praeterea et populo explicandum erit, quomodo affecti esse debent, qui baptizandi sunt. Inprimis itaque opus est, ut velint propositumque illis sit, Baptismum suscipere. Nam cum unusquisque in Baptismo peccato moriatur, et novam vitae rationem et disciplinam suscipiat, aequum est, non invito cuiquam aut recusanti, sed illis tantum, qui sponte sua et libenti animo accipiunt, Baptismum praeberi. Quare ex sancta traditione semper servatum animadvertimus, ut nemini Baptismus ministretur, nisi prius interrogatus fuerit, an velit baptizari. Nec vero in pueris quoque infantibus eam voluntatem deesse existimandum est, cum Ecclesiae voluntas, quae pro illis spondet, obscura esse non possit. Praeterea amentes et furiosos, qui, cum aliquando compotes mentis essent, in insaniam deinde inciderunt, ut qui eo tempore nullam Baptismi suscipiendi voluntatem habeant, nisi vitae periculum immineat, baptizandos non esse, cum autem in vitae discrimine versantur, si, antequam furere inciperent, ejus voluntatis significationem dederunt, abluendi sunt: sin minus, a Baptismi administratione abstinendum est. Idemque judicium de dormientibus fieri debet. Quod si in mentis potestate nunquam fuerunt, ita, ut nullum rationis usum habuerint, eos in fide Ecclesiae non secus ac pueros, qui ratione carent, baptizandos esse, Ecclesiae autoritas et consuetudo satis declarat. Verum praeter suscipiendi Baptismi voluntatem, fides ea ratione, qua de voluntate dictum est, ad consequendam Sacramenti gratiam maxime necessaria est. Etenim Dominus et Salvator noster docuit (*Marc. XVI,* 16.): *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Deinde ut quemlibet admissorum scelerum et male actae vitae poeniteat, atque ut idem in posterum a peccatis omnibus abstinere statuat, opus est. Aliter enim, qui ita Baptismum peteret, ut tamen peccandi consuetudinem nollet emendare, omnino repellendus esset. Nihil enim Baptismi gratiae et virtuti adeo repugnat, quam eorum mens et consilium, qui nullum unquam peccandi finem sibi constituunt.

§. 280. Cum itaque Baptismus ob eam rem expetendus sit, ut Christum induamus et cum eo conjungamur, plane constat, merito a sacra ablutione rejiciendum esse, cui in vitiis et peccatis perseverare propositum est: praesertim vero, quia nihil eorum, quae ad Christum et Ecclesiam pertinent, frustra suscipiendum est, inanemque Baptismum, si justitiae et salutis gratiam spectemus, in eo futurum esse, satis intelligemus, qui secundum carnem ambulare, non secundum spiritum cogitat *(Rom. VIII, 4.)*. Etsi, quod ad Sacramentum pertinet, perfectam ejus rationem sine ulla dubitatione consequitur, si modo, cum rite baptizatur, in animo habeat id accipere, quod a Sancta Ecclesia administratur. Quamobrem Princeps Apostolorum magnae illi hominum multitudini, qui (ut ait Scriptura) *compuncti corde*, ab eo et a reliquis Apostolis, quid sibi faciendum esset, quaesiverant, ita respondit *(Actor. II, 37 sq.)*: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum;* et alio loco *(Actor. III, 19.)*: *Poenitemini,* inquit, *et convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Item beatus Paulus ad Romanos scribens, aperte ostendit, ei qui baptizatur omnino moriendum esse peccatis, quare nos monet *(Rom. VI, 13.)*, *ne exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed exhibeamus nos Deo, tamquam ex mortuis viventes.*

§. 281. Haec vero si fideles saepe meditati fuerint, primum quidem summam Dei bonitatem vehementer admirari cogentur, qui nihil tale merentibus tam singulare et divinum Baptismi beneficium, sola sua misericordia adductus, tribuit: deinde, cum sibi ante oculos proponent, quam aliena esse debeat ab omni crimine eorum vita, qui tanto munere ornati sunt; illud etiam imprimis a christiano nomine requiri facile intelligent, ut quotidie tam sancte et religiose traducere vitam studeant, perinde ac si ea ipsa die Baptismi Sacramentum et gratiam consecuti essent. Quamquam ad inflammandos vere pietatis studio animos nihil magis proficiet, quam si Pastores accurata oratione explicaverint, quinam sint Baptismi effectus.

## CAPUT X.

*De primo effectu Baptismi, remissione omnium peccatorum* §. 282; *de concupiscentia quae in baptizatis manet* §. 283.

§. 282. De his igitur quoniam saepe agendum est, ut fideles magis perspiciant, se in altissimo dignitatis gradu positos esse, nec se ab eo dejici ullis adversarii insidiis vel impetu, ullo unquam tempore patiantur: hoc primum tradere oportet, peccatum, sive a primis parentibus origine contractum, sive a nobis ipsis commissum, quamvis etiam adeo nefarium sit, ut ne cogitari quidem posse videatur, admirabili hujus Sacramenti virtute remitti et condonari. Id vero multo ante ab Ezechiele praenunciatum est, per quem Dominus Deus ita loquitur *(Ezech. XXXVI, 25.)*: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Et Apostolus ad Corinthios, post longam peccatorum enumerationem, subjecit *(1 Cor. VI, 11.)*: *Et haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis.* Atque hanc doctrinam perpetuo a Sancta Ecclesia traditam esse, perspicuum est. Sanctus enim Augustinus in libro quem de Baptismo parvulorum conscripsit, ita testatur *(Lib. I. de Peccat. merit. et remiss. Cap. 15.)*: „Generante carne, tantum contrahitur peccatum originale: regenerante autem spiritu, non solum originalium, sed etiam voluntariorum peccatorum fit remissio.“ Et Sanctus Hieronymus ad Oceanum *(Epist. LXXXIII.)*: Omnia, inquit, in Baptismate condonata sunt crimina. Ac ne dubitare amplius ea de re cuiquam liceret, post aliorum Conciliorum definitionem sacra etiam Tridentina Synodus (§. 23.) idem declaravit, cum anathema in eos decrevit, qui aliter sentire auderent, quive asseverare non dubitarent, quamvis peccata in Baptismo remittantur, ea tamen prorsus non tolli aut radicitus evelli, sed quodam modo abradi, ita ut peccatorum radices animo infixae adhuc remaneant. Namque, ut ejusdem Sanctae Synodi verbis utamur, in renatis nihil odit Deus: quia nihil damnationis est his, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem, qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri,

innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt *(Rom. VIII, 1 et VI, 4. Ephes. IV, 28. Col. III, 12.).*

§. 283. Ac fateri quidem oportet, sicut eodem in loco ipsius Synodi autoritate decretum est, in baptizatis concupiscentiam vel fomitam remanere: sed illa vere peccati rationem non habet. Nam ex divi quoque Augustini *(Lib. II. de Pecc. mer. et remiss. Cap. 4.)* sententia, in parvulis baptizatis concupiscentiae reatus absolvitur, ad agonem relinquitur. Atque idem alibi *(Lib. III. contra Epist. Pelag. Cap. 3. et Lib. I. de nupt. et concub. Cap. 25.)* testatur: Concupiscentiae reatus in Baptismate solvitur, sed infirmitas manet. Concupiscentia enim, quae ex peccato est, nihil aliud est, nisi animi appetitio, natura sua rationi repugnans. Qui tamen motus, si voluntatis consensum aut negligentiam conjunctam non habeat, a vera peccati natura longe abest. Ac cum d. Paulus inquit *(Rom. VII, 7.)*: *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces;* ex his verbis; non ipsam concupiscendi vim, sed voluntatis vitium intelligi voluit. Eandem doctrinam tradit d. Gregorius *(Lib. IX. Epist. 39.)* ita scribens: „Si qui sunt, qui dicant, peccata in Baptismo superficietenus dimitti, quid est hac praedicatione infidelius? cum per fidei Sacramentum anima a peccatis radicitus absoluta, soli Deo inhaereat.“ Atque ad eam rem demonstrandam Salvatoris nostri testimonio utitur, cum apud Sanctum Johannem ait (*Joh. XIII, 10.)*: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* Quod si cui expressam hujus rei figuram et imaginem libet intueri, proponat sibi ad contemplandum Naaman Syri leprosi historiam, qui cum septies Jordanis aqua se abluisset, testante Scriptura, ita a lepra mundatus est, ut ejus caro caro pueri videretur. Quare Baptismi proprius effectus est, peccatorum omnium sive originis vitio, sive nostra culpa contracta sint, remissio: cujus rei causa a Domino et Salvatore nostro institutum esse, clarissimis verbis Apostolorum Princeps (ut alia testimonia omittamus) explicavit, cum inquit *(Actor. II, 38.)*: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum.*

## CAPUT XI.

*Condonari etiam omnem poenam peccatis debitam* §. 284—286; *cur non restituat Baptismus integritatem naturae* §. 287—289.

§. 284. Tam vero in Baptismo non solum peccata remittuntur, sed peccatorum etiam et scelerum poenae omnes a Deo benigne condonantur. Nam etsi omnibus Sacramentis hoc commune est, ut per illa virtus passionis Christi Domini communicetur; de solo tamen Baptismo dictum est ab Apostolo *(Rom. VI. Col. II.)*, nos per ipsum in Christo commori et consepeliri. Ex quo Sancta Ecclesia semper intellexit, sine maxima Sacramenti injuria fieri non posse, ut ei, qui Baptismo expiandus sit, ejusmodi pietatis officia, quae usitato nomine Sancti Patres opera satisfactionis vocarunt, imponantur. Nec vero, quae hoc loco traduntur, veteris Ecclesiae consuetudini adversantur, quae olim Judaeis cum baptizarentur praecipiebat, ut quadraginta continuos dies jejunarent. Neque enim illud institutum ad satisfactionem pertinebat: sed qui Baptismum percepissent, ea ratione admonebantur, ut Sacramenti dignitatem venerantes, jejuniis et orationibus aliquamdiu sine intermissione operam darent.

§. 285. Sed quamquam in Baptismo poenas peccatorum condonari exploratum esse debet; ab eo tamen poenarum genere, quae civilibus judiciis, ob grave aliquod scelus, persolvendae sunt, nemo liberatur, ita ut qui morte dignus sit, per Baptismum a poena, quae legibus constituta est, eripiatur. Tametsi vehementer laudanda esset eorum Principum religio et pietas, qui eam quoque animadversionem, ut Dei gloria in suis Sacramentis illustrior fieret, sontibus remitterent ac condonarent.

§. 286. Efficit praeterea Baptismus post hujus vitae curriculum, poenarum omnium, quae originale peccatum consequuntur, liberationem, siquidem merito mortis Domini factum est, ut haec consequi possemus. Baptismo autem, ut supra dictum est, ei commorimur. *Si enim*, ut inquit Apostolus *(Rom. VI, 5.)*, *complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus.*

§. 287. Quod si quaerat aliquis, cur statim post Baptismum, in hac etiam mortali vita, his incommodis non careamus, atque ad perfectum illum vitae gradum, in quo Adam primus humani generis parens ante peccatum collocatus fuerat, sacrae ablutionis virtute non transferamur? id quidem duabus potissimum de causis factum esse, respondebitur. Quarum prima est, quod nobis, qui per Baptismum Christi corpori conjuncti, atque ejus membra effecti sumus, plus aliquid dignitatis tribuendum non erat, quam ipsi capiti nostro tributum esset. Cum igitur Christus Dominus, etsi ab initio ortus sui gratiae et veritatis plenitudinem habuit, tamen humanae naturae fragilitatem, quam suscepit, non ante deposuit, quam passionis tormenta et mortem pertulit, ac deinde ad immortalis vitae gloriam resurrexit: quis miretur, cum videat fideles, qui jam per Baptismum coelestis justitiae gratiam adepti sunt, adhuc tamen caduco et fragili corpore vestiri, ut, postquam multis laboribus pro Christo perfuncti, et morte obita, denuo ad vitam revocati fuerint, tandem digni sint, qui cum Christo aevo sempiterno perfruantur?

§. 288. Altera vero causa, cur in nobis post Baptismum infirmitas corporis, morbus, dolorum sensus, concupiscentiae motus relinquantur, illa est; ut scilicet tamquam segetem et materiam virtutis haberemus, ex qua deinde uberiorem gloriae fructum, atque ampliora praemia consequeremur. Nam cum patienti animo vitae incommoda omnia toleramus, pravasque animi nostri affectiones sub rationis imperium divina ope subjicimus, certa spe niti debemus, fore, ut si cum Apostolo (*2 Tim. IV. 7. 8.*) *bonum certamen certaverimus, cursum consummaverimus, fidem servaverimus; repositam quoque justitiae coronam reddat nobis Dominus in illa die justus Judex.* Sic vero etiam cum filiis Israël videtur Dominus egisse: quos, etsi ab Aegyptiorum servitute, Pharaone atque ejus exercitu in mare demerso liberavit (*Exod. XIV.*), tamen non statim in beatam illam promissionis terram introduxit, sed prius in multis, variisque casibus exercuit, ac deinde, cum eos in promissae terrae possessionem misisset, caeteros quidem incolas e patriis sedibus exturbavit, quasdam vero nationes reliquas fecit, quas delere non potuerunt, ut populo Dei bellicae virtutis et fortitudinis exercendae occasio numquam deesset.

§. 289. Huc accedit, quod si per Baptismum, praeter dona coelestia, quibus anima ornatur, corporis etiam bona tribuerentur, dubitari merito posset, quin multi praesentis potius vitae commoda, quam futurae speratam gloriam consectantes, ad Baptismum venirent: cum tamen non falsa haec et incerta, quae videntur, sed vera atque aeterna, quae non videntur, bona, christiano homini semper proposita esse debeant. Sed interim tamen hujus vitae conditio, quae miseriarum plena est, suis voluptatibus et laetitiis non caret. Quid enim nobis, qui jam per Baptismum, veluti palmites, insiti sumus in Christum, jucundius aut optabilius esse potest, quam cruce in humeros nostros sublata, eum Ducem sequi, nullisque aut laboribus defatigari, aut periculis retardari, quo minus ad praemium supernae vocationis Dei, omni studio contendamus; alii virginitatis lauream, alii doctrinae et praedicationis coronam, alii martyrii palmam, alii alia virtutum decora a Domino accepturi? Quae quidem praeclara laudis insignia nemini darentur, nisi prius nos ipsos in hujus aerumnosae vitae stadio exercuissemus, atque in acie invicti stetissimus.

## CAPUT XII.

*De gratia et virtutibus, quae per Baptismum conferuntur* §. 290. 291; *de charactere, quo in Baptismo consignamur* §. 292.

§. 290. Sed ut ad Baptismi effectus oratio redeat, exponendum erit, hujus Sacramenti virtute, nos non solum a malis, quae vere maxima dicenda sunt, liberari; verum etiam eximiis bonis et muneribus augeri. Animus enim noster divina gratia repletur, qua justi et filii Dei effecti, aeternae quoque salutis haeredes instituimur. Nam, ut scriptum est *(Marc. XVI, 16.)*; *qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: mundatamque Ecclesiam lavacro aquae in verbo,* Apostolus *(Ephes. V, 26.)* testatur. Est autem gratia (quemadmodum Tridentina Synodus (§.74.), ab omnibus credendum, poena anathematis proposita decrevit), non solum per quam peccatorum fit remissio, sed divina qualitas in anima inhaerens, ac veluti splendor quidam et lux, quae animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores et splendidiores reddit. Atque id ex

Sacris Literis aperte colligitur, cum gratiam effundi dicant, eamque Spiritus Sancti pignus soleant appellare (*Tit. III, 6. Ephes. I, 14.*). Huic autem additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quae in animam cum gratia divinitus infunduntur. Quare cum Apostolus ad Titum ait (*Tit. III, 5. 6.*): *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum, Salvatorem nostrum;* d. Augustinus verba illa abunde effudit, explanans: Nimirum (inquit) ad remissionem peccatorum, et copiam virtutum Jam vero per Baptismum etiam Christo capiti tamquam membra copulamur et connectimur. Quemadmodum igitur a capite vis manat, qua singulae corporis partes ad proprias functiones apte exsequendas moventur; ita etiam ex Christi Domini plenitudine, in omnes qui justificantur, divina virtus et gratia diffunditur, quae nos ad omnia christianae pietatis officia habiles reddit.

§. 291. Neque vero mirum cuiquam videri debet, si, cum tanta virtutum copia instructi et ornati simus, tamen non sine magna difficultate et labore pias honestasque actiones inchoamus, vel certe absolvimus. Id enim ob eam rem non evenit, quod virtutes, a quibus actiones ipsae proficiscuntur, Dei beneficio nobis donatae non sint, sed quoniam post Baptismum acerrima cupiditatis pugna adversus spiritum relicta est: in qua tamen contentione, animo frangi aut debilitari christianum hominem non decet; cum Dei benignitate freti, optima spe niti debeamus, fore, ut quotidiana recte vivendi exercitatione, quaecumque pudica sunt, quaecumque justa, quaecumque sancta, eadem etiam facilia et jucunda videantur (*Phil. IV, 8.*). Haec libenter cogitemus', haec alacri animo agamus, ut Deus pacis sit nobiscum.

§. 292. Praeterea, per Baptismum consignamur charactere, qui ex anima deleri nunquam potest: de quo nihil est ut plura hoc loco disserantur, cum liceat ex his, quae supra dicta sunt, cum universe de Sacramentis ageretur, satis multa, quae ad hoc argumentum pertinent, in hunc locum transferre.

## CAPUT XIII.

*Baptismum repeti non posse* §. 293; *de modo baptizandi eos, de quibus incertum est, utrum sint baptizati* §. 294; *de effectu Baptismi, regni coelestis reseratione* §. 295; *an Baptismus in omnibus baptizatis aequalem effectum producat* §. 296.

§. 293. Sed quoniam ex characteris vi et natura ab Ecclesia definitum est, Baptismi Sacramentum nulla ratione iterandum esse, ea de re fideles, ne aliquando in errores inducantur, saepe et diligenter a Pastoribus admonendi erunt. Hoc vero docuit Apostolus *(Ephes. IV, 5.)* inquiens: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.* Deinde, cum Romanos hortatur, ut mortui per Baptismum in Christo, caverent, ne vitam, quam ab illo accepissent, amitterent, cum inquit *(Rom. VI, 10.)*: *Quod enim Christus mortuus est peccato, mortuus est semel;* hoc videtur aperte significare, sicut ille mori iterum non potest, ita nobis denuo mori per Baptismum non licere. Quare Sancta etiam Ecclesia, se unum Baptismum credere palam profitetur, quod quidem rei naturae et rationi vehementer consentaneum esse ex eo intelligitur, quod Baptismus est quaedam spiritualis regeneratio. Quemadmodum igitur naturali virtute semel tantum generamur, et in lucem edimur, atque, ut d. Augustinus *(Tract. XI. in Joh.)* ait, *uterus non potest repeti:* sic etiam una est spiritualis generatio, nec Baptismus ullo unquam tempore iterandus est.

§. 294. Neque vero quisquam putet, eum ab Ecclesia iterari, cum adhibita hujusmodi verborum formula aliquem abluit, de quo incertum est, an baptizatus prius fuerit: Si es baptizatus, te iterum non baptizo; si vero nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ita enim non impie iterari, sed sancte cum adjunctione Baptismum administrari, dicendum est. Qua in re tamen diligenter a Pastoribus aliqua providenda sunt, in quibus fere quotidie non sine maxima Sacramenti injuria peccatur. Neque enim desunt, qui nullum scelus admitti posse arbitrentur, si quemvis sine delectu cum adjunctione illa baptizent

quare, si infans ad eos deferatur, nihil prorsus quaerendum putant, an is prius ablutus fuerit, sed statim ei Baptismum tribuunt, quin etiam, quamvis exploratum habeant domi Sacramentum administratum esse, tamen sacram ablutionem in Ecclesia, adhibita solenni caeremonia cum adjunctione repetere non dubitant. Quod quidem sine sacrilegio facere non possunt, et eam maculam suscipiunt, quam divinarum rerum Scriptores Irregularitatem vocant. Nam ea Baptismi forma, ex Alexandri Papae autoritate *(Lib. III. Decretal. de Bapt. et ejus effectu, Cap. de quibus)*, in illis tantum permittitur, de quibus, re diligenter perquisita, dubium relinquitur, an Baptismum rite susceperint; aliter vero nunquam fas est, etiam cum adjunctione Baptismum alicui iterum administrare.

§. 295. Praeter caetera vero quae ex Baptismo consequimur, illud veluti extremum est, quo reliqua omnia videntur referri, quod scilicet coeli aditum, propter peccatum prius interclusum, unicuique nostrum patefacit. Haec autem quae in nobis Baptismi virtute efficiuntur, ex iis plane intelligi possunt, quae in Salvatoris Baptismo contigisse, evangelica autoritas confirmavit. Etenim coeli aperti sunt, et Spiritus Sanctus, columbae specie in Christum Dominum descendens apparuit, ex quo significatum est, eis qui baptizantur, divini numinis charismata impertiri, et coelorum januam reserari, non quidem, ut simul atque baptizati sunt, sed ut magis opportuno tempore ingrediantur in illam gloriam, cum omnium miseriarum expertes, quae in beatam vitam cadere non possunt, pro mortali conditione immortalitatem assequentur.

§. 296. Atque hi quidem sunt Baptismi fructus, quos, si quidem Sacramenti vim spectemus, aeque ad omnes pertinere dubitare non potest; si autem, quo quisque animo affectus ad illum suscipiendum accesserit, consideremus, plus minusve coelestis gratiae et fructus ad unum aliquem, quam ad alium pervenire, omnino fateri oportet.

## CAPUT XIV.

*De Caeremoniis, Precationibus et Ritibus Baptismi, ac primum quidem de iis, quae praecedunt accessum fontis* §. 297—301.; *de iis, quae adhibentur apud fontem Baptismi* §. 302—304.; *quae post Baptismum* §. 305—307.; *Epilogus eorum, quae de hoc Sacramento dicta sunt, et quis inde fructus colligendus* §. 308.

§. 297. Restat nunc, ut quae de hujus Sacramenti Precationibus, Ritibus et Caeremoniis tradenda sint, aperte et breviter explicetur. Nam quod Apostolus de linguarum dono admonuit, cum inquit (*1 Cor. XIV.*): Sine fructu esse, si, quae aliquis loquitur, a fidelibus non intelligantur, idem fere ad Ritus et Caeremonias transferri potest. Imaginem enim et significationem earum rerum prae se ferunt, quae in Sacramento geruntur. Quod si illorum signorum vim et potestatem fidelis populus ignoret, non magna admodum Caeremoniarum utilitas futura esse videbitur. Danda est igitur Pastoribus opera, ut eas fideles intelligant, certoque sibi persuadeant, si minus necessariae sint, plurimi tamen faciendas, magnoque in honore esse oportere. Id vero tum instituentium autoritas, qui, sine controversia, Sancti Apostoli fuerunt, tum finis, cujus causa Caeremonias adhiberi voluerunt, satis docet. Ita enim Sacramentum majori cum religione ac sanctitate administrari, ac veluti ante oculos poni praeclara illa et eximia dona, quae in eo continentur, et in animos fidelium immensa Dei beneficia magis imprimi perspicuum est.

§. 289. Sed omnes Caeremoniae et Precationes, quibus in Baptismi administratione Ecclesia utitur, ad tria capita redigendae sunt, ut in eis explicandis certus ordo a Pastoribus servari possit, et quae tradita ab illis fuerint, auditorum memoria facilius retineantur. Ac primum quidem illarum genus est, quae, antequam accedatur ad Baptismi fontem, servantur; alterum earum, quae, cum ad ipsum fontem ventum est, adhibentur; tertium earum, quae, peracto jam Baptismo, addi solent.

§. 299. Inprimis igitur aqua paranda est, qua ad Baptismum uti oportet. Consecratur enim Baptismi fons, addito mysticae unctionis oleo. Neque id omni tempore

fieri permissum est, sed more majorum festi quidam dies, qui omnium celeberrimi et sanctissimi optimo jure habendi sunt, exspectantur, in quorum Vigiliis sacrae ablutionis aqua conficitur, quibus etiam tantum diebus, nisi necessitas aliter facere coëgisset, in veteris Ecclesiae more positum fuit, ut Baptismus administraretur Sed quamvis Ecclesia hoc tempore, propter communis vitae pericula, eam consuetudinem retinendam non judicarit, tamen solennes illos dies, Paschae et Pentecostes, quibus Baptismi aqua consecranda est, summa cum religione adhuc observavit.

§. 300 Post aquae consecrationem, alia deinceps, quae Baptismum antecedunt, explicare oportet. Afferuntur enim, vel etiam adducuntur, qui Baptismo initiandi sunt, ad Ecclesiae fores, atque ab ejus introitu omnino prohibentur; quod indigni sint, qui domum Dei ingrediantur, antequam a se turpissimae servitutis jugum repulerint, et totos se Christo Domino, ejusque justissimo imperio addixerint. Tum vero Sacerdos ab eis exquirit, quidnam ab Ecclesia petant. Quo cognito, primum eos christianae fidei doctrina, quam in Baptismo profiteri debent, instituit. Id autem Catechismo efficitur, cujus institutionis morem a Domini Salvatoris praecepto manasse, nemo dubitare potest, cum ipse Apostolis jusserit (*Matth. XXVIII*, 19. 20.): *Ite in mundum universum, et docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis.* Ex quo licet cognoscere, Baptismum non esse administrandum, priusquam summa saltem religionis nostrae capita exponantur. Quoniam vero Catechismi ratio ex multis interrogationibus constat, si is, qui instituitur, adulta aetate fuerit, ad ea quae rogantur, ipse per se respondet; si autem infans sit, pro illo sponsor rite respondet, solennemque sponsionem facit.

§. 301. Sequitur Exorcismus, qui ad expellendum Diabolum, ejusque vires frangendas et debilitandas, sacris et religiosis verbis ac precationibus conficitur. Accedunt ad Exorcismum aliae Caeremoniae, quarum singulae, ut quae mysticae sint, propriam atque illustrem significationem habent. Nam cum Sal in illius os, qui ad Baptismum adducendus est, inseritur; hoc significari perspicuum est, eum fidei doctrina et gratiae dono con-

secuturum esse, ut a peccatorum putredine liberetur, saporemque bonorum operum percipiat, et divinae sapientiae pabulo delectetur. Obsignantur praeterea Signo Crucis frons, oculi, pectus, humeri, aures, quae omnia declarant, Baptismi mysterio sensus aperiri ac roborari, ut Deum excipere, praeceptaque ejus intelligere ac servare possit. Postea vero illi nares et aures Saliva liniuntur, statimque ad Baptismi fontem mittitur, ut, quemadmodum caecus ille evangelicus, quem Dominus jusserat oculos luto illitos Siloës aqua abluere, lumen recuperavit; ita etiam intelligamus sacrae ablutionis eam vim esse, ut menti ad coelestem veritatem perspiciendam lumen afferat.

§. 302. His peractis, ad Baptismi fontem veniunt, ibique aliae Ceremoniae et Ritus adhibentur, ex quibus christianae religionis summam licet cognoscere. Sacerdos enim ter conceptis verbis, eum qui baptizandus est, interrogat: „Abrenuncias Satanae, et omnibus operibus ejus, et omnibus pompis ejus?“ At ille, aut ejus nomine patrinus, ad singulas interrogationes respondet: „Abrenuntio.“ Igitur qui Christo nomen daturus est, hoc primum sancte et religiose polliceri debet, se Diabolum et mundum deserere, ac nullum unquam tempus fore, in quo utrunque, veluti hostem deterrimum non detestetur.

§. 303. Deinde ad ipsum Baptismi fontem consistens, interrogatur a Sacerdote hoc modo: „Credis in Deum Patrem omnipotentem?“ Cui ille respondet: „Credo.“ Atque ita deinceps de reliquis Symboli articulis rogatus, fidem suam solemni religione profitetur. Quibus sane duabus sponsionibus omnem christianae legis vim et disciplinam contineri, perspicuum est.

§. 304. Sed cum jam Baptismum administrare oportet, quaerit Sacerdos ab eo, qui baptizandus est: „Num baptizari velit?“ Quo quidem per se, vel ejus nomine, si infans sit, Patrino annuente, statim in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, salutari aqua eum abluit. Quemadmodum enim homo, sua voluntate serpenti obediens, merito damnatus est; ita Dominus neminem ad suorum numerum, nisi voluntarium militem, adscribi voluit, ut divinis jussis sponte obtemperans, aeternam salutem consequeretur.

§. 305. Jam, postquam Baptismus absolutus est, Sacerdos summum baptizati verticem Chrismate perungit, ut intelligat se ab eo die Christo capiti, tanquam membrum conjunctum esse, atque ejus corpori insitum, et ea re Christianum a Christo, Christum vero a Chrismate appellari. Quid vero Chrisma significet, ex iis satis intelligi, quae tunc Sacerdos orat, d. Ambrosius testatur.

§. 306. Induit postea Sacerdos baptizatum Veste alba, dicens: „Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam aeternam.“ Infantibus vero, qui vestitu non utuntur, iisdem verbis album Sudariolum datur. Quo Symbolo significari Sancti Patres docent, tum resurrectionis gloriam, ad quam per Baptismum nascimur; tum nitorem et pulchritudinem, qua, dilutis peccatorum maculis, anima in Baptismo ornatur; tum innocentiam atque integritatem, quam in omni vita baptizatus servare debet. Et deinde Cereus ardens in manum traditur, qui ostendit fidem charitate inflammatam, quam in Baptismo accepit, bonorum operum studio alendam atque augendam esse.

§. 307. Ad extremum vero Nomen baptizato imponitur, quod quidem ab aliquo sumendum est, qui propter excellentem animi pietatem et religionem in Sanctorum numerum relatus est. Ita enim facile fiet, ut quivis nominis similitudine ad virtutis et sanctitatis imitationem excitetur, ac praeterea quem imitari studeat, eum quoque precetur, et speret sibi advocatum ad salutem tum animi, tum corporis defendendam venturum esse. Quare reprehendendi sunt, qui Gentilium nomina, et eorum praecipue, qui omnium sceleratissimi fuerunt, tam diligenter consectantur et pueris imponunt, cum ex eo intelligi possit, quanti christianae pietatis studium faciendum existiment, qui impiorum hominum memoria tantopere delectari videntur, ut velint fidelium aures hujusmodi profanis nominibus undique circumsonare.

§. 308. Haec de Baptismi Sacramento, si a Pastoribus explanata fuerint, nihil eorum fere praetermissum esse videbitur, quae ad hanc cognitionem maxime pertinere existimanda sunt. Demonstratum est enim, quid ipsum Baptismi Nomen significet, quae sit ejus Natura et Substantia, tum, ex quibus Partibus constet. Dictum

est, a quo institutus fuerit, qui Ministri ad conficiendum Sacramentum necessarii sint, quosve, tanquam paedagogos, ad sustentandam baptizati imbecillitatem adhibere oporteat. Traditum est etiam, quibus et quemadmodum animo affectis Baptismus administrari debeat, quae sit ejus Virtus et Efficientia; postremo, qui Ritus et Caeremoniae serventur, quantum proposita ratio postulabat, satis copiose explicatum est. Quae omnia, ob eam praecipue causam docenda esse Pastores meminerint, ut fideles in hac cura et cogitatione perpetuo versentur, ut in iis, quae sancte et religiose spoponderunt cum Baptismo initiati sunt, fidem servent, atque eam vitam instituant', quae sanctissimae christiani nominis professioni respondeat.

## DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO.

### CAPUT I.

*Doctrinam hujus Sacramenti hodie esse necessariam* §. 309.*; de nomine Confirmationis* §. 310.*; semper pro vero et proprio Sacramento esse in Ecclesia habitam* §. 311.*; de discrimine Confirmationis et Baptismi* §. 312. 313.

§. 309. Si in Sacramento Confirmationis explicando Pastorum diligentia requirenda unquam fuit, nunc certe opus est, illud quammaxime illustrare, cum in Sancta Dei Ecclesia hoc Sacramentum a multis omnino praetermittatur; paucissimi vero sint, qui divinae gratiae fructum, quem debebant, ex eo capere studeant. Quare fideles ita de hujus Sacramenti natura, vi, dignitate, tum in die Pentecostes, quo praecipue die administrari solet, tum aliis etiam diebus, cum id Pastores commode fieri posse judicaverint, docendi erunt, ut intelligant, non solum negligendum non esse, sed summa cum pietate et religione suscipiendum, ne ipsorum culpa maximoque malo eveniat, ut frustra in eos divinum hoc beneficium collatum esse videatur.

§. 310. Sed ut a nomine initium sumatur, Confirmationem ab Ecclesia hoc Sacramentum idcirco vocari, docendum est, quoniam qui baptizatus est, cum ab Episcopo sacro Chrismate ungitur, additis solennibus illis

verbis: „Signo te Signo Crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,“ nisi aliud Sacramenti efficientiam impediat, novae virtutis robore firmior, atque adeo perfectus Christi miles esse incipit.

§. 311. In Confirmatione autem veram et propriam Sacramenti rationem catholica Ecclesia semper agnovit, quod et Melchiades Pontifex *(in Epist. ad Episcopos Hispaniae)* et plures etiam alii sanctissimi et vetustissimi Pontifices aperte declarant. Ac S. Clemens *(Epist. IV. ad Julium et Julianum)* ejus veritatis doctrinam graviori sententia comprobare non potuit; inquit enim: „Omnibus festinandum est sine mora renasci Deo, et demum ab Episcopo consignari, id est, septiformem gratiam Spiritus Sancti percipere, cum alioqui perfectus Christianus nequaquam esse possit is, qui injuria et voluntate, non autem necessitate compulsus, hoc Sacramentum praetermiserit, ut a b. Petro accepimus, et caeteri Apostoli, praecipiente Domino, docuerunt.“ Hanc vero eandem fidem doctrina sua confirmarunt, qui eodem Spiritu pleni, pro Christo sanguinem profuderunt, Urbanus *(Epist. ad omnes Christianos)*, Fabianus *(Epist. II. ad orientales Episcopos)*, Eusebius *(Epist. III. ad Episcc. Tusciae et Campaniae)*, Romani Pontifices, quemadmodum ex eorum Decretis licet perspicere. Accedit praeterea Sanctorum Patrum consentiens autoritas. Inter quos Dionysius Areopagita, Athenarum Episcopus *(Cap. II. de eccles. Hierarch.)*, cum diceret, qua ratione hoc sacrum unguentum conficere, eoque uti oporteret, ita inquit: Baptizatum Sacerdotes induunt veste congrua munditiae, ut ad Pontificem ducant; ille vero, sacro atque prorsus divino unguento baptizatum signans, sacratissimae communionis particem facit. Eusebius quoque Caesariensis tantum huic Sacramento tribuit, ut dicere non dubitarit, Novatum Haereticum Spiritum Sanctum promereri non potuisse, quia, cum baptizatus esset in gravi aegritudine, signaculo Chrismatis non est signatus. Sed clarissima habemus hujus rei testimonia, tum a d. Ambrosio in eo libro, quem de iis, qui initiantur, inscripsit, tum a d. Augustino in libris, quos adversus Petilianae Donatistae Epistolas edidit, quorum uterque adeo de hujus Sacramenti veritate nihil dubitari posse existimavit, ut eam Scripturae etiam locis doceat

ac confirmet. Quare alter quidem verba illa Apostoli *(Ephes. IV, 30.)*: *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis;* alter vero, quod in Psalmis legitur *(Psalm. CXXXII, 2.)*: *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron;* tum illud ejusdem Apostoli *(Rom. V, 5.)*: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis;* ad Confirmationis Sacramentum referri testatus est.

§. 312. Quamvis autem a Melchiade *(in med. Epist. ad Episcc. Hispan.)* dictum sit, Baptismum Confirmationi maxime conjunctum esse, non idem tamen Sacramentum, sed ab altero longe disjunctum, existimandum est. Constat enim, varietatem gratiae, quam singula Sacramenta tribuunt, et rei sensibus subjectae, quae ipsam gratiam significat, efficere, ut varia quoque et diversa Sacramenta sint. Cum igitur Baptismi gratia homines in novam vitam gignantur; Confirmationis autem Sacramento, qui jam geniti sunt, viri evadant, *evacuatis quae erant parvuli (1 Cor. XIII, 12.)*, satis intelligitur, quantum in naturali vita generatio ab incremento distat, tantundem inter se differre Baptismum, qui regenerandi vim habet, et Confirmationem, cujus virtute fideles augescunt, et perfectum animi robur assumunt.

§. 313. Praeterea, quoniam novum atque distinctum Sacramenti genus constituendum est, ubi animus in novam aliquam difficultatem incurrit, facile perspici potest, quemadmodum Baptismi gratia ad mentem fide informandam indigemus, ita etiam maxime conducere, fidelium animos alia gratia confirmari, ut nullo poenarum, suppliciorum, mortis periculo, aut metu a verae fidei confessione deterreantur. Quod quidem cum sacro Confirmationis Chrismate efficiatur, ex eo aperte colligitur, hujus Sacramenti rationem a Baptismo diversam esse. Quare Melchiades Pontifex *(in Epist. supra citata)* utriusque discrimen accurata oratione persequitur, ita scribens: In Baptismate homo ad militiam recipitur, et in Confirmatione coarmatur ad pugnam. In fonte Baptismatis Spiritus Sanctus plenitudinem tribuit ad innocentiam, Confirmatione autem perfectionem ad gratiam ministrat. In Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum ad pugnam confirmamur; in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur; regeneratio per se salvat in pace

Baptismum recipientes, Confirmatio armat atque instruit ad agones. Verum haec jam non solum ab aliis Conciliis tradita, sed praecipue a sacra Synodo Tridentina (§. 131 sqq.) decreta sunt, ut jam de iis non solum aliter sentire, sed ne dubitare quidem ullo modo liceat.

## CAPUT II.

*Quis hoc instituerit Sacramentum* §. 314; *de materia* §. 315. 316; *de forma ejus* §. 317. 318.

§. 314. Quoniam vero supra demonstratum est, quam necessarium esset, communiter de omnibus Sacramentis docere, a quonam ortum habuerint, idem etiam de Confirmatione tradere oportet, ut fideles hujus Sacramenti sanctitate magis afficiantur. Igitur a Pastoribus explicandum est, Christum Dominum non solum ejus autorem fuisse, sed Sancto Fabiano, Pontifice Romano *(in Epist. II. ad Episcc. orient.)*, teste, Chrismatis ritum et verba, quibus in ejus administratione catholica Ecclesia utitur, praecepisse. Quod quidem iis facile probari poterit, qui Confirmationem Sacramentum esse confitentur, cum sacra omnia Mysteria humanae naturae vires superent, nec ab alio, quam a Deo, possint institui.

§. 315. Jam vero quae sint ejus partes, ac primum quidem de Materia dicendum est. Haec autem Chrisma appellatur, quo nomine a Graecis accepto, etsi profani Scriptores quodlibet unguenti genus significant, illud tamen, qui res divinas tradunt, communi loquendi consuetudine ad illud tantum modo unguentum accommodarunt, quod ex oleo et balsamo, solenni Episcopi consecratione, conficitur. Quare duae res corporeae permistae, Confirmationis Materiam praebent: quae quidem diversarum rerum compositio, quemadmodum multiplicem Spiritus Sancti gratiam, quae Confirmatis tribuitur, declarat, ita etiam ipsius Sacramenti excellentiam satis ostendit. Quod autem ea sit hujus Sacramenti Materia, cum sancta Ecclesia et Concilia perpetuo docuerunt, tum a Sancto Dionysio *(de eccles. Hierarch. Cap. 2.)* et compluribus aliis gravissimis Patribus traditum est, inprimisque a Fabiano Pontifice *(in Epist. II. ad Episcc. orient.)*, qui Apostolos Chrismatis confectionem a Domino accepisse, nobisque reliquisse testatus est. Neque vero ulla alia Materia, quam Chris-

matis, aptior videri poterat ad illud declarandum, quod hoc Sacramento efficitur. Oleum enim, quod pingue sit et natura sua manet ac diffluat, gratiae plenitudinem exprimit, quae per Spiritum Sanctum a Christo capite in alios redundat atque effunditur; sicut unguentum, quod descendit in barbam Aaron, usque ad oram vestimenti ejus. *Unxit* enim *eum Deus oleo laetitiae prae consortibus suis (Psalm. XLIV, 8.)*, ... *de plenitudine ejus nos omnes accepimus (Joh. I, 16.)*. Balsamum vero, cujus odoratus jucundissimus est, quid aliud significat, quam fideles, cum Sacramento Confirmationis perficiuntur, eam virtutum omnium suavitatem effundere, ut illud Apostoli queant dicere *(2 Cor. II, 15.)* : *Christi bonus odor sumus Deo?* Habet praeterea Balsamum eam vim, ut quidquid eo circumlitum fuerit, putrescere non sinat. Quod quidem ad hujus Sacramenti virtutem significandam valde accommodatum videtur, cum plane constet, fidelium animos coelesti gratia, quae in Confirmatione tribuitur, praeparatos, facile a scelerum contagione defendi posse.

§. 316. Consecratur autem Chrisma solennibus Caeremoniis ab Episcopo; ita enim Salvatorem nostrum docuisse in extrema Coena, cum Chrismatis conficiendi rationem Apostolis commendaret, Fabianus Pontifex, sanctitate et martyrii gloria clarissimus, *(loc. cit.)* tradidit. Quamquam cur ita fieri debuerit, ratione etiam ostendi potest. Etenim in plerisque aliis Sacramentis Christus ita eorum materiam instituit, ut sanctitatem quoque illi tribuerit. Non solum enim aquam elementum Baptismi esse voluit, cum inquit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei (Joh. III, 3.)*: sed cum ipse baptizatus est, effecit, ut ea deinceps vi sanctificandi praedita esset. Quare dictum est a Chrysostomo *(Hom. IV. Op. imp. in Matth.)*: Aqua Baptismi purgare peccata credentium non posset, nisi tactu dominici corporis sanctificata fuisset. Quandoquidem igitur Dominus hanc Confirmationis materiam usu ipso et tractatione non sacravit, necessarium est, ut sanctis religiosis et precationibus consecretur: neque ad alium ea confectio, nisi ad Episcopum pertinere potest, qui ejusdem Sacramenti ordinarius minister institutus est.

§. 317. Sed explicanda erit praeterea altera pars, ex qua Sacramentum constituitur, Forma scilicet et verba,

quae ad sacram Unctionem adhibentur, monendique fideles, ut in hoc Sacramento suscipiendo, tunc maxime, cum ea pronunciari animadvertunt, ad pietatem, fidem et religionem animos excitent, ne quid coelesti gratiae impedimenti esse possit. His igitur verbis Confirmationis forma absolvitur: „Signo te signo Crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.“ Sed tamen, si ad veritatem rationem quoque revocemus, idem facile probari potest. Etenim Sacramenti forma ea omnia continere debet, quae ipsius Sacramenti naturam et substantiam explicant. Atqui maxime haec tria in Confirmatione observanda sunt: divina potestas, quae ut principalis causa in Sacramento operatur; tum robor animi et spiritus, quod per sacram Unctionem fidelibus ad salutem tribuitur; deinde signum, quo notatur is, qui in certamen christianae militiae descensurus est. Ac primum quidem, verba illa: „In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti“; quae extremo loco posita sunt; alterum, ea, „Confirmo te chrismate salutis“: quae in medio sunt; tertium, quae in principio formae locantur, „Signo te signo Crucis,“ satis declarant.

§. 318. Quamquam si etiam ratione aliqua probari non possit, hanc esse hujus Sacramenti veram et absolutam Formam, Ecclesiae catholicae autoritas, cujus magisterio ita semper edocti fuimus, non patitur nos ea de re quidquam dubitare.

## CAPUT III.

### *De Ministro* §. 319; *de Patrinis* §. 320.

§. 319. Docere etiam Pastores debent, quibus potissimum hujus Sacramenti administratio commissa sit. Nam cum multi sint, ut est apud Prophetam *(Jerem. XXIII, 21.)*, *qui currant neque tamen mittantur*; necesse est, qui veri et legitimi ejus Ministri sint, tradere, ut fidelis populus Confirmationis Sacramentum et gratiam consequi possit. Solum itaque Episcopum hujus Sacramenti conficiendi ordinariam potestatem habere, Sacrae Literae ostendunt. Nam in Actis Apostolorum *(Actor. VIII.)* legimus, cum Samaria verbum Dei accepisset, Petrum et Johannem ad eos missos esse, qui oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum.

Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant. Quo in loco licet videre, eum, qui baptizaverat, quod tantum esset Diaconus, confirmandi potestatem nullam habuisse, sed munus illud perfectioribus Ministris, hoc est, Apostolis, reservatum esse. Quinetiam, ubicumque Sacrae Scripturae hujus Sacramenti mentionem faciunt, idem observari potest. Neque ad eam rem demonstrandam desunt Sanctorum Patrum atque Pontificum, Urbani, Eusebii, Damasi, Innocentii, Leonis clarissima testimonia; quemadmodum ex eorum Decretis perspicuum est. Divus quoque Augustinus graviter queritur de corrupta Aegyptiorum et Alexandrinorum consuetudine, quorum Sacerdotes audebant Confirmationis Sacramentum administrare. Ac jure quidem hoc factum esse, ut ejusmodi munus ad Episcopos deferretur, hac similitudine possunt Pastores declarare. Ut est in exstruendis aedificiis, etsi fabri, qui inferiores ministri sunt, caementa, calcem, ligna et reliquam materiam parant atque componunt, absolutio tamen operis ad architectum spectat: ita etiam hoc Sacramentum, quo veluti spirituale aedificium perficitur, a nullo alio, nisi a summo Sacerdote, administrari opus erat.

§. 320. Additur vero etiam Patrinus, quemadmodum in Baptismo fieri demonstratum est. Nam si qui gladiatoriam dimicationem subeunt alicujus indigent, cujus arte et consilio doceantur, qui ictibus ac petitionibus, salvis ipsis, conficere adversarium possint: quanto magis fideles, cum Sacramento Confirmationis, quasi firmissimis armis, tecti ac muniti in spirituale certamen, cui aeterna salus proposita est, descendunt, ducis ac monitoris indigebunt? Recte igitur ad hujus quoque Sacramenti administrationem Patrini advocandi sunt, quibuscum eadem spiritualis affinitas conjungitur, quae legitima nuptiarum foedera impedit; ut antea docuimus, cum de Patrinis ageretur, qui ad Baptismum adhibendi sunt.

## CAPUT IV.

*Qui hoc Sacramentum suscipere debeant* §. 321. 322; *qua aetate* §. 323; *quomodo praeparati ac dispositi* §. 324.

§. 321. Sed quoniam saepe evenit, ut fideles in hoc Sacramento suscipiendo aut praepropera festinatione,

aut dissoluta quadam negligentia et cunctatione utantur (nam de iis, qui ad eum impietatis gradum venerunt, ut illud contemnere et aspernari audeant, nihil est quod dicamus); aperiendum est etiam Pastoribus, qui, qua aetate, quo pietatis studio praediti esse debeant, quibus Confirmationem dare oportet. Atque illud inprimis docendum est, hoc Sacramentum ejusmodi necessitatem non habere, ut sine eo salvus quis esse non possit. Quamquam vero necessarium non est, a nemine tamen praetermitti debet: sed potius maxime cavendum est, ne in re sanctitatis plena, per quam nobis divina munera tam large impertiuntur, aliqua negligentia committatur. Quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est.

§. 322. Ac Sanctus quidem Lucas cum admirabilem illam Spiritus Sancti effusionem describeret, ita inquit (*Actor. II, 2. 4.*): *Et factus est repente de coelo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum;* deinde paucis interjectis: *Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* Ex quibus verbis licet intelligere, quoniam domus illa sanctae Ecclesiae figuram et imaginem gerebat, ad omnes fideles Confirmationis Sacramentum, cujus initium ab eo die ductum est, pertinere. Atque id etiam ex ipsius Sacramenti ratione facile colligitur. Illi enim sacro Chrismate confirmari debent, quibus spirituali incremento opus est, et qui ad perfectum christianae religionis habitum perducendi sunt: at nulli id non maxime convenit. Ut enim hoc spectat natura, ut qui in lucem eduntur, adolescant atque ad perfectam aetatem perveniant, etiamsi interdum quod vult minus assequatur: ita communis omnium mater catholica Ecclesia vehementer optat, ut in eis, quos per Baptismum regeneravit, christiani hominis forma perfecte absolvatur. Id autem quoniam mysticae Unctionis Sacramento efficitur, perspicuum est, eam ad universos fideles aeque pertinere. In quo illud observandum est, omnibus quidem post Baptismum, Confirmationis Sacramentum posse administrari: sed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis usum habuerint.

§. 323. Quare si duodecimus annus non expectandus videatur, usque ad septimum certe hoc Sacramentum

differre, maxime convenit. Neque enim Confirmatio ad salutis necessitatem instituta est, sed ut ejus virtute optime instructi et parati inveniremur, cum nobis pro Christi fide pugnandum esset: ad quod sane pugnae genus pueros, qui adhuc usu rationis carent, nemo aptos esse judicarit.

§. 324. Ex his igitur efficitur, ut qui adulta jam aetate confirmandi sunt, si quidem hujus Sacramenti gratiam et dona consequi cupiant, eos non solum fidem et pietatem afferre, sed graviora etiam peccata, quae admiserunt, ex animo dolere oporteat. Qua in re elaborandum est, ut peccata etiam prius confiteantur, et Pastorum cohortatione ad jejunia et alia pietatis opera suscipienda incitentur, admoneanturque, laudabilem illam antiquae Ecclesiae consuetudinem renovandam esse, ut non nisi jejuni hoc Sacramentum susciperent. Quod quidem fidelibus facile persuaderi posse existimandum est, si hujus Sacramenti dona admirabilesque effectus intellexerint.

## CAPUT V.

*De effectu Confirmationis* §. 325—327; *quo ritu administretur* §. 328.

§. 325. Itaque Pastores docebunt, Confirmationem hoc cum caeteris Sacramentis commune habere, ut nisi impedimentum aliquod ex parte ejus, qui recipit, inferatur, novam gratiam tribuat. Etenim haec sacra et mystica signa ejusmodi esse, demonstratum est, quae gratiam declarant atque efficiunt. Ex quo sequitur, ut peccata etiam condonet ac remittat; quoniam gratiam simul cum peccato ne fingere quidem nobis licet. Sed praeter haec, quae cum aliis communia censenda sunt, primum quidem illud proprie Confirmationi tribuitur, quod Baptismi gratiam perficit. Qui enim per Baptismum Christiani effecti sunt, quasi infantes modo geniti, teneritatem adhuc et mollitiem quandam habent, ac deinde Chrismatis Sacramento adversus omnes carnis, mundi et diaboli impetus robustiores fiunt, et eorum animus in fide omnino confirmatur ad confitendum et glorificandum nomen Domini nostri Jesu Christi; ex quo etiam nomen ipsum inventum esse nemo dubitarit. Neque enim, ut quidam non minus imperite quam impie finxerunt, Con-

firmationis vocabulum ab eo deducitur, quod olim, qui infantes baptizati erant, cum jam adulti essent, ad Episcopum adducebantur, ut fidem christianam, quam in Baptismo susceperant, confirmarent: ita, ut Confirmatio nihil a catechesi differre videatur, cujus consuetudinis nullum probatum testimonium afferri potest. Sed ab eo nomen rei impositum est, quod hujus Sacramenti virtute Deus in nobis id confirmat, quod Baptismo operari coepit, nosque ad christianae soliditatis perfectionem adducit. Nec vero confirmat solum; sed auget etiam. De quo Melchiades *(Ep. 2. ad Episcc. Hisp.)* ita testatur: „Spiritus Sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in Fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum praestat ad gratiam;" deinde non auget modo, sed admirabili quadam ratione auget. Hoc autem pulcherrime indumenti translatione Scriptura significavit, atque expressit: inquit enim Dominus Salvator, cum de hoc Sacramento loqueretur *(Luc. XXIV, 49.)*: *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.*

§. 326. Quod si Pastores voluerint divinam hujus Sacramenti efficientiam ostendere (hoc vero ad commovendos fidelium animos maximam vim habiturum esse, dubitari non potest), satis erit, quid ipsis Apostolis evenerit, explicare. Illi enim ante passionem, vel sub ipsam passionis horam, adeo infirmi et remissi fuerunt, ut cum Dominus comprehensus est, statim se in fugam conjecerint. Petrus vero, qui Ecclesiae petra et fundamentum designatus erat, et summam constantiam excelsique animi magnitudinem prae se tulerat, unius mulierculae voce perterritus, se Jesu Christi discipulum esse, non semel aut iterum, sed tertio negaverit, ac post resurrectionem omnes propter metum Judaeorum inclusi, domi se continuerint. At vero in die Pentecostes, tanta Spiritus Sancti virtute omnes repleti sunt, ut dum Evangelium, quod eis commissum erat, non solum in Judaeorum regione, sed in universo orbe audacter et libere disseminarent, nihil sibi felicius accidere posse existimaverint, quam quod digni haberentur, qui pro Christi nomine contumeliam, vincula, tormenta, cruces perferrent.

§. 327. Habet praeterea Confirmatio eam vim, ut characterem imprimat: quo fit, ut nulla unquam ratione

iterari possit: quod etiam in Baptismo supra observatum est, ac de Sacramento Ordinis quoque suo loco planius exponetur. Haec igitur, si a Pastoribus saepe et accurate explicata erunt, vix fieri poterit, quin fideles, cognita hujus Sacramenti dignitate atque utilitate, illud summa cum diligentia, sancte et religiose suscipere studeant.

§. 328. Restat nunc, ut aliqua etiam de Ritibus et Ceremoniis, quibus in hoc Sacramento administrando catholica Ecclesia utitur, breviter perstringantur. Quae explicatio quanto usui futura sit, Pastores intelligent, si quae antea dicta sunt, cum hic locus tractaretur, repetere voluerint. Qui igitur confirmantur, sacro Chrismate in fronte unguntur. Nam hoc Sacramento Spiritus Sanctus in animos fidelium sese infundit, in eisque robur et fortitudinem auget, ut in spirituali certamine viriliter pugnare et nequissimis hostibus resistere queant. Quocirca declaratur, eos nullo metu aut verecundia, quarum affectionum signa maxime in fronte solent apparere, a libera christiani nominis confessione absterrendos esse. Praeterea nota illa, qua Christianus a caeteris, veluti miles insignibus quibusdam ab aliis distinguitur, in illustriori corporis parte imprimenda erat. Sed illud quoque solenni religione in Ecclesia Dei servatum est, ut in Pentecoste praecipue hoc Sacramentum administraretur; quod hoc maxime die Apostoli Spiritus Sancti virtute roborati et confirmati sint, cujus divini facti recordatione fideles admonerentur, quae, quantaque mysteria in sacra Unctione cogitanda essent. Deinde vero qui unctus et confirmatus est, ut meminerit, se tamquam fortem athletam, paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine ferenda, manu leviter in maxilla ab Episcopo caeditur. Postremo autem pax ei datur, ut intelligat, se gratiae coelestis plenitudinem et pacem, quae exsuperat omnem sensum, consecutum esse. Atque haec Summa eorum sit, quae de Chrismatis Sacramento a Pastoribus, non tam quidem nudis verbis et oratione, quam inflammato quodam pietatis studio, explicanda sunt, ut ea in animis intimisque fidelium cogitationibus inserere videantur.

# DE EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

## CAPUT I.

*De Sacramenti Eucharistiae dignitate* §. 329; *institutione* §. 330; *variis nominibus* §. 331—333.

§. 329. Quemadmodum ex omnibus sacris Mysteriis, quae nobis, tamquam divinae gratiae certissima instrumenta, Dominus Salvator noster commendavit, nullum est quod cum sanctissimo Eucharistiae Sacramento comparari queat: ita etiam nulla gravior alicujus sceleris animadversio a Deo metuenda est, quam si res omnis sanctitatis plena, vel potius quae ipsum sanctitatis autorem et fontem continet, neque sancte, neque religiose a fidelibus tractetur. Id vero Apostolus et sapienter vidit, et de eo nos aperte admonuit. Nam cum declarasset, quanto illi scelere obstricti essent, qui corpus Domini non dijudicarent, statim subjecit (*1 Cor. XI, 30.*): *Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi.* Ut igitur fidelis populus, cum coelesti huic Sacramento divinos honores tribuendos esse intellexerit, et gratiae uberes fructus capiat, et justissimam Dei iram effugiat, illa omnia a Pastoribus diligentissime exponenda erunt, quae ejus majestatem magis illustrare posse videantur.

§. 330. Qua in re opus erit, ut Pauli Apostoli rationem secuti, qui se, quod a Domino acceperat, Corinthiis tradidisse professus est, inprimis hujus Sacramenti institutionem fidelibus explicent, ita vero gestam rem esse, ex Evangelista perspicue colligitur. Cum enim Dominus dilexisset suos, in finem dilexit eos; cujus quidem amoris, ut divinum aliquod atque admirabile pignus daret, sciens horam jam advenisse ut transiret ex hoc mundo ad Patrem, ne ullo unquam tempore a suis abesset, inexplicabili consilio, quod omnem naturae ordinem et conditionem superat, perfecit. Etenim celebrata cum discipulis agni paschalis coena, ut figura veritati, umbra corpori cederet, Panem accepit, Deoque gratias agens benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et dixit: *Accipite et manducate; hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.* Similiter et Calicem accepit, post-

quam coenavit, dicens: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem (Matth. XXVI, 26—28. Marc. XIV, 22. 23. Luc. XXII, 19. 20. 1 Cor. XI, 24. 25.).*

§. 331. Hujus ergo admirabilis Sacramenti dignitatem atque excellentiam, cum sacri Scriptores fieri nullo modo posse intelligerent, ut uno vocabulo demonstrarent, pluribus eam nominibus exprimere conati sunt. Interdum enim Eucharistiam appellant, quod verbum, vel bonam gratiam, vel gratiarum actionem, Latine reddere possumus. Ac recte quidem bona gratia dicendum est, tum quia vitam aeternam, de qua scriptum est *(Rom. VI, 13.)*: *Gratia Dei vita aeterna;* praesignificat, tum quia Christum Dominum, qui vera gratia, atque omnium Charismatum fons est, in se continet. Nec vero minus apte gratiarum actionem interpretamur, siquidem, cum hanc purissimam hostiam immolamus, immensas quotidie gratias pro universis in nos beneficiis Deo agimus, atque inprimis pro ejus gratiae tam excellenti bono, quam nobis hoc Sacramento tribuit. Sed id ipsum etiam nomen cum his, quae a Christo Domino gesta esse in hoc Mysterio instituendo legimus, optime convenit. Etenim panem accipiens, fregit, ac gratias egit. David quoque, cum hujus Mysterii magnitudinem contemplaretur, antequam carmen illud pronunciaret *(Psalm. CX, 3. 4.)*: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se;* gratiarum actionem praeponendam existimavit, cum inquit: *Confessio et magnificentia opus ejus.* Frequenter etiam nomine Sacrificii declaratur: de quo mysterio paulo post latius dicendum erit.

§. 332. Vocatur praeterea Communio, quod verbum ex illo Apostoli loco sumptum esse liquet, ubi ait *(1 Cor. X, 16.)*: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Nam, ut Damascenus explanavit *(Lib. IV. orthod. fidei, Cap. 14.)*, hoc Sacramentum Christo nos copulat, atque ejus carnis et deitatis participes efficit, nosque inter nos in eodem Christo conciliat ac conjungit, et veluti unum corpus coagmentat. Ex quo factum est, ut Sacramentum etiam pacis et charitatis diceretur, ut intelligeremus, quam indigni sint christiano nomine, qui

inimicitias exercent, odiaque, dissidia et discordias, ut teterrimas fidelium pestes, omnino exterminandas esse: cum praesertim quotidiano religionis nostrae sacrificio, nihil nos studiosius servare, quam pacem et charitatem, profiteamur.

§. 333. Sed Viaticum etiam frequenter a sacris Scriptoribus appellatur: tum quia spiritualis cibus est, quo in hujus vitae peregrinatione sustentamur, tum quia viam nobis ad aeternam gloriam et felicitatem munit. Quare ex veteri Ecclesiae catholicae instituto servari videmus, ut nemo fidelium sine hoc Sacramento e vita excedat. Ac vetustissimi quidem Patres, Apostoli autoritatem secuti, Coenae etiam nomine sacram Eucharistiam interdum vocarunt, quod in illo novissimae coenae salutari mysterio a Christo Domino sit instituta. Neque vero propterea a cibo aut potione Eucharistiam conficere aut sumere licet, quod ab Apostolis salutariter introducta consuetudo (quemadmodum veteres Scriptores memoriae prodiderunt) perpetuo retenta ac servata est, ut a jejunis tantum perciperetur.

## CAPUT II.

*Eucharistiam esse Sacramentum* §. 334; *in quo ab aliis Sacramentis differat* §. 335; *quomodo unum sit* §. 336; *quid significet* §. 337.

§. 334. Sed explicata nominis ratione docendum erit, hoc verum esse Sacramentum, atque unum ex septem illis, quae sancta Ecclesia semper religiose coluit ac venerata est. Nam cum calicis consecratio fit, Mysterium fidei appellatur. Praeterea, ut infinita pene sacrorum Scriptorum testimonia omittamus, qui hoc inter vera Sacramenta numerandum esse perpetuo senserunt, ex ipsa ratione et natura Sacramenti idem convincitur. Etenim in eo signa sunt externa et sensibus subjecta; habet deinde gratiae significationem et efficientiam; praeterea de Christi institutione neque Evangelistae, neque Apostolus dubitandi locum relinquunt. Quae omnia cum in unum conveniant, ad Sacramenti veritatem confirmandam, nullis aliis argumentis opus esse perspicitur. Sed illud diligenter Pastoribus observandum est, multa in hoc Mysterio esse, quibus aliquando Sacramenti nomen sacri Scriptores tribuerunt.

Interdum enim et consecratio et perceptio, frequenter vero et ipsum Domini Corpus et Sanguis, qui in Eucharistia continetur, Sacramentum vocari consuevit. Inquit enim d. Augustinus *(ap. Lanfranc. III. contra Berengar.)*, Sacramentum hoc duobus constare, visibili scilicet elementorum specie, et invisibili Carne et Sanguine ipsius Domini nostri Jesu Christi. Atque ad eundem modum hoc Sacramentum adorandum esse, nimirum corpus et sanguinem Domini intelligentes, affirmamus. Verum haec omnia minus proprie Sacramenta dici, perspicuum est. Ipsae autem Panis et Vini species, veram et absolutam hujus nominis rationem habent.

§. 335. Sed quantum hoc Sacramentum a reliquis omnibus differat, facile colligitur. Nam caetera Sacramenta materiae usu perficiuntur, dum scilicet alicui administrari ea contingit. Baptismus enim Sacramenti naturam tunc adipiscitur, cum re ipsa homo aqua abluitur: at vero ad Eucharistiae perfectionem satis est ipsius materiae consecratio; utrumque enim Sacramentum esse non desinit, quamvis in pyxide asservetur. Deinde in conficiendis aliis Sacramentis nulla fit Materiae atque Elementi in aliam naturam mutatio. Etenim Baptismi aqua, aut Chrismatis oleum, cum illa Sacramenta administrantur, priorem aquae et olei naturam non amittunt: in Eucharistia vero, quod Panis et Vinum ante consecrationem erat, confecta consecratione, vere est Corporis et Sanguis Domini substantia.

§. 336. Licet autem duo sint Elementa, Panis scilicet et Vinum, ex quibus integrum Eucharistiae Sacramentum conficitur, non tamen plura Sacramenta, sed unum tantum esse, Ecclesiae autoritate docti confitemur. Aliter enim septenarius Sacramentorum numerus, quemadmodum semper traditum, atque a Conciliis, Lateranensi, Florentino et Tridentino decretum est, constare non poterit. Nam cum hujus Sacramenti gratia unum corpus mysticum efficiatur, ut Sacramentum ipsum rei, quam efficit, conveniat, unum esse oportet: atque unum quidem, non quia individuum sit, sed quia unius rei significationem habet. Nam quemadmodum cibus et potio, quae duae diversae res sunt, ad unam tantum rem adhibentur, ut scilicet vires corporis reficiantur; ita etiam duas illis diversas Sacramenti species respondere, consentaneum fuit, quae cibum spiritualem significarent,

quo mentes sustinentur et recreantur. Quare a Domino Salvatore dictum est *(Joh. VI, 56.)*: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.*

§. 337. Sed diligenter explicandum est, quid Eucharistiae Sacramentum significet, ut fideles sacra Mysteria oculis intuentes, simul etiam divinarum rerum contemplatione animum pascant. Tria vero sunt, quae nobis hoc Sacramento indicantur. Primum est Christi Domini passio, quae jam praeteriit: ipse enim docuit *(Luc. XXII, 19.)*: *Hoc facite in meam commemorationem;* et Apostolus testatus est *(1 Cor. XI, 26.)*: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Alterum est, divina et coelestis gratia, quae praesens ad animam alendam et conservandam hoc Sacramento tribuitur. Quemadmodum enim Baptismo in novam vitam gignimur, Confirmatione roboramur, ut Satanae repugnare et palam Christi nomen profiteri possimus; ita Eucharistiae Sacramento alimur ac sustentamur. Tertium est, quod futurum praenunciat, aeternae jucunditatis et gloriae fructus, quem in coelesti patria ex Dei promissione capiemus. Haec igitur tria, quae instantis, praeteriti et consequentis temporis varietate distingui perspicuum est, sacris Mysteriis ita significantur, ut totum Sacramentum quamvis ex diversis speciebus constet, ad singula horum declaranda, tamquam ad unius rei significationem, referatur.

## CAPUT III.

*Quae hujus Sacramenti Materia sit* §. 338—341; *quid Panis Vinique symbola significent* §. 342. 343.

§. 338. Sed inprimis cognoscenda est a Pastoribus hujus Sacramenti Materia: tum ut ipsi rite illud possint conficere; tum etiam ut fideles admoneantur, cujus rei symbolum sit, atque ejus rei, quam significat, studio et desiderio exardescant. Duplex itaque est hujus Sacramenti Materia: altera, Panis ex tritico confectus, de qua primo agetur; de altera postea dicendum erit. Nam (ut docent Evangelistae, Matthaeus, Marcus et Lucas) Christus Dominus Panem in manus accepit, benedixit et fregit, dicens: *Hoc est corpus meum.* Apud Johannem quoque idem Salvator noster se ipsum Panem ap-

pellavit, cum inquit (*Joh. VI, 51.*): *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi.* Cum autem varia sint Panis genera, vel quia materia differunt, ut cum alius ex tritico, alius ex hordeo, aut ex leguminibus caeterisque terrae fructibus confectus est: vel quia diversis qualitatibus praediti sunt (uni enim fermentum additur, alter vero fermenti omnino expers esse potest): quod ad primum attinet, Salvatoris verba ostendunt, Panem ex tritico confici oportere. Communi enim loquendi consuetudine, cum Panis absolute dicitur, Panem ex tritico intelligi, satis constat. Id etiam Veteris Testamenti figura declaratur. Praeceptum enim a Domino fuerat, ut Panes propositionis, qui hoc Sacramentum significabant, ex simila conficerentur.

§. 339. Sed quemadmodum nullius Panis, nisi triticeus, apta ad Sacramentum materia putandus est (hoc enim apostolica Traditio nos docuit, et Ecclesiae catholicae autoritas firmavit): ita etiam ex iis, quae Christus Dominus gessit, azymum esse debere, facile intelligitur. Ipse enim primo azymorum die, quo nihil fermentati domi habere Judaeis licebat, hoc Sacramentum confecit atque instituit. Quod si quis Johannis Evangelistae autoritatem opponat, qui haec omnia ante festum diem Paschae acta esse commemorat: ea ratio facile dissolvi potest. Etenim quem primum azymorum diem caeteri Evangelistae appellarunt, quod feria quinta vesperi dies festi azymorum inciperent, quo tempore Salvator noster Pascha celebravit: eum ipsum diem Johannes pridie Paschae fuisse describit; ut qui diei naturalis spatium, quod ab oriente sole inchoatur, inprimis notandum existimarit. Quapropter divus etiam Chrysostomus (*Homil. LXXXI. in Matth.*) primum azymorum diem, interpretatur eum diem, quo ad vesperam azyma comedenda essent. Sed azymi Panis consecratio quantum conveniat integritati et mentis munditiae, quam fideles ad hoc Sacramentum afferre debent, ab Apostolo docemur, cum inquit (*1 Cor. V, 7. 8.*): *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis.* Neque tamen ea qualitas adeo necessaria existimanda est, ut si illa Pani desit, Sacramentum confici

non possit: utrumque enim Panis genus, veram et propriam Panis rationem et nomen habet. Quamquam nemini licet, privata autoritate, vel potius temeritate, laudabilem Ecclesiae suae ritum immutare. Atque eo minus id facere Latinis Sacerdotibus permissum est, quibus praeterea Pontifices Max. praeceperunt, ut ex azymo tantum sacra Mysteria conficerent. Atque haec de altera hujus Sacramenti materia exposuisse satis sit: in quo tamen illud animadvertendum est, quam multa materia ad Sacramentum conficiendum uti oporteat, definitum non esse, cum illorum etiam certus numerus definiri nequeat, qui aut possint, aut debeant sacra Mysteria percipere.

§. 340. Superest ut de altera hujus Sacramenti Materia et Elemento dicatur. Est autem Vinum, ex vitis fructu expressum, cui modicum aquae permixtum sit. Nam Dominum Salvatorem vino in hujus Sacramenti institutione usum esse, catholica Ecclesia semper docuit; cum ipse dixerit *(Matth. XXVI, 29.)*: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum.* Quo in loco Chrysostomus *(Homil. LXXXIII. in Matth.)*: „De genimine, inquit, vitis, quae certe vinum, non aquam, produxit.“ Ut tanto ante illorum haeresin, qui aquam solam in hisce Mysteriis adhibendam senserunt, convellere videretur. Aquam vero Dei Ecclesia vino semper admiscuit: primum, quod id a Christo Domino factum esse, et Conciliorum autoritate et Sancti Cypriani *(Lib. II. Epist. 3. ad Caecil.)* testimonio comprocatur: deinde, quod sanguinis et aquae, quae ex ejus latere exierunt, hac permistione memoria renovatur. Tum vero aquae, ut in Apocalypsi *(Apoc. XVII, 1.)* legimus, populum designant: quare aqua vino admixta, fidelis populi cum Christo capite conjunctionem significat. Atque hoc ex apostolica Traditione perpetuo sancta Ecclesia servavit. Sed quamvis aquae admiscendae ita graves rationes sint, ut eam sine mortali peccato praetermittere non liceat; ea tamen si desit, Sacramentum constare potest.

§. 341. Illud autem Sacerdotibus animadvertendum est, ut quemadmodum in sacris Mysteriis aquam vino adhibere oportet, sic etiam modicam infundendam esse. Nam ecclesiasticorum Scriptorum sententia et judicio, aqua illa in vinum convertitur. Quare de eo Honorius

Pontifex ita scribit *(Lib. III. Decretal. tit. de Miss. celebr. Cap. Perniciosus)*: Perniciosus in tuis partibus inolevit abusus, videlicet quod major quantitas aquae in Sacrificio quam vini adhibetur: cum secundum consuetudinem rationabilem Ecclesiae generalis longe plus vini, quam aquae adhibendum sit. Hujus igitur Sacramenti haec duo tantum Elementa sunt: ac merito pluribus Decretis sancitum est, ne quid aliud praeter Panem et Vinum, quod nonnulli facere non verebantur, offerre liceat.

§. 342. Sed jam videndum est, haec duo Panis et Vini symbola quam apta sint ad eas res declarandas, quarum Sacramenta esse credimus et confitemur. Primum enim Christum nobis significant, ut vera est hominum vita. Ipse enim Dominus ait *(Joh. VI, 56.)*: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Cum igitur Corpus Christi Domini, vitae aeternae alimentum illis praebeat, qui ejus Sacramentum pure et sancte suscipiunt, recte iis potissimum rebus conficitur, quibus haec vita continetur: ut fideles facile possint intelligere, pretiosi Corporis et Sanguinis Christi communione mentem, animamque saturari. Nonnihil etiam haec ipsa elementa ad id valent, ut eam cognitionem accipiant homines, esse in Sacramento Corporis et Sanguinis Domini veritatem. Nam cum Panem et Vinum in humanam carnem et sanguinem, vi naturae quotidie immutari animadvertamus: facilius adduci possumus hac similitudine ut credamus, Panis et Vini substantiam in veram Christi Carnem, verumque ejus Sanguinem coelesti benedictione converti.

§. 343. Affert etiam aliquid adjumenti haec admirabilis Elementorum mutatio, ad adumbrandum quod fit in anima. Ut enim, etsi nulla extrinsecus Panis et Vini mutatio apparet, tamen eorum substantia in Carnem et Sanguinem Christi vere transit: ita etiam, tametsi in nobis nihil immutatum videtur, interius tamen ad vitam renovamur, dum veram vitam Eucharistiae Sacramento accipimus. Accedit ad haec, quod cum unum Ecclesiae corpus ex multis membris compositum sit, nulla re magis elucet ea conjunctio, quam Panis Vinique elementis. Panis enim ex multis granis conficitur, et Vinum ex multitudine racemorum existit: atque ita nos, cum multi simus, hujus divini Mysterii vinculo arctissime colligari, et tamquam unum corpus effici, declarant.

## CAPUT IV.

*Quae sit forma Consecrationis Panis et Vini* §. 344. 345; *explicatio verborum, quibus Vinum consecratur* §. 346—350.

§. 344. Sequitur nunc, ut de forma, qua ad consecrandum Panem uti oporteat, agatur; non quidem ejus rei causa, ut haec mysteria fideli populo, nisi necessitas cogat, tradantur (eos enim qui sacris initiati non sunt, de his erudiri necessarium non est): sed ne formae ignoratione, in Sacramento conficiendo a Sacerdotibus turpissime peccetur. Itaque a Sanctis Evangelistis, Matthaeo et Luca, itemque ab Apostolo docemur, illam esse formam: *Hoc est corpus meum.* Scriptum est enim *(Matth. XXVI, 26.)*: *Coenantibus illis, accepit Jesus Panem, et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et dixit: Accipite et manducate: hoc est corpus meum.* Quae quidem consecrationis forma, cum a Christo Domino servata sit, ea perpetuo catholica Ecclesia usa est. Praetermittenda sunt hoc loco Sanctorum Patrum testimonia, quae infinitum esset enumerare, et Concilii Florentini Decretum, quod omnibus patet, atque in promptu est; cum praesertim ex illis Salvatoris verbis *(Luc. XXII, 19.)*: *Hoc facite in meam commemorationem;* idem liceat cognoscere. Nam quod Dominus faciendum praecepit, non solum ad id quod egerat, sed etiam ad ea quae dixerat, referri debet, atque ad verba maxime pertinere intelligendum est, quae non minus efficiendi, quam significandi causa prolata erant.

§. 345. Sed ratione etiam id facile persuaderi potest: nam forma ea est, qua illud significatur, quod in hoc Sacramento efficitur. Cum autem haec verba id quod fit, significent ac declarent, hoc est, Panis conversionem in verum Domini nostri Corpus; sequitur, formam in illis ipsis verbis constituendam esse: in quam sententiam, quod ab Evangelista dictum est *(Matth. XXVI, 26.)*: *Benedixit*, licet accipere. Perinde enim videtur intelligendum, ac si dixisset, accipiens Panem benedixit, dicens: *Hoc est corpus meum*, Quamvis enim Evangelista verba illa: *Accipite et comedite*, praeposuerit, illis tamen non materiae consecrationem, sed usum tantummodo significari, perspicuum est. Quare a Sacerdote

quidem omnino proferri debent, sed ad Sacramentum conficiendum necessaria non sunt; quemadmodum etiam profertur conjunctio illa *enim* in Corporis et Sanguinis consecratione: Aliter enim fiet, ut, si hoc Sacramentum nemini administrandum sit, confici non oporteat, aut non possit quidem: cum tamen dubitare non liceat, quin Sacerdos, prolatis ex more atque instituto sanctae Ecclesiae verbis Domini, aptam Panis materiam vere consecret, quamvis deinde contingat, ut nulli unquam sacra Eucharistia administretur.

§. 346. Jam vero quod ad Vini, quae est altera hujus Sacramenti materia, consecrationem attinet, ob eandem causam, quam supra commemoravimus, opus est, ut Sacerdos ejus formam cognitam et perspectam habeat. Eam igitur his verbis comprehendi, certo credendum est: *Hic est Calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur, in remissionem peccatorum.* Ex quibus verbis plura quidem e Sacris Scripturis colliguntur: quaedam vero in Ecclesia ex apostolica Traditione conservata sunt. Nam quod dicitur: Hic est calix; a d. Luca et ab Apostolo scriptum est; quod vero sequitur: Sanguinis mei, vel Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur, in remissionem peccatorum, partim a d. Luca, partim a d. Matthaeo dictum est; verba autem illa, Aeterni et Mysterium fidei, sancta Traditio, catholicae veritatis interpres et custos, nos docuit.

§. 347. Verum de hac forma nemo dubitare poterit, si, quod antea dictum est de forma consecrationis, quae ad Panis elementum adhibetur, hoc etiam loco attendatur. Constat enim, iis verbis, quae Vini substantiam in Sanguinem Domini converti significant, hujus elementi formam contineri. Quare, cum verba illa hoc aperte declarent, perspicuum est, aliam formam eonstituendam non esse. Exprimunt autem praeterea quosdam effusi Sanguinis in passione Domini admirabiles fructus, qui ad hoc Sacramentum maxime pertinent. Unus est aditus ad aeternam haereditatem, quae Novi atque Aeterni Testamenti jure ad nos venit; alter est, aditus ad justitiam per Mysterium fidei: Jesum enim, per fidem in Sanguinem ejus, propitiatorem Deus proposuit, ut ipse sit justus et justificans eum, qui ex fide est Jesu Christi; tertius est, remissio peccatorum.

§. 348. Quoniam vero haec ipsa consecrationis verba plena mysteriorum sunt, aptissimeque ad rem conveniunt, diligentius perpendere ea oportet. Quod vero dicitur: Hic est Calix Sanguinis mei, sic intelligendum est: Hic est Sanguis meus, qui hoc Calice continetur. Recte autem et apposite, dum Sanguis hic, ut est fidelium potus, consecratur, Calicis mentio facienda est: neque enim Sanguis hujusmodi potionem satis significare videretur, nisi vase aliquo exceptus esset. Sequitur deinde: Novi Testamenti, quod quidem ob eam rem additum est, ut intelligeremus, Christi Domini Sanguinem non in figura, quemadmodum in Veteri Testamento fiebat (de ea enim apud Apostolum ad Hebraeos *(Hebr. IX, 18.)* legimus: *Sine Sanguine testamentum dedicatum non esse*) sed vere et re ipsa hominibus tradi, quod ad Novum Testamentum pertinet. Quare Apostolus inquit: Ideo Novi Testamenti mediator est Christus, ut morte intercedente repromissionem accipiant, qui vocati sunt, aeternae haereditatis. Verbum vero Aeterni ad haereditatem aeternam, quae Christi Domini, aeterni testatoris morte ad nos jure pervenit, referendum est.

§. 349. Quod subjungitur Mysterium fidei, non rei veritatem excludit, sed quod occulte latet, atque ab oculorum sensu remotissimum est, certa fide credendum esse significat. Diversa vero hisce verbis sententia hoc loco subjecta est ab ea, quam habent, cum Baptismo etiam tribuuntur. Nam quod Sanguinem Christi, sub Vini specie latentem, fide cernimus, Mysterium fidei dicitur. At Baptismus, quoniam universam christianae fidei professionem complectitur, a nobis Fidei Sacramentum, a Graecis Mysterium jure appellatur. Quamquam alia etiam ratione Sanguinem Domini, fidei Mysterium dicimus, quod scilicet in eo maxime plurimum difficultatis et negotii humana ratio experiatur, cum nobis fides credendum proponit; Christum Dominum, verum Deum Filium, simulque Deum et Hominem, mortem pro nobis pertulisse, quae quidem mors Sanguinis Sacramento designatur. Quapropter apposite hoc loco potius, quam in consecratione corporis, passio dominica commemoratur his verbis: Qui effundetur in remissionem peccatorum. Sanguis enim separatim consecratus, ad passionem Domini et mortem, et passionis genus ante omnium oculos ponendum, majorem vim et momentum habet.

§. 350. Sed verba illa, quae adduntur „pro vobis" et „pro multis" a Matthaeo et Luca, singula a singulis sumpta sunt, quae tamen sancta Ecclesia, Spiritu Dei instructa, simul conjunxit: pertinent autem ad passionis fructum atque utilitatem declarandam. Nam si ejus virtutem inspiciamus, pro omnium salute sanguinem a Salvatore effusum esse fatendum erit: si vero fructum, quem ex eo homines perceperint, cogitemus, non ad omnes sed ad multos tantum, eam utilitatem pervenire, facile intelligemus. Cum igitur pro vobis dixit, vel eos qui aderant, vel delectos ex Judaeorum populo, quales erant discipuli, excepto Juda, quibuscum loquebatur, significavit. Cum autem addidit pro multis, reliquos electos ex Judaeis, aut Gentibus intelligi voluit. Recte ergo factum est, ut pro universis, non diceretur, cum hoc loco tantummodo de fructibus passionis sermo esset, quae salutis fructum delectis solum attulit. Atque huc spectant verba illa Apostoli *(Hebr. IX, 28.)*: *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata;* et quod Dominus apud Johannem *(XVII, 9.)* inquit: *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Plurima alia in hujus consecrationis verbis latent mysteria, quae Pastores assidua rerum divinarum meditatione et studio, ipsi per se, juvante Domino facile assequentur.

## CAPUT V.

*Quae admiratione digna hoc Sacramento contineantur* §. 351. 352; *de veritate Corporis et Sanguinis Domini in Eucharistia* §. 353—357.

§. 351. Sed jam ad earum rerum explicationem oratio revertatur, quae, ut a fidelibus ignorentur, nullo modo committendum est. Ac quoniam Apostolus admonet *(1 Cor. XI, 29.)*, *gravissimum scelus admitti ab iis, qui non dijudicant Corpus Domini;* hoc inprimis doceant Pastores, animum atque rationem a sensibus omni studio avocandam esse. Si enim fideles ea tantum in hoc Sacramento contineri sibi persuaserint, quae sensibus percipiunt, in summam impietatem adducantur necesse est; cum nihil aliud praeter Panis ac Vini speciem, oculis, tactu, odoratu, gustu sentientes, Panem tantummodo ac Vinum in Sacramento esse judicaverint. Cu-

randum igitur est, ut fidelium mentes, quammaxime fieri potest, a sensuum judicio abstrahantur, atque ad immensam Dei virtutem et potentiam contemplandam excitentur.

§. 352. Tria enim sunt maxime admiranda atque suspicienda, quae in hoc Sacramento verbis consecrationis effici, fides catholica sine ulla dubitatione credit ac confitetur. Primum est, verum Christi Domini Corpus, illud idem quod natum ex Virgine, in coelis sedet ad dexteram Patris, hoc Sacramento contineri; alterum est, nullam in eo Elementorum substantiam remanere: quamvis nihil magis a sensibus alienum et remotum videri possit; tertium est, quod ex utroque facile colligitur, etsi verba consecrationis id maxime exprimunt, accidentia, quae aut oculis cernuntur, aut aliis sensibus percipiuntur, sine ulla re subjecta esse, mira quadam atque inexplicabili ratione. Ac Panis quidem et Vini accidentia omnia licet videre, quae tamen nulli substantiae inhaerent, sed per se ipsa constant; cum Panis et Vini substantia in ipsum Domini Corpus et Sanguinem ita mutetur, ut Panis et Vini substantia omnino esse desinat.

§. 353. Verum ut prius de primo agatur, conentur Pastores explicare, quam perspicua et clara sint Salvatoris nostri verba, quae Corporis ejus veritatem in Sacramento demonstrant. Nam cum inquit: Hoc est Corpus meum: hic est Sanguis meus; nemo, qui modo sanae mentis sit, ignorare potest, quid nobis intelligendum sit, praesertim cum de humana natura sermo habeatur, quam in Christo vere fuisse, catholica fides dubitare neminem patitur. Ut vir sanctissimus atque doctissimus Hilarius praeclare scripserit *(Lib. III. de Trinit. tractans illud: Ut sint unum etc.)*, de veritate Carnis et Sanguinis Christi, cum ex ipsius Domini professione et fide nostra, Caro ejus vere sit cibus, relictum non esse ambigendi locum. Verum alter praeterea locus a Pastoribus enucleandus est, ex quo aperte licet cognoscere, verum Domini Corpus et Sanguinem in Eucharistia contineri. Nam Apostolus, posteaquam commemoravit Panem et Vinum a Domino consecratum, et sacra Mysteria Apostolis suis administrata esse, subjungit *(1 Cor. XI, 28. 29.)*: *Probet autem se ipsum homo, ac sic de Pane illo edat, et de Calice bibat: qui enim*

*manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Quod si, ut Haeretici dictitant, nihil aliud in Sacramento venerandum esset praeter memoriam et signum passionis Christi, quid opus erat tam gravibus verbis fideles hortari, ut se ipsos probarent? Gravi enim illa *Judicii* voce declaravit Apostolus, nefarium aliquod scelus ab eo committi, qui impure sumens Corpus Domini, quod in Eucharistia occulte latet, ab alio ciborum genere non distinguit. Quod etiam supra in eadem Epistola uberius explicavit Apostolus his verbis *(1 Cor. X, 16.)*: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? Et Panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Quae quidem verba, veram Corporis et Sanguinis Christi Domini substantiam demonstrant.

§. 354. Haec igitur Scripturae loca Pastoribus explicanda erunt, atque inprimis docendum, nihil in eis dubii aut incerti relictum esse, praesertim cum haec Ecclesiae Dei sacrosancta autoritas interpretata sit, ad cujus sententiae cognitionem, duplici via et ratione possumus pervenire. Prima est, cum Patres, qui ab initio Ecclesiae, atque omni deinceps aetate floruerunt, et ecclesiasticae doctrinae optimi testes sunt, consulimus. Hi vero summo consensu omnes, hujus dogmatis veritatem apertissime tradiderunt. Quorum singula testimonia afferre, quoniam operosi laboris esset, satis erit pauca notare, vel indicare potius, ex quibus judicium de caeteris facile fieri poterit. Primus igitur d. Ambrosius fidem suam proferat, qui in Libro *de iis, qui initiantur mysteriis (Cap. IX.)*, testatus est, verum Christi Corpus in hoc Sacramento sumi, sicut verum ex virgine sumptum est, idque certissima fide tenendum esse. Et alio loco docet, ante consecrationem Panem ibi esse, post consecrationem autem Carnem Christi. Accedat alter testis d. Chrysostomus non minoris fidei et gravitatis, qui quidem cum multis aliis in locis hanc ipsam veritatem profitetur et docet, tum vero praecipue *Homilia LX. de iis, qui sacra Mysteria impure sumunt*, itemque *Homilia XLIV et XLV. in S. Johannem.* Inquit enim *(Hom. LX. ad Pop. Ant.)*: Pareamus Deo, neque contradicamus, licet vel cogitationibus vel oculis nostris videatur adversari, quod dicitur: Ipsius enim sermo infallibilis est, sensus noster facile seducitur. His vero

omni ex parte consentiunt; quae d. Augustinus, acerrimus catholicae fidei propugnator, semper docuit, atque inprimis titulum Psalmi XXXIII. exponens. Scribit enim: Portare se in manibus suis, homini impossibile est, solique Christo convenire potest: ferebatur enim ille in manibus suis, quando commendans ipsum Corpus suum ait: Hoc est corpus meum. Ac Cyrillus praeterea (*Lib. IV. in Johan. Cap.* 12—16. *Lib. X. Cap.* 13. *et Lib. XI. Cap.* 26. 27.), Justinus (*Apologia II. ad Ant. Pium*) et Irenaeus adeo aperte Libro IV. in Johannem (*Lib. IV. Cap.* 32. 34. *contra haereses*) veram Domini Carnem in hoc Sacramento esse affirmat, ut ejus verba nullis possint fallacibus et captiosis interpretationibus obscurari. Quod si Pastores alia etiam Patrum testimonia requirent, facile erit Sanctos, Dionysium, Hilarium, Hieronymum, Damascenum addere, innumerabilesque alios, quorum de hac re gravissimas sententias doctorum et piorum hominum industria et labore in unum congestas, passim legimus.

§. 355. Altera restat via, qua sanctae Ecclesiae judicium in iis, quae ad fidem pertinent, investigare liceat, contrariae scilicet doctrinae et opinionis damnatio. At vero constat, semper Corporis Christi veritatem in sancto Eucharistiae Sacramento, ita per universam Ecclesiam diffusam et disseminatam esse, et consentienti voluntate ab omnibus fidelibus receptam, ut cum ante quingentos annos Berengarius id negare ausus esset, ibique signum tantummodo esse assereret, statim in Vercellensi Concilio, quod Leonis IX. autoritate convocatum fuerat, omnium sententiis condemnatus, ipse haeresin anathemati addixerit. Qui postea cum ad eandem impietatis insaniam rediisset, tribus aliis Conciliis, Turonensi et duobus Romanis, quorum alterum Nicolaus II., alterum Gregorius VII., Pontifices Maximi, convocarunt, damnatus est. Eam postea sententiam Innocentius III. in Concilio Lateranensi magno confirmarit, ac deinceps a Florentina et Tridentina Synodis, ejusdem veritatis fides apertius declarata ac stabilita est.

§. 356. Haec igitur si Pastores diligenter exposuerint, ut nihil dicamus de iis, qui erroribus obcoecati, nihil magis quam veritatis lucem oderunt, et infirmos confirmare, et piorum mentes summa quadam laetitia et voluptate afficere poterunt, cum praesertim fidelibus dubitare non liceat, quin inter caeteros fidei articulos,

hujus etiam dogmatis fides comprehendatur. Nam cum Dei summam omnium rerum potestatem credunt et confitentur, credant etiam necesse est, potestatem ei non defuisse maximi hujus operis efficiendi, quod in Eucharistiae Sacramento admiramur et colimus. Deinde cum credunt sanctam Ecclesiam catholicam, necessario sequitur, ut simul credant eam esse, quam explicavimus, hujus Sacramenti veritatem.

§. 357. Sed nihil est profecto, quod ad piorum jucunditatem et fructum addi possit, cum hujus altissimi Sacramenti dignitatem contemplantur. Primum enim intelligunt, quanta sit evangelicae legis perfectio, cui datum est id reipsa habere, quod signis tantum et figuris Mosaicae legis tempore adumbratum fuerat. Quare divinitus dictum est a Dionysio *(de eccl. Hier. Cap. 5. Part. 1.)*, Ecclesiam nostram mediam esse inter Synagogam et supremam Hierusalem, ac propterea utriusque participem. Ac profecto satis mirari fideles nunquam poterunt, sanctae Ecclesiae perfectionem ejusque gloriae altitudinem, cum inter eam et coelestem beatitudinem, unus tantum gradus interesse videatur. Hoc enim nobis cum Coelitibus commune est, ut utrique Christum Deum et hominem praesentem habeamus, sed, quo uno gradu ab eis distamus, illi praesentes beata visione perfruuntur, nos praesentem, et tamen ab oculorum sensu remotum, sacrorum Mysteriorum admirabili integumento se occultantem, firma et constanti fide veneramur. Praeterea fideles hoc Sacramento Christi Salvatoris nostri perfectissimam charitatem experiuntur; ejus enim bonitatem maxime decuit, naturam, quam a nobis sumpserat, a nobis nunquam subtrahere, sed quantum fieri posset, esse versarique nobiscum velle, ut illud omni tempore vere et proprie dictum videretur *(Proverb. VIII, 31.)*: *Deliciae meae esse cum filiis hominum.*

## CAPUT VI.

*Quae ex vi consecrationis, quaeque ex Concomitantia in hoc Sacramento adsint, ita ut Christus totus sub utralibet specie contineatur* §. 358—360.*; sub cujusque speciei parte totum et integrum Christum esse* §. 361.

§. 358. Jam vero hoc loco a Pastoribus explicandum est, non solum verum Christi Corpus, et quidquid ad

veram Corporis rationem pertinet, veluti ossa et nervos, sed etiam totum Christum in hoc Sacramento contineri. Docere autem oportet, Christum nomen esse Dei et hominis, unius scilicet personae, in quo divina et humana natura conjuncta sit, quare utramque substantiam et quae utriusque substantiae consequentia sunt, divinitatem et totam humanam naturam, quae ex anima et omnibus corporis partibus et sanguine etiam constat, complectitur, quae omnia in Sacramento esse credendum est. Nam cum in coelo tota humanitas divinitati in una persona et hypostasi conjuncta sit, nefas est suspicari, Corpus, quod in Sacramento inest, ab eadem divinitate sejunctum esse.

§. 359. In quo tamen Pastores animadvertant necesse est, non omnia eadem ratione aut virtute in hoc Sacramento contineri. Quaedam enim sunt, quae ex vi et efficientia Consecrationis in Sacramento esse dicimus. Nam cum verba illa efficiant, quidquid significant, id esse in Sacramento, ex vi Sacramenti, divinarum rerum Scriptores appellarunt, quod verborum forma exprimitur; ita si contingeret, ut aliquid ab aliis rebus omnino sejunctum esset, id solum, quod forma significaret, in Sacramento esse, caetera non item esse, docuerunt. Quaedam vero in Sacramento continentur, quod illis rebus conjuncta sint, quae forma exprimuntur. Nam cum forma, quae ad Panem consecrandum adhibetur, Corpus Domini significet, cum dicitur: *Hoc est corpus meum*; ipsum Christi Domini Corpus ex vi Sacramenti in Eucharistia erit. At quia corpori sanguis, anima et divinitas, conjungitur, haec quoque in Sacramento erunt omnia, non quidem ex Consecrationis virtute, sed ut ea, quae corpori conjuncta sunt. Atque haec ex Concomitantia in Sacramento esse, dicuntur, qua ratione totum Christum in Sacramento esse, perspicuum est. Si enim duo aliqua inter se reipsa conjungantur, ubi unum sit, ibi alterum etiam esse necesse est. Sequitur itaque, totum Christum usque adeo tam in Panis, quam in Vini specie contineri, ut quemadmodum in Panis specie non Corpus modo, sed etiam Sanguis et totus Christus vere inest, sic contra in Vini specie non solum Sanguis, sed Corpus et totus Christus vere insit.

§. 360. Sed quanquam haec ita se habere, omnibus fidelibus certum et persuasissimum esse debet, optimo

tamen jure institutum est, ut separatim duae consecrationes fierent. Primo enim, ut passio Domini, in qua Sanguis a Corpore divisus est, magis referatur, cujus rei causa in consecratione sanguinem effusum esse meminimus. Deinde maxime consentaneum fuit, ut quoniam Sacramento ad alendam animam utendum nobis erat, tanquam cibus et potus institueretur, ex quibus perfectum corporis alimentum constare, perspicuum est.

§. 361. Neque vero illud praetermittendum, non solum in utraque specie, sed in quavis utriusque speciei particula totum Christum contineri. Sic enim Augustinus scriptum reliquit: Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed integrum se praebet in singulis. Atque id praeterea ex Evangelistis facile colligi potest. Neque enim credendum est, singula Panis frustra propria verborum forma a Domino consecrata esse, sed eadem simul omnem Panem, qui ad sacra Mysteria conficienda, atque Apostolis distribuenda satis futurus esset. Id quod de Calice factum esse apparet, cum ipse dixit *(Luc. XXII, 17.)*: *Accipite et dividite inter vos.*

## CAPUT VII.

*Transsubstantiationem fieri Panis et Vini* §. 362 — 364.; *quo pacto ipsa fiat* §. 365. 366.; *quo modo Christus sit in Sacramento* §. 367.

§. 362. Hactenus quae explicata sunt eo pertinent, ut ostendant Pastores, verum Christi Corpus et Sanguinem in Eucharistiae Sacramento contineri. Nunc quod alterum erat propositum, docebunt etiam Panis et Vini substantiam in Sacramento post consecrationem non remanere. Hoc vero quamvis maximam admirationem merito habere possit, tamen cum eo, quod prius demonstratum est, necessario conjungitur. Etenim si est verum Christi Corpus sub Panis et Vini specie post consecrationem; omnino necesse est, cum ibi antea non esset, hoc vel loci mutatione, vel creatione, vel alterius rei in ipsum conversione factum esse. At vero fieri non posse constat, ut Corpus Christi in Sacramento sit, quod ex uno in alium locum venerit. Ita enim fieret, ut a coeli sedibus abesset: quoniam nihil movetur, nisi locum deserat, a quo movetur. Creari

autem Corpus Christi, minus credibile est, ac ne in cogitationem quidem cadere hoc potest. Relinquitur ergo, ut in Sacramento sit Corpus Domini; quod Panis n ipsum convertatur. Quare nulla Panis substantia remaneat necesse est. Hac ratione adducti Patres et Majores nostri, in Conciliis, Lateranensi magno et Florentino, hujus articuli veritatem apertis Decretis confirmarunt: a Tridentina vero Synodo explicatius ita definitum est (§. 172): Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiae Sacramento remanere substantiam Panis et Vini, una cum Corpore et Sanguine Domini nostri Jesu Christi, anathema sit.

§. 363. Haec vero ex testimoniis Scripturarum facile fuit colligere: primum, quod in ejus Sacramenti institutione ipse Dominus dixit: *Hoc est corpus meum.* Vocis enim *Hoc* ea vis est, ut omnem rei praesentis substantiam demonstret. Quod si Panis substantia remaneret, nullo modo vere dici videretur: *Hoc est corpus meum.* Deinde Christus Dominus apud Johannem *(Joh. VI,* 52. 54. 56.*)*: *Panis,* inquit, *quem ego dabo, Caro mea est, pro mundi vita;* Panem videlicet Carnem suam vocans. Ac paulo post subiecit: *Nisi manducaveritis Carnem filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et rursus: *Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus.* Cum ergo tam claris et perspicuis verbis Carnem suam Panem et cibum verum, Sanguinem item verum Potum nominaverit, satis videtur declarasse, nullam in Sacramento substantiam Panis et Vini remanere.

§. 364. Atque hanc perpetuo sanctorum Patrum consentientem fuisse doctrinam, qui eos evolverit facile intelliget. Divus quidem Ambrosius ita scribit *(Lib. IV. de Sacramentis, Cap. IV.)*. Tu forte dicis: Meus panis est usitatus: sed panis iste, panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit Consecratio, de pane fit caro Christi. Quod quidem ut facilius probare posset, varia deinde affert exempla et similitudines. Alibi vero, cum verba illa *(Psal. CXXXIV,* 6.*)* interpretaretur: „Omnia quaecumque Dominus voluit, fecit, in coelo et in terra“: Licet, inquit, figura Panis et Vini videatur, nihil tamen aliud quam Caro Christi et Sanguis post consecrationem credendum est. Atque eisdem fere verbis eandem sententiam S. Hilarius exponens, docuit,

quamvis extrinsecus Panis et Vinum videatur, vere tamen Corpus et Sanguinem Domini esse. Sed moneant Pastores hoc loco, mirandum non esse, si post consecrationem, Panis etiam vocetur. Hoc enim nomine Eucharistia appellari consuevit: tum quia panis speciem habeat; tum quia naturalem alendi et nutriendi corporis vim, quae panis propria est, adhuc retineat. Eam autem esse Sacrarum Literarum consuetudinem, ut res ita appellet, cujusmodi esse videantur, satis ostendet, quod in Genesi *(XVIII, 2.)* dictum est: Tres viros Abrahae apparuisse, qui tamen tres Angeli erant. Et duo illi, qui Apostolis, adscendente in coelum Christo Domino, apparuerunt, cum essent Angeli, viri dicuntur *(Act. I, 10.)*.

§. 365. Difficillima est omnino hujus Mysterii explicatio: sed tamen conabuntur Pastores iis, qui magis in divinarum rerum cognitione profecerunt: (nam qui adhuc imbecilliores sunt, verendum esset, ne rei magnitudine opprimerentur) conabuntur, inquam, tradere hujus admirabilis conversionis modum: quae ita fit, ut tota Panis substantia divina virtute in totam Corporis Christi substantiam, totaque Vini substantia in totam Sanguinis Christi substantiam, sine ulla Domini nostri mutatione, convertatur. Neque enim Christus aut generatur, aut mutatur, aut augescit, sed in sua substantia totus permanet, quod mysterium cum D. Ambrosius *(Lib. IV. de Sacram. Cap. 4.)* declararet, Vides, inquit, quam operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quae non erant, mundus scilicet; quanto magis operatorius est, ut sint quae erant, et in aliud commutentur? In quam sententiam alii etiam veteres et gravissimi Patres scriptum reliquerunt. D. quidem Augustinus: Fideliter fatemur, ante consecrationem Panem esse et Vinum, quod natura formavit: post consecrationem vero Carnem Christi et Sanguinem, quod benedictio consecravit. Damascenus *(Lib. IV. de orthod. fide, Cap. 14.)*: Corpus secundum veritatem conjunctum est divinitati, corpus ex sancta Virgine: non quod ipsum corpus assumtum de coelo descendat, sed quod ipse Panis et Vinum, in Corpus et Sanguinem Christi transmutentur.

§. 366. Hujus itaque admirabilis conversio. convenienter et proprie a sancta catholica Ecclesia Transsubstantiatio est appellata, quemadmodum sacra Tridentina Synodus (§. 164.) docuit: Ut enim generatio na-

uralis, quod forma in ea mutatur, recte et proprie ransmutatio dici potest; ita etiam, quod in Sacramento Eucharistiae, tota unius rei substantia, in totam alteius rei substantiam transeat, verbum Transsubstantiaionis recte et sapienter a Majoribus nostris inventum est. Sed illud saepissime a Sanctis Patribus repetitum ideles admonendi sunt, ne curiosius inquirant, quo pacto ea mutatio fieri possit. Nec enim percipi a nobis potest, nec in naturalibus mutationibus, aut in ipsa erum creatione ejus rei exemplum aliquod habemus. Verum quid hoc sit fide cognoscendum est; quo modo iat curiosius non inquirendum. Non minorem vero cautioiem Pastores adhibeant oportet, in eo etiam Mysterio exlicando, quomodo Christi Domini Corpus vel in minima Panis particula totum contineatur: vix enim unquam hujusnodi disputationes instituendae erunt; sed tamen, quando christiana charitas hoc postulaverit, primum quidem meminerint, fidelium animos illa voce praemunire *(Luc. I, 37.)* : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

§. 367. Deinde vero doceant, Christum Dominum n hoc Sacramento, ut in loco non esse. Etenim locus es ipsas consequitur, ut magnitudine aliqua praedita sunt; Christum vero Dominum ea ratione in Sacramento esse non dicimus, ut magnus aut parvus est, quod ad quantitatem pertinet, sed ut substantia est. Substantia enim Panis in Christi substantiam, non in magniudinem aut quantitatem convertitur. Nemo vero dubitat, substantiam aeque in parvo atque in magno spatio contineri. Nam et aëris substantia, totaque ejus natura sic in parva, ut in magna aëris parte, itemque tota aquae natura non minus in urnula, quam in flumine insit necesse est. Cum igitur Panis substantiae Corpus Domini nostri succedat, fateri oportet, ad eundem plane modum in Sacramento esse, quo modo panis substantia ante consecrationem. Ea vero, utrum sub magna an sub parva quantitate esset, nihil ad rem omnino perinebat.

## CAPUT VIII.

*De accidentibus, quae sine subiecto remanent* §. 368.; *cur sub specie Panis et Vini hoc Sacramentum institutum* §. 369.

§. 368. Tertium restat, quod in hoc Sacramento maximum atque admirabile videatur: quod quidem. jam

duobus aliis explicatis, facilius a Pastoribus tractari posse existimandum est, Panis videlicet et Vini species in hoc Sacramento sine aliqua re subjecta constare. Nam cum antea demonstratum sit, Corpus Domini et Sanguinem vere in Sacramento esse, ita ut nulla amplius subsit Panis et Vini substantia, quoniam ea accidentia Christi Corpori et Sanguini inhaerere non possunt, relinquitur, ut supra omnem naturae ordinem, ipsa se, nulla alia re nisa, sustentent. Haec perpetua et constans fuit catholicae Ecclesiae doctrina, quae etiam facile eorum testimoniorum autoritate confirmari poterit, quibus antea planum factum est, nullam residere in Eucharistia Panis aut Vini substantiam.

§. 369. Sed nihil magis fidelium pietati convenit, quam, omissis subtilioribus quaestionibus, hujus admirabilis Sacramenti majestatem venerari et colere, ac deinde in eo summam Dei providentiam suspicere, quod sacrosancta Mysteria sub Panis et Vini specie administranda instituerit. Nam cum a communi hominum natura maxime abhorreat, humanae carnis esca aut sanguinis potione vesci, sapientissime fecit, ut sanctissimum Corpus et Sanguis sub earum rerum specie, panis, inquam, et vini, nobis administraretur, quorum quotidiano et communi alimento maxime delectamur Adjunctae vero etiam sunt duae illae utilitates, quarum prima est, quod ab infidelium calumniis liberati sumus, quas facile effugere non possemus, si Dominum sub propria specie comedere videremur; altera est, quod dum Corpus et Sanguinem Domini ita sumimus, ut tamen quod vere fit, sensibus percipi non possit, hoc ad fidem in animis nostris augendam plurimum valet. Quae fides, ut Sancti Gregorii *(Hom. XXVI. super Evang.)* sententia pervulgatum est, ibi non habet meritum, ubi humana ratio praebet experimentum. Haec autem quae hactenus exposita sunt, non nisi magna adhibita cautione, pro audientium captu et temporum necessitate explicanda erunt.

## CAPUT IX.

### *De hujus Sacramenti effectu ac multiplici fructu* §. 370 — 376.

§. 370. Verum quae de hujus Sacramenti admirabili virtute et fructibus dici possunt, nullum esse ge-

nus fidelium existimandum est, ad quos earum rerum cognitio non pertineat, quibus maxime necessaria videri non debeat. Ut enim Eucharistiae utilitatem fideles intelligant, ob eam potissimum causam, quae de hoc Sacramento tam multis verbis disserunt, cognoscenda sunt. Sed quoniam immensae ejus utilitates et fructus nulla oratione explicari possunt, unus aut alter locus a Pastoribus tractandus erit, ut ostendant, quanta in sacrosanctis illis Mysteriis, bonorum omnium copia et affluentia inclusa sit. Hoc vero aliqua ex parte ita assequentur, si omnium Sacramentorum vi atque natura patefacta, Eucharistiam fonti, caetera rivulis comparaverint. Vere enim ac necessario fons omnium gratiarum dicenda est, cum fontem ipsum coelestium charismatum et donorum, omniumque Sacramentorum autorem, Christum Dominum, admirabili modo in se contineat, a quo, tanquam a fonte, ad alia Sacramenta, quidquid boni et perfectionis habent, derivatur. Ex hoc igitur, divinae gratiae amplissima munera, quae nobis hoc Sacramento impertiuntur, facile colligi poterunt.

§. 371. Commode etiam fieri videbitur, si Panis et Vini natura, quae hujus Sacramenti symbola sunt, perpendatur. Nam quos usus corpori Panis et Vinum affert, eos omnes animae saluti et jucunditati, ac meliori quidem ac perfectiori ratione, Eucharistiae Sacramentum praebet. Neque enim hoc Sacramentum in substantiam nostram, ut panis et vinum, mutatur, sed nos quodammodo in ejus naturam convertimur, ut recte illud d. Augustini *(Confess. VII, 10.)* ad hunc locum transferri possit: Cibus sum grandium, cresce et manducabis me, nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me. Quod si gratia et veritas per Jesum Christum facta est, in animam quoque influat est necesse, cum eum pure et sancte accipit, qui de seipso dixit *(Joh. VI, 55.)*: *Qui manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem, in me manet et ego in illo.* Nam qui pietatis et religionis studio affecti, hoc Sacramentum sumunt, nemini dubium esse debet, quin ita filium Dei in se admittant, ut ejus corpori tanquam viva membra inserantur, siquidem scriptum est *(Joh. VI, 52. 58.)*: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Item: *Panis, quem ego dabo, Caro mea est, pro mundi vita.* Quem locum Cyrillus *(Lib. IV. in Johan. Cap. 12.)*,

dum interpretaretur, inquit: Dei verbum uniens seipsum propriae carni, fecit ipsam vivificativam. Eum ergo decebat miro quodam modo uniri corporibus per sacram ejus Carnem et pretiosum Sanguinem, quem accipimus in benedictione vivificativa in Pane et Vino.

§. 372. Verum quod dicitur, Eucharistia gratiam tribui, Pastores admoneant oportet, ita intelligendum non esse, perinde ac necesse non sit, ut qui reipsa hoc Sacramentum utiliter percepturus est, gratiam antea adeptus fuerit. Constat enim, quemadmodum mortuis corporibus naturale alimentum nihil prodest, ita etiam animae, quae spiritu non vivit, sacra Mysteria non prodesse. Ac propterea Panis et Vini speciem habent, ut significetur, non quidem revocandae ad vitam animae, sed in vita conservandae causa instituta esse. Verum hoc ideo dictum est, quoniam prima etiam gratia, qua omnes praeditos esse oportet, antequam sacram Eucharistiam ore contingere audeant, ne judicium sibi manducent et bibant, nemini tribuitur, nisi hoc ipsum Sacramentum desiderio et voto percipiant. Est enim omnium Sacramentorum finis et ecclesiasticae unitatis ac conjunctionis symbolum, neque extra Ecclesiam consequi gratiam ullus potest. Deinde quoniam uti corpus cibo naturali non conservatur modo, sed etiam augetur, gustusque novam quotidie ex eo voluptatem et suavitatem percipit, ita etiam sacrae Eucharistiae cibus, non solum animam sustentat, sed vires illi addit efficitque, ut spiritus divinarum rerum delectatione magis ac magis commoveatur, ob eam causam fit, ut gratiam hoc Sacramento tribui recte et verissime dicatur. Jure enim Mannae comparari potest, ex quo omnis saporis suavitas percipiebatur.

§. 373. Remitti vero Eucharistia et condonari leviora peccata, quae venialia dici solent, non est quod dubitari debeat. Quidquid enim cupiditatis ardore anima amisit, dum levi aliqua in re parum offendit, totum id Eucharistia, eas ipsas minores culpas abstergens, restituit, quemadmodum etiam, neque enim a proposita similitudine discedendum videtur, quod innati caloris vi quotidie detrahitur ac deperit, paulatim addi et refici naturali alimento sentimus. Quare merito a d. Ambrosio *(Lib. IV. de Sacram. Cap. 6. Lib. V. Cap. 4.)* de hoc coelesti Sacramento dictum est: Iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianae infirmitatis.

Verum haec de iis peccatis intelligenda sunt, quorum sensu et delectatione animus non permovetur.

§. 374. Illa praeterea in sacris Mysteriis vis est, ut nos a criminibus puros et integros, atque a tentationum impetu incolumes servet, ac tanquam coelesti medicamento animam praeparet, ne alicujus mortiferae perturbationis veneno facile infici ac corrumpi queat. Atque ob eam etiam causam, ut testatur d. Cyprianus *(Lib. I. Epist. 2. ad Cornel.)*, cum olim a tyrannis fideles ad tormenta et caedem propter christiani nominis confessionem vulgo raperentur, ne illi forte dolorum acerbitate victi in salutari certamine deficerent, vetus in Ecclesia catholica mos fuit, ut eis ab Episcopis dominici Corporis et Sanguinis Sacramenta praeberentur. Sed carnis etiam libidinem cohibet ac reprimit. Dum enim charitatis igne animos magis incendit, concupiscentiae ardorem restringuat necesse est.

§. 375. Postremo, ut uno verbo omnes hujus Sacramenti utilitates et beneficia comprehendantur, dicendum est, sacrae Eucharistiae summam vim esse ad aeternam gloriam comparandam. Scriptum est enim *(Joh. VI, 55.)*: *Qui manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Hujus videlicet Sacramenti gratia fideles, dum hanc vitam degunt, summa conscientiae pace et tranquillitate perfruuntur, deinde ejus virtute recreati, non secus atque Elias, qui sub cineritii panis fortitudine ambulavit usque ad montem Dei Horeb *(3 Regg. XIX. 6. 8.)*, cum ex vita emigrandi tempus advenit, ad aeternam gloriam et beatitudinem adscendunt.

§. 376. Haec omnia a Pastoribus latissime explicabuntur, si vel d. Johannis Cap. VI., in quo multiplices hujus Sacramenti effectus aperiuntur, tractandum sumpserint; vel admiranda Christi Domini facta percurrentes, ostenderint, cum eos jure ac merito beatissimos fuisse existimamus, in quorum tecta mortalis receptus est, vel qui illius vestis aut fimbriae tactu sanitatem recuperarunt, multo nos beatiores et feliciores esse, in quorum animam immortali gloria praeditus ingredi non gravetur, ut ejus vulnera sanet omnia, eamque amplissimis muneribus ornatam sibi conjungat.

## CAPUT X.

*De triplici ratione sumendi Sacramenti hujus* §. 377; *de necessaria animi et corporis praeparatione* §. 378—381.

§. 377. Verum docendum est, a quibus ingentes illi sacrae Eucharistiae fructus, qui modo commemorati sunt, percipi possint, neque unam tantum esse communicandi rationem, ut fidelis populus discat, meliora charismata aemulari. Recte igitur et sapienter Majores nostri, ut in Tridentina Synodo (§. 168 sqq.) legimus, tres hujus Sacramenti sumendi rationes distinxerunt. Alii enim Sacramentum tantum accipiunt, ut peccatores, qui sacra Mysteria impuro ore et corde accipere non verentur, quos Apostolus ait *(1 Cor. XI, 29.)*, *indigne manducare et bibere Corpus Domini.* De his d. Augustinus *(Tract. XXVI. in Joh.)* ita scribit: Qui non manet in Christo et in quo non manet Christus, procul dubio non manducat spiritualiter ejus Carnem, licet carnaliter et visibiliter premat dentibus Sacramenta Corporis et Sanguinis. Qui itaque hoc modo affecti, sacra Mysteria accipiunt, non solum ex his nullum capiunt fructum, sed, ipso Apostolo teste, *judicium sibi manducant et bibunt.* Alii vero spiritu tantummodo Eucharistiam sumere dicuntur: ii sunt, qui desiderio et voto propositum coelestem illum Panem comedunt, *fide* viva incensi, *quae per dilectionem operatur (Gal. V, 6.)*, ex quo, si non omnes, maximos certe utilitatis fructus consequuntur. Alii denique sunt, qui sacramento et spiritu sacram Eucharistiam percipiunt: qui, cum ex Apostoli doctrina *(1 Cor. XI, 28.) prius se probaverint,* ac veste nuptiali ornati ad divinam hanc mensam accesserint, ex Eucharistia capiunt uberrimos illos, quos antea diximus, fructus. Quare perspicuum est, eos se maximis et coelestibus bonis privare, qui, cum ad Corporis Domini Sacramentum etiam sumendum parati esse possint, satis habent spiritu tantum sacram Communionem accipere.

§. 378. Sed jam docendum est, qua ratione praeparatos fidelium animos esse oporteat, antequam ad sacramentalem Eucharistiae perceptionem veniant. Ac primum quidem, ut pateat, eam praeparationem maxime necessariam esse, Salvatoris nostri exemplum propo-

nendum est. Nam antequam Apostolis pretiosi Corporis et Sanguinis sui Sacramenta daret, *quamvis jam mundi essent, pedes eorum lavit* (*Joh.* XIII, 10.), ut declararet omnem diligentiam adhibendam esse, ne quid nobis ad summam animi integritatem et innocentiam desit, cum sacra Mysteria percepturi sumus. Deinde vero fideles intelligant, quemadmodum, si optime affecto et praeparato animo Eucharistiam aliquis sumat, amplissimis coelestis gratiae muneribus ornatur, ita contra, si imparatus accipiat, non solum nihil commodi, sed maxima etiam incommoda et detrimenta eum accipere. Optimis enim rebus et maxime salutaribus hoc proprium est, ut si in tempore iis utamur, vehementer prosint: sin alieno tempore adhibeantur, perniciem et exitium afferant. Quare mirandum non est, ingentia quoque et praeclarissima Dei dona, cum bene constituto animo accipiuntur, ad coelestem gloriam consequendam, maximo nobis adjumento esse, at vero, cum iis nos ipsos indignos praebemus, sempiternam mortem afferre. Id vero arcae Domini exemplo comprobatur. Arca enim foederis, qua nihil praestantius Israëliticus populus habuit, cui etiam per istam maxima et innumerabilia beneficia Dominus tribuerat, a Philistaeis ablata (1 *Regg.* V. 6.), summam illis pestem et calamitatem cum aeterno decore conjunctam importavit. Sic etiam cibi, qui ore accepti, in stomachum bene affectum illabuntur, corpora alunt et sustentant, qui vero in stomachum vitiosis humoribus plenum infundi solent, graves morbos efficiunt.

§. 379. Primam itaque illam praeparationem fideles adhibeant, ut discernant mensam a mensa, hanc sacram ab aliis profanis, coelestem hunc panem a communi. Atque hoc fit, cum certo credimus praesens esse verum Corpus et Sanguinem Domini, quem in coelo Angeli adorant, *ad cujus nutum columnae coeli contremiscunt et pavent* (*Job.* XXVI. 11.), *cujus gloria plenum est coelum et terra* (*Jes.* VI, 1. 3.). Hoc nimirum est *dijudicare Corpus Domini*, quod Apostolus admonuit (1 *Cor.* XI, 29.), cujus tamen Mysterii magnitudinem venerari potius oportet, quam in disputationibus, ejus veritatem curiosius perquirere. Altera vero illa praeparatio maxime necessaria est, ut unusquisque a se ipso quaerat, num pacem cum aliis habeat, num proximos vere atque ex animo diligat. *Si ergo offers munus tuum*

*ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens, offeres munus tuum (Matth. V, 23. 24.).* Deinde conscientiam nostram scrutari diligenter debemus, ne forte exitiali aliquo peccato contaminati simus, cujus poenitere necesse sit, ut prius contritionis et confessionis medicamento illud eluatur. Definitum est enim a S. Tridentina Synodo (§. 167. 181.), nemini licere, quem mortalis peccati conscientia stimulet, si Sacerdotis facultas data sit, antequam se sacramentali Confessione purgarit, quantumvis sibi contritus esse videatur, sacram Eucharistiam accipere.

§. 380. Praeterea taciti cum animis nostris cogitemus, quam indigni simus, quibus divinum hoc beneficium a Domino tribuatur. Quare illud Centurionis *(Matth. VIII, 8.)*, de quo idem ipse Salvator testatus est, se non invenisse tantam fidem in Israël, ex animo dicendum est: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Exquiramus etiam a nobis ipsis, an illud Petri usurpare nobis liceat *(Joh. XXI, 15.)*: *Domine, tu scis, qui amo te.* Meminisse enim oportet, eum qui sine veste nuptiali in Domini convivio accubuerat, in tenebrosum carcerem conjectum, sempiternis poenis addictum fuisse *(Matth. XXII, 11 sqq.)*.

§. 381. Neque vero animi solum, sed etiam corporis praeparatione opus est. Nam jejuni ad sacram mensam accedere debemus, ita, ut saltem a dimidia antecedentis diei nocte, usque ad illud temporis punctum, quo Eucharistiam accipimus, nihil omnino comederimus aut biberimus. Postulat etiam tanti Sacramenti dignitas, ut qui matrimonio juncti sunt, aliquot dies a concubitu uxorum abstineant, Davidis exemplo admoniti, qui, cum Panes propositionis a Sacerdote accepturus esset, purum se et pueros suos ab uxorum consuetudine tres dies esse professus est *(1 Regg. XXI, 5. 6.)*. Haec fere sunt, quae maxime observari a fidelibus oportet, ut se ad sacra Mysteria utiliter accipienda antea parent. Reliqua enim, quae hac in re providenda esse videantur, ad haec ipsa capita facile redigi poterunt.

## CAPUT XI.

*Eucharistiae quando et quoties sumenda* §. 382 — 385; *quibus ea administranda sit* §. 386; *de communicandi ritu sub una vel utraque specie* §. 387. 388.

§. 382. Sed ne forte aliqui segniores ad hoc Sacramentum percipiendum reddantur, quod tantam praeparationem adhibere grave admodum et difficile ducant, fideles saepe admonendi sunt, omnibus eam legem propositam esse, ut sacram Eucharistiam accipiant. Praeterea constitutum est ab Ecclesia, ut qui semel saltem singulis in Pascha non communicaverit, ab Ecclesia arceatur. Neque tamen fideles hoc satis habeant, se hujus Decreti autoritati obtemperantes semel tantummodo Corpus Domini quotannis accipere; verum saepius iterandam Eucharistiae communionem existiment. Utrum autem singulis mensibus vel hebdomadis vel diebus id magis expediat, certa omnibus regula praescribi non potest; verumtamen illa est S. Augustini *(de verbis Domini, Serm. XXI.)* norma certissima: Sic vive, ut quotidie possis sumere. Quare Parochi partes erunt, fideles crebro adhortari, ut quemadmodum corpori in singulos dies alimentum subministrare necessarium putant, ita etiam quotidie hoc Sacramento alendae et nutriendae animae curam non abjiciant. Neque enim minus spirituali cibo animam, quam naturali corpus, indigere perspicuum est.

§. 383. Vehementer autem proderit, hoc loco repetere maximá illa et divina beneficia, quae, ut antea demonstratum est, ex Eucharistiae sacramentali communione consequimur. Illa etiam figura erit addenda, cum singulis diebus corporis vires manna reficere oportebat *(Exod. XVI, 4.)*: itemque sanctorum Patrum autoritates, quae frequentem hujus Sacramenti perceptionem magnopere commendant. Neque enim unius Sancti Patris Augustini *(Serm. XVIII. de verbis Domini)* ea fuit sententia: Quotidie peccas, quotidie sume; sed si quis diligenter attenderit, eundem omnium Patrum, qui de hac re scripserunt, sensum fuisse facile comperiet.

§. 384. Ac tempus quidem olim fuisse, cum fideles quotidie Eucharistiam acciperent, ex Apostolorum Actis *(Cap. II.)* intelligimus. Omnes enim, qui tunc christianam

fidem profitebantur, vera et sincera charitate ita ardebant, ut cum sine intermissione orationibus et aliis pietatis officiis vacarent, quotidie ad sacra Dominici Corporis Mysteria sumenda parati invenirentur. Eam postea consuetudinem, quae intermitti videbatur, Anacletus sanctissimus Martyr et Pontifex, aliqua ex parte renovavit: praecepit enim *(Ep. 2.)*, ut Ministri, qui Missae Sacrificio interessent, communicarent, quod ab Apostolis constitutum esse affirmaret.

§. 385. Diu etiam in Ecclesia ille mos fuit, ut Sacerdos, peracto Sacrificio, cum Eucharistiam sumpsisset, ad populum qui aderat, conversus, his verbis ad sacram mensam fideles invitaret: Venite fratres ad Communionem. Tunc qui parati erant summa cum religione sacrosancta Mysteria sumebant. Sed cum deinde charitas et pietatis studium adeo refrixisset, ut raro admodum ad Communionem fideles accederent; sancitum est a Fabiano Pontifice *(Ep. 3.)*, ut ter quotannis, Natali Domini et Resurrectione et Pentecoste, omnes Eucharistiam sumerent: id quod postea a multis Conciliis, praesertim vero ab Agathensi primo, confirmatum est. Ad extremum, cum eo res adducta esset, ut non modo sancta illa et salutaris perceptio non servaretur, sed in plures etiam annos sacrae Eucharistiae communio differretur; decretum est in Lateranensi Concilio, ut semel ad minus singulis annis in Pascha fideles omnes sacrum Domini Corpus acciperent: qui vero id facere neglexissent, Ecclesiae aditu prohiberentur.

§. 386. Veram quamvis haec lex, Dei et Ecclesiae autoritate sancita, ad omnes fideles pertineat; docendum est tamen eos excipi, qui nondum rationis usum, propter aetatis imbecillitatem, habent. Hic enim neque sacram Eucharistiam a profano et communi pane sciunt discernere, neque ad eam accipiendam pietatem animi et religionem afferre possunt. Atque id etiam a Christi Domini institutione alienissimum videtur, inquit enim: *Accipite et commedite.* Infantes autem idoneos non esse, qui accipiant et commedant, satis constat. Vetus quidem fuit in quibusdam locis consuetudo, ut infantibus etiam sacram Eucharistiam praeberent; sed tamen tum ob eas causas, quae ante dictae sunt, tum ob alias, christianae pietati maxime consentaneas, jamdiu ejusdem Ecclesiae autoritate id fieri desiit. Qua vero aetate

pueris sacra Mysteria danda sint, nemo melius constituere poterit, quam pater et Sacerdos, cui illi confitentur peccata. Ad illos enim pertinet. explorare et a pueris percontari, an hujus admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint et gustum habeant. Amentibus praeterea, qui tunc a pietatis sensu alieni sunt Sacramenta dare minime oportet: quamvis, si antequam in insaniam inciderint, piam et religiosam animi voluntatem prae se tulerint. licebit eis in fine vitae, ex Concilii Carthaginensis (IV.) Decreto Eucharistiam administrare, modo vomitionis vel alterius indignitatis et incommodi periculum nullum timendum sit.

§. 387. Quod vero ad communicandi ritum pertinet, doceant Parochi, S. Ecclesiae lege interdictum esse, ne quis sine ipsius Ecclesiae autoritate. praeter Sacerdotes, Corpus Domini in sacrificio conficientes, sub utraque specie sacram Eucharistiam sumat. Nam ut a Tridentina Synodo (§. 290) explicatum est, quamvis Christus Dominus in ultima Coena altissimum hoc Sacramentum in Panis et Vini speciebus instituerit et Apostolis tradiderit, ex eo tamen non efficitur, hanc legem a Domino Salvatore constitutam esse, ut omnibus fidelibus sacra Mysteria sub utraque specie administranda sint. Etenim idem Dominus noster, cum de hoc Sacramento loqueretur, alterius tantum speciei saepius meminit; ut cum inquit: *Si quis manducaverit ex hoc Pane, vivet in aeternum;* et: *Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita;* et: *Qui manducat hunc Panem, vivet in aeternum (Joh. VI, 52. 59.)*.

§. 388. Multis vero et iis quidem gravissimis rationibus adductam esse Ecclesiam patet, ut hanc potissimum sub altera specie communicandi consuetudinem non solum approbaret, sed etiam Decreti autoritate firmaret. Primum enim maxime cavendum erat, ne Sanguis Domini in terram funderetur, quod quidem facile vitari posse non videbatur, si in magna populi multitudine eum ministrare oportuisset. Praeterea, cum sacra Eucharistia aegrotis praesto esse debeat, magnopere timendum erat, ne si diutius Vini species asservaretur coacesceret. Permulti praeterea sunt, qui vini saporem, ac ne odorem quidem, perferre ullo modo possint. Quare ne, quod spiritualis salutis causa dandum est, corporis valetudini noceret, prudentissime sancitum est ab Ecclesia,

ut Panis tantummodo speciem fideles acciperent. Accedit ad alias rationes, quod in pluribus provinciis summa vini penuria laboratur, neque id aliunde, sine maximis impensis, ac non nisi longissimis et difficilimis itineribus, convehi potest. Deinde, quod maxime omnium ad rem pertinet, convellenda erat eorum haeresis, qui negabant sub utraque specie totum Christum esse, sed Corpus tantum exangue sub Panis, Sanguinem autem sub Vini specie contineri asserebant. Ut igitur fidei catholicae veritas magis ante omnium oculos poneretur, sapientissimo consilio alterius speciei, hoc est, Panis Communio inducta est. Sunt et aliae rationes ab iis collectae, qui de hoc argumento disserunt, quae, si opus esse videbitur, a Parochis afferri poterunt.

## CAPUT XII.

### *De Ministro, a quo Eucharistiae Sacramentum conficitur atque administratur* §. 389.

§. 389. Jam de Ministro (quamvis id a nemine fere ignorari possit) agendum est, ne quid praetermissum sit, quod ad hujus Sacramenti doctrinam pertinere videatur. Itaque tradendum est, solis Sacerdotibus potestatem datam esse, ut sacram Eucharistiam conficiant ac fidelibus distribuant. Eum autem morem in Ecclesia semper servatum esse, ut fidelis populus a Sacerdotibus Sacramenta acciperet, Sacerdotes autem Sacra facientes ipsi se communicarent, S. Tridentina Synodus (§. 178) explicavit, ostenditque hanc consuetudinem, tamquam ab apostolica Traditione profectam, religiose retinendam esse, cum praesertim hujus rei illustre nobis exemplum Christus Dominus reliquerit, qui et sanctissimum Corpus suum consecravit et Apostolis suis manibus porrexit *(Matth. XXVI, 26.)*. Verum ut quacumque ratione tanti Sacramenti dignitati consuleretur, non modo ejus administrandi potestas solis Sacerdotibus data est, sed lege etiam Ecclesia vetuit, ne quis, nisi consecratus esset, sacra vasa, lintea et alia instrumenta, quae ad illius confectionem necessaria sunt, tractare aut tangere auderet; modo gravis aliqua necessitas non incideret. Ex quo tum Sacerdotes ipsi, tum reliqui fideles intelligere possunt, quanta religione et sanctitate praeditos esse oporteat, qui ad Eucharistiam vel consecrandam, vel

administrandam, vel sumendam accedunt. Quamquam, quod antea de caeteris Sacramentis dictum est, ea non minus per improbos administrari, si, quae ad illorum perfectam rationem attinent, rite serventur, idem valet in Eucharistiae Sacramento. Neque enim haec omnia Ministrorum merito niti, sed Christi Domini virtute et potestate geri credendum est. Haec sunt, quae de Eucharistia, ut Sacramentum est, explicanda erunt.

## CAPUT XIII.

*Eucharistiam non tantum esse Sacramentum, sed etiam Sacrificium a Christo institutum* §. 390 — 394; *esse propitiatorium, quod pro vivis ac defunctis offertur* §. 395.

§. 390. Nunc, quod restat dicendum, ut Sacrificium est explanare oportet; ut intelligant Parochi, quae potissimum de hoc Mysterio, quemadmodum sancta Synodus (§. 306 sqq.) decrevit, dominicis et festis diebus fideli populo tradere debeant. Etenim hoc Sacramentum non solum thesaurus est coelestium divitiarum, quo, si bene utamur, Dei gratiam nobis conciliamus et amorem, sed in eo praecipua quaedam ratio inest, qua ei pro immensis in nos collatis beneficiis, aliquam gratiam referre possimus. At vero haec victima, si rite et legitime immoletur, quam grata et accepta Deo sit, ex hoc colligitur. Si enim veteris legis sacrificia, de quibus scriptum est *(Psalm. XXXIX, 7.)*: *Sacrificium et oblationem noluisti;* et iterum *(Psalm. L, 18.)*: *Si voluisses sacrificium, dedissem, utique holocaustis non delectaberis;* ita placuerunt Domino, ut Scriptura *(Genes. VIII, 21.) Deum odoratum esse odorem suavitatis,* id est, grata ei et accepta fuisse testetur; quid nobis sperandum de eo sacrificio, in quo ille ipse immolatur atque offertur, de quo coelestis vox bis audita est *(Matth. III, 17.)*: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui?* Hoc igitur Mysterium Parochi diligenter exponent, ut cum fideles ad rem divinam convenerint, attente et religiose sacra illa, in quibus intersunt, meditari discant.

§. 391. Inprimis autem docebunt, Eucharistiam duabus de causis a Christo Domino institutam esse. Altera est, ut coeleste animae nostrae alimentum esset,

quo vitam spiritualem tueri et conservare possemus; altera, ut Ecclesia perpetuum sacrificium haberet, quo peccata nostra expiarentur et coelestis Pater, sceleribus nostris saepe graviter offensus, ab ira ad misericordiam, a justa animadversionis severitate ad clementiam traduceretur. Hujus rei figuram et similitudinem in agno paschali licet animadvertere, qui ut sacrificium et sacramentum a filiis Israël offerri et comedi consueverat. Nec vero, cum Salvator noster Deo Patri se ipsum in ara crucis oblaturus esset, ullam suae erga nos immensae charitatis illustriorem significationem dare potuit, quam cum nobis visibile sacrificium reliquit, quo cruentum illud, semel in cruce paulo post immolandum, instauraretur, ejusque memoria usque in finem saeculi, quotidie summa cum utilitate ab Ecclesia per universum orbem diffusa coleretur. Differunt autem plurimum inter se hae duae rationes: Sacramentum enim consecratione perficitur, omnis vero Sacrificii vis in eo est, ut offeratur. Quare sacra Eucharistia, dum in pyxide continetur vel ad aegrotum defertur, Sacramenti, non Sacrificii, rationem habet, deinde etiam, ut Sacramentum est, iis qui divinam hostiam sumunt, meriti causam affert et omnes illas utilitates, quae supra commemoratae sunt, ut autem Sacrificium est, non merendi solum, sed satisfaciendi quoque efficientiam continet. Nam ut Christus Dominus in passione sua pro nobis meruit ac satisfecit; sic qui hoc Sacrificium offerunt, quo nobiscum communicant, dominicae passionis fructus merentur ac satisfaciunt.

§. 392. Jam de hujus Sacrificii institutione nullum ambigendi locum S. Tridentina Synodus reliquit, declaravit enim (§. 317), in extrema Coena a Christo Domino institutum esse, simulque anathemate eos damnavit, qui asserunt, verum et proprium Sacrificium Deo non offerri; aut offerre nihil aliud esse, quam Christum ad manducandum dari. Nec vero illud praetermisit, quin diligenter explicaret, uni Deo sacrificium fieri. Nam etsi Ecclesia interdum Missas in memoriam et honorem Sanctorum celebrare consuevit, non tamen illis sacrificium, sed uni Deo, qui Sanctos immortali gloria coronavit, offerri docuit. Quare nec Sacerdos unquam dicere solet: Offero tibi sacrificium, Petre vel Paule, sed dum uni soli Deo immolat, gratias illi agit pro

beatissimorum Martyrum insigni victoria, eorumque patrocinium ita implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam facimus in terris. Haec autem, quae de hujus Sacrificii veritate a catholica Ecclesia tradita sunt, ex Domini verbis *(Luc. XXII, 19.)* accepit, cum extrema illa nocte haec ipsa sacra Mysteria Apostolis commendans: *Hoc facite,* inquit, *in meam commemorationem.* Eos enim, quemadmodum a sancta Synodo (§. 307) definitum est, tunc Sacerdotes instituit, praecepitque, ut ipsi et qui eis in sacerdotali munere successuri essent, Corpus ejus immolarent et offerrent. Atque id etiam Apostoli verba ad Corinthios scripta satis demonstrant, cum ait *(1 Cor. X, 20. 21.)*: *Non potestis calicem Domini bibere, et calicem Daemoniorum, non potestis mensae Domini participes esse, et mensae Daemoniorum.* Ut enim pro Daemoniorum mensa altare, in quo eis immolabatur, intelligendum est, ita etiam (ut quod Apostolus proponit, probabili argumentatione concludatur) mensa Domini nihil aliud, nisi altare, in quo Sacrificium Domino fiebat, significare potest.

§. 393. Quod si ex Veteri Testamento hujus Sacrificii figuras et oracula requiramus, primum quidem de eo Malachias apertissime vaticinatus est his verbis *(Malach. 1, 11.)*: *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Praeterea, haec hostia tam ante, quam post latam legem, variis sacrificiorum generibus praenunciata est. Etenim bona omnia, quae in iis sacrificiis significabantur, haec una victima, tanquam omnium perfectio et absolutio, complexa est. Veruntamen nulla in re ejus imaginem magis expressam licet videre, quam in Melchisedech sacrificio *(Genes. XIV. Psalm. CIX. Hebr. VII.)*. Ipse enim Salvator, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, Corpus et Sanguinem suum in extrema Coena sub speciebus Panis et Vini Deo Patri obtulit.

§. 394. Unum itaque et idem Sacrificium esse fatemur et haberi debet, quod in Missa peragitur et quod in cruce oblatum est, quemadmodum una est eadem hostia: Christus videlicet Dominus noster, qui se ipsum

in ara crucis semel tantummodo cruentum immolavit. Neque enim cruenta et incruenta hostia, duae sunt hostiae, sed una tantum, cujus sacrificium, postquam Dominus ita praecepit: *Hoc facite in meam commemorationem;* in Eucharistia quotidie instauratur. Sed unus etiam atque idem Sacerdos est Christus Dominus. Nam Ministri, qui Sacrificium faciunt, non suam sed Christi personam suscipiunt, cum ejus Corpus et Sanguinem conficiunt. Id quod et ipsius consecrationis verbis ostenditur. Neque enim Sacerdos inquit: Hoc est Corpus Christi; sed: Hoc est Corpus meum; personam videlicet Christi Domini gerens, Panis et Vini substantiam in veram ejus Corporis et Sanguinis, et Vini substantiam in veram ejus Corporis et Sanguinis substantiam convertit.

§. 395. Quae cum ita sint, sine ulla dubitatione docendum est, id quod etiam sancta Synodus (§. 309) explicavit, sacrosanctum Missae Sacrificium esse non solum laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii, quod in cruce factum est, sed vere etiam propitiatorium Sacrificium, quo Deus nobis placatus et propitius redditur. Quare, si puro corde et accensa fide, et intimo nostrorum scelerum dolore affecti, hanc sanctissimam hostiam immolemus et offeramus, dubitandum non est, quin misericordiam a Domino consecuturi simus, et gratiam in auxilio oportuno. Hujus enim victimae odore ita delectatur Dominus, ut gratiae et poenitentiae donum nobis impertiens, peccata condonet. Quamobrem et solennis est illa Ecclesiae precatio: Quoties hujus hostiae commemoratio celebratur, toties opus nostrae salutis exercetur; nimirum uberrimi illi cruentae hostiae fructus per hoc incruentum Sacrificium ad nos manant.

§. 396. Deinde vero hujus Sacrificii eam vim esse Parochi docebunt, ut non solum immolanti et sumenti prosit, sed omnibus etiam fidelibus, sive illi nobiscum in terris vivant, sive jam in Domino mortui, nondum plane expiati sint. Neque enim minus ex Apostolorum certissima Traditione pro his utiliter offertur, quam pro vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus, ac quibusvis calamitatibus et angustiis. Ex quo facile perspicitur, omnes Missas communes censendas esse, ut quae ad communem omnium fidelium utilitatem et salutem pertineant.

§. 397. Habet autem hoc Sacrificium multos, eosque maxime insignes ac solennes ritus, quorum nullus supervacaneus aut inanis existimandus est; verum omnes eo spectant, ut et tanti Sacrificii majestas magis eluceat et salutaribus Mysteriis intuendis, ad rerum divinarum (quae in eo Sacrificio occultae sunt) contemplationem fideles excitentur. Sed de his nihil est, ut plura dicamus: tum quia hoc argumentum longiorem explicationem postulare videtur, quam propositae institutioni conveniat: tum quia innumerabiles pene libellos et commentarios, qui de hac re a piis et doctissimis viris conscripti sunt, Sacerdotes in promptu habebunt. Hactenus igitur satis fuerit, earum rerum quae ad Eucharistiam, tum quia Sacramentum, tum quia Sacrificium sit, pertinent potiora capita juvante Domino exposuisse.

## DE POENITENTIAE SACRAMENTO.

### CAPUT I.

*De Sacramenti hujus necessitate* §. 398. 399; *de Poenitentiae significationibus* §. 400; *de Poenitentia ut virtus est et quibus viis ad eam perveniatur* §. 401 — 406.

§. 398. Quemadmodum humanae naturae fragilitas et imbecillitas omnibus nota est, eamque in seipso quisque facile experitur; ita quantam habeat necessitatem Poenitentiae Sacramentum, ignorare nemo potest. Quod si diligentiam, quae a Parochis in unoquoque argumento adhibenda est, ex rei quam tractant magnitudine et pondere metiri oportet; omnino fatebimur, eos nunquam in hujus loci explicatione adeo diligentes futuros esse, ut satis videri possit: quinetiam de hoc Sacramento, quam de Baptismo, eo accuratius agendum est, quod Baptismus semel tantum administratur nec iterari potest, Poenitentiae vero toties locus datur, ejusque repetendae toties necessitas imposita est, quoties post Baptismum peccare contingat. Ita enim a Tridentina Synodo (§. 197) dictum est; Sacramentum Poenitentiae non secus lapsis post Baptismum, ac Baptismum nondum regeneratis, ad salutem necessarium esse; vulgataque illa S. Hieronymi *(in Cap. III. Jes. sup. illud: Ruit Jerus. et Epist. ad Demetr.)* sententia ab omnibus,

qui deinceps res sacras tradiderunt, magnopere comprobatur, Poenitentiam esse secundam tabulam. Ut enim confracta navi, unum vitae servandae perfugium reliquum est, si forte tabulam aliquam de naufragio liceat arripere, ita, post amissam Baptismi innocentiam, nisi quis ad Poenitentiae tabulam confugiat, sine dubio de ejus salute desperandum est.

§. 399. Haec autem non ad Pastores solum, sed ad reliquos etiam fideles excitandos dicta sint: ne forte in eis rei maxime necessariae incuria reprehendatur. Primum enim communis fragilitatis memores omni studio optare debent, ut divina ope adjuti, sine casu aut prolapsione aliqua, in via Domini progredi possint. Quod si nonnunquam offenderint, tum vero summam Dei benignitatem intuentes, qui tanquam bonus Pastor ovium suarum vulnera obligare, eisque mederi solet *(Ezech. XXXIV.)*, hoc saluberrimum Poenitentiae medicamentum nunquam in aliud tempus differendum esse cogitabunt.

§. 400. Ut autem rem ipsam aggrediamur, prius explicanda est varia hujus nominis potestas et notio, ne aliquis ambiguitate vocis in errorem inducatur. Nonnulli enim Poenitentiam pro Satisfactione accipiunt: Alii a catholicae fidei doctrina longissime remoti, cum arbitrentur Poenitentiam nullam temporis praeteriti rationem habere, nihil aliud quam novam vitam esse definiunt. Docendum est igitur, multiplicem esse hujus nominis significationem. Primum enim Poenitentia de iis dicitur, quibus aliquid displicet, quod antea placuerit, nulla habita ratione hujus cogitationis, bonumne an malum fuerit. Sic omnes poenitet, quorum tristitia secundum saeculum est, non secundum Deum *(2 Cor. VII, 10.)*: cujusmodi Poenitentia non *salutem* affert, sed *mortem*. Altera est Poenitentia, cum quis ex scelere admisso, quod quidem antea placebat, dolorem, non Dei, sed sui ipsius causa concipit. Tertia est, cum non solum admissi sceleris causa intimo animi sensu dolemus, vel ejus doloris externum etiam aliquod signum damus, verum unius Dei causa in eo moerore sumus. Ac singulis quidem Poenitentiae generibus, quae commemorata sunt, Poenitentiae vox proprie convenit. Nam, cum in Sacris Literis *(1 Regg. XV. Psalm. CV. Jer. XXVI.)* Deum poenitere legimus, id per translationem dici, per-

spicuum est. Eo enim loquendi genere, quod ad hominum mores accommodatum est, Sacrae Literae utuntur, cum Deum mutare aliquid constituisse declarant, quod non aliter facere videatur, quam homines, quos, si alicujus rei poeniteat, eam commutare omni studio laborant. Sic ergo scriptum est (*Genes. VI, 6.*): *Poenituisse eum, quod hominem fecisset;* et alio loco (*1 Regg. XV, 11.*), quod Saul Regem constituisset. Verum inter has Poenitentiae significationes magnum discrimen observare oportet. Prima enim in vitio ponenda est; altera est quaedam commoti et perturbati animi affectio; tertiam tum ad virtutem pertinere, tum Sacramentum esse dicimus, quae significatio hujus loci propria est.

§. 401. Ac primum quidem de ipsa, ut virtutis parte, agendum est, non solum, quia fidelis populus ad omne virtutis genus institui a Pastoribus debet, sed etiam, quia hujus virtutis actiones tamquam materiam praebent, in qua Poenitentiae Sacramentum versatur, ac nisi prius, quae sit Poenitentiae virtus, recte intelligatur, Sacramenti etiam vim ignorari necesse est. Quare inprimis monendi hortandique sunt fideles, ut omni contentione et studio in intima animi poenitentia, quam virtutem dicimus, elaborent, sine qua ea, quae extrinsecus adhibetur, parum admodum profutura est. Intima autem poenitentia est illa, cum ad Deum nos ex animo convertimus et commissa a nobis scelera detestamur et odio habemus, simulque illud nobis certum et deliberatum est, malam vitae consuetudinem corruptosque mores emendare, non sine spe veniae a Dei misericordia consequendae. Hanc vero dolor et tristitia, quae perturbatio et affectio est, et passio a multis vocatur, consequitur veluti comes peccatorum detestationi adjuncta. Quamobrem apud complures ex sanctis Patribus Poenitentiae definito hujusmodi animi cruciatu declaratur. Verum in eo quem poenitet, fides poenitentiam antecedat necesse est. Neque enim potest quisquam se ad Deum convertere, qui fide careat. Ex quo fit, ut nullo modo Poenitentiae pars recte dici possit.

§. 402. Quod autem intima haec poenitentia, ut antea diximus, ad virtutem pertineat, aperte ostendunt multa, quae de poenitentia tradita sunt, praecepta. Lex enim de iis tantum actionibus, quae suscipiuntur cum virtute, praecipit. Negare praeterea nemo potest, quin

dolore, quando, quomodo et quatenus oportet, virtutis sit. Hoc autem ut recte fiat, poenitentiae virtus praestat. Interdum enim evenit, ut ex admissis sceleribus minorem, quam par est, dolorem homines capiant. Quinetiam, ut a Salomone scriptum est *(Proverb. II, 14.)*, nonnulli sunt, *qui, cum male fecerint, laetantur*. Rursus vero alii ita se moerori animi et aegritudini dedunt, ut de salute etiam prorsus desperent, qualis fortasse Cain videri potest, qui ait *(Genes. IV, 13.)*: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear;* et qualis certe Judas fuit, qui poenitentia ductus, suspendio vitam et animam amisit. Ut igitur modum in dolore tenere possimus, poenitentiae virtute adjuvamur.

§. 403. Sed idem etiam ex iis rebus colligi potest, quas sibi tamquam finem proponit is, quem vere peccati poenitet. Primum autem hoc ei propositum est, ut peccatum aboleat, omnemque animae culpam et maculam abstergat. Alterum est, ut pro sceleribus admissis Deo satisfaciat, quod quidem ad justitiam referri perspicuum est. Nam etsi inter Deum et homines propria justitiae ratio intercedere non potest, cum tam longo intervallo inter se distent: aliquam tamen esse justitiam constat; cujusmodi est inter patrem et filios, inter dominum et servos. Tertium est, ut homo in Dei gratiam redeat, in cujus offensionem et odium propter peccati foeditatem incurrit. Haec vero omnia satis declarant, poenitentiam ad virtutem spectare.

§. 404. Sed docendum est etiam, quibus gradibus ad hanc divinam virtutem liceat adscendere. Primum itaque Dei misericordia nos praevenit, cordaque nostra ad se convertit. Quod cum precaretur Propheta *(Thren. V, 21.)*: *Converte*, inquit, *nos Domine ad te et convertemur*. Deinde hoc lumine illustrati, per fidem ad Deum animo tendimus: *Credere* enim *oportet accedentem ad Deum*, ut Apostolus *(Hebr. XI, 6.)* testatur; *quia est, et inquirentibus se remunerator sit*. Praeterea motus timoris consequitur et suppliciorum acerbitate proposita, animus a peccatis revocatur. Atque huc videntur spectare illa Jesaiae verba *(Jes. XXVI, 17.)*: *Sicut quae concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus*. Huc deinde accedit spes impetrandae a Deo misericordiae, qua erecti, vitam et mores emendare constituimus.

Postremo charitate corda nostra accenduntur, ex qua liberalis ille timor, probis et ingenuis filiis dignus, oritur; atque ita unum illud veriti, ne qua in re Dei majestatem laedamus, peccandi consuetudinem omnino deserimus.

§. 405. Hisce igitur quasi gradibus ad hanc praestantissimam poenitentiae virtutem pervenitur, quae prorsus divina et coelestis virtus existimanda est, cui scilicet regnum coelorum Sacrae Literae pollicentur. Nam apud Sanctum Matthaeum scriptum est *(Matth. IV, 17.)*: *Poenitentiam agite: appropinquavit enim regnum coelorum*; et apud Ezechielem *(Ezech. XVIII, 18.)*: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet;* tum alio in loco *(Ezech. XXXIII, 11.)*: *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat.* Quod quidem de aeterna et beata vita intelligendum esse, plane constat.

## CAPUT II.

*Poenitentiam esse Sacramentum §. 406. 407; eandem iterari posse §. 408.*

§. 406. De externa vero Poenitentia docendum est, eam esse, in qua Sacramenti ratio consistit, habereque externas quasdam res sensibus subjectas, quibus declarantur ea, quae interius in anima fiunt. Inprimis autem explanandum fidelibus videtur, quare factum sit, ut Christus Dominus Poenitentiam in numerum Sacramentorum referri voluerit Hujus autem rei illa omnino causa fuit, ut nobis de remissione peccatorum, quam Deus pollicitus est, cum ait *(Ezech. l. c.)*: *Si impius egerit poenitentiam etc.*, minus dubitare nobis liceret. Vehementer enim pendere animo de intima poenitentia opus esset, cum de suo cuique judicio in iis quae agit, merito timendum sit. Ut igitur Dominus huic nostrae sollicitudini subveniret, Poenitentiae Sacramentum instituit, quo per Sacerdotis absolutionem peccata nobis remissa esse confideremus, conscientiaeque nostrae ob fidem, quae Sacramentorum virtuti merito habenda est, pacatiores redderentur. Neque enim aliter accipienda est

vox Sacerdotis, peccata nobis legitime condonantis, quam Christi Domini, qui ait paralytico *(Matth. IX, 2.)*: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Deinde vero, cum nemo salutem, nisi per Christum ejusque passionis beneficio consequi possit, consentaneum nobisque utilissimum fuit, ejusmodi Sacramentum institui, cujus vi et efficientia Christi sanguis ad nos defluens peccata post Baptismum elueret, atque ita reconciliationis beneficium illi uni Salvatori nostro acceptum referre profiteremur.

§. 407. Quod vero Poenitentia Sacramentum sit, Pastores ita facile ostendent. Ut enim Baptismus Sacramentum est, quia peccata omnia, ac praesertim quod origine contractum fuit delet; eadem ratione Poenitentia, quae peccata omnia post Baptismum voluntate vel actione suscepta tollit, vere et proprie Sacramentum dicendum est. Deinde quod caput est, cum illa quae extrinsecus tum a poenitente, tum a Sacerdote fiunt, declarant ea, quae interius efficiuntur in anima, quis neget, Poenitentiam vera et propria Sacramenti ratione praeditam esse? Siquidem Sacramentum sacrae rei signum est, peccator autem quem poenitet, rerum et verborum notis plane exprimit, se animum a peccati turpitudine abduxisse, itemque ex iis quae a Sacerdote geruntur et dicuntur, misericordiam Dei peccata ipsa remittentis facile cognoscimus. Quamquam hoc aperte indicant illa Salvatoris verba *(Matth. XVI, 19.)*: *Tibi dabo claves regni coelorum;* et *quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Absolutio enim Sacerdotis verbis enunciata, remissionem illam peccatorum signat, quam in anima efficit.

§. 408. Neque vero solum fideles docendi sunt, Poenitentiam in numero Sacramentorum habendam esse, sed eorum etiam, quae iterari possunt. Quaerenti enim Petro *(Matth. XVIII, 21. 22.)*, num septies venia peccati danda esset? Dominus respondit: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Quare si cum ejusmodi hominibus agendum sit, qui summae Dei bonitati et clementiae diffidere videantur, confirmandus erit illorum animus, atque ad spem divinae gratiae erigendus. Quod quidem facile consequentur tum hujus loci et aliorum tractatione, qui in Sacris Literis per-

multi occurrent, tum vero iis rationibus et argumentis, quae ex Sanctorum, Chrysostomi Lib. de Lapsis *(Epist. 5. ad Theodorum lapsum)* et Ambrosii Libris de Poenitentia *(contra Novatian.)* petere licebit.

## CAPUT III.

*De Materia, Forma et Ministro Poenitentiae* §. 409. 410; *de Ritibus et Caeremoniis, quae adhiberi solent* §. 411.

§. 409. Jam quoniam nihil fideli populo notius esse debet, quam hujus Sacramenti Materia, docendum est, in eo maxime hoc Sacramentum ab aliis differre, quod aliorum Sacramentorum materia, est res aliqua naturalis, vel arte effecta, Sacramenti vero Poenitentiae quasi materia, sunt actus poenitentis: nempe Contritio, Confessio et Satisfactio, ut a Tridentina Synodo (§. 198 et §. 227) declaratum est. Qui quatenus in poenitente, ad integritatem Sacramenti et plenam ac perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes Poenitentiae dicuntur. Neque vero hi actus, quasi Materia a sancta Synodo appellantur, quia verae materiae rationem non habeant, sed quia ejus generis materiae non sint, quae extrinsecus adhibeatur; ut Aqua in Baptismo et Chrisma in Confirmatione. Quod autem ab aliis dictum est, peccata ipsa hujus Sacramenti materiam esse, nihil plane diversum dici videbitur, si diligenter attendamus. Ut enim ignis materiam ligna esse dicimus, quae ut ignis consumuntur, ita peccata, quae Poenitentia delentur, recte hujus Sacramenti materia vocari possunt.

§. 410. Sed Formae etiam explicatio Pastoribus praetermittenda non est, quod ejus rei cognitio excitet fidelium animos, ad percipiendam summa cum religione hujus Sacramenti gratiam. Est autem Forma: Ego te absolvo, quam non solum ex illis verbis licet colligere *(Matth. XVIII, 18.)*: *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis;* sed ex eadem Christi Domini doctrina, ab Apostolis traditam accepimus. Ac quoniam Sacramenta id significant, quod efficiunt et illa: Ego te absolvo ostendunt peccatorum remissionem hujus Sacramenti administratione effici, planum est, hanc

esse Poenitentiae perfectam formam. Sunt enim peccata tamquam vincula, quibus constrictae animae tenentur (*Psalm. CXVIII*, 61. *Proverb. V*, 22.) et ex quibus Poenitentiae Sacramento laxantur. Quod quidem non minus vere de illo etiam homine Sacerdos pronunciat, qui prius ardentissimae Contritionis vi; accedente tamen Confessionis voto; peccatorum veniam a Deo consecutus sit. Adduntur praeterea complures preces, non quidem ad formam necessariae, sed ut ea removeantur, quae Sacramenti vim et efficientiam illius culpa, cui administratur, impedire possent. Quamobrem peccatores Deo ingentes gratias agant, qui tam amplam potestatem in Ecclesia Sacerdotibus tribuerit. Neque enim, ut olim in veteri lege Sacerdotes testimonio suo aliquem a lepra liberatum esse, duntaxat renunciabant, ita nunc in Ecclesia ea tantum potestas Sacerdotibus facta est, ut aliquem peccatis absolutum esse declarent, sed vere, tamquam Dei Ministri, absolvunt. Id quod Deus ipse, gratiae et justitiae autor ac parens, efficit.

§. 411. Diligenter vero Ritus etiam, qui ad hoc Sacramentum adhibentur, fideles observabunt. Ita enim fiet, ut animo magis haereant, quae hoc Sacramento consecuti sunt, nimirum, se tamquam servos clementissimo Domino, vel filios potius optimo parenti reconciliatos esse, et simul facilius intelligant, quid eos facere oporteat, qui velint (velle autem omnes debent) se tanti beneficii gratos et memores praebere. Nam quem peccatorum poenitet, is se humili ac demisso animo ad pedes Sacerdotis dejicit, ut cum se tam humiliter gerat, facile possit agnoscere, superbiae radices evellendas esse, a qua omnia scelera, quae deflet, ortum habuerint et enata sint. In Sacerdote autem, qui in eum legitimus judex sedet, Christi Domini personam et potestatem veneratur. Sacerdos enim, quemadmodum in aliis, ita in Poenitentiae Sacramento administrando Christi munus exequitur. Deinde peccata sua poenitens ita enumerat, ut se maxima et acerbissima animadversione dignum esse fateatur, supplexque delictorum veniam petit. Quae sane omnia vetustatis suae certissima testimonia a Sancto Dionysio (*Epistol. ad Demoph.*) habent.

## CAPUT IV.

*De effectu et fructibus Sacramenti Poenitentiae* §. 412. 413; *quodque nullum peccatum sit, quod ea expiari non possit* §. 414. 415.

§. 412. Sed nihil profecto tam proderit fidelibus, nihilque majorem illis alacritatem Poenitentiae suscipiendae afferet, quam si a Parochis saepe explicatum fuerit, quantam ex ea utilitatem capiamus. Vere enim de Poenitentia illud dici posse intelligent, ejus quidem radices amaras, fructus vero suavissimos esse. Poenitentiae itaque omnis in eo vis est, ut nos in Dei gratiam restituat, cum eoque summa amicitia conjungat. Hanc vero reconciliationem interdum in hominibus piis, qui hoc Sacramentum sancte et religiose percipiunt, maxima conscientiae pax et tranquillitas cum summa spiritus jucunditate consequi solet.

§. 413. Nullum est enim tam grave et nefarium scelus, quod Poenitentiae Sacramento, non quidem semel, sed iterum et saepius, non deleatur. Qua de re ita Dominus per Prophetam inquit *(Ezech. XVIII, 21. 22.)*: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est et custodierit praecepta mea, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet et non morietur; omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor;* et Sanctus Johannes *(1 Joh. I, 9.)*: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra;* et paulo post *(1 Joh. II, 1. 2.)*: *Si quis peccaverit,* inquit (nullum videlicet peccati genus excipiens), *advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Quod aut in Scripturis *(2 Machab. IX.)* legimus, quosdam a Domino misericordiam non esse consecutos, quamvis eam vehementer imploraverint, id vero idcirco factum esse intelligimus, quod eos vere atque ex animo delictorum non poenitebat.

§. 414. Quare cum hujusmodi sententiae in Sacris Literis. vel apud sanctos Patres occurrunt, quibus videntur affirmare aliqua peccata remitti non posse, ita eas interpretari oportet, ut difficilem admodum esse veniae impetrationem intelligamus. Ut enim morbus

aliquis ea re insanabilis dicitur, quod aegrotus ita affectus sit, ut salutaris medicinae vim oderit, sic quoddam est peccati genus, quod non remittitur nec condonatur, propterea quod proprium salutis remedium, Dei gratiam, repellit. In hanc sententiam a d. Augustino *(Lib. I. de Serm. Domini in monte, Cap.* 43 *et* 44.*)* dictum est: Tanta labes est illius peccati, cum post agnitionem Dei per gratiam Christi, oppugnat aliquis fraternitatem, et adversus ipsam gratiam invidiae facibus agitatur, ut deprecandi humilitatem subire non possit, etiamsi peccatum mala conscientia agnoscere et annuntiare cogatur.

§. 415. Sed ut ad Poenitentiam revertamur, haec adeo propria ejus vis est ut peccata deleat, ut sine Poenitentia remissionem peccatorum impetrare, aut ne sperare quidem ullo modo liceat. Scriptum est enim *(Luc. XIII,* 3.*)*: *Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Quod quidem de gravioribus et mortiferis peccatis dictum a Domino est, etsi aliquo etiam Poenitentiae genere indigent leviora peccata, quae venialia vocantur. Sanctus enim Augustinus *(Lib. L. Homiliarum, Homil. L. Cap.* 8.*)* inquit: Cum quaedam sit Poenitentia, quae quotidie in Ecclesia pro peccatis venialibus agitur, illa sane frustra esset, si peccata venialia absque Poenitentia dimitti possent.

## CAPUT V.

*Tres esse Poenitentiae partes inter se, quadam connexione* §. 416. 417*; de Contritionis vi, nomine et perfectione* §. 418 — 422.

§. 416. Sed quoniam de iis rebus, quae aliquo modo in actionem cadunt, non satis est universe loqui, curabunt Pastores singulatim ea tradere, ex quibus vera et salutaris Poenitentiae ratio a fidelibus percipi queat. Est autem hujus Sacramenti proprium, ut praeter materiam et formam, quae omnibus Sacramentis communia sunt, partes etiam, ut antea diximus, illas habeat, quae tamquam totam integramque Poenitentiam constituant, Contritionem scilicet, Confessionem et Satisfactionem. De quibus d. Chrysostomus *(Sermon. I. de Poenit.)* his verbis loquitur: Poenitentia cogit peccatorem omnia libenter sufferre, in corde ejus Contritio, in ore Con-

fessio, in opere tota humilitas, vel fructifera Satisfactio. Hae autem partes ex earum partium genere esse dicuntur, quae ad aliquod totum constituendum necessariae sunt: quoniam quemadmodum hominis corpus ex pluribus membris constat, manibus, pedibus, oculis et aliis hujusmodi partibus, quarum aliqua si desit, merito imperfectum videatur, perfectum vero, si nulla desideretur; eodem etiam modo Poenitentia ex hisce tribus partibus ita constituitur, ut quamvis, quod ad ejus naturam attinet, Contritio et Confessio, quibus homo justus efficitur, satis sit; tamen nisi tertia etiam pars, id est Satisfactio, accedat, aliquid ei omnino ad perfectionem desit necesse sit. Quare adeo inter se hae partes connexae sunt, ut Contritio, confitendi et satisfaciendi consilium et propositum inclusum habeat, Confessionem Contritio et satisfaciendi voluntas, Satisfactionem vero duae reliquae antecedant.

§. 417. Harum autem trium partium eam rationem afferre possumus, quod animo, verbis et re ipsa peccata in Deum committantur. Quare consentaneum fuit, ut nos ipsos Ecclesiae clavibus subjicientes, quibus rebus Dei sanctissimum numen a nobis violatum esset, iisdem etiam ejus iram placare et peccatorum veniam ab eo impetrare conaremur. Sed idem etiam alio argumento confirmari potest. Etenim Poenitentia est veluti quaedam delictorum compensatio, ab ejus voluntate profecta, qui deliquit, ac Dei arbitrio, in quem peccatum commissum est, constituta. Quare et voluntas compensandi requiritur, in quo maxime Contritio versatur et poenitens Sacerdotis judicio, qui Dei personam gerit, se subjiciat necesse est, ut pro scelerum magnitudine poenam constituere in eum possit; ex quo tum Confessionis, tum Satisfactionis ratio et necessitas perspicitur.

§. 418. Quoniam vero harum partium vim et naturam tradere fidelibus oportet, prius incipiendum est a Contritione, eaque diligenter explicanda. Neque enim ad ullum temporis punctum, cum in memoriam praeterita peccata redeunt, vel cum aliquid offendimus, Contritione animus debet vacare. Hanc Patres in Concilio Tridentino (§. 199. 248) ita definiunt: Contritio est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero. Et paulo post, de Contritionis

motu subjicitur: Ita demum praeparat ad remissionem peccatorum; si cum fiducia divinae misericordiae et voto praestandi reliqua, conjunctus sit, quae ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.

§. 419. Ex hac itaque definitione intelligent fideles, Contritionis vim in eo tantum positam non esse, ut quis peccare desinat, aut propositum ei sit, novum vitae genus instituere, aut ipsum jam instituat, sed inprimis male actae vitae odium et expiationem suscipiendam esse. Id vero maxime confirmant illi sanctorum Patrum clamores, quos in Sacris Literis frequenter profusos esse legimus: *Laboravi*, inquit David *(Psalm. VI, 7. 10.) in gemitu meo: lavabo per singulas noctes lectum meum;* et: *Exaudivit Dominus vocem fletus mei;* et rursus alius *(Jes. XXXVIII, 15.): Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae.* Quas certe et alias hujusmodi voces, vehemens quoddam anteactae vitae odium, et peccatorum detestatio expressit. Quod autem Contritio dolore definita est, monendi sunt fideles, ne arbitrentur eum dolorem corporis sensu percipi. Contritio enim est voluntatis actio. Et Sanctus Augustinus *(Hom. L. ex L. Cap. 2.)* testatur, dolorem, poenitentiae comitem esse, non poenitentiam. Verum peccati detestationem et odium. Doloris vocabulo Patres significarunt: tum quia Sacrae Literae ita utuntur, inquit enim David *(Psalm. XII, 2.): Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?* tum quia dolor in inferiori animae parte, quae vim concupiscendi habet, ex ipsa Contritione oritur: ut non incommode Contritio dolore definita fuerit, quod dolorem efficiat, ad eumque declarandum, poenitentes vestem etiam mutare soliti sint. De quo Dominus apud Sanctum Matthaeum *(Matth. XI, 21.)* inquit: *Vae tibi Corozaim! vae tibi Bethsaida! quia, si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent.*

§. 420. Recte autem Contritionis nomen, peccati detestationi, de qua loquimur, ad significandam vim doloris, impositum est, ducta similitudine a rebus corporeis, quae minutatim saxo aut duriore aliqua materia confringuntur, ut eo vocabulo declararetur, corda nostra, quae superbia obduruerunt, poenitentiae vi contundi atque conteri. Quare nullus alius dolor vel ex parentum

et filiorum obitu, vel cujusvis alterius calamitatis causa susceptus, hoc nomine appellatur; sed illius tantum doloris proprium est nomen, quo ex amissa Dei gratia atque innocentia afficimur. Verum aliis quoque vocabulis eadem res declarari solet. Nam et Contritio Cordis dicitur: quia cordis nomen frequenter Sacrae Literae pro voluntate usurpant. Ut enim a corde motionum corporis principium sumitur, ita voluntas reliquas omnes animae vires moderatur ac regit. Vocatur etiam a sanctis Patribus Cordis Compunctio, qui libros de Contritione conscriptos, de Compunctione Cordis inscribere maluerunt. Etenim quemadmodum ferro tumida ulcera secantur, ut inclusum virus possit erumpere; ita corda, quasi scalpello Contritionis adhibito, inciduntur, ut peccati mortiferum virus queant ejicere. Quare et Scissio Cordis a Joële Propheta appellata est *(Joël. II, 12.)*: *Convertimini*, inquit, *ad me in toto corde vestro, in jejunio et in fletu et in planctu, et scindite corda vestra.*

§. 421. Summum et maximum dolorem ex peccatis, quae commissa sunt, suscipiendum esse, ita ut nullus major excogitari possit, facile erit hisce rationibus demonstrare. Nam cum perfecta Contritio sit Charitatis actio, quae ab eo timore, qui filiorum est, proficiscitur; patet, eundem Charitatis et Contritionis modum statuendum esse. At quoniam Charitas, qua Deum diligimus, perfectissimus est amor, hinc fit, ut Contritio vehementissimum animi dolorem conjunctum habeat. Ut enim maxime diligendus est Deus, ita quae nos a Deo alienant maxime detestari debemus. In quo etiam illud observandum est, eodem loquendi genere Charitatis et Contritionis magnitudinem in Sacris Literis significari. De Charitate dictum est *(Deut. VI, 5.)*: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Rursus, quod ad Contritionem pertinet, clamat Dominus per Prophetam *(Joël. II, 12.)*: *Convertimini in toto corde vestro.* Praeterea, uti Deus summum bonum est inter omnia, quae diligenda sunt, ita etiam peccatum summum est malum inter omnia, quae odisse homines debent; illud sequitur, ut quam ob causam Deum summe diligendum esse confitemur, ob eandem rursus peccati summum odium nos capiat necesse sit. Omnibus vero rebus Dei amorem anteponendum esse, ita ut ne vitae quidem conservandae causa peccare liceat, aperte nos docent illa

Domini verba *(Matth. X, 37. XVI, 25. Marc. VIII, 35. Luc. XIV, 26.)*: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Et qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam.* Sed illud etiam animadvertendum est, ut quemadmodum, S. Bernardo *(Lib. de diligendo Deo)* teste, nullus finis et modus charitati praescribitur (modus enim, inquit ille; diligendi Deum, est ipsum diligere sine modo); ita peccati detestationi nullus modus definiatur.

§. 422. Sit praeterea non solum maxima, sed vehementissima, atque adeo perfecta, omnemque ignaviam et socordiam excludat. Etenim in Deuteronomio scriptum est *(Deuter. IV, 29.)*: *Cum quaesieris Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen toto corde quaesieris, et tota tribulatione animae tuae.* Et apud Jeremiam *(Jer. XXIX, 13. 14.)*: *Quaeretis me, et invenietis, cum quaesieritis me in toto corde vestro, et inveniar a vobis, ait Dominus.* Quamquam, si id minus consequi nobis liceat, ut perfecta sit, vera tamen et efficax Contritio esse potest. Saepe enim usu venit, ut quae sensibus subjecta sunt, magis quam spiritualia nos afficiant. Quare nonnulli interdum majorem ex filiorum obitu, quam ex peccati turpitudine, doloris sensum capiunt. Idem etiam judicium faciendum est, si lachrymae doloris acerbitatem non consequantur, quae tamen in poenitentia summopere optandae et commendandae sunt. Praeclara est enim ea de re Sancti Augustini *(Serm. XLI. de Sanctis)* sententia: Non sunt, inquit, in te christianae charitatis viscera, si luges corpus, a quo recessit anima: animam vero, a qua recessit Deus, non luges. Atque huc spectant illa Salvatoris nostri verba, quae supra (§. 419) allata sunt: *Vae tibi Corozaim! vae tibi Bethsaida! quia, si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cinere et cilicio poenitentiam egissent.* Tametsi ad eam rem comprobandam satis esse debent clarissima Ninivitarum, Davidis, Peccatricis, Apostolorum Principis exempla, qui omnes plurimis lachrymis Dei misericordiam implorantes, peccatorum veniam impetrarunt.

## CAPUT VI.

*Ad singula peccata mortalia Contritionis dolorem adhibendum esse* §. 423; *quae ad veram Contritionem sint necessaria* §. 424. 425; *verae Contritionis vis et utilitas quanta, quaque ratione ea comparetur* §. 426. 427.

§. 423. Maxime autem hortandi et monendi sunt fideles, ut ad singula mortalia crimina proprium Contritionis dolorem adhibere studeant. Ita enim Ezechias Contritionem describit, cum ait *(Jes. XXXVIII, 15.)*: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae.* Etenim recogitare omnes annos, est singulatim peccata excutere, ut ea ex animo doleamus. Sed apud Ezechielem quoque scriptum legimus *(Ezech. XVIII, 21.)*: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet.* Atque in hanc sententiam Sanctus Augustinus *(Lib. de vera et falsa Poenit. Cap. 14.)* inquit: Consideret peccator qualitatem criminis in loco, in tempore, in varietate, in persona. Neque tamen hac in re desperent fideles, de summa Dei bonitate et clementia: is enim, cum nostrae salutis cupidissimus sit, nullam moram ad tribuendam nobis veniam interponit, sed peccatorem paterna charitate complectitur, simul atque ille se collegerit, et universa peccata sua detestatus (quae deinde alio tempore, si facultas erit, singula in memoriam reducere ac detestari, in animo habeat), ad Dominum se converterit. Ita enim nos per Prophetam jubet sperare, cum inquit *(Ezech. XXXIII, 12.)*: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.*

§. 424. Ex his igitur colligi poterunt, quae ad veram Contritionem maxime sunt necessaria, de quibus fidelem populum accurate oportebit docere, ut quisque intelligat, qua ratione comparare eam possit, regulamque habeat, qua dijudicet, quantum absit ab ejus virtutis perfectione. Primum enim necesse est peccata omnia, quae admisimus, odisse et dolere, ne, si quaedam tantum doleamus, ficta et simulata neque salutaris poenitentia a nobis suscipiatur. Nam ut a Sancto Jacobo Apostolo dictum est *(Jac. II, 10.)*: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Alterum est, ut ipsa Contritio con-

fitendi et satisfaciendi voluntatem conjunctam habeat, de quibus postea suo loco agetur. Tertium est, ut poenitens vitae emendandae certam et stabilem cogitationem suscipiat. Hoc vero Propheta his verbis aperte nos docuit *(Ezech. XVIII,* 21. 22. 27. 30. 31.*)*: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea et fecerit judicium et justitiam, vita vivet, et non morietur: omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor;* et paulo post: *Cum averterit se impius ab impietate sua quam operatus est, et fecerit judicium et justitiam, ipse animam suam vivificabit;* ac paucis interjectis: *Convertimini,* inquit, *et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas: projicite a vobis omnes praevaricationes vestras, in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum.* Idem etiam Christus Dominus mulieri, quae in adulterio deprehensa est, praescripsit *(Joh. VIII,* 11.*)*: *Vade,* inquit, *et jam amplius noli peccare.* Item paralytico illi, quem ad probaticam piscinam curaverat *(Joh. V,* 14.*)*: *Ecce,* ait, *sanus factus es, jam noli peccare.*

§. 425. Sed natura quoque ipsa et ratio plene ostendunt, duo illa ad Contritionem esse inprimis necessaria; dolorem scilicet peccati admissi et propositum cautionemque, ne quid hujusmodi in posterum committatur. Nam qui amico reconciliari velit, quem injuria aliqua affecerit, et doleat oportet, quod in eum injuriosus et contumeliosus fuerit, et diligenter reliquo tempore provideat, ne qua in re amicitiam laesisse videatur, quae duo obedientiam adjunctam habeant necesse est. Hominem enim legi, sive naturali et divinae, sive humanae, quibus subjectus est, parere convenit. Quare si quid poenitens alteri per vim aut per fraudem abstulit, restituat oportet, itemque alicujus aut commodi aut officii compensatione illi satisfaciat, cujus dignitatem aut vitam dicto factove violavit. Tritum enim est omnium sermone, quod apud Sanctum Augustinum *(Epist. LIV. ad Macedonium)* legimus: Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Neque vero inter caetera, quae ad Contritionem maxime pertinent, minus diligenter et necessario curandum est, ut quidquid injuriarum ab altero acceperis, id totum remittatur ac condonetur.

Ita enim Dominus et Salvator noster monet atque denunciat *(Matth. VI. 14. 15.)*: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester coelestis delicta vestra: si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Haec sunt, quae fidelibus in Contritione observanda sunt: caetera, quae ad hanc rem colligi a Pastoribus facile poterunt, efficient quidem, ut in suo genere Contritio sit magis perfacta et absoluta: verum adeo necessaria existimanda non sunt, ut sine his verae et salutaris poenitentiae ratio constare non possit.

§. 426. Sed quoniam non satis esse Pastoribus debet, si ea doceant, quae ad salutem videntur pertinere, nisi etiam omni cura et industria laborent, ut fideles ad eam ipsam rationem, quae illis praescripta est, vitam actionesque suas dirigant, vehementer proderit, Contritionis vim et utilitatem saepius proponere. Nam cum pleraque alia pietatis studia; veluti beneficentia in pauperes, jejunia, preces et alia id genus sancta et honesta opera, hominum culpa, a quibus proficiscuntur, a Deo interdum repudientur, ipsa certe Contritio nunquam illi grata et accepta esse non potest. Nam inquit Propheta *(Psalm. L, 19.)*: *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Quinetiam statim, ut eam mentibus nostris concepimus, peccatorum remissionem nobis a Deo tribui, alio loco ejusdem Prophetae verba illa declarant *(Psalm. XXXI, 5.)*: *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.* Atque ejus rei figuram in decem leprosis *(Luc. XVII.)* animadvertimus; qui a Salvatore nostro ad Sacerdotes missi, antequam ad illos pervenirent, a lepra liberati sunt. Ex quo licet cognoscere, vera Contritionis (de qua supra dictum est) eam vim esse, ut illius beneficio omnium delictorum veniam statim a Domino impetremus.

§. 427. Plurimum etiam valebit ad fidelium mentes excitandas, si Pastores rationem aliquam tradiderint, qua se quisque ad Contritionem exercere possit. Monere autem oportet, ut omnes conscientiam suam frequenter excutientes videant, num quae a Deo sive ecclesiasticis sanctionibus praecepta sunt servaverint. Quod si quis alicujus sceleris reum se esse cognoverit, statim se ipsum accuset, supplexque a Domino veniam ex-

poscat et spatium tum confitendi, tum satisfaciendi sibi dari postulet, inprimisque divinae gratiae praesidio se adjuvari petat, ne in posterum eadem illa peccata admittat, quae admisisse vehementer poenitet. Curandum erit praeterea Pastoribus, ut in peccatum summum fidelium odium concitetur: tum quia summa est illius foeditas et turpido, tum quia gravissima damna et calamitates nobis affert. Nam Dei benevolentiam, a quo maxima bona accepimus, longeque majora expectare et consequi licebat, a nobis abalienat et summorum dolorum cruciatibus perpetuo afficiendos, sempiternae morti nos addicit.

## CAPUT VII.

*De Confessionis utilitate* §. 428—431*; de Confessionis sacramentalis natura ac institutione* §. 432—434*; de ejusdem Ritibus ac Caeremoniis* §. 435.

§, 428. Hactenus de Contritione, nunc ad Confessionem quae est altera Poenitentiae pars, veniamus. Quantum vero curae et diligentiae in ea explicanda ponere Pastores debeant, ex eo facile intelligent, quod omnibus vere piis persuasum est, quidquid hoc tempore sanctitatis, pietatis et religionis, in Ecclesia summo Dei beneficio conservatum est, id magna ex parte Confessioni tribuendum esse, ut nulli mirandum sit, humani generis hostem, cum fidem catholicam funditus evertere cogitat, per ministros impietatis suae et satellites, hanc veluti christianae virtutis arcem totis viribus oppugnare conatum esse.

§. 429. Primum itaque docendum est, Confessionis institutionem nobis summopere utilem atque adeo necessariam fuisse. Ut enim hoc concedamus, Contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeo vehementem, acrem ac incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine aequari, conferrique possit? At quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam, ut a paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset. Quare necesse fuit, ut clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret, quod quidem admirabili consilio effecit, cum claves regni coelestis Ecclesiae tradidit. Etenim ex fidei catholicae doctrina omnibus credendum et constanter

affirmandum, si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare constituat, etsi ejusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit, ei tamen, cum peccata Sacerdoti rite confessus fuerit, vi clavium, scelera omnia remitti ac condonari; ut merito a sanctissimis viris Patribus nostris celebratum sit, Ecclesiae clavibus aditum in coelum aperiri: de quo nemini dubitare fas est, cum a Florentino Concilio decretum legamus, poenitentiae effectum esse absolutionem a peccatis.

§. 430. Verum ex eo praeterea licet cognoscere, quantam afferat Confessio utilitatem, quod iis, quorum est corrupta vitae consuetudo, nihil tam prodesse ad mores emendandos experimur, quam si interdum occultas animi sui cogitationes, facta dictaque omnia prudenti et fideli amico patefaciant, qui eos opera et consilio juvare possit. Quare ad eandem rationem maxime salutare existimandum est iis, qui scelerum conscientia agitantur, ut Sacerdoti, tamquam Christi Domini Vicario, cui perpetui silentii severissima lex proposita est, animae suae morbos et vulnera aperiant, statim enim parata sibi medicamenta invenient, quae non solum praesentis aegritudinis sanandae, verum ita praeparandae animae coelestem quandam vim habent, ut deinceps facile futurum non sit, in ejusdem morbi et vitii genus recidere.

§. 431. Neque vero illa Confessionis utilitas praetermittenda, quae ad vitae societatem et conjunctionem magnopere pertinet. Constat enim, si sacramentalem Confessionem e christiana disciplina exemeris, plena omnia occultis et nefandis sceleribus futura esse, quae postea et alia etiam multo graviora, homines peccati consuetudine depravati, palam committere non verebuntur: etenim confitendi verecundia, delinquendi cupiditati et licentiae tamquam fraenos injicit et improbitatem coërcet.

§. 432. Sed jam Confessionis utilitate exposita, quae sit ejus natura et vis Pastoribus tradendum erit. Eam igitur definiunt esse peccatorum accusationem, quae ad Sacramenti genus pertinet, eo susceptam, ut veniam virtute clavium impetremus. Recte autem Accusatio

dicitur, quod peccata ita commemoranda non sunt, quasi scelera nostra ostentemus, ut ii faciunt, qui laetantur cum male fecerint, aut omnino enarranda, ut si rem aliquam gestam otiosis auditoribus delectandi causa exponamus; verum accusatorio animo ita enumeranda sunt, ut ea etiam in nobis vindicare cupiamus. Veniae autem impetrandae causa peccata confitemur, quoniam hoc judicium longe dissimile est forensibus capitalium rerum quaestionibus, in quibus confessioni poena et supplicium, non culpae liberatio et errati venia constituta est. In eandem fere sententiam, quamvis aliis verbis, sanctissimi Patres videntur Confessionem definivisse, veluti cum Sanctus Augustinus inquit *(citat. a S. Thoma in Sent. IV. Dist. XVII. Quaest. III. Artic. II.)*: Confessio est, per quam morbus latens spe veniae aperitur; et Sanctus Gregorius *(Moral. VIII, 15.)*: Confessio est peccatorum detestatio; quarum utraque, quod in superiori definitione continetur, facile ad eam referri poterit.

§. 433. Sed jam, quod omnium maximi faciendum est, docebunt Parochi ac sine ulla dubitatione fidelibus tradent, hoc Sacramentum a Christo Domino, qui bene omnia et unius salutis nostrae causa fecit, ob ejus summam bonitatem et misericordiam institutum esse. Apostolis enim, post resurrectionem unum in locum congregatis, insufflavit, dicens *(Joh. XX, 22. 23.)*: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Cum igitur Dominus potestatem retinendi et remittendi peccata Sacerdotibus tribuerit, perspicuum est, ipsos etiam ea de re judices constitutos fuisse. Atque idem significare visus est Dominus, cum Apostolis *(Joh. XI.)* id negotii dedit, ut Lazarum a mortuis excitatum a vinculis solverent, quibus constrictus erat. Nam Sanctus Augustinus *(Lib. de vera et falsa Poenit. Cap. 10.)* eum locum ita explanat: Ipsi, inquit, Sacerdotes plus jam possunt proficere, plus confitentibus parcere, quibus crimen remittunt. Dominus scilicet per ipsos Apostolos Lazarum, quem jam suscitaverat, obtulit discipulis solvendum: ostendens potestatem solvendi esse concessam Sacerdotibus. Quo etiam pertinet, quod iis qui a lepra in itinere curati sunt praeceperat, ut Sacerdotibus se ostenderent illorumque judicium subirent. Cum igitur Dominus potestatem remittendi et retinendi peccata

Sacerdotibus tribuerit; perspicuum est, ipsos etiam ea de re judices constitutos fuisse.

§. 434. At quoniam, ut sancta Tridentina Synodus (§. 203) sapienter admonuit, de qualibet re verum judicium fieri, atque in repetendis criminum poenis justitiae modus teneri non potest, nisi plane cognita et perspecta causa fuerit; ex eo sequitur, ut poenitentium Confessione singulatim peccata omnia Sacerdotibus patefacienda sint. Haec igitur Pastores docebunt, quae a sancta Tridentina Synodo decreta ac perpetuo a catholica Ecclesia tradita sunt. Si enim sanctissimos Patres attente legimus, nusquam non apertissima testimonia occurrunt, quibus confirmetur, hoc Sacramentum a Christo Domino constitutum esse, et Confessionis sacramentalis legem, quam illi Exomologesin et Exagoreusin Graeco vocabulo appellant, tamquam evangelicam accipiendam esse. Quod si etiam Veteris Testamenti figuras exquirimus, sine dubio ad peccatorum Confessionem videntur pertinere varia illa sacrificiorum genera, quae ad expianda diversi generis peccata a Sacerdotibus fiebant.

§. 435. Sed quemadmodum Confessionem a Domino Salvatore institutam esse fideles docendi sunt, ita etiam monere eos oportet, quosdam Ritus et solennes Caeremonias Ecclesiae autoritate additas esse; quae etsi ad Sacramenti rationem non spectant, ejus tamen dignitatem ante oculos ponunt et confitentium animos pietate accensos ad Dei gratiam facilius consequendam praeparant. Cum enim aperto capite ad pedes Sacerdotis abjecti, demisso in terram vultu, supplices manus tendentes, aliaque hujusmodi christianae humilitatis signa dantes, quae ad Sacramenti rationem necessaria non sunt, peccata confitemur, ex his perspicue intelligimus, tum in Sacramento coelestem vim agnoscendam, tum a nobis divinam misericordiam summo studio requirendam atque efflagitandam esse.

## CAPUT VIII.

*Quam necessarius sit Lapsis usus Confessionis* §. 436; *qua aetate, quoties et quando confitendum* §. 437.

§. 436. Jam vero nemo existimet Confessionem a Domino quidem institutam, sed ita tamen, ut ejus usum

necessarium esse non edixerit. Etenim sic statuant fideles, oportere eum, qui mortali scelere premitur, Confessionis Sacramento ad spiritualem vitam revocandum esse; quod quidem pulcherrima translatione a Domino aperte significatum videmus, cum hujus Sacramenti administrandi potestatem, *clavem regni coelorum* appellavit *(Matth. XVI, 19.)*. Ut enim locum aliquem ingredi nemo potest, sine ejus opera, cui claves commissae sunt, sic intelligimus, neminem in coelum admitti, nisi fores a Sacerdotibus, quibus fidei claves Dominus tradidit, aperiantur. Aliter enim nullus plane clavium usus in Ecclesia esse videbitur; ac frustra is cui clavium potestas data est, quempiam coeli aditu prohibebit, si tamen alia via introitus patere queat. Hoc vero praeclare a Sancto Augustino *(Lib. L. Homil. 49.)* cognitum est, cum inquit: Nemo sibi dicat, occulte ago apud Dominum poenitentiam: novit Deus qui mihi ignoscat, quid in corde ago: ergo sine causa dictum *(Matth. XVIII, 18.)*: Quae solveritis in terra, soluta erunt in coelo? ergo sine causa Claves datae sunt Ecclesiae Dei? Atque in eandem sententiam Sanctus Ambrosius *(Lib. I. de Poenit. Cap. 2.)* scriptum reliquit; cum Novatianorum haeresin convelleret, qui soli Domino potestatem peccata remittendi reservandam asserebant: Ecquis Deum, inquit, magis veneratur; qui ne mandatis illius obtemperat, an qui resistit? Deus nobis jussit, ejus ministris obtemperare, quibus cum pareamus, honorem soli Deo deferimus.

§. 437. Sed cum minime dubitari possit, Confessionis legem ab ipso Domino latam et constitutam esse, sequitur, ut videndum sit, quinam, quo aetatis et anni tempore ei parere debeant. Primum itaque ex Lateranensis Concilii Canone, cujus initium est: *Omnes utriusque sexus*, perspicitur, neminem Confessionis lege adstrictum esse ante eam aetatem, qua rationis usum habere potest; neque tamen ea aetas certo aliquo annorum numero definita est. Sed illud universe statuendum videtur, ab eo tempore Confessionem puero indictam esse, cum inter bonum et malum discernendi vim habet, in ejusque mentem dolus cadere potest. Nam cum ad id vitae tempus quisque pervenerit, in quo de salute aeterna deliberandum est, tum primum Sacerdoti peccata confiteri debet, cum aliter salutem sperare nemini liceat,

qui scelerum conscientia premitur. Quo vero potissimum tempore confiteri oporteat, eo Canone, de quo antea diximus, Sancta Ecclesia decrevit: jubet enim semel saltem quotannis fideles omnes peccata sua confiteri. Verum si quid salutis nostrae ratio postulet consideremus, profecto quoties vel mortis periculum imminet, vel aliquam rem tractare aggredimur, cujus tractatio homini peccatis contaminato non conveniat (veluti, cum Sacramenta administramus aut percipimus) toties Confessio praetermittenda non est. Atque idem omnino servare oportet, cum veremur, ne nos alicujus culpae, quam admiserimus, oblivio capiat, neque peccatorum veniam a Domino impetramus, nisi ea Poenitentiae Sacramentum per Confessionem deleat.

## CAPUT IX.

### *De modo confitendi, seu conditionibus quae ad Confessionem requiruntur* §. 438 — 443.

§. 438. Sed quoniam multa in Confessione observanda sunt, quorum alia ad Sacramenti naturam pertinent, alia non ita necessaria sunt; de his accurate agendum erit. Neque enim desunt libelli et commentarii, ex quibus facile est horum omnium explicationem depromere. Illud autem inprimis doceant Parochi, in Confessione curandum esse, ut integra et absoluta sit: etenim omnia mortalia peccata Sacerdoti aperire oportet. Nam venialia, quae nos a Dei gratia non divellunt, et in quae frequentius labimur, tametsi recte atque utiliter, quod piorum usus demonstrat, confitemur, tamen sine culpa praetermitti, multisque aliis rationibus expiari possunt. At mortifera peccata, ut jam diximus, singula enumeranda sunt, quamvis etiam occultissime lateant et ejus generis sint, quae duobus tantum extremis Decalogi capitibus interdicuntur. Saepe enim evenit, ut ea gravius animam vulnerent, quam illa, quae aperte ac palam peccare homines solent. Ita vero a Sancta Tridentina Synodo (§. 204) definitum, atque a catholica Ecclesia semper traditum est, quemadmodum Sanctorum Patrum testimonia declarant. Est enim apud Sanctum Ambrosium *(Lib. de Parad. Cap. 14.)* in hunc modum: Non potest quis justificari a peccato, nisi confessus fuerit peccatum. Sanctus etiam Hieronymus in Eccle-

siaste *(Super illud Cap. X, 11.): Si mordeat serpens etc.)* idem plane confirmat. Inquit enim: Si quem serpens Diabolus occulte momorderit, et nullo conscio eum peccati veneno infecerit, si tacuerit et poenitentiam non egerit nec vulnus suum fratri aut magistro voluerit confiteri; magister, qui linguam habet ad curandum, prodesse non poterit. Praeterea Sanctus Cyprianus in Sermone de Lapsis *(Serm. V. c. fin.)* apertissime hoc docet his verbis: Quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti sint, quoniam tamen de eo cogitaverunt, id ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter confiteantur. Denique haec omnium Ecclesiae Doctorum communis vox est atque sententia. Sed in Confessione summa illa cura et diligentia adhibenda est, quam in rebus gravissimis ponere solemus; omneque studium ita eo conferendum, ut sanemus animae vulnera et peccati radices evellamus.

§. 439. Neque vero solum peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa quae unum quodque peccatum circumstant et pravitatem valde augent vel minuunt. Quaedam enim circumstantiae adeo graves sunt, ut peccati mortiferi ratio ex illis tantum constet, quare haec omnia semper confiteri oportet. Si quis enim hominem interemerit, explicandum est, utrum ille sacris initiatus, an profanus fuerit. Itemque, si cum muliere concubuit, matrimonii ne lege libera, aut alterius uxore, aut propinqua, aut alicujus voti sponsione Deo consecrata, aperiatur necesse est. Haec enim diversa peccatorum genera constituunt, ita ut primum quidem simplex fornicatio, alterum adulterium, tertium incestus, quartum sacrilegium a divinarum rerum doctoribus appelletur. Furtum etiam in peccatis numerandum est; verum si quis aureum nummum furetur, levius omnino peccat, quam is, qui centum, vel ducentos, vel ingentem aliquam auri vim, praesertim vero, qui sacram pecuniam abstulit. Quae etiam ratio ad locum et ad tempus pertinet; quorum exempla notiora sunt ex multorum libris, quam ut a nobis commemorentur. Haec igitur, ut diximus, enumeranda sunt, quae vero pravitatem rei magnopere non augent, sine crimine omitti possunt.

§. 440. Sed ad Confessionem adeo necessarium est, ut, quod antea diximus, integra et absoluta sit, ut si quis dedita opera, alia quidem ex iis, quae explicari

debent, praetermittat, alia vero tantummodo confiteatur, non solum ex ea Confessione is commodum nullum consequatur, sed etiam novo scelere se obstringat, neque ejusmodi peccatorum enumeratio Confessionis nomine, in qua Sacramenti ratio insit, appellanda est: quin potius poenitenti Confessionem repetere est necesse, seque ipsum illius peccati reum facere, quod Sacramenti sanctitatem simulatione Confessionis violaverit.

§. 441. At vero, si alia de causa Confessioni aliquid defuisse videatur, vel quia poenitens nonnulla crimina oblitus fuerit, vel quia conscientiae suae latebras non ita accurate perquisiverit, cum tamen illud in animo haberet, ut integre peccata omnia confiteretur, nihil ei opus erit Confessionem iterare; satis autem habebit, si quando peccata, quae oblitus erat, in memoriam reduxerit, ea Sacerdoti alio tempore confiteri. In quo tamen animadvertendum est, ne forte nimis dissolute et remisse conscientiam nostram scrutati simus, adeoque negligenter peccata admissa memoria repetere studuerimus, ut ea ne recordari quidem voluisse merito videri possimus: id enim si factum fuerit, Confessionem iterare omnino oportebit.

§. 442. Praeterea curandum est, ut Confessio nuda, simplex et aperta sit, non artificiose composita, ut a nonnullis fit, qui potius vitae suae rationem exponere, quam peccata confiteri videntur. Ea enim Confessio esse debet, quae nos tales Sacerdoti aperiat, quales nos ipsos novimus, certaque pro certis, ac dubia pro dubiis demonstret. Quod si vel peccata non recensentur, vel alieni a re quam tractamus sermones inseruntur, perspicuum est, Confessionem hac virtute carere. Vehementer etiam commendandi sunt, qui prudentiam et verecundiam in explicandis rebus adhibent. Neque enim nimis multis verbis agendum est, sed quae ad cujusque peccati naturam et rationem pertinent, brevi oratione, quae modestiam conjunctam habeat, aperienda sunt.

§. 443. Illud vero tum confitenti tum Sacerdoti maxime laborandum est, ut eorum sermo in Confessione secreto habeatur. Quare fit, ut nemini omnino neque per nuntium, neque per literas, quoniam ea ratione nihil jam occulte agi potest, peccata confiteri liceat. Sed nulla res fidelibus adeo curae esse debet, quam ut

frequenti peccatorum Confessione animam studeant expiare. Etenim cum aliquis mortifero scelere urgetur, nihil ei magis salutare esse potest ob multa, quae impendent, vitae pericula, quam statim peccata sua confiteri. Nam, ut sibi quisque diuturnum vitae spatium polliceri queat, turpe profecto est, cum in eluendis corporis aut vestium sordibus tam diligentes simus, non eadem saltem diligentia curare, ne animae splendor turpissimis peccati maculis obsolescat

## CAPUT X.

*Quis legitimus sit Confessionis Minister* §. 444*; quae conditiones ad idoneum Ministrum requirantur* §. 445. 446.

§. 444. Sed jam de Ministro hujus Sacramenti dicendum est. Eum autem Sacerdotem esse, qui ordinariam aut delegatam absolvendi potestatem habeat, ex ecclesiasticis Sanctionibus satis apparet. Habeat enim oportet non solum Ordinis, verum etiam Jurisdictionis potestatem, qui hoc munere fungi debet. Illustre vero hujus Ministerii testimonium praebent illa Domini verba apud Sanctum Johannem *(Joh. XX,* 23.*): Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Neque enim omnibus, sed Apostolis tantum, haec dicta fuisse, constat, quibus in hac functione Sacerdotes succedunt; idque etiam maxime consentaneum est. Nam cum omne gratiae genus, quae hoc Sacramento tribuitur, a Christo capite ad membra derivetur; merito debent corpori Christi mystico, id est, fidelibus illud administrare, qui soli verum ejusdem corpus conficiendi potestatem habent; cum praesertim fideles hoc ipso Poenitentiae Sacramento ad sacram Eucharistiam sumendam apti idoneique reddantur. Verum quanta olim religione in antiqu ssima Ecclesia jus ordinarii Sacerdotis conservatum fuerit, ex veteribus Patrum Decretis facile intelligitur, quibus cautum est, ne quis Episcopus, aut Sacerdos in alterius parochia aliquid gerere auderet, sine ejus autoritate, qui illi praeesset, aut nisi magna necessitas cogere videretur. Ita vero ab Apostolo sancitum est, cum Tito (I, 5.) praecepit, ut in singulis civitatibus Sacerdotes constitueret, qui scilicet doctrinae et Sacramentorum coelesti pabulo fideles alerent et educarent.

Quamquam, si mortis periculum imminet et proprii Sacerdotis facultas non datur, ne hac occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum fuisse, Concilium Tridentinum (§. 211.) docet, ut unicuique Sacerdoti liceret, non solum omni peccatorum genere, cujuscunque potestatis sit, illa condonare, sed etiam ab excommunicationis vinculo solvere.

§. 445. Jam praeter Ordinis et Jurisdictionis potestatem, quae prorsus necessaria sunt, inprimis opus est, ut hujus Sacramenti Minister tum scientia et eruditione, tum prudentia praeditus sit. Judicis enim et Medici simul personam gerit. Ac quod ad primum attinet, satis constat, non vulgarem scientiam necessariam esse, qua et peccata investigare, et ex variis peccatorum generibus, quae gravia, quae levia sint, pro cujusque hominis ordine et genere judicare possit. Ut autem Medicus est, summa quoque prudentia indiget. Etenim diligenter providendum est, ut ea remedia aegroto adhibeantur, quae ad illius animam sanandam, et in posterum contra morbi vim muniendam aptiora esse videantur. Ex quo poterunt fideles intelligere, cuivis maximo studio curandum esse, ut eum sibi Sacerdotem deligat, quem vitae integritas, doctrina, prudens judicium commendet, qui et quantum in eo officio, cui praeest, ponderis ac momenti sit et quae cuique sceleri poena conveniat et qui vel solvendi vel ligandi sint, optime noverit.

§. 446. Sed quoniam nemo est, qui non vehementer cupiat scelera et turpitudinem suam occultari, monendi sunt fideles, nihil esse quod timeant, ne ea, quae ipsi Confessione patefecerint, a Sacerdote ulli unquam indicentur, neve aliquod ex ea periculi genus sibi ullo tempore creari possit. Sacrae enim Sanctiones gravissime in eos Sacerdotes animadverti voluerunt, qui peccata omnia, quae aliquis eis confessus fuerit, perpetuo et religioso silentio compressa non tenuerint. Quare in Concilio Lateranensi Magno ita legimus: *Caveat omnino Sacerdos, ne verbo vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem.*

## CAPUT XI.

*De conditionibus ad Confessionem vere poenitentis necessariis, et quemadmodum Sacerdoti cum confitente agendum sit* §. 447 — 452.

§. 447. Sed jam ordo rerum postulat, cum de Ministro dictum sit, ut quaedam praecipua capita explicentur, quae ad Confessionis usum et tractationem non parum sunt accommodata. Magna enim fidelium pars, quibus vulgo nihil longius videri solet, quam ut dies illi, qui ecclesiastica lege Confessioni praefiniti sunt, effluant: tantum absunt a christiana perfectione, ut vix peccatorum suorum meminerint, quae Sacerdoti patefacienda essent, nedum caetera diligenter curent, quae ad divinam gratiam conciliandam vim habere maximam perspicuum est. Quare, cum illorum saluti omni studio succurrendum sit, hoc primum Sacerdotes in poenitente diligenter observabunt, si veram peccatorum suorum Contritionem habeat, certumque illi sit ac deliberatum, in posterum a peccatis abstinere. Quod si ita animo affectum esse animadverterint, moneant et vehementer hortentur, ut pro tanto et tam singulari beneficio maximas gratias Deo agat, ab eoque coelestis gratiae praesidium petere nunquam desinat, quo munitus ac tectus facile poterit pravis cupiditatibus resistere ac repugnare.

§. 448. Docendus est etiam, ut nullum patiatur esse diem, quin aliquid de Passionis Domini nostri mysteriis meditetur, ad eumque imitandum et summa charitate amandum ipse se excitet atque inflammet. Hac enim meditatione assequetur, ut ab omnibus Daemonis tentationibus indies se tutiorem esse sentiat. Neque enim ulla alia est causa, cur tam cito vel leviter ab hoste impugnati, animo et viribus succumbamus, quam quod ex coelestium rerum meditatione divini amoris ignem concipere non studemus, quo mens recreari atque erigi possit. Sin autem Sacerdos intellexerit, eum, qui velit confiteri, adeo peccata sua non dolere, ut vere contritus dicendus sit, conetur magno Contritionis desiderio eum afficere, ut deinde hujus praeclari doni cupiditate incensus, illud a Dei misericordia petere et efflagitare in animum inducat.

§. 449. Inprimis autem reprimenda est quorundam superbia, qui scelera sua excusatione aliqua vel defendere vel minora facere nituntur. Nam exempli causa, cum aliquis fateatur, se ira vehementius commotum fuisse, statim hujus perturbationis causam in alium confert, a quo prius sibi injuriam factam esse queritur. Monendus itaque est, hoc elati animi et hominis peccati sui magnitudinem vel despicientis, vel plane ignorantis signum esse, tum vero ejusmodi excusationis genus, ad augendum potius quam minuendum peccatum pertinere. Nam qui ita factum suum probare contendit, hoc videtur profiteri, se tunc patientia usurum esse, cum a nemine injuria laedetur, quo quidem nihil homine christiano indignius esse potest. Etenim cum illius vicem dolere maxime debuerit, qui injuriam fecit, tamen non peccati pravitate commovetur, sed fratri irascitur, ac cum ei praeclara occasio oblata fuerit, ut Deum patientia colere et fratrem mansuetudine sua corrigere possit, salutis materiam ad perniciem suam convertit.

§. 450. Perniciosior autem est illorum culpa existimanda, qui stulta quadam verecundia impediti, peccata confiteri non audent. Iis igitur hortando animos addere oportet, monendique sunt, nihil esse quod vitia sua aperire vereantur, nullique mirum videri debere, si intelligat homines peccare, qui quidem communis est omnium morbus et in humanam imbecillitatem proprie cadit.

§. 451. Alii sunt, qui, vel quod raro peccata confiteri solent, vel quod nullam curam et cogitationem in pervestigandis suis sceleribus posuerunt, nec commissa Confessione expedire, nec unde ejus officii initium ducendum sit, satis sciunt: quos certe acrius objurgare opus est, atque inprimis docere, priusquam ad Sacerdotem aliquis adeat, omni studio curandum esse, ut peccatorum suorum Contritione commoveatur: id vero praestari nullo modo posse, nisi ea reminiscendo singulatim recognoscere studeat. Quare si Sacerdos hujusmodi homines prorsus imparatos esse cognoverit, humanissimis verbis a se dimittet hortabiturque, ut ad cogitanda peccata aliquod spatium sumant, ac deinde revertantur. Quod si forte affirmaverint, se in eam rem omne studium et diligentiam suam contulisse (quoniam Sacerdoti maxime verendum est, ne semel dimissi, am-

plius non redeant), audiendi erunt, praesertim vero, si emendandae vitae studium aliquod prae se ferant, adducique possint, ut negligentiam suam accusent, quam se alio tempore diligenti et accurata meditatione compensaturos promittant: in quo tamen magna cautio adhibenda est. Si enim audita Confessione judicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem Poenitenti omnino defuisse, absolvi poterit: sin autem utrumque in eo desiderari animadverterit, autor illi et suasor erit, ut majorem curam, quod antea dictum est, in excutienda conscientia adhibeat, hominemque, ut blandissime poterit, tractatum dimittet.

§. 452. Sed quoniam interdum contingit, ut mulieres alicujus sceleris in priori Confessione oblitae, iterum ad Sacerdotem non audeant redire, quod vereantur, ne vel in suspicionem magnae improbitatis populo veniant, vel singularis religionis laudem quaerere existimentur: saepe tum publice tum privatim docendum est, neminem tanta memoria esse, qui omnia sua facta dicta et cogitata meminisse queat: quapropter fideles nulla re deterrendos esse, quo minus ad Sacerdotem revertantur, si in memoriam alicujus criminis redierint, quod antea fuerit praetermissum. Haec igitur, atque alia hujus generis multa, in Confessione a Sacerdotibus observanda erunt.

## CAPUT XII.

*Quid sit Satisfactio* §. 453—455; *quam necessaria sit* §. 456; *quare dimissa culpa non omnis poena per Sacramentum Poenitentiae remittatur* §. 457—460; *Satisfactionis quanta vis sit, et unde ipsa pendeat* §. 461.

§. 453. Nunc ad tertiam Poenitentiae partem, quae Satisfactio appellatur, veniendum est. Primum itaque Satisfactionis nomen et vis exponenda est. Hinc enim catholicae Ecclesiae hostes amplam occasionem dissidii et discordiae, cum maxima christiani populi pernicie, arripuerunt. Est autem Satisfactio, rei debitae integra solutio: nam quod satis est, ei nihil videtur deesse. Quare cum de gratiae reconciliatione loquimur, idem Satisfacere significat, quod alteri tantum praestare, quantum irato animo ad ulciscendam injuriam satis esse

ossit: atque ita Satisfactio nihil aliud est, quam injuiae alteri illatae compensatio. Quod autem ad hunc ocum pertinet, Satisfactionis nomen divinarum rerum Doctores ad declarandam eam compensationem usurpaunt, cum homo pro peccatis commissis Deo aliquid ersolvit.

§. 454. Quo in genere quoniam multi gradus esse ossunt, hinc fit, ut Satisfactio varie accipiatur. Ac rima quidem et praestantissima illa est, qua pro scelerum nostrorum ratione, etiamsi Deus summo jure noiscum velit agere, quidquid a nobis debeatur, cumulate ersolutum est. Haec vero ejusmodi esse dicitur, quae obis Deum propitium et placatum reddidit, eamque uni Christo Domino acceptam ferimus, qui in cruce pretio ro peccatis nostris soluto, plenissime Deo satisfecit. Neque enim ulla res creata tanti esse potuit, quae nos am gravi debito liberaret: atque, ut Sanctus Joannes estatur (1 *Joh. II*, 2.): *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam ro totius mundi.* Haec igitur plena et cumulata est Satisfactio, scelerum omnium rationi, quae in hoc seculo ommissa sunt, pariter aequaliterque respondens: cujus ondere hominum actiones apud Deum plurimum valent, c sine eo nulla prorsus aestimatione dignae haberenur. Atque huc Davidis verba videntur spectare, qui, ostquam secum ipse reputans, illud protulisset (*Psal. CXV*, 12. 13.): *Quid retribuam Domino pro omnibus, uae retribuit mihi?* nihil praeter hanc Satisfactionem, quam Calicis nomine expressit, dignum tot tantisque eneficiis invenire potuit; quare subjecit: *Calicem saluaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* Alterum Satisfactionis genus, quae et canonica appellatur, et erto temporis spatio definita perficitur. Quare antiquissimae Ecclesiae usu receptum est, ut, cum poenientes a peccatis solvuntur, poena aliqua istis irrogetur; cujus poenae solutio, Satisfactio vocari consuevit. Eodem ero nomine quodlibet etiam poenae genus significatur, quam pro peccatis, non quidem a Sacerdote constituam, sed sponte nostra susceptam, atque a nobis ipsis repetitam, sustinemus.

§. 455. Verum haec ad Poenitentiam, ut Sacramentum est, minime pertinet: sed illa tantum Sacramenti pars censenda est, quam diximus ex praecepto

Sacerdotis Deo pro peccatis dependi; hoc adjuncto, ut statutum cum animo et deliberatum habeamus, peccata in posterum omni studio vitare. Ita enim nonnulli *(Anselmus Lib. I. Cur Deus homo. Cap. 11.)* definierunt; *Satisfacere est Deo debitum honorem impendere.* Quod aut nemo debitum honorem Deo possit tribuere, nisi qui peccata omnino vitare constituat, satis apparet. Et *(August. de Eccles. dogmatib. Cap. 14.)*: *Satisfacere, est causas peccatorum excidere, et eorum suggestioni aditum non indulgere.* In quam sententiam alii assenserunt, Satisfactionem esse purgationem qua eluitur, quidquid propter peccati maculam in anima resedit, atque a poenis tempore definitis, quibus tenebamur, absolvimur.

§. 456. Quae cum ita sint, facile erit fidelibus persuadere, quam necessarium sit, ut poenitentes in hoc Satisfactionis studio se exerceant. Docendi enim sunt, duo esse quae peccatum consequuntur, maculam et poenam: ac quamvis semper culpa dimissa, simul etiam mortis aeternae supplicium, apud inferos constitutum condonetur, tamen non semper contingit, quemadmodum a Tridentina Synodo (§. 235. 235) declaratum est, ut Dominus peccatorum reliquias et poenam, certo tempore definitam, quae peccatis debetur, remittat. Cujus rei perspicua sunt exempla in Sacris Literis; Genes. III, 16—19. Num. XII. et XX. et aliis permultis locis: sed illud Davidis *(1 Regg. XII.)* clarissimum et maxime illustre intuemur, cui etsi Nathan dixerat; Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris: is tamen gravissimas poenas ultro subiit. Dei misericordiam his verbis, dies noctesque implorans *(Psalm. L, 4. 5.)*: *Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me: quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.* Quibus verbis illud petitum est a Domino, ut non solum crimen, sed poenam etiam crimini debitam condonaret, atque a peccati reliquiis purgatum, in pristinum decoris et integritatis statum restitueret. Atque haec cum summis precibus peteret, eum tamen Dominus, tum filii ex adulterio suscepti, tum Absolonis, quem unice diligebat, defectione et morte mulctavit, aliisque poenis et calamitatibus affecit, quas illi antea intentarat. In Exodo etiam *(Exod. XXXII, 14. 34.)*, etsi Dominus Moysis precibus exoratus, populo idololatrae pepercerat, tamen minatus

est, se tanti flagitii graves poenas repetiturum esse: ipseque Moyses testatus est, fore ut illud Dominus severissime in tertiam et quartam usque generationem ulcisceretur. Haec vero a Sanctis Patribus in Ecclesia catholica semper tradita esse, ipsorum autoritate apertissime comprobatur.

§. 457. Verum qua de causa factum sit, ut poena omnis Poenitentiae Sacramento aeque ac Baptismo non condonetur, praeclare a Sancta Tridentina Synodo (§. 212) explicatum est his verbis: Divinae justitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter vero, qui semel a peccati et Daemonis servitute liberati, et accepto Spiritus Sancti dono, scientes templum Dei violare et Spiritum Sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla Satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii et contumeliosi Spiritui Sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die irae. Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi fraeno quodam coërcent hae satisfactoriae poenae, cautioresque et vigilantiores in posterum poenitentes efficiunt. Accedit, ut tamquam testificationes quaedam sint doloris, quem ex peccatis commissis capimus: qua ratione Ecclesiae fit satis, quae nostris sceleribus offensa est. Nam ut Sanctus Augustinus *(Enchirid. Cap. 64.)* ait: *Cor contritum et humiliatum Deus non spernit.* Verum, quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba, vel alia quaecunque signa procedit, recte ab iis, qui Ecclesiae praesunt, tempora Poenitentiae constituuntur, ut Ecclesiae, in qua ipsa peccata remittuntur, satisfiat. Praeterea Poenitentiae nostrae exempla alios docent, quomodo ipsi vitam instituere et pietatem sequi debeant. Cum enim poenas nobis pro peccatis irrogatas caeteri homines intuentur, et summam cautionem sibi in omni vita adhibendam, et mores pristinos corrigendos esse intelligunt.

§. 458. Quare sapientissime illud ab Ecclesia observatum est, ut cum ab aliquo publice flagitium commissum esset, publica etiam Poenitentia ei indiceretur: ut caeteri timore perterriti deinceps peccata diligentius vitarent; quod etiam in occultis criminibus, quae gra-

viora essent, interdum fieri solitum erat. Sed ut diximus, in publicis hoc perpetuum fuit, ut qui ea commiserant, ante quam publicam Poenitentiam suscepissent, non absolverentur. Interim vero Pastores pro illorum salute Deum rogabant, atque, ut ipsi etiam poenitentes idem facerent, eos hortari non desinebant. Quo in genere summa fuit Sancti Ambrosii cura et sollicitudo, cujus lachrymis fertur quamplurimos, qui duro animo ad Poenitentiae Sacramentum accesserant, ita mollitos esse, ut verae Contritionis dolorem conceperint. Verum postea tantum de veteris disciplinae severitate remissum est, atque ita charitas refrixit, ut jam plerique ex fidelibus, ad peccatorum veniam impetrandam, nullum intimum animi dolorem atque gemitum cordis necessarium putent, sed illud satis esse arbitrentur, si speciem tantum dolentis habeant.

§. 459. Deinde vero hujusmodi poenarum perpessione consequimur, ut capitis nostri Jesu Christi, in quo passus est ipse et tentatus, similitudinem et imaginem geramus, Nihil enim tam deforme videri potest, ut a Sancto Bernardo *(Serm. V. de omnibus Sanctis)* dictum est, quam sub spinoso capite delicatum esse membrum. Nam, teste Apostolo *(Rom. VIII, 17.)*, *cohaeredes sumus Christi, si tamen compatimur,* et, quod alio loco *(2 Tim. II, 11. 12.)* scripsit, *si commortui sumus, et convivemus: si sustinebimus, et conregnabimus.* D. etiam Bernardus *(in Serm. de Coena Domini)* duo affirmat in peccato reperiri, maculam animae et plagam: ac turpitudinem quidem ipsam Dei misericordia tolli, verum sanandis peccatorum plagis, valde necessariam esse eam curam, quae in remedio Poenitentiae adhibetur. Quemadmodum enim, sanato vulnere, cicatrices quaedam remanent, quae et ipsae curandae sunt; ita in anima, culpa condonata, supersunt reliquiae peccatorum purgandae. Idem plane D. Chrysostomi *(Homil. LXXX. ad Popul. Antioch. et Homil. X. in Matth.)* sententia confirmat, cum ait: Non satis est sagittam e corpore extrahi, sed plaga quoque a sagitta inflicta, sananda est: sic etiam in anima post acceptam peccati veniam, Poenitentia curanda est plaga relicta. Frequentissime enim a Sancto Augustino *(in Psalm. L. ad verba: Ecce enim veritatem dilexisti)* docemur, duo haec in Poenitentia animadvertenda esse, Dei misericordiam,

et justitiam; misericordiam, qua peccata et poenas aeternas illis debitas condonat; justitiam, qua poenis tempore definitis hominem punit.

§. 460. Postremo, Poenitentiae poena a nobis suscepta, Dei animadversionem suppliciaque in nos constituta, antevertit. Ita enim docet Apostolus, cum ait (1 *Cor. XI*, 31. 32.): *Si nosipsos dijudicaremus, non utique judicaremur: dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Quae cum fidelibus explicata fuerint, vix fieri poterit, quo minus ad Poenitentiae opera maxime excitentur.

§. 461. Ejus autem quanta vis sit, ex eo colligitur, quod tota a Christi Domini passionis merito pendeat. A quo etiam honestis actionibus duo illa maxima bona consequimur. Alterum est, ut immortalis gloriae praemia mereamur, ita ut calix etiam aquae frigidae, quam in ejus nomine dederimus, mercede non careat: alterum, ut pro peccatis nostris satisfaciamus. Neque vero id perfectissimam et cumulatissimam Christi Domini satisfactionem obscurat; sed illud potius contra evenit, ut multo clariorem et illustriorem reddat. Eo enim copiosior Christi gratia videtur esse, quod non solum ea nobiscum communicantur, quae ipse solus, sed illa etiam, quae tanquam caput in membra, suis sanctis et justis hominibus promeruit ac persolvit; qua ratione fieri perspicuum est, ut justae et honestae piorum actiones tantum ponderis et dignitatis habeant. Christus enim Dominus, tanquam caput in membra et vitis in palmites, gratiam suam in eos, qui sibi per charitatem conjuncti sunt, continenter diffundit. Quae quidem gratia bona opera nostra semper antecedit, comitatur et consequitur, et sine qua mereri et satisfacere Deo nullo modo possumus. Atque ita fit, ut justis nihil deesse videatur, cum operibus, quae Dei virtute efficiunt, et divinae legi pro humana mortalique conditione satisfacere, et vitam aeternam, quam scilicet, si Dei gratia ornati e vita decesserint, consequentur, mereri possint. Nota est enim illa Salvatoris vox (*Joh. IV*, 13. 14.): *Qui autem biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.*

## CAPUT XIII.

*Quae requirantur in Satisfactione, quaeque ejus sint opera et praecipua capita* §. 462 — 465; *post Confessionem exigendam esse Restitutionem, quidque in irroganda Poena ac Satisfactionis modo observari debeat* §. 466. 467.

§. 462. Sed duo praecipue in Satisfactione requiruntur. Primum est, ut is qui satisfacit, justus sit ac Dei amicus. Opera enim quae sine fide et charitate fiunt, nullo modo Deo grata esse possunt. Alterum, ut ejusmodi opera suscipiantur, quae natura sua dolorem et molestiam afferant. Cum enim praeteritorum scelerum compensationes sint, atque, ut S. Martyr Cyprianus *(Lib. I. Epist.* 3. *post medium)* ait, redemptrices peccatorum: omnino necesse est, ut aliquid acerbitatis habeant. Quamquam non semper illud consequitur, ut qui se in illis molestis actionibus exercent, doloris sensum habeant. Saepe enim vel patiendi consuetudo, vel accensa in Deum charitas efficit, ut quae perpessu gravissima sunt, ne sentiantur quidem. Neque tamen idcirco fit, quo minus ea ipsa opera satisfaciendi vim habeant; siquidem hoc proprium est filiorum Dei, ita eius amore et pietate inflammari, ut acerbissimis laboribus cruciati, aut nihil fere incommodi sentiant, aut omnia perferant.

§. 463. Verum, omne Satisfactionis genus Pastores docebunt ad haec tria praecipue conferendum esse, Orationem, Ieiunium, Eleemosynam: quae quidem tribus bonis, animae, corporis, et iis, quae externa commoda dicuntur, quae omnia a Deo accepimus, respondent. Nihil vero aptius et convenientius ad exstirpandas omnium peccatorum radices esse potest. Nam cum omne quod est in mundo, concupiscentia carnis sit, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitae *(1 Joh. II,* 16.*)*: nemo non videt, hisce tribus morbi causis, totidem medicinas; priori scilicet Jejunium, alteri Eleemosynam, tertiae Orationem rectissime opponi. Praeterea, si eos etiam, qui peccatis nostris offenduntur, spectemus, facile erit intelligere, cur ad haec tria potissimum omnis Satisfactio referatur. Hi vero sunt, Deus, Proximus, Nos ipsi. Quare Deum Oratione placamus: Proximo Eleemosyna satisfacimus: Nos ipsos vero Jejunio castigamus.

§. 464. Sed quoniam multae variaeque aerumnae et calamitates, dum in hac vita sumus, nos premunt:

llud maxime fideles docendi sunt, eos, qui patienti animo, quidquid laboriosi et incommodi Deus immiserit, ferant; amplam satisfaciendi et merendi materiam nactos esse: qui autem inviti et repugnantes poenam hujusmodi sustineant, omni Satisfactionis fructu privari, sed Dei tantum, peccata iusto iudicio ulciscentis, animadversionem et supplicium perferre.

§. 465. In eo vero summa Dei bonitas et clementia maximis laudibus et gratiarum actionibus praedicanda est, qui humanae imbecillitati hoc condonavit, ut unus posset pro altero satisfacere. Quod quidem hujus partis Poenitentiae maxime proprium est Ut enim, quod ad Contritionem et Confessionem attinet, nemo pro altero dolere aut confiteri potest; ita qui divina gratia praediti sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur, persolvere: quare fit, ut quodam pacto *alter alterius onera portare (Gal. VI, 2.)* videatur. Nec vero de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum Symbolo, Sanctorum Communionem confitemur. Nam cum omnes eodem Baptismo abluti Christo renascamur, eorundem Sacramentorum participes simus, inprimis vero ejusdem Corporis et Sanguinis Christi Domini cibo et potu recreemur: hoc apertissime demonstrat, nos omnes ejusdem esse corporis membra. Quemadmodum igitur neque pes suae tantum, sed etiam oculorum utilitatis causa munere suo fungitur: neque rursus, quod oculi videant, ad illorum propriam, sed ad communem omnium membrorum utilitatem referendum est: ita communia inter nos Satisfactionis officia existimari debent. Neque tamen id sine ulla exceptione verum est, si commoda omnia quae ex ea capiuntur, spectemus. Nam Satisfactionis opera, medicinae etiam et curationes quaedam sunt, quae poenitenti ad sanandos pravos animi affectus praescribuntur: quo quidem utilitatis fructu eos, qui per se non satisfaciunt, prorsus carere perspicuum est. Haec igitur de tribus Poenitentiae partibus, Contritione, Confessione et Satisfactione, copiose et dilucide explicanda erunt.

§. 466. Sed illud inprimis a Sacerdotibus observari oportet, ut audita peccatorum Confessione, antequam poenitentem a peccatis absolvant, diligenter curent, ut si quid ille forte de re, aut de existimatione proximi

detraxerit, cuius peccati damnandus merito esse videatur, cumulata Satisfactione compenset. Nemo enim absolvendus est, nisi prius, quae cuiusque fuerint, restituere polliceatur. At quoniam multi sunt, quibus, etsi prolixe pollicentur se officio satis esse facturos, tamen certum est ac deliberatum, nunquam promissa exsolvere; omnino ii cogendi sunt ut restituant: saepeque illud Apostoli *(Ephes. IV, 28.)* eis inculcandum est, ut *qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.* In irroganda autem Satisfactionis poena, Sacerdotes nihil sibi suo arbitratu statuendum esse, sed omnia justitia, prudentia et pietate dirigenda existimabunt. Atque, ut hac regula peccata metiri videantur, et poenitentes scelerum suorum gravitatem magis agnoscant; operaepretium erit interdum eis significare, quae poenae quibusdam delictis ex veterum Canonum praescripto, qui poenitentiales vocantur, constitutae sint. Igitur universae Satisfactionis modum, culpae ratio temperabit. Sed ex omni Satisfactionum genere maxime convenit poenitentibus praecipere, ut certis aliquot et definitis diebus orationi vacent, ac pro omnibus et praesertim pro iis, qui ex hac vita in Domino decesserunt, preces Deo faciant.

§. 467. Hortari vero etiam eos oportet, ut saepe eadem Satisfactionis opera, a Sacerdote indicta, ultro suscipiant ac repetant, atque ita mores suos componant, ut iis omnibus, quae ad Poenitentiae Sacramentum pertinent, diligenter absolutis, tamen virtutis poenitentiae studia nunquam intermittant. Quod si interdum, etiam ob publicam offensionem, publica poenitentia praescribenda fuerit, quamvis eam poenitens refugiat ac deprecetur, non erit facile audiendus: verum persuadere ei oportebit, ut quae tum sibi, tum aliis salutaria futura sunt, libenti ac alacri animo excipiat.

Haec de Poenitentiae Sacramento singulisque eius partibus ita docenda erunt, ut non solum ea fideles perfecte intelligant, sed etiam, juvante Domino, reipsa pie et religiose praestare in animum inducant.

# DE EXTREMAE UNCTIONIS SACRAMENTO.

## CAPUT I.

*De nominibus et appellatione Extremae Unctionis, eamque proprii nominis Sacramentum esse* §. 468 — 470.; *De materia, forma, ritibus et precationibus, quae adhiberi solent* §. 471 — 474.

§. 468. Cum sancta Scripturarum oracula ita doceant (*Eccles. VII, 14.*): *in omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis;* tacite Parochi admonentur, nullum tempus praetermittendum esse fidelem populum cohortandi, ut in assidua mortis meditatione versetur. Quoniam autem Extremae Unctionis Sacramentum non potest supremi illius diei memoriam conjunctam non habere, facile intelligitur, de eo saepe agendum esse, non solum ob eam causam, quod illarum rerum mysteria, quae ad salutem pertinent, aperire et explicare maxime convenit, sed etiam quia fideles, moriendi necessitatem omnibus propositam esse, animo repetentes, pravas cupiditates coërcebunt. Quare fiet, ut in ipsa mortis exspectatione minus se perturbari sentiant, sed immortales Deo gratias agant, qui, ut Baptismi Sacramento aditum nobis ad veram vitam patefecerit, ita etiam, ut ex hac mortali vita decedentes, expeditiorem ad coelum viam haberemus, Extremae Unctionis Sacramentum instituit.

§. 469. Ut igitur, quae ad eam explicationem magis necessaria sunt, eodem fere ordine, qui in aliis Sacramentis servatus est, exponantur, primum illud tradendam erit; hoc Sacramentum idcirco Extremam Unctionem appellatum esse, quod haec omnium sacrarum Unctionum, quas Dominus Salvator noster Ecclesiae suae commendavit, ultima administranda sit. Quare haec ipsa Unctio a majoribus nostris *Sacramentum* etiam *Unctionis infirmorum*, et *Sacramentum exeuntium* dicta est; quibus vocabulis fideles in memoriam novissimi illius temporis facile redire possunt.

§. 470. Quod autem Extremae Unctioni propria Sacramenti ratio conveniat, inprimis explanandum est. Id vero perspicuum fiet, si verba, quibus Sanctus Ja-

cobus Apostolus hujus Sacramenti legem promulgavit, attendamus *(Jacob. V, 14. 15.)*: *Infirmatur quis in vobis*, inquit, *inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes cum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et, si in peccatis sit, remittentur ei.* Nam quod peccata condonari Apostolus affirmat, in eo declarat Sacramenti vim et naturam. Hanc vero catholicae Ecclesiae de Extrema Unctione perpetuam doctrinam fuisse, cum alia plura Concilia testantur, tum a Tridentina Synodo (§. 239.) hoc ita declaratum est, ut in eos omnes anathematis poenam constituerit, qui aliter docere aut sentire audeant. Ac Innocentius quoque primus *(Epist. I. ad Decent. Cap. 8.)* hoc Sacramentum fidelibus maxime commendat. Constanter itaque docendum est a Pastoribus, verum Sacramentum esse: nec plura, sed unum, quamvis per plures Unctiones administretur: quarum singulis propriae preces, ac peculiaris forma adhibenda est. Unum vero est, non partium continuatione, quae dividi non possint, sed perfectione: cujusmodi sunt caetera omnia, quae ex pluribus rebus constant. Nam quemadmodum domus, quae ex multis et diversis rebus composita est, una tantum forma perficitur; ita hoc Sacramentum, etsi ex pluribus rebus et verbis constituitur, unum tamen signum est, et unius rei, quam significat, efficientiam habet.

§. 471. Docebunt praeterea Parochi, quae sint hujus Sacramenti partes, Elementum, inquam, et Verbum. Haec enim a Sancto Jacobo praetermissa non sunt: in quibus singulis sua mysteria licet animadvertere. Ejus igitur Elementum sive Materia, quemadmodum Concilia, ac praecipue Tridentinum (§. 219.) decrevit, est Oleum ab Episcopo consecratum; liquor scilicet non ex quavis pingui et crassa natura, sed ex olearum baccis tantummodo expressus. Aptissime autem haec materia illud significat, quod vi Sacramenti interius in anima efficitur. Nam ut Oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit, ita Sacramenti virtus animae tristitiam ac dolorem minuit. Oleum praeterea sanitatem restituit, hilaritatem affert, et se lumini tanquam pabulum praebet: tum vero ad recreandas defatigati corporis vires maxime accommodatum est. Quae omnia, quid in aegroto divina virtute per hujus Sacramenti

administrationem efficiatur, declarant. Haec de Materia satis sint.

§. 472. Forma vero Sacramenti, est verbum et solennis illa precatio, quam Sacerdos ad singulas Unctiones adhibet, cum inquit: Per istam Sanctam Unctionem indulgeat tibi Deus, quidquid oculorum, sive narium, sive tactus vitio deliquisti. Quod autem haec vera sit et propria hujus Sacramenti forma, Sanctus Jacobus Apostolus (l. c.) significat, cum ait: *Et orent super eum, et oratio fidei salvabit infirmum.* Ex quo licet cognoscere, formam precationis modo proferendam esse: tametsi, quibus potissimum verbis concipienda sit, Apostolus non expresserit. Verum hoc ad nos fideli Patrum Traditione permanavit, ita ut omnes Ecclesiae eam formae rationem retineant, qua omnium mater et magistra Sancta Ecclesia Romana utitur. Nam etsi aliqui nonnulla verba immutent, cum pro: Indulgeat tibi Deus, ponunt: Remittat vel Parcat; interdum etiam, Sanct quidquid commisisti: tamen, quoniam nulla fit sententiae immutatio, constat eandem ab omnibus formam religiose servari.

§. 473. Nec vero quisquam miretur, cur factum sit, ut aliorum Sacramentorum forma vel absolute significet quod efficit, ut cum dicimus: Ego te baptizo, aut: Signo te signo crucis, vel tamquam ab imperantibus pronuncietur, ut cum in Sacramento Ordinis administrando dicitur: Accipe potestatem; haec una vero Extremae Unctionis forma, praecatione quadam absolvatur: id enim optimo jure constitutum est. Nam cum hoc Sacramentum propterea adhibeatur, ut praeter spiritualem gratiam quam tribuit, sanitatem etiam restituat aegrotis: tamen, quia non semper sequitur, ut aegroti a morbis convalescant, ob eam causam precationis forma conficitur, ut a Dei benignitate id impetremus, quod Sacramenti vis constanti et perpetuo ordine efficere non solet.

§. 474. Adhibentur autem Ritus proprii in hujus quoque Sacramenti administratione; sed eorum maxima pars Precationes continet, quibus Sacerdos ad aegroti salutem impetrandam utitur. Nullum enim est aliud Sacramentum, quod pluribus precibus conficiatur, ac recte quidem, quoniam eo potissimum tempore fideles piis obsecrationibus adjuvandi sunt: quare et alii omnes, quos tum adesse contigerit et praecipue Parochi, debent

orare Deum ex animo et ejus misericordiae laborantis vitam et salutem omni studio commendare.

## CAPUT II.

*Hoc Sacramentum a Christo institutum esse* §. 475; *quibus administrandum sit, quaeque corporis partes inungi debeant et an repeti possit* §. 476—479; *qua praeparatione Extrema Unctio suscipienda sit* §. 480.

§. 475. Verum cum demonstratum sit, Extremam Unctionem vere et proprie in Sacramentorum numero habendam esse, illud etiam sequitur, ejus institutionem a Christo Domino profectam esse; quae postea a Sancto Jacobo Apostolo fidelibus proposita et promulgata est. Quamquam idem Salvator hujus Unctionis specimen quoddam dedisse visus est, cum discipulos suos binos et binos ante faciem suam misit: de illis enim apud Evangelistam (*Marc. VI,* 12. 13.) ita scriptum est: *Exeuntes praedicabant ut poenitentiam agerent, et Daemonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos aegros et sanabant.* Quam quidem Unctionem non ab Apostolis inventam, sed a Domino praeceptam, non naturali aliqua virtute praeditam, sed mysticam potius ad sanandos animos, quam ad corpora curanda, institutam fuisse credendum est. Quam rem Sancti Dionysius, Ambrosius, Chrysostomus et Gregorius Magnus asserunt, ut nullo modo dubitandum sit, quin hoc unum ex septem catholicae Ecclesiae Sacramentis summa cum religione accipere oporteat.

§. 476. Sed docendi sunt fideles, quamvis hoc Sacramentum ad omnes pertineat, quaedam tamen hominum genera excipi, quibus administrandum non sit. Ac primum excipiuntur, qui sano et firmo corpore sunt: iis enim Extremam Unctionem tribuendam non esse, et Apostolus docet, cum dicit: *Infirmatur quis in vobis;* et ratio ostendit, siquidem ob eam rem instituta est, non modo ut animae, sed etiam ut corpori medicinam afferat. Cum igitur illi tantum, qui morbo laborant, curatione indigeant, idcirco iis etiam, qui adeo periculose aegrotare videntur, ut ne supremus illis vitae dies instet metuendum sit, hoc Sacramentum praeberi debet. In quo tamen gravissime peccant, qui illud tempus

aegroti ungendi observare solent, cum jam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat. Constat enim, ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si aegrotus, cum in eo adhuc integra mens et ratio viget, fidemque et religiosam animi voluntatem afferre potest, Sacro Oleo liniatur. Quare Parochis animadvertendum est, ut eo potissimum tempore coelestem medicinam adhibeant, illam quidem semper vi sua admodum salutarem, cum eorum etiam pietate et religione, qui curandi sunt, magis profuturam intellexerint. Nemini igitur, qui gravi morbo affectus non sit, Sacramentum Unctionis dare licet; tametsi vitae periculum adeat: vel quia periculosam navigationem paret, vel quia praelium initurus sit, a quo certa mors illi impendeat, vel etiam, si capitis damnatus ad supplicium raperetur.

§. 477. Omnes praeterea, qui rationis usu carent, ad hoc Sacramentum suscipiendum apti non sunt; et pueri, qui nulla peccata admittunt, quorum reliquias sanare hujus Sacramenti remedio opus sit. Amentes item et furiosi, nisi interdum rationis usum haberent, et eo potissimum tempore pii animi significationem darent, peterentque ut Sacro Oleo ungerentur. Nam qui ab ipso ortu nunquam mentis et rationis compos fuit, ungendus non est: secus vero si aegrotus, cum mente adhuc integra hujus Sacramenti particeps fieri voluisset, postea in insaniam et furorem incidit.

§. 478. Non sunt autem omnes corporis partes ungendae, sed eae tantum, quas veluti sensuum instrumenta natura homini attribuit: oculi propter visionem, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter gustum vel sermonem, manus propter tactum; qui tametsi toto corpore aequabiliter fusus est, in ea tamen parte maxime viget. Hunc autem ungendi ritum universalis Ecclesia retinet, atque etiam hujus Sacramenti naturae optime convenit: medicamenti enim est instar. Ac quoniam in corporis morbis, quamvis universum corpus male affectum sit, tamen illi tantum parti curatio adhibetur, a qua, tamquam a fonte et origine, morbus manat: idcirco non totum corpus, sed ea membra, in quibus potissimum sentiendi vis eminet: renes etiam, veluti voluptatis et libidinis sedes, unguntur,

tum pedes, qui nobis ingressus et ad locum movendi principium sunt.

§. 479. In quibus illud observare oportet, in una eademque aegrotatione, cum aeger in eodem vitae periculo positus est, semel tantum ungendum esse. Quod si post susceptam hanc Unctionem aeger convaluerit, quoties postea in id vitae discrimen inciderit, toties ejusdem Sacramenti subsidium ei poterit adhiberi. Ex quo patet, in eorum Sacramentorum numero, quae iterari solent, reponendam esse.

§. 480. Quoniam vero omni studio curare oportet, ne quid Sacramenti gratiam impediat, ei vero nihil magis adversatur, quam alicujus peccati mortiferi conscientia, servanda est catholicae Ecclesiae perpetua consuetudo, ut ante Extremam Unctionem Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentum administretur. Ac deinde aegroto persuadere Parochi studeant, ut ea fide se ungendum Sacerdoti praebeat, qua olim qui ab Apostolis sanandi erant, se ipsos offerre consueverant. Inprimis autem animae salus, deinde corporis valetudo cum illa adjunctione, si ea ad aeternam gloriam profutura sit, expetenda est. Nec vero dubitare fideles debent, quin sanctae illae et solennes preces a Deo audiantur, quibus Sacerdos non suam, sed Ecclesiae et Domini nostri Jesu Christi, personam gerens utitur. Qua una maxime re cohortandi sunt, ut hujus saluberrimi Olei Sacramentum sancte et religiose sibi administrandum curent, cum et acrior pugna instare, et vires cum animi tum corporis deficere videantur.

## CAPUT III.

*De Ministro Extremae Unctionis* §. 481; *de ejus effectu et fructibus* §. 482—485.

§. 481. Jam vero, quis extremae Unctionis Minister sit, ab eodem Apostolo, qui Domini legem promulgavit, didicimus, inquit enim: *Inducat Presbyteros.* Quo nomine non eos significat, qui aetate provectiores sunt, quemadmodum sapienter Tridentina Synodus (§. 221.) exposuit, aut qui in populo principem locum obtinent; sed Sacerdotes, qui ab ipsis Episcopis per manuum impositionem rite ordinati sunt. Sacerdoti igitur hujus Sacra-

menti administratio commissa est. Neque tamen ex Sanctae Ecclesiae Decreto cuivis Sacerdoti, sed proprio Pastori, qui jurisdictionem habeat, sive alteri, cui ille ejus muneris fungendi potestatem fecerit, hoc Sacramentum administrare licet. Illud vero maxime animadvertendum est, Sacerdotem in ea administratione, quemadmodum etiam in aliis Sacramentis fit, Christi Domini nostri et Sanctae Ecclesiae ejus sponsae, personam sustinere.

§. 482. Explicandae etiam sunt accuratius Utilitates, quas ex hoc Sacramento capimus, ut si nihil aliud fideles ad ejus usum possit allicere, ipsa saltem utilitate ducantur, cum ita comparatum sit, ut omnia fere nostris commodis metiamur. Docebunt igitur Pastores, hoc Sacramento gratiam tribui, quae peccata, et inprimis quidem leviora et ut communi nomine appellantur, venialia remittit, exitiales enim culpae Poenitentiae Sacramento tolluntur. Neque enim hoc Sacramentum primario loco ad graviorum criminum remissionem institutum est, sed Baptismus tantum et Poenitentia vi sua hoc efficiunt.

§. 483. Altera est Sacrae Unctionis utilitas, quod animam a languore et infirmitate, quam ex peccatis contraxit, et a caeteris omnibus peccati reliquiis liberat. Tempus autem huic curationi opportunissimum existimandum est, cum gravi morbo afflictamur, ac vitae periculum impendet. Etenim homini natura insitum est, ut nihil in rebus humanis aeque ac mortem pertimescat. Auget autem magnopere hunc timorem praeteritorum scelerum memoria, cum praesertim gravissima conscientiae nostrae accusatio nos urgeat. Ut enim scriptum est *(Sapient. IV, 20.)*: *Venient in cogitationem peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum.* Deinde illa cura et cogitatio vehementer angit, quod paulo post stare oporteat ante tribunal Dei, a quo de nobis justissima, pro eo ac meriti fuerimus, sententia ferenda sit. Saepe autem evenit, ut fideles hoc terrore perculsi, se miris modis exagitari sentiant. Nihil autem ad mortis tranquillitatem magis conducit, quam si tristitiam abjiciamus et laeto animo Domini adventum expectemus paratique simus, depositum nostrum quandocunque illud a nobis repetere voluerit, libenter reddere. Ut igitur hac sollicitudine fide-

lium mentes liberentur, animusque pio et sancto gaudio repleatur, Extremae Unctionis Sacramentum efficit.

§. 484. Praeterea, aliud etiam (quod merito omnium maximum videri potest) ex eo consequimur. Nam etsi humani generis hostis, quoad vivimus, nunquam desinit de interitu et exitio nostro cogitare; nullo tamen tempore, ut nos omnino perdat, ac si fieri possit, spem nobis divinae misericordiae eripiat, vehementius omnes nervos contendit, quam cum supremum vitae diem appropinquare animadverterit. Quamobrem fidelibus arma et vires hoc Sacramento subministrantur, quibus adversarii vim et impetum frangere et illi fortiter repugnare possint. Allevatur enim et erigitur aegri animus divinae bonitatis spe, eaque confirmatus, morbi incommoda omnia fert levius; ac ipsius Daemonis calcaneo insidiantis artificium et calliditatem facilius eludit.

§. 485. Accedit postremo, si quidem profutura sit, etiam corporis sanitas. Quod si aegroti hoc tempore eam minus consequuntur, id quidem non Sacramenti vitio, sed ob eam potius causam evenire credendum est, quod eorum magna pars vel qui Sacro Oleo perunguntur, vel a quibus administratur fides infirmior est. Testatur enim Evangelista *(Matth. XIII, 58.)*, Dominum apud suos multas virtutes non fecisse, propter incredulitatem illorum. Quamquam etiam recte dici potest, christianam religionem, ex quo altius tanquam radices egit in animis hominum, minus jam hujusmodi miraculorum adminiculis indigere, quam olim nascentis Ecclesiae initio necessaria esse viderentur. Sed tamen hoc loco fides magnopere excitanda erit. Utcunque enim, quod ad corporis valetudinem attinet, Dei consilio et voluntate ceciderit, certa spe niti fideles debent, se hujus Sacri Olei virtute spiritualem sanitatem consecuturos esse, futurumque, ut si eos vita decedere contingat, praeclarae illius vocis fructum percipiant, qua scriptum est *(Apoc. XVI, 13.)*: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.*

Haec de Extremae Unctionis Sacramento breviter quidem dicta sunt; verum si haec ipsa rerum capita a Pastoribus latius et ea qua decet diligentia explanata erunt, dubitandum non est, quin fideles ex hac doctrina maximum pietatis fructum percipiant.

# DE ORDINIS SACRAMENTO.

## CAPUT I.

*De utilitate, quam doctrina et explicatio Sacramenti Ordinis adfert, ac de Sacerdotii dignitate* §. 486—488; *quo fine aut consilio sacri Ordines suscipiendi sint, et quomodi Sacerdotes et Clerici a reliquo populo distinguantur* §. 489. 490.

§. 486. Si quis aliorum Sacramentorum naturam et rationem diligenter considerarit, facile perspiciet, ea omnia ab Ordinis Sacramento ita pendere, ut sine illo partim confici et administrari nullo modo queant, partim solenni caeremonia et religioso quodam ritu ac cultu carere videantur. Quare necesse est, ut Pastores institutam Sacramentorum doctrinam persequentes, eo diligentius de Ordinis etiam Sacramento sibi agendum arbitrentur. Proderit autem maxime haec explicatio, primum quidem illis ipsis, deinde aliis, qui ecclesiasticae vitae rationem ingressi sunt; postremo etiam fideli populo. Ipsis, quod, dum in hujus argumenti tractatione versantur, ad eam gratiam excitandam, quam hoc Sacramento adepti sunt, magis commoventur; aliis, qui in sortem Domini vocati sunt, partim ut eodem pietatis studio afficiantur, partim vero, ut earum rerum cognitionem percipiant, quibus instructi, viam sibi ad ulteriores gradus facilius munire possint; reliquis autem fidelibus, primum quidem ut intelligant, quo honore digni sint Ecclesiae Ministri, deinde, quoniam saepe contingit ut multi adsint, vel qui spe liberos suos adhuc infantes Ecclesiae Ministerio destinarint, vel qui sua sponte et voluntate illud vitae genus sequi velint, quos certe ignorare minime aequum est, quae praecipue ad hanc rationem pertinent.

§. 487. Primum itaque fidelibus tradendum est, quanta sit hujus instituti, si summum ejus gradum, hoc est, Sacerdotium spectemus, nobilitas et excellentia. Nam cum Episcopi et Sacerdotes tamquam Dei interpretes et internuncii quidam sint, qui ejus nomine divinam legem et vitae praecepta homines edocent, et ipsius Dei personam in terris gerunt, perspicuum est, eam esse illorum functionem, qua nulla major excogitari

possit. Quare merito non solum Angeli, sed Dii etiam, quod Dei immortalis vim et numen apud nos teneant, appellantur *(Malach. II, 7. 1 Cor. XI, 10. Exod. XXII, 28.)*. Quamvis autem omni tempore summam dignitatem obtinuerint, tamen Novi Testamenti Sacerdotes caeteris omnibus honore longe antecellunt. Potestas enim tum Corpus et Sanguinem Domini nostri conficiendi et offerendi, tum peccata remittendi, quae illis collata est, humanam quoque rationem atque intelligentiam superat, nedum ei aliquid par et simile in terris inveniri queat. Deinde vero, quemadmodum Salvator noster a Patre, Apostoli autem ac discipuli in universum mundum a Christo Domino missi sunt, ita quotidie Sacerdotes, eadem, qua illi, potestate praediti, *ad consummationem Sanctorum, in opus Ministerii, in aedificationem corporis Christi (Eph. IV, 12.)* mittuntur.

§. 488. Hujus igitur tanti officii onus nemini temere imponendum est, sed iis tantum, qui illud vitae sanctitate, doctrina, fide, prudentia sustinere possint. Nec vero quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Vocari autem a Deo dicuntur, qui a legitimis Ecclesiae Ministris vocantur. Nam qui in hoc Ministerium se ipsos arroganter inferunt atque intrudunt, de his Dominum intellexisse docendum est, cum inquit *(Jerem. XXIII, 21.)*: *Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant;* quo quidem hominum genere nihil infelicius ac miserius, nihil Ecclesiae Dei calamitosius esse potest.

§. 489. Sed quoniam in omni actione suscipienda magnopere refert, quem sibi quisque finem constituat (optimo enim fine posito, recte omnia consequuntur): de hoc inprimis, qui sacris initiari volunt, admonendi sunt, ut nihil sibi tanto munere indignum proponant. Qui quidem locus eo diligentius tractandus erit, quo gravius hoc tempore ea in re peccare fideles solent. Alii enim eo consilio ad hanc vivendi rationem se convertunt, ut quae ad victum vestitumque necessaria sunt, parent, ita, ut praeter quaestum, nihil aliud in Sacerdotio, quemadmodum vulgo caeteri omnes in quovis sordidi artificii genere, spectare videantur. Quamvis enim, ex Apostoli sententia *(1 Cor. IX, 13.)*, natura et divina lex jubeat, ut *qui altari servit, ex altari vivat;* tamen quaestus et lucri causa ad altare accedere, maxi-

mum sacrilegium est Alios honorum cupiditas et ambitio ad sacerdotalem Ordinem ducit. Alii vero, ut divitiis affluant, initiari volunt, cujus quidem rei illud argumento est, quod, nisi opulentum aliquod ecclesiasticum beneficium iis deferatur, nullam sacri Ordinis cogitationem habent. Hi vero sunt, quos Salvator noster *mercenarios* appellat *(Joh. X, 12.)* et quos Ezechiel *(Ezech. XXXIV, 2.)* dicebat *semet ipsos et non oves pascere,* quorum turpido et improbitas non solum sacerdotali Ordini magnas tenebras effudit, ita ut jam nihil fere fideli populo existat contemptius et abjectius, verum etiam efficit, ut ipsi nihil amplius ex Sacerdotio consequantur, quam Judas ex Apostolatus munere, quod illi sempiternum exitium attulit. Illi autem ostio in Ecclesiam introire merito dicuntur, qui a Deo legitime vocati, ecclesiastica munera ejus unius rei causa suscipiunt, ut Dei honori inserviant.

§. 490. Neque tamen hoc ita accipiendum est, quasi eadem lex aeque omnibus non sit imposita. Homines enim ob eam rem conditi sunt, ut Deum colant: quod praecipue fideles, qui Baptismi gratiam consecuti sunt, ex toto corde, ex tota anima et ex totis viribus praestare debent. Verum, qui Ordinis Sacramento initiari volunt, hoc sibi proponant opus est, ut non solum Dei gloriam in omnibus rebus quaerant; quod quidem cum omnibus, tum maxime fidelibus commune esse constat; sed etiam, ut alicui certo Ecclesiae Ministerio addicti, in sanctitate et justitia illi serviant. Nam ut in exercitu omnes quidem milites Imperatoris legibus parent, sed inter eos tamen alius Centurio, alius Praefectus est, alii alia munera obeunt: ita, quamvis omnes fideles pietatem et innocentiam sectari omni studio debeant, quibus rebus maxime Deus colitur, eos tamen qui Ordinis Sacramento sunt initiati, praecipua quaedam munera et functiones in Ecclesia exequi oportet. Nam et sacra pro se ipsis et pro omni populo faciunt et divinae legis vim tradunt, ad eamque prompto et alacri animo servandum, fideles hortantur et instituunt et Christi Domini Sacramenta, quibus omnis gratia impertitur et augetur, administrant, et ut uno verbo complectamur, a reliquo populo segregati, in omnium longe maximo et praestantissimo Ministerio se exercent.

## CAPUT II.

*Duplicem potestatem Ecclesiae ejusque Ministris tributam esse, Ordinis et Jurisdictionis, quae potestas dignitate longe superior est ea, qua in lege naturae aut Mosaica Sacerdotes praediti erant* §. 491—493; *Ordinem esse vero et proprie Sacramentum* §. 494.

§. 491. His igitur explicatis, accedent Parochi ad ea tradenda, quae propria hujus Sacramenti sunt, ut intelligant fideles, qui in ecclesiasticum Ordinem cooptari volunt, ad quodnam officii genus vocentur, quantaque ipsi Ecclesiae ejusque Ministris potestas divinitus tributa sit. Ea autem duplex est, Ordinis et Jurisdictionis. Ordinis potestas ad verum Christi Domini corpus in sacrosancta Eucharistia refertur: Jurisdictionis vero potestas, tota in Christi corpore mystico versatur. Ad eam enim spectat, christianum populum gubernare et moderari et ad aeternam coelestemque beatitudinem dirigere. Verum Ordinis potestas non solum consecrandae Eucharistiae vim et potestatem continet, sed ad eam accipiendam, hominum animos praeparat et idoneos reddit, caeteraque omnia complectitur, quae ad Eucharistiam quovis modo referri possunt. Ejus vero plura ex Sacris Literis testimonia afferri possunt, sed illa praeclara et gravissima sunt, quae apud Sanctos Johannem et Matthaeum leguntur: inquit enim Dominus *(Joh. XX, 21—23.)*: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis et quorum retinueritis, retenta sunt;* et *(Matth. XVIII, 18.)*: *Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Quae quidem loca a Pastoribus ex Sanctorum Patrum doctrina et autoritate explanata, maximum veritati lumen afferre poterunt.

§. 492. Haec autem potestas plurimum illi praestat, quae in naturae lege certis hominibus, qui res sacras curarent, tributa est. Nam et illa aetas, quae scriptam legem antecessit, suum Sacerdotium, suamque potestatem spiritualem habuerit necesse est, cum legem habuisse satis constet. Haec duo enim ita conjuncta esse testatur Apostolus, ut eorum altero translato, simul etiam alterum transferri necesse sit *(Hebr. VII, 12.)*. Cum

igitur naturali instinctu homines agnoscerent Deum colendum esse, consequens erat, ut in quavis republica aliqui sacrorum et divini cultus procurationi praeficerentur, quorum potestas aliquo modo spiritualis diceretur. Eadem etiam potestate populus Israëliticus non caruit, quae tametsi dignitate superior fuit, quam illa, qua in lege naturae Sacerdotes praediti erant: longe tamen inferior, quam legis Evangelicae spiritualis potestas, existimanda est. Haec enim coelestis est, omnemque Angelorum etiam virtutem superat, neque a Sacerdotio Mosaico, sed a Christo Domino, qui non secundum Aaron Sacerdos fuit, sed secundum ordinem Melchisedech ortum habet. Is enim, qui summa potestate gratiam tribuendi et peccata remittendi praeditus fuit, hanc potestatem, quamvis virtute definitam et Sacramentis adstrictam, Ecclesiae suae reliquit. Quare ad eam exercendam certi Ministri instituti sunt et solenni religione consecrati.

§. 493. Quae quidem Consecratio, Ordinis Sacramentum, vel Sacra Ordinatio vocatur. Placuit autem Sanctis Patribus hoc vocabulo uti, quod latissimam significationem habet, ut dignitatem et excellentiam Ministrorum Dei indicarent. Est enim Ordo, si propriam ejus vim et notionem accipiamus, dispositio superiorum et inferiorum rerum, quae inter se ita aptae sunt, ut una ad alteram referatur. Cum itaque in hoc Ministerio multi sint gradus et variae functiones, omnia vero certa ratione distributa sint et collocata, recte et commode Ordinis nomen ei impositum videtur.

§. 494. Quod autem inter caetera Ecclesiae Sacramenta, Sacra Ordinatio numeranda sit, Sancta Tridentina Synodo (§. 341) ratione illa, quae saepius repetita est, comprobavit. Nam cum Sacramentum sit rei sacrae signum; id vero, quod hac consecratione extrinsecus fit, gratiam et potestatem significet, quae illi tribuitur, qui consecratur, omnino sequi perspicuum est; Ordinem vere ac proprie Sacramentum dicendum esse. Quare Episcopus ei calicem cum vino et aqua, et patenam cum pane porrigens, qui Sacerdos ordinatur, inquit: Accipe potestatem offerendi sacrificium etc., quibus verbis semper docuit Ecclesia, dum materia exhibetur, potestatem consecrandae Eucharistiae, charactere animo impresso, tradi, cui gratia adjuncta sit, ad illud munus

rite et legitime obeundum, quod Apostolus his verbis declarat (2 *Tim. I,* 67.): *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te, per impositionem manuum mearum, non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis.*

## CAPUT III.

*De diversis Ministrorum Ordinibus* §. 495; *de prima Tonsura et quatuor minoribus Ordinibus speciatim, eorumque officiis* §. 496 — 501.

§. 495. Jam vero, ut Sacrae Synodi verbis (§. 341) utamur, cum divina res sit tanti Sacerdotii administratio, consentaneum fuit, quo dignius et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiae ordinatissima dispositione plures essent et diversi Ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent, atque hi quidem ita distributi, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores adscenderent. Docendum igitur erit, hosce omnes Ordines septenario numero contineri, semperque ita a catholica Ecclesia traditum esse, quorum nomina haec sunt; Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Sacerdos. Hunc autem Ministrorum numerum recte ita definitum esse, probari potest propter ea Ministeria, quae ad Sacrosanctum Missae Sacrificium et Eucharistiam vel conficiendam vel administrandam, cujus causa praecipue sunt instituta, necessaria videntur. Ex his alii majores, qui etiam sacri dicuntur, alii minores sunt. Majores vel sacri sunt: Ordo Sacerdotalis, Diaconatus et Subdiaconatus; ad minores referuntur: Acolyti, Exorcistae, Lectores, Ostiarii, de quorum singulis pauca dicenda sunt: ut habeant Parochi, unde, eos potissimum instituant, quos noverint aliquo Ordine initiandos esse.

§. 496. Incipiendum est autem a prima Tonsura, quam quidem docere oportet quandam praeparationem esse ad Ordines accipiendos. Ut enim homines ad Baptismum Exorcismis, ad Matrimonium Sponsalibus praeparari solent; ita cum tonso capillo Deo dedicantur, tamquam aditus ad Ordinis Sacramentum illis aperitur. Declaratur enim qualis esse debeat, qui Sacris imbui cupit. Nam Clerici nomen, quod ei tunc primum imponitur, ab eo deductum est, quod Dominum, sortem et

haereditatem suam habere incipiat; veluti qui in Hebraeorum populo divino cultui mancipati erant, quibus vetuit Dominus aliquam agrorum partem in terra promissionis distribui, cum inquit *(Num. XVIII, 20.)*: *Ego pars et haereditas tua.* Ac, quamvis id omnibus fidelibus commune sit, praecipua tamen ratione iis conveniat necesse est, qui se Dei ministerio consecrarunt.

§. 497. Tondentur vero capilli ad coronae speciem et similitudinem, quam perpetuo conservare oportet et ut quisque in altiori deinceps Ordinis gradu collocatur, sic ejus orbis forma latior circumscribi debet. Quod quidem ex Apostolorum Traditione acceptum esse docet Ecclesia, cum de hujusmodi tondendi more Sancti Dionysius Areopagita *(Eccles. hierarch. Cap. 6.)*, Augustinus *(de Contemptu mundi, Cap. 4.)*, Hieronymus *(Quaest. XII, 1. Duo sunt genera)*, vetustissimi et gravissimi Patres meminerint. Primum autem omnium ferunt, Apostolorum Principem eam consuetudinem induxisse ad memoriam Coronae, quae ex spinis contexta, Salvatoris nostri capiti fuit imposita, ut quod impii ad Christi ignominiam et cruciatum excogitarunt, eo Apostoli ad decus et gloriam uterentur, simulque significarent, curandum esse a Ministris Ecclesiae, ut omnibus n rebus Christi Domini nostri speciem et figuram gerant. Quamquam nonnulli asserant, hac nota regiam lignitatem declarari, quae iis maxime, qui in sortem Domini vocati sunt, videtur convenire. Quod enim Perus Apostolus fideli populo tribuit *(1 Petr. II, 9.)*: *Vos enus electum, regale Sacerdotium, gens sancta*; peculiari quadam et magis propria ratione ad ecclesiasticos Ministros pertinere, facile intelligimus. Etsi non desunt, qui vel perfectioris vitae professionem a Clericis suceptam, Circuli figura, quae omnium perfectissima est, ignificari existiment; vel externarum rerum contemptioem, animique ab omnibus humanis curis vacuitatem eclarari putent, quod capilli, supervacaneum quiddam 1 corpore, tondeantur.

§. 498. Post primam Tonsuram, ad Ostiarii Ordiem primus gradus fieri consuevit. Ejus munus est, empli claves et januam custodire et aditu templi abrcere eos, quibus ingredi interdictum erat. Ad sanctum tiam Missae Sacrificium assistebat curaturus ne quis ropius, quam par esset, ad sacram aram accederet

39

et Sacerdotem rem divinam facientem interpellaret. Alia etiam ministeria illi commissa erant, ut ex ritibus, quae ad ejus consecrationem adhibentur, perspici potest. Nam Episcopus claves ex altari acceptas ei tradens, quem Ostiarium vult instituere: *Sic age*, inquit, *quasi redditurus Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur.* Magnam autem in antiqua Ecclesia hujus Ordinis dignitatem fuisse, ex eo intelligitur, quod his temporibus in Ecclesia servari animadvertimus. Nam Thesaurarii officium, qui erat idem sacrarii custos, quod ad Ostiarios pertinebat, inter honestiores Ecclesiae functiones etiam nunc habetur.

§. 499. Secundus Ordinis gradus est Lectoris munus. Ad eum pertinet, in Ecclesia Veteris et Novi Testamenti libros clara voce et distincte recitare, praesertim vero eos, qui inter nocturnam psalmodiam legi solent. Ejus quoque partes erant, prima religionis christianae rudimenta fidelibus tradere. Episcopus itaque, praesente populo, in ejus ordinatione librum, quo descripta sunt quae ad hanc functionem attinent, illi tradens inquit: *Accipe et esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium tuum, partem cum iis, qui verbum Dei bene ministrarunt ab initio.*

§.500. Tertius est Ordo Exorcistarum, quibus potestas data est, nomen Domini invocandi in eos, qui ab immundis spiritibus obsidentur. Quare Episcopus, cum eos instituit, librum in quo exorcismi continentur, eis porrigit, usus ea formula verborum: *Accipe et commenda memoriae, et habe potestatem imponendi manus super Energumenos, sive Baptizatos, sive Catechumenos.*

§.501. Acolytorum quartus est gradus et ultimus eorum omnium, qui minores et non sacri appellantur. Eorum munus est, Ministros majores, Subdiaconos et Diaconos, in altaris ministerio assectari, eisque operam dare. Praeterea lumina deferunt et asservant, cum Missae Sacrificium celebratur, praecipue vero cum Evangelium legitur, ex quo Ceroferarii alio nomine vocati sunt. Cum itaque ordinantur, hic ritus ab Episcopo servari consuevit: Primum quidem, postquam eos officii sui diligenter admonuit, lumina eorum singulis tradit in hunc modum: *Accipe ceroferarium cum cereo et scias*

*te ad accendenda Ecclesiae luminaria mancipari in nomine Domini.* Deinde item urceolos vacuos, quibus aqua et vinum in Sacrificio ministratur: *Accipe urceolos ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini.*

## CAPUT IV.

*De majoribus Ordinibus, eorumque muneribus* §. 502 — 504; *de duplici Sacerdotio, interno et externo* §. 505. 506.

§. 502. A minoribus Ordinibus, iisdemque non sacris, de quibus hactenus dictum est, ad Majores et sacros legitimus aditus et adscensus patet. In eorum primo gradu Subdiaconus collocatur; cujus munus est (ut nomen ipsum declarat) Diacono ad altare inservire. Sacra enim lintea, vasa, panem et vinum, ad Sacrificii usum necessaria, parare debet. Nunc Episcopo et Sacerdoti aquam praebet, cum manus in Missae Sacrificio abluunt. Epistolam etiam quae olim a Diacono in Missa recitabatur, Subdiaconus legit et tanquam testis ad sacrum assistit, prohibetque ne Sacerdos sacra faciens a quopiam perturbari possit. Haec autem quae ad Subdiaconi ministerium spectant, ex solennibus Caeremoniis, quae in illius Consecratione adhibentur, licet cognoscere. Primum enim Episcopus legem perpetuae continentiae huic Ordini impositam esse admonet, edicitque, neminem in Subdiaconorum Ordinem cooptandum esse, cui ultro hanc legem accipere non sit propositum: deinde post solennem litaniarum precationem, quae Subdiaconi munera et functiones sint, enumerat atque exponit. His peractis, eorum singuli, qui ordinantur, ab Episcopo quidem calicem et sacram patenam accipiunt, ab Archidiacono vero (ut intelligatur, Subdiaconum Diaconi officio subservire), urceolos, vino et aqua plenos, una cum lebete et linteolo, quo manus absterguntur, dicente Episcopo: *Videte, cujusmodi ministerium vobis traditur: ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* Adduntur praeterea aliae preces. Ad extremum cum Episcopus sacris vestibus Subdiaconum ornavit, ad quarum singulas propria verba et caeremoniae adhibentur, tradit ei Epistolarum librum, ac dicit: *Accipe librum Epistolarum, et habe potestatem*

39 *

*legendi eas in Ecclesia Sancta Dei tam pro vivis, quam pro defunctis.*

§. 503. Secundum autem sacrorum Ordinum gradum Diaconus obtinet, cujus ministerium latius patet, sanctiusque semper habitum est. Ad eum enim pertinet, Episcopum perpetuo sequi, concionantem custodire, eique et Sacerdoti sacra facienti, vel alia Sacramenta administranti praesto esse, et in Missae Sacrificio Evangelium legere. Olim vero fidelium animos saepius excitabat, ut sacra attenderent. Sanguinem etiam Domini ministrabat, in quibus Ecclesiis ea consuetudo erat, ut fideles Eucharistiam sub utraque specie sumerent. Diacono praeterea ecclesiasticorum bonorum dispensatio commissa erat, ut unicuique necessaria ad victum subministraret. Ad Diaconum etiam attinet, tanquam Episcopi oculum, pervestigare, quinam in urbe pie et religiose, quive secus vitam traducant, qui ad Sacrificium et Concionem statis temporibus conveniant, qui rursus non conveniant, ut cum de omnibus Episcopum certiorem fecerit, ille vel privatim unumquemque hortari, admonere, vel palam corrigere et objurgare possit, uti se magis profecturum esse intellexerit. Catechumenorum etiam nomina recitare debet et eos qui Ordinis Sacramento initiandi sunt, ante Episcopum statuere. Licet ei praeterea, si absit Episcopus et Sacerdos, Evangelium explanare, non tamen e superiori loco, ut intelligatur hoc ejus proprium munus non esse. Quanta vero diligentia adhibenda sit, ne quis eo munere indignus ad hunc Ordinis gradum adscendat, Apostolus ostendit, cum ad Timotheum Diaconi mores, virtutem et integritatem exposuit (1 *Tim. III*, 8—10.). Hoc idem satis etiam declarant Ritus et solennes Caeremoniae, quibus ab Episcopo consecratur. Pluribus enim et sanctioribus precibus ad Diaconi, quam ad Subdiaconi, ordinationem utitur Episcopus et alia addit sacrarum vestium ornamenta. Praeterea manus ei imponit, quod quidem ab Apostolis factitatum esse legimus, cum primos Diaconos instituerunt. Denique Evangeliorum librum ei tradit his verbis: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini.*

§. 504. Tertius, omniumque sacrorum Ordinum summus gradus est Sacerdotium: qui vero illo praediti sunt, eos veteres Patres duobus nominibus vocare

solent. Interdum enim Presbyteros appellant, quod graece Seniores significat, non solum propter aetatis maturitatem, quae huic Ordini maxime necessaria est, sed multo magis propter morum gravitatem, doctrinam et prudentiam. Ut enim scriptum est (*Sapient. IV*, 8. 9.): *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis et aetas senectutis vita immaculata.* Interdum vero Sacerdotes vocant, tum quia Deo consecrati sunt, tum quia ad eos pertinet Sacramenta administrare, sacrasque res et divinas tractare.

§. 505. Sed quoniam duplex Sacerdotium in Sacris Literis describitur, alterum interius, alterum externum, utrumque distinguendum est, ut de quo hoc loco intelligatur, a Pastoribus explicari possit. Quod igitur ad interius Sacerdotium attinet, omnes fideles, postquam salutari aqua abluti sunt, Sacerdotes dicuntur, praecipue vero justi, qui Spiritum Dei habent et divinae gratiae beneficio Jesu Christi, summi Sacerdotis, viva membra effecti sunt. Hi enim fide, quae charitate inflammatur, in altari mentis suae spirituales Deo hostias immolant, quo in genere bonae omnes et honestae actiones, quas ad Dei gloriam referunt, numerandae sunt. Quare in Apocalypsi ita legimus (*Apoc. I*, 5. 6.): *Christus lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo et fecit nos regnum et Sacerdotes Deo et Patri suo.* In quam sententiam ab Apostolorum Principe dictum est (*1 Petr. II*, 5.): *Ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum;* et Apostolus nos hortatur (*Rom. XII*, 1.), *ut exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium nostrum.* David item multo ante dixerat (*Psalm. L*, 19.): *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, et humiliatum Deus non despicies.* Quae omnia ad interius Sacerdotium spectare, facile intelligitur.

§. 506. Externum vero Sacerdotium, non omnium fidelium multitudini, sed certis hominibus convenit, qui legitima manuum impositione, solennibusque sanctae Ecclesiae Caeremoniis instituti et Deo consecrati, ad aliquod proprium sacrumque ministerium adscribuntur. Hoc Sacerdotii discrimen in veteri etiam lege observari

potest: nam de interiori Davidem locutum esse, paulo ante demonstratum est; externi vero, nemo ignorare potest, quam multa Dominus Moysi et Aaroni praecepta dederit. Praeterea, universam Leviticam tribum ministerio templi adscripsit, ac lege cavit, ne quis ex alia tribu in eam functionem se inferre auderet. Quare Ozias Rex lepra a Domino percussus, quod Sacerdotale munus usurpasset, arrogantiae et sacrilegii sui gravissimas poenas dedit (2 *Paral. XXVI*, 19.). Quia igitur eandem Sacerdotii distinctionem in lege evangelica licet animadvertere, docendi erunt fideles, nunc de Sacerdotio externo agi, quod certis hominibus attributum est: hoc enim tantummodo ad Ordinis Sacramentum pertinet.

## CAPUT V.

*De Sacerdotum Officiis, ac eorum inter se distinctione juxta varios dignitatis et potestatis gradus* §. 507 — 511; *de Ministro hujus Sacramenti* §. 512.

§. 507. Sacerdotis igitur munus est, Deo Sacrificium facere, ecclesiastica Sacramenta administrare, quemadmodum ex Consecrationis ritibus perspicitur. Nam Episcopus cum aliquem Sacerdotem instituit, primum quidem manus ei, una cum omnibus Sacerdotibus, qui adsunt, imponit; deinde stolam humeris aptans, eam ante pectus in crucis formam componit, quo quidem declaratur Sacerdotem virtute indui ex alto, qua possit crucem Christi Domini et jugum suave divinae legis perferre, eamque non verbis solum, sed vitae sanctissime et honestissime actae exemplo tradere. Postea manus sacro Oleo inungit: tum vero calicem cum vino et patenam cum hostia tradit, dicens; *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missasque celebrandi tam pro vivis quam pro defunctis.* Quibus Caeremoniis et verbis, interpres ac mediator Dei et hominum constituitur, quae praecipua Sacerdotis functio existimanda est. Ad extremum vero, manibus iterum ejus capiti impositis: *Accipe*, inquit, *Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt;* eique coelestem illam, quam Dominus discipulis suis dedit, peccata retinendi ac remittendi potestatem tribuit.

§. 508. Haec vero sunt sacerdotalis Ordinis propria et praecipua munera, qui tametsi unus est, varios tamen

dignitatis et potestatis gradus habet. Primus est eorum, qui Sacerdotes simpliciter vocantur, quorum functiones hactenus declaratae sunt. Secundus est Episcoporum, qui singulis Episcopatibus praepositi sunt: ut non solum caeteros Ecclesiae Ministros, sed fidelem populum regant et eorum saluti summa cum vigilantia et cura prospiciant. Quare in Sacris Literis Pastores omnium saepe appellantur, quorum munus et officium Paulus descripsit, ut in Apostolorum Actis (*Actor. XX, 28.*) legimus, in ea concione, quam ad Ephesios habuit. Itemque a Petro Apostolorum Principe (*1 Petr. V, 2.*), divina quaedam episcopalis ministerii regula tradita est, ad quam si Episcopi actiones suas dirigere studeant, dubitandum non erit, quin Pastores boni et sint et habeantur. Sed iidem Episcopi et Pontifices dicuntur, accepto ab Ethnicis nomine, qui Principes Sacerdotum Pontifices appellare consueverunt.

§. 509. Tertius gradus est Archiepiscoporum, qui pluribus Episcopis praesunt, qui Metropolitani etiam vocantur; quod illarum urbium antistites sint, quae tanquam matres habeantur illius provinciae. Quare superiorem, quam Episcopi, locum et ampliorem potestatem habent, tametsi ab Episcopis ordinatione nihil differunt.

§. 510. In quarto gradu Patriarchae collocantur, id est primi supremique Patres. Olim in universa Ecclesia, praeter summum Romanum Pontificem quatuor tantum Patriarchae numerabantur, neque omnes tamen dignitate pares: nam Constantinopolitanus, etsi ad eum post omnes alios hic honos delatus est, tamen ob imperii majestatem altiorem locum obtinuit. Proximus est Alexandrinus, cujus Ecclesiam Marcus Evangelista jussu Principis Apostolorum fundavit. Tertius Antiochenus, ubi Petrus sedem primo locavit. Extremum gradum habet Hierosolymitanus, quam Ecclesiam Jacobus frater Domini rexit.

§. 511. Praeter hos omnes catholica Ecclesia Romanum Pont. Max. quem in Ephesina Synodo Cyrillus Alexandrinus Archiepiscopus, totius orbis terrarum Patrem et Patriarcham appellat, semper venerata est. Cum enim in Petri Apostolorum Principis cathedra sedeat, in qua usque ad vitae finem sedisse constat, summum in eo dignitatis gradum et jurisdictionis amplitudinem, non quidem ullis synodicis aut aliis humanis Constitutionibus,

sed divinitus datam agnoscit. Quamobrem omnium fidelium et Episcoporum, caeterorumque Antistitum, quocunque illi munere et potestate praediti sint, Pater ac moderator, universali Ecclesiae, ut Petri successor, Christique Domini verus et legitimus Vicarius, praesidet.

§. 512. Ex his itaque Pastores docebunt et quae sint ecclesiasticorum Ordinum ac graduum praecipua munera et functiones et quis hujus Sacramenti Minister sit. Constat enim, ad Episcopum eam administrationem pertinere, quod etiam Sanctarum Literarum autoritate, certissima Traditione, omnium Patrum testimonio, Conciliorum Decretis, S. Ecclesiae usu et consuetudine facile erit comprobare. Quamvis aut nonnullis Abbatibus permissum sit, ut minores et non sacros Ordines interdum administrent, tamen hoc proprium Episcopi munus esse, nemo dubitat, cui uni ex omnibus, praeterea nemini, licet reliquis Ordinibus, qui majores et sacra dicuntur, initiare. Nam Subdiaconos, Diaconos et Sacerdotes unus tantum Episcopus ordinat; Episcopi ex Apostolorum traditione, quae perpetuo in Ecclesia custodita est, a tribus Episcopis consecrantur.

## CAPUT VI.

*Quales esse debeant, qui ad Sacerdotii dignitatem promovendi sunt* §. 513—515; *de Sacramenti Ordinis effectibus et charactere* §. 516. 517.

§. 513. Sequitur nunc ut explicetur, quinam ad hoc Sacramentum, inprimisque ad Sacerdotalem Ordinem apti sint, et quae in eis potissimum requirantur: ex hoc enim difficile non erit statuere, quid in aliis Ordinibus dandis, pro cujusque officio et dignitate, observare oporteat. Maximam autem in hoc Sacramento cautionem adhibendam esse, ita colligitur, quod caetera gratiam ad illorum sanctificationem et usum tribuunt, a quibus percipiuntur, at vero qui sacris initiantur, ob eam rem coelestis gratiae participes fiunt, ut eorum ministerio, Ecclesiae atque adeo omnium hominum saluti consulatur. Ex quo factum esse intelligimus, ut statis tantummodo diebus, quibus etiam solennia jejunia ex vetustissimo catholicae Ecclesiae more indicuntur, Ordinationes fiant: ut scilicet fidelis populus ejusmodi sacrarum rerum Ministros, piis et sanctis precationibus a Deo impetret,

qui ad tanti ministerii potestatem, recte et cum Ecclesiae utilitate gerendam, aptiores esse videantur.

§. 514. Primum itaque in eo, qui Sacerdos creandus est, vitae et morum integritas commendetur magnopere oportet, non solum, quia si alicujus mortiferi peccati conscius se initiari curet, vel etiam patiatur, novo se et maximo scelere obstringit, sed etiam, quia virtutis et innocentiae lumen aliis proferre debet. Ea de re quid Apostolus Tito et Timotheo praecipiat, Pastoribus declarandum erit et simul illud docendum, ea corporis vitia, quae in veteri lege ex Domini praescriptione aliquem ab altaris ministerio excludebant, in evangelica lege ad animae vitia percipue transferenda esse. Quare sanctam illam consuetudinem in Ecclesia servari animadvertimus, ut qui sacris initiandi sunt, prius Poenitentiae Sacramento conscientiam purgare diligenter studeant. Praeterea in Sacerdote non solum ea cognitio requirenda est, quae ad Sacramentorum usum et tractationem pertinet, sed etiam Sacrarum Literarum scientia ita instructum esse oportet, ut populo christianae fidei mysteria et divinae legis praecepta tradere, ad virtutem et pietatem incitare, a vitiis revocare fideles possit. Sacerdotis enim duo sunt munera, quorum alterum est, ut Sacramenta rite conficiat et administret; alterum, ut populum fidei suae commissum, iis rebus et institutis, quae ad salutem necessaria sunt, erudiat. Malachias enim ita testatur *(Malach. II, 1.)*: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Ut igitur in horum altero, si mediocri cognitione sit ornatus, praestare, quod debet, possit: alterum certe non vulgarem, sed exquisitam potius doctrinam desiderat; quamvis aeque ab omnibus Sacerdotibus summa reconditarum rerum scientia non exigatur, sed quae ad suscepti officii et ministerii functionem unicuique satis esse possit.

§. 515. Pueris autem et furiosis vel amentibus, quod usu rationis carent, hoc Sacramentum dandum non est; quamvis, si iis quoque administraretur, Sacramenti characterem in eorum animam imprimi, certo credendum sit. Qui vero aetatis annus in singulis Ordinibus sit exspectandus, ex sacri Tridentini Concilii Decretis (§. 374) facile erit cognoscere. Excipiuntur etiam Servi: neque enim divino cultui dedicari debet, qui non sui

juris, sed in alterius potestate est. Viri praeterea sanguinum et homicidae, quia ecclesiastica lege repelluntur atque irregulares sunt: spurii quoque et ii omnes, qui ex legitimis nuptiis non sunt procreati. Decet enim ut qui sacris addicuntur, nihil in se habeant, quo ab aliis merito contemni ac despici posse viderentur. Ad extremum etiam, admitti non debent, qui aliquo insigni corporis vitio deformes aut manci sunt: ea enim foeditas et debilitatio tum offensionem habet, tum vero Sacramentorum administrationem impediat necesse est.

§. 516. Sed jam his rebus expositis, superest ut Pastores doceant, qui sint hujus Sacramenti effectus. Constat vero, quamvis Ordinis Sacramentum, ut antea dictum est, maxime ad Ecclesiae utilitatem et pulchritudinem spectet, tamen in ejus quoque anima, qui sacris initiatur, sanctificationis gratiam efficere, qua idoneus, habilisque ad recte munus suum fungendum, Sacramentaque administranda reddatur; quemadmodum etiam Baptismi gratia quilibet ad alia Sacramenta percipienda aptus efficitur. Aliam quoque gratiam hoc Sacramento tribui perspicuum est, praecipuam videlicet potestatem, quae ad sanctsissimum Eucharistiae Sacramentum refertur, in Sacerdote quidem plenam et perfectam, ut qui Domini corpus et sanguinem unus potest conficere, in aliis vero inferiorum Ordinum Ministris, majorem minoremve, quo quisque ministerio suo magis minusve ad altaris Sacramenta accedit.

§. 517. Atque haec etiam character spiritualis dicitur, quod, qui sacris imbuti sunt, interiori quadam nota animae impressa, ab aliis fidelibus distinguantur, ac divino cultui mancipentur. Ad quam Apostolus videtur spectasse, cum ad Timotheum ait *(Tim. IV, 14.)*: *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyteri;* et alibi *(2 Tim. I, 6.)*: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te, per impositionem manuum mearum.*

Haec de Ordinis Sacramento satis dicta sint. Potiora enim tantum rerum capita Pastoribus tradere professi sumus, ut illis fidelis populi docendi et in christiana pietate erudiendi argumenta suppeditarent.

# DE MATRIMONII SACRAMENTO.

## CAPUT I.

*Cur doctrina de Matrimonii Sacramento populo proponenda sit* §. 518; *de nomine, vi, ac definitione Matrimonii* §. 519. 520; *de consensu mutuo, qui ipsius est causa efficiens et quomodo is exprimendus sit* §. 521 — 523.

§. 518. Quoniam Pastoribus beata et perfecta christiani populi vita proposita esse debet, iis quidem maxime optandum esset, quod Apostolus se cupere ad Corinthios scribebat his verbis (1 *Cor. VII, 7.*): *Volo omnes homines esse sicut me ipsum*: nimirum ut omnes continentiae virtutem sectarentur. Nihil enim beatius in hac vita fidelibus potest contingere, quam ut animus nulla mundi cura distractus, sedataque et restincta omni carnis libidine, in uno pietatis studio et coelestium rerum cogitatione conquiescat. Sed quoniam, ut idem Apostolus testatur (*ibid.*), *unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic*; et Matrimonium magnis et divinis bonis ornatum est, ita ut inter alia catholicae Ecclesiae Sacramenta vere et proprie numeretur, ac Dominus nuptiarum celebritatem praesentia sua honestarit, satis apparet, ejus doctrinam tradendam esse, cum praesertim liceat animadvertere, tum Sanctum Paulum, tum Apostolorum Principem, quae non solum ad dignitatem, sed etiam ad officia Matrimonii pertinebant, pluribus locis accurate scripta reliquisse (*Joh. I. Ephes. V. Coloss. III.* 1 *Petr. III.*). Divino enim Spiritu afflati optime intelligebant, quanta et quam multa commoda ad christianam societatem pervenire possent, si fideles Matrimonii sanctitatem cognitam haberent et inviolatam servarent, contra vero, ea ignorata vel neglecta, plurimas maximasque calamitates et detrimenta in Ecclesiam importari.

§. 519. Primum itaque Matrimonii natura et vis explicanda est. Nam cum vitia saepe honesti similitudinem gerant, cavere oportet, ne fideles falsa Matrimonii specie decepti, turpitudine et nefariis libidinibus animam commaculent, cujus rei declarandae causa, a nominis significatione ordiendum est. Matrimonium ab

eo dicitur, quod femina idcirco maxime nubere debet, ut mater fiat, vel quia prolem concipere, parere, educare, matris munus est. Conjugium quoque a conjungendo appellatur, quod legitima mulier cum viro, quasi uno jugo adstringatur. Praeterea Nuptiae, quia, ut inquit Sanctus Ambrosius *(Lib. I. de Abraham, Cap. 9. in fine)*, pudoris gratia puellae se obnuberent, quo etiam declarari videbatur, viris obedientes subjectasque esse oportere.

§. 520. Ita vero ex communi Theologorum sententia definitur: Matrimonium est viri et mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas, individuam vitae consuetudinem retinens. Cujus definitionis partes, ut planius intelligantur, docendum est; quamvis haec omnia in perfecto Matrimonio insint; consensus videlicet interior, pactio externa verbis expressa, obligatio et vinculum, quod ex ea pactione efficitur et conjugum copulatio, qua Matrimonium consummatur; nihil horum tamen Matrimonii vim et rationem proprie habere, nisi obligationem illam et nexum, qui conjunctionis vocabulo significatus est. Additur vero maritalis, quoniam alia pactionum genera, quibus viri et mulieres obligantur, ut sibi mutuam operam praestent, vel pretii, vel alterius rei causa, prorsus aliena sunt a Matrimonii ratione. Sequitur deinde inter legitimas personas, quoniam qui a nuptiarum conjunctione legibus omnino exclusi sunt, ii Matrimonium inire non possunt, neque si ineant, ratum est. Exempli enim gratia, qui intra quartum gradum propinquitate conjuncti sunt, puerque ante decimum quartum annum, aut puella ante duodecimum, quae aetas legibus constituta est, ad Matrimonii justa foedera ineunda apti esse non possunt. Quod vero extremo loco positum est, Individuam vitae consuetudinem retinens indissolubilis vinculi naturam declarat, quo vir et uxor colligantur.

§. 521. Ex iis igitur patet, Matrimonii naturam et rationem in vinculo illo consistere. Nam quod aliae clarissimorum virorum definitiones hoc videntur consensui tribuere, ut cum dicunt; Conjugium esse consensum maris et feminae, hoc ita accipiendum est: Consensum ipsum, Matrimonii causam effectricem esse, quod Patres in Concilio Florentino docuerunt. Etenim obligatio et nexus oriri non potest, nisi ex consensu et pactione.

Sed illud maxime necessarium est, ut Consensus verbis, quae praesens tempus significant, exprimatur. Neque enim Matrimonium est simplex donatio, sed mutua pactio; atque ita fit, ut consensus alterius tantum ad Matrimonium conjungendum satis esse non possit, sed duorum inter se mutuum esse oporteat, atque ad declarandum mutuum animi consensum verbis opus esse, perspicuum est. Si enim ex interiori tantum Consensu, sine aliqua externa significatione Matrimonium constare posset, illud etiam sequi videretur, ut cum duo, qui disjunctissimis et maxime diversis in locis essent, ad nuptias consentirent, antequam alter alteri voluntatem suam vel literis, vel nuntiis declarasset, veri et stabilis Matrimonii lege conjungerentur, quod tamen a ratione et sanctae Ecclesiae consuetudine et Decretis alienum est.

§. 522. Recte autem dicitur oportere, ut Consensus verbis exprimatur, quae praesentis temporis significationem habeant. Nam quae futurum tempus indicant, Matrimonium non conjungunt, sed spondent. Deinde quae futura sunt, nondum esse perspicuum est; quae vero non sunt, parum vel nihil firmi aut stabilis habere existimandum est. Quare nondum connubii jus in eam mulierem quisquam habet, quam se in Matrimonium ducturum esse pollicetur, neque statim ab eo impletum est, quod se facturum promisit, tametsi fidem praestare debet, quod si non faciat, violatae fidei reus esse convincitur. At vero qui Matrimonii foedere alteri jungitur, quamvis postea poeniteat, tamen quod factum est, mutare, irritumve et infectum reddere non potest. Cum itaque conjugii obligatio nuda promissio non sit, sed ejusmodi abalienatio, qua re ipsa vir mulieri et vicissim mulier viro corporis sui potestatem tradit, idcirco necesse est, verbis, quae praesens tempus designant, Matrimonium contrahi, quorum verborum vis, postquam etiam enunciata sunt, permanet, virumque et uxorem indissolubili vinculo constrictos tenet. Sed verborum loco tum nutus et signa, quae intimum consensum aperte indicent, satis ad Matrimonium esse possunt, tum quia etiam taciturnitas, cum puella propter verecundiam non respondet, sed pro ea parentes loquuntur.

§. 523. Ex iis igitur Parochi fidelibus tradent, Matrimonii naturam et vim in vinculo et obligatione sitam

esse, ac praeter consensum, eo quo dictum est modo expressum, ut verum Matrimonium existat, concubitum necessario non requiri. Nam et primos parentes ante peccatum, quo tempore nulla inter eos carnis copula intercesserat, ut Patres testantur, vero Matrimonio junctos fuisse plane constat. Quare a Sanctis Patribus dictum est, Matrimonium non concubitu, sed consensu, existere: quod etiam a S. Ambrosio in libro de Virginibus repetitum legimus.

## CAPUT II.

*De Matrimonio, ut est officium naturae, quod Deus non solum instituit, sed perpetuum etiam et indissolubilem ei nodum addidit* §. 524. 525; *nullam legem ad ducendam uxorem quemquam cogere* §. 526.

§. 524. Jam vero, hisce explicatis, illud docendum erit, Matrimonium duplicem rationem habere. Nam vel ut naturalis conjunctio (Conjugium enim non ab hominibus inventum, sed a natura), vel ut Sacramentum, cujus vis naturalium rerum conditionem superat, considerandum est. Ac quoniam gratia naturam perficit (neque prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale), rei ordo postulat, ut de Matrimonio, ut natura constat et ad naturae officium pertinet, prius agendum sit: tum vero, quae illi, ut Sacramentum est, conveniunt, explananda erunt. Inprimis itaque docendi sunt fideles, Matrimonium a Deo institutum esse, scriptum est enim in Genesi *(Genes. I, 27, 28.)*: *Masculum et feminam creavit eos, benedixitque illis Deus, et ait: Crescite et multiplicamini;* et *(Genes. II, 18. 20 — 24.)*: *Non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.* Ac paulo post: *Adae vero non inveniebatur adjutor similis ejus. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea, et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem et adduxit eam ad Adam; dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea: haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori, et erunt duo in carne una.* Quae,

ipso Domino autore apud Sanctum Matthaeum *(Cap. XIX, 4. 5.)* ostendunt, Matrimonium divinitus institutum esse.

§. 525. Neque vero Deus Matrimonium tantummodo instituit, verum, ut sancta Tridentina Synodus (§. 390) declarat, perpetuum etiam et indissolubilem nodum ei addidit, siquidem Salvator ait *(Matth. XIX, 6.)*: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Quamvis enim Matrimonio, quatenus naturae est officium, conveniat, ut dissolvi non possit: tamen id maxime fit, quatenus est Sacramentum. Qua ex re etiam in omnibus, quae naturae lege ejus propria sunt, summam perfectionem consequitur. Tamen et prolis educandae studio et aliis Matrimonii bonis repugnat, ut ejus vinculum dissolubile sit.

§. 526. Quod vero a Domino dictum est: *Crescite et multiplicamini;* id eo spectat, ut cujus rei causa Matrimonium institutum erat, declaret, non ut singulis hominibus necessitatem imponat. Nunc enim, aucto jam humano genere, non solum ulla lex uxorem ducere aliquem non cogit, sed potius virginitas summopere commendatur, et unicuique in Sacris Literis suadetur, ut quae Matrimonii statu praestantior sit, majoremque in se perfectionem et sanctitatem contineat. Dominus enim Salvator noster ita docuit *(Matth. XIX, 12.)*: *Qui potest capere capiat;* et Apostolus ait *(1 Cor. VII, 25.)*: *De Virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus, ut sim fidelis.*

## CAPUT III.

### *Quibus de causis Matrimonium ineundum* §. 527. 528.

§. 527. Sed quibus de causis vir et mulier conjungi debeant, explicandum est. Prima igitur est haec ipsa diversi sexus naturae instinctu expetita societas, mutui auxilii spe conciliata, ut alter alterius ope adjutus, vitae incommoda facilius ferre et senectutis imbecillitatem sustentare queat. Altera est, procreationis appetitus; non tam quidem ob eam rem, ut bonorum et divitiarum haeredes relinquantur, quam ut verae fidei et religionis cultores educentur, quod quidem maxime

sanctis illis Patriarchis, cum uxores ducerent, propositum fuisse, ex Sacris Literis satis apparet. Quare Angelus, cum Tobiam *(Tob. VI, 16. 17. 22.)* admoneret, quo pacto mali Daemonis vim posset repellere: *Ostendam*, inquit, *tibi, qui sunt, quibus praevalere potest Daemonium. Ii namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et suae libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem Daemonium super eos.* Deinde subjecit: *Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus, ut in semine Abrahae benedictionem in filiis consequaris.* Atque una etiam haec causa fuit, cur Deus ab initio Matrimonium instituerit. Quare fit, ut illorum sit scelus gravissimum, qui Matrimonio juncti, medicamentis vel conceptum impediunt vel partum abigunt: haec enim homicidiarum impia conspiratio existimanda est. Tertia est, quae post primi parentis lapsum ad alias causas accessit, cum propter justitiae, in qua homo conditus erat, amissionem, appetitus rectae rationi repugnare coepit; ut scilicet, qui sibi imbecillitatis suae conscius est, nec carnis pugnam vult ferre, Matrimonii remedio ad vitanda libidinis peccata utatur. De quo ita Apostolus scribit *(1 Cor. VII, 2. 5.)*: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat et unaquaeque suum virum habeat.* Ac paulo post, cum docuisset, interdum orationis causa a Matrimonii debito abstinendum esse, subjecit: *Et iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram.* Hae igitur sunt causae, quarum aliquam sibi proponere quisque debet, qui pie et religiose, ut Sanctorum filios decet, nuptias velit contrahere.

§. 528. Quod si ad eas causas aliae etiam accedant, quibus homines inducti Matrimonium ineant, atque in habendo uxoris delectu hanc illi praeponant, ut haeredis relinquendi desiderium, divitiae, forma, generis splendor, morum similitudo, hujusmodi sane rationes damnandae non sunt, cum Matrimonii sanctitati non repugnent. Neque enim in Sacris Literis Jacob Patriarcha reprehenditur, quod Rachelem, ejus pulchritudine illectus, Liae praetulerit *(Genes. XXIX.)*.

## CAPUT IV.

*De Matrimonio ut Sacramentum est, et ad quem finem referatur* §. 529; *unum esse de septem novae legis Sacramentis, gratiamque conferre* §. 530. 531; *praestare Ethnicorum et Judaeorum conjugiis* §. 532.

§. 529. Haec de Matrimonio, ut naturalis conjunctio est, docenda erunt; ut autem Sacramentum est, explicare oportebit, ejus naturam multo praestantiorem esse et omnino ad altiorem finem referri. Quemadmodum enim Matrimonium, ut naturalis conjunctio, ad propagandum humanum genus ab initio institutum est: ita deinde, ut populus ad veri Dei et Salvatoris nostri Christi cultum et religionem procrearetur atque educaretur, Sacramenti dignitas illi tributa est. Cum enim Christus Dominus vellet arctissimae illius necessitudinis, quae ei cum Ecclesia intercedit, suaequae erga nos immensae charitatis certum aliquod signum dare, tanti mysterii divinitatem hac potissimum maris et feminae sancta conjunctione declaravit. Quod quidem aptissime factum esse intelligi ex eo potest, quod ex omnibus humanis necessitatibus, nulla inter se homines magis, quam Matrimonii vinculum constringit, maximaque inter se vir et uxor charitate et benevolentia devincti sunt. Atque idcirco fit, ut frequenter Sacrae Literae nuptiarum similitudine divinam hanc Christi et Ecclesiae copulationem nobis ante oculos proponant.

§. 530. Jam vero, Matrimonium Sacramentum esse, Ecclesia, Apostoli autoritate confirmata, certum et exploratum semper habuit: ita enim ad Ephesios scribit (*Ephes. V, 28 — 32.*): *Viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit, nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Nam quod inquit: Sacramentum hoc magnum est, nemini dubium esse debet, ad Matrimonium referendum esse, quod scilicet viri et mulieris conjunctio, cujus Deus autor est, sanctissimi

illius vinculi, quo Christus Dominus cum Ecclesia conjungitur, Sacramentum, id est, sacrum signum sit. Atque hanc esse eorum verborum propriam et veram sententiam, veteres Sancti Patres, qui eum locum interpretati sunt, ostendunt, idemque Sancta Tridentina Synodus (§. 390) explicavit. Constat ergo, virum Christo, uxorem Ecclesiae ab Apostolo comporari, virum esse caput mulieris, ut est Christus Ecclesiae, eaque ratione fieri, ut vir uxorem diligere et vicissim uxor virum amare et colere debeat. Christus enim dilexit Ecclesiam, et pro ea semet ipsum tradidit. Rursus vero, ut idem Apostolus docet, Ecclesia subjecta est Christo.

§. 531. Sed gratiam quoque hoc Sacramento significari et tribui, in quo maxime ratio Sacramenti inest, ea Synodi verba declarant (§. 392): Gratiam vero, quae naturalem illum amorem perficeret et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit. — Quare docendum est, hujus Sacramenti gratia effici, ut vir et uxor mutuae charitatis vinculo conjuncti, alter in alterius benevolentia conquiescat, alienosque et illicitos amores et concubitus non quaerat, sed in omnibus sit honorabile connubium et torus immaculatus.

§. 532. Sed quantum Matrimonii Sacramentum iis Matrimoniis praestet, quae ante vel post legem iniri solebant, ex eo licet cognoscere, quod, etsi gentes Matrimonio Divini aliquid inesse arbitrabantur, atque ob eam rem vagos concubitus a naturae lege alienos esse, itemque stupra, adulteria et alia libidinis genera vindicanda esse judicabant, tamen eorum connubia nullam prorsus Sacramenti vim habuerunt. Apud Judaeos vero religiosius omnino nuptiarum leges servari consueverant, neque dubitandum, quin eorum Matrimonia majori sanctitate praedita essent. Cum enim promissionem accepissent, fore aliqando, ut omnes gentes in semine Abrahae benedicerentur, magnae apud eos pietatis officium merito esse videbatur, filios procreare, electi populi sobolem, ex qua Christus Dominus Salvator noster, quod ad humanam naturam attinet, ortum habiturus esset, propagare; sed illae quoque conjunctiones vera Sacramenti ratione caruerunt. Huc accedit, quod sive naturae post peccatum sive Moysis legem spectemus, facile

animadvertimus, Matrimonium a primi ortus sui decore et honestate decidisse: dum enim naturae lex vigebat, multos ex antiquis Patribus fuisse comperimus, qui plures simul uxores ducerent. Deinde vero in lege Moysis permissum erat, dato repudii libello, si causa fuisset, divortium cum uxore facere; quorum utrumque ab evangelica lege sublatum, matrimoniumque in pristinum statum restitutum est.

## CAPUT V.

*Polygamiam a Matrimonii natura alienam esse* §. 533; *Matrimonii vinculum nullo divortio dissolvi posse* §. 534; *quae sint hujus indissolubilis vinculi utilitates* §. 535.

§. 533. Nam quod Polygamia a Matrimonii natura aliena esset (etsi aliqui ex priscis accusandi non sunt, quod non sine Dei indulgentia plures uxores ducerent), Christus Dominus ostendit illis verbis (*Matth. XIX*, 5. 6.): *Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* Ac deinde subjungit: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Quibus verbis planum fecit, Matrimonium ita a Deo institutum esse, ut duorum tantum, non plurimum, conjunctione definiretur. Quod etiam alibi apertissime docuit: inquit enim (*Marc.* X, 11. 12.): *Quicunque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam, et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, moechatur.* Nam si viro liceret plures uxores ducere, nulla omnino causa esse videretur, cur magis adulterii reus dicendus esset, quod praeter eam uxorem, quam domi haberet, aliam duceret, quam quod, priore dimissa, cum alia conjungeretur. Atque ob eam rem fieri intelligimus, ut si infidelis quispiam, gentis suae more et consuetudine plures uxores duxisset, cum ad veram religionem conversus fuerit, jubeat eum Ecclesia caeteras omnes relinquere, ac priorem tantum justae et legitimae uxoris loco habere.

§. 534. Verum eodem Christi Domini testimonio facile comprobatur, nullo divortio vinculum Matrimonii dissolvi posse. Si enim post libellum repudii mulier a viri lege soluta esset, liceret ei sine ullo adulterii crimine alteri viro nubere: atqui Dominus aperte de-

nunciat *(Matth. XIX, 9.)*: *Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur.* Quare conjugii vinculum nulla re, nisi morte disrumpi, perspicuum est, quod quidem Apostolus etiam confirmat, cum inquit *(1 Cor. VII, 39.)*: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus, liberata est a lege: cui vult, nubat, tantum in Domino;* et rursus *(1 Cor. VII, 10. 11.)*: *His qui Matrimonio juncti sunt, praecipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Eam vero optionem Apostolus mulieri, quae justa de causa virum reliquisset, detulit, ut aut innupta maneat, aut viro suo reconcilietur. Neque enim sancta Ecclesia viro et uxori permittit, ut sine gravioribus causis alter ab altero discedat.

§. 535. Ac ne forte alicui videatur durior Matrimonii lex, quod nulla unquam ratione dissolvi possit: docendum est, quae sint cum ea utilitates conjunctae. Primum enim homines in conjungendis Matrimoniis virtutem potius et morum similitudinem, quam divitias et pulchritudinem, spectandam esse intelligant, qua quidem re communi societati maxime consuli nemo dubitare potest. Praeterea, si divortio Matrimonium dissolveretur, vix unquam dissidendi causae hominibus, quae eis ab antiquo pacis et pudicitiae hoste quotidie objicerentur, deessent. Nunc vero cum fideles secum cogitant, quamvis etiam conjugii convictu et consuetudine careant, se tamen Matrimonii vinculo constrictos teneri, omnemque alterius uxoris ducendae spem sibi praecisam esse, ea re fit, ut ad iracundiam et dissidia tardiores esse consueverint. Quod si interdum etiam divortium faciant et diutius conjugis desiderium ferre non possint, facile per amicos reconciliati, ad ejus convictum redeunt. Sed hoc loco praetermittenda non erit Pastoribus Sancti Augustini salutaris admonitio. Is enim ut ostenderet fidelibus, haud gravate faciendum esse, ut cum uxoribus, quas adulterii causa dimisissent, si eas delicti poeniteret, in gratiam reducerentur: Cur, inquit, vir fidelis non recipiet uxorem, quam recipit Ecclesia? aut cur uxor viro adultero, sed poenitenti, non ignoscat, cui etiam ignovit Christus? Nam quod Scriptura *(Proverb. XVIII, 22.)* *stultum* vocat, *qui tenet adulteram:* de ea sentit, quae cum deliquerit, poenitere et a coepta turpitudine

desistere recusat. Ex iis itaque perspicuum est, fidelium conjugia perfectione et nobilitate tum gentilium tum Judaeorum Matrimoniis longe praestare.

## CAPUT VI.

*De tribus Matrimonii bonis* §. 536—538; *de mutuis viri atque uxoris officiis* §. 539. 540.

§. 536. Docendi praeterea sunt fideles, tria esse Matrimonii bona, Prolem, Fidem, Sacramentum, quorum compensatione illa incommoda leniuntur, quae Apostolus indicat his verbis (1 *Cor. VII*, 28.): *Tribulationem carnis habebunt hujusmodi.* Efficiturque, ut conjunctiones corporum, quae extra Matrimonium merito damnandae essent, cum honestate conjunctae sint. Primum igitur bonum est Proles, hoc est, liberi, qui ex justa et legitima suscipiuntur uxore: id enim tanti fecit Apostolus, ut diceret (1 *Tim. II*, 15.): *Salvabitur mulier per filiorum generationem.* Nec vero hoc de procreatione solum, sed de educatione etiam et disciplina, qua filii ad pietatem erudiuntur, intelligendum est. Sic enim statim subdit Apostolus: *Si in fide permanserint.* Monet enim Scriptura (*Eccl. VII*, 25.): *Filii tibi sunt? erudi illos et curva illos a pueritia illorum.* Idem etiam Apostolus docet, ejusque institutionis pulcherrima exempla, Tobias, Job, et alii sanctissimi Patres in Sacris Literis praebent. Quae vero sint parentum et filiorum officia, in quarto praecepto latius explicabitur.

§. 537. Sequitur Fides, quod est alterum Matrimonii bonum, non ille virtutis habitus, quo imbuimur cum Baptismum percipimus; sed fidelitas quaedam, qua mutuo vir uxori et uxor viro ita se obstringit, ut alter alteri sui corporis potestatem tradat, sanctumque illud conjugii foedus nunquam se violaturum pollicetur. Id facile colligitur ex illis verbis, quae a primo parente enunciata sunt, cum Evam uxorem suam accepit, quae deinde Christus Dominus in Evangelio comprobavit (*Matth. XIX*, 5.): *Quare relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* Item ex eo Apostoli loco (1 *Cor. VII*, 4.): *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Quare optimo jure gravissimae animadversiones

a Domino in adulteros, quod hanc maritalem fidem frangant, in veteri lege constitutae erant *(Levit. XX. Numer. V.)*. Postulat praeterea Matrimonii fides, ut vir et uxor singulari quodam, sanctoque et puro amore conjuncti sint, neque ut adulteri inter se ament, sed ut Christus dilexit Ecclesiam. Hanc enim Apostolus regulam praescripsit, cum ait *(Ephes. V, 25.)*: *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam,* quam certe immensa illa charitate, non sui commodi gratia, sed sponsae tantum utilitatem sibi proponens, complexus est.

§. 538. Tertium bonum, Sacramentum appellatur, vinculum scilicet Matrimonii, quod nunquam dissolvi potest. Nam ut est apud Apostolum *(1 Cor. VII, 10. 11.)*, Dominus praecepit uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari et vir uxorem non dimittat. Si enim Matrimonium, ut Sacramentum est, Christi conjunctionem cum Ecclesia designat, necesse est, ut Christus se ab Ecclesia nunquam disjungit, ita uxorem a viro, quod ad Matrimonii vinculum attinet, separari non posse. Verum ut haec sancta societas sine querela facilis conservetur, viri et uxoris officia, quae a Sancto Paulo et a Principe Apostolorum Petro descripta sunt, tradenda erunt.

§. 539. Ergo Viri munus est, uxorem liberaliter et honorifice tractare, qua in re meminisse oportet, Evam ab Adamo sociam appellatam esse, cum inquit: Mulier, quam dedisti mihi sociam. Cujus rei causa aliqui Patres factum esse docuerunt, ut ea non ex pedibus, sed ex latere viri formaretur, quemadmodum etiam ex capite condita non est, ut se viri dominam non esse intelligeret, sed viro potius subjectam. Decet praeterea virum in alicujus honestae rei studio semper occupatum esse: tum ut ea suppeditet, quae ad familiam sustentandam necessaria sunt, tum ne inerti otio languescat, a quo vitia fere omnia fluxerunt; deinde vero familiam recte constituere, omnium mores corrigere, singulos in officio continere.

§. 540. Rursus autem Uxoris partes sunt, quas Apostolorum Princeps enumerat, cum inquit *(1 Petr, III, 1—6.)*: *Mulieres subditae sint viris suis; ut etiam qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore sanctam conver-*

*sationem vestram, quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando et sanctae mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subjectae propriis viris, sicut Sara obediebat Abrahae, Dominum eum vocans.* Earum quoque praecipuum studium sit, filios in religionis cultu educare, domesticas res diligenter curare. Domi vero libenter se contineant, nisi necessitas exire cogat; idque sine viri permissu facere nunquam audeant. Deinde, in quo maxime maritalis conjunctio sita est, meminerint semper, secundum Deum, magis quam virum, neminem diligendum, eove pluris faciendum esse neminem, cui etiam omnibus in rebus, quae christianae pietati non adversantur, morem gerere et obtemperare summa cum alacritate animi oporteat.

## CAPUT VII.

*De Ritibus in Matrimonio contrahendo servandis* §. 541; *de Matrimonii impedimentis* §. 542. 543; *de Usu Matrimonii* §. 544.

§. 541. Harum rerum explicationi consequens erit, ut Pastores Ritus etiam doceant, qui in Matrimonio contrahendo servari debent. De quibus non est exspectandum, ut hoc loco praecepta tradantur, cum a sancta Tridentina Synodo (§. 406 sqq.), quae hac in re maxime observanda sint, copiose et accurate constituta fuerint: neque illud Decretum a Pastoribus ignorari possit. Satis igitur est eos admonere, ut quae ad hanc partem attinent, e sacri Concilii doctrina cognoscere studeant, eaque fidelibus diligenter exponant. Inprimis autem, ne adolescentes et puellae, cui aetati inest maxima imbecillitas consilii, falso nuptiarum nomine decepti, turpium morum foedera incaute ineant, saepissime docebunt, ea neque vera, neque rata Matrimonia habenda esse, quae praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia, certoque testium numero, non contrahantur.

§. 542. Sed quae Matrimonium etiam impediunt, explicanda erunt. In quo argumento plerique graves et doctissimi viri, qui de vitiis et virtutibus conscripserunt,

adeo diligenter versati sunt, ut facile omnibus futurum sit, quae illi scriptis suis tradiderunt, in hunc locum transferre, cum praesertim necesse habeant Pastores, eos ipsos libros nunquam fere e manibus deponere. Itaque tum illas praeceptiones, tum quae a sancta Synodo sancita sunt de impedimento (quod vel a cognatione spirituali, vel a justitia publicae honestatis, vel a fornicatione oritur) attente legent et tradenda fidelibus curabunt. Ex quibus perspici potest, quo animo affectos esse oporteat fideles, cum Matrimonium contrahunt: neque enim se humanam aliquam rem aggredi, sed divinam putare debent. In qua singularem mentis integritatem et pietatem adhibendam esse, Patrum veteris legis exempla satis ostendunt, quorum Matrimonia tametsi Sacramenti dignitate praedita non erant, ea tamen maxima semper cum religione et sanctimonia colenda esse existimarunt.

§. 543. Inter caetera autem maxime hortandi sunt filiifamilias, ut parentibus et iis, in quorum fide et potestate sunt, eum honorem tribuant, ut ipsis inscientibus, nedum invitis et repugnantibus, Matrimonia non ineant. Nam in Veteri Testamento licet animadvertere, filios a patribus semper in Matrimonium collocatos esse. Qua in re plurimum illorum voluntati deferendum esse, Apostolus etiam videtur iis verbis indicare (1 *Cor. VII,* 38.): *Qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit, et qui non jungit, melius facit.*

§. 544. Extrema illa restat pars, quae ad Matrimonii Usum pertinet, de quibus ita agendum est a Pastoribus, ut nullum ex eorum ore verbum excidat, quod fidelium auribus indignum esse videatur, aut pias mentes laedere, aut risum movere queat. Ut enim eloquia casta sunt (*Psalm. XI.*), ita etiam maxime decet, christiani populi Doctorem ejusmodi orationis genere uti, quod singularem quandam gravitatem et mentis integritatem prae se ferat. Quare duo illa maxime docendi sunt fideles: Primum quidem, non voluptatis aut libidinis causa Matrimonio operam dandam esse, sed eo utendum intra illos fines, qui, ut supra demonstravimus, a Domino praescripti sunt. Meminisse enim convenit quod Apostolus hortatur (1 *Cor. VII,* 29.): *Qui habent uxores, tanquam non habentes sint.* Tum vero a S. Hieronymo (*Lib. I. contra Jovinianum in fine*) dictum esse:

Sapiens vir judicio debet amare conjugem, non affectu, reget impetus voluptatis, nec praeceps feretur ad coitum. Nihil est foedius, quam uxorem amare quasi adulteram. Sed quoniam bona omnia sanctis precationibus a Deo impetranda sunt; alterum est, quod fideles docere oportet, ut Deum orandi et obsecrandi causa a Matrimonii officio interdum abstineant, inprimisque id sibi observandum sciant tribus saltem diebus, antequam sacram Eucharistiam percipiant, saepius vero, cum solennia Quadragesimae jejunia celebrantur, quemadmodum Patres nostri recte et sancte praeceperunt. Ita enim fiet, ut ipsa Matrimonii bona majori indies divinae gratiae cumulo augeri sentiant et pietatis studia sectantes, non modo hanc vitam tranquille et placide traducant, sed aeternae etiam Dei benignitate consequendae vera et stabili spe, quae non confundit, nitantur.

# LIBER TERTIUS.

# DE DEI PRAECEPTIS IN DECALOGO CONTENTIS.

## PRAEFATIO.

*Quam necessaria sit Pastori cognitio Praeceptorum Decalogi §. 545; quibus rationibus ad Praeceptorum observationem Christiani impellendi sint §. 546 — 550.*

§. 545. Decalogum, legum omnium summam et epitomen esse, S. Augustinus literis commendavit. Cum multa locutus sit Dominus, duae tamen tantum Tabulae dantur Moysi lapideae, quae dicuntur Tabulae Testimonii futurae in arca. Nimirum caetera omnia, quae praecepit Deus, ex illis decem praeceptis, quae duabus tabulis conscripta sunt, pendere intelliguntur, si diligenter quaerantur, ut recte intelligantur, quo modo haec ipsa rursus decem praecepta ex duobus illis, dilectionis scilicet Dei et Proximi, in quibus tota Lex pendet et Prophetae. Itaque cum sit totius legis Summa, Pastores oportet in ejus contemplatione die noctuque versari; non

ut vitam suam modo ad hanc normam componant, sed etiam, ut populum sibi creditum, in lege Domini erudiant. *Nam labia Sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est (Malach. II, 7.)*; quod ad Pastores novae legis maxime pertinet, qui Deo propiores, *a claritate in claritatem transformari debent, tanquam a Domini Spiritu (2 Cor. III, 18.)*. Et cum eos lucis nomine nuncupavit Christus Dominus, propriae sunt illorum partes, ut sint lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditores insipientium, magistri infantium et si quis praeoccupatus fuerit in aliquo delicto, ipsi, qui spirituales sunt, hujusmodi instruant. In Confessionibus etiam Judicis personam sustinent, ac pro genere et modo peccatorum, sententiam ferunt, quare, nisi suam sibi conscientiam, nisi aliis etiam esse fraudi velint, in eo sint necesse est quam vigilantissimi et in divinorum praeceptorum interpretatione exercitatissimi, ut ad hanc divinam regulam, de quacunque et actione et officii praetermissione, judicium facere possint, et, ut est apud Apostolum *(2 Tim. IV, 3. Tit. II, 1. 14.)*, *sanam doctrinam* tradant, id est, quae nullum contineat errorem et animorum morbis, qui sunt peccata, medeantur: ut sit *populus Deo acceptus, sectator bonorum operum.*

§. 546. Jam vero in hujuscemodi tractationibus ea Pastor sibi et aliis proponat, quibus legi parendum esse persuadeat. Inter caetera autem, quae animos hominum ad hujus legis jussa servanda possunt impellere, illud maximam vim habet, Deum esse hujus legis autorem. Quamvis enim per Angelos data esse dicatur *(Galat. III, 19.)*, nemo tamen dubitare potest, ipsum Deum esse legis autorem, cujus rei satis amplum testimonium praebent non solum ipsius Legislatoris verba, quae paulo post explicabuntur, sed infinita pene Scripturarum loca, quae Pastoribus facile occurrent. Nemo enim est, quin sibi a Deo legem in animo insitam esse sentiat, qua bonum a malo, honestum a turpi, justum ab injusto possit secernere, cujus vis et ratio legis, cum ab ea, quae scripta est, diversa non sit, quis est qui ut intimae, sic scriptae legis autorem Deum negare audeat? Hanc igitur divinam lucem, pene jam pravis moribus et diuturna perversitate obscuratum, cum Deus Moysi legem dedit, eam potius illustriorem reddidisse, quam novam

tulisse, docendum est; ne forte, cum populus audit legi Moysis derogatum esse, putet his legibus se non teneri. Certissimum enim est, non propterea his praeceptis parendum esse, quod per Moysen data sunt, sed quod omnium animis ingenita et per Christum Dominum explicata sunt et confirmata. Juvabit tamen plurimum et ad persuadendum magnum habebit momentum illa cogitatio; Deum esse qui legem tulit: de cujus sapientia et aequitate dubitare non possumus, nec ejus infinitam vim atque potentiam effugere. Quare, cum per Prophetas Deus juberet servari legem, dicebat se Dominum Deum esse. Et in ipso Decalogi exordio: *Ego sum Dominus Deus tuus;* et alibi *(Malach. I, 6.)*: *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Non solum autem excitabit fidelium animos ad servanda Dei praecepta, sed ad gratiarum etiam actionem, quod suam Deus, quae salutem nostram contineret, voluntatem explicarit. Quare non uno loco Scriptura maximum hoc beneficium declarans, populum commonefacit, ut suam dignitatem ac Domini beneficentiam cognoscat, veluti in Deuteronomio *(Deut. IV, 6.)*: *Haec est*, inquit, *vestra sapientia, et intellectus coram populis, ut audientes universi praecepta haec, dicant: En populus sapiens et intelligens, gens magna;* et rursus in Psalmo *(Psalm. CXLVII, 20.)*: *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.*

§. 547. Verum si Parochus rationem praeterea latae legis, ex Scripturae autoritate demonstrarit, facile intelligent fideles, quam pie ac suppliciter acceptam Dei legem colere oporteat. Triduo enim antequam ferretur lex, Dei jussu dictum est omnibus *(Exod. XIX. 10. 15.)*, *ut vestimenta lavarent, uxores non attingerent*, quo sanctiores ac paratiores essent ad accipiendam legem: ut ad diem tertium adessent. Deinde cum ad montem essent adducti, unde Dominus illis per Moysem legem erat laturus, uni Moysi dictum est, ut in montem adscenderet, quo Deus maxima cum majestate venit et locum tonitruis, fulgoribus, igne, densisque nebulis circumfudit, ac loqui cum Moyse coepit, eique legem dedit. Quod divina sapientia nullam aliam ob causam factum voluit, nisi nos ut moneret, casto humilique animo legem Domini accipiendam esse: quod si praecepta negligeremus, paratas nobis a divina justitia poenas imminere.

§. 548. Quin etiam, legis jussa difficultatem non habere, ostendat Parochus, quod vel una hac ratione ex S. Augustino *(in Lib. de natura et gratia, Cap. 69.)* docere poterit, cum dicit: Qui, quaeso, dicitur impossibile esse homini amare, amare inquam creatorem beneficum, patrem amantissimum, deinde etiam et carnem suam in fratribus suis? at vero *qui diligit, legem implevit (Rom. XIII, 8.).* Quare Johannes Apostolus *praecepta Dei gravia non esse,* aperte testatur *(1 Joh. V, 3.).* Nihil enim justius, nihil cum majore dignitate, nihil majore cum fructu ab homine, teste b. Bernardo, exigi potuisset. Quamobrem summam Dei benignitatem admiratus est Augustinus *(Conf. I, 3.)*, sic ipsum Deum affatus: Quid est homo, quod amari te ab eo vis, et si non faciat, ingentes minaris poenas? an non satis magna haec est, si non diligam te? Quod si quis eam afferat excusationem, impediri se, quo minus Deum amet, infirmitate naturae, docendum est, Deum, qui amorem requisivit, amoris vim inserere cordibus per Spiritum Sanctum suum, hic autem spiritus bonus, petentibus a Patre coelesti datur, ut merito S. Augustinus *(Lib. X. Confess. Cap. 29.)* precatus sit: Da quod jubes et jube quod vis. Quia igitur Dei auxilium praesto nobis est, maxime post Christi Domini mortem, per quam princeps hujus mundi ejectus est foras, non est, quod quisquam rei difficultate deterreatur: nihil enim est amanti difficile.

§. 549. Praeterea ad eandem rem persuadendam plurimum valebit, si explicabitur, necessario legi obtemparandum esse, praesertim cum nostris temporibus non defuerint, qui, sive facilis sive difficilis sit lex, ad salutem tamen nequaquam necessariam esse, impie et magno ipsorum malo dicere non veriti sunt. Quorum nefariam impiamque sententiam Sacrae Scripturae testimoniis Parochus confutabit, ejusdem maxime Apostoli, cujus illi autoritate impietatem suam tueri conantur. Quid igitur ait Apostolus *(1 Cor. VII, 19.)*? *Non praeputium, non circumcisionem quidquam esse, sed observationem mandatorum Dei.* Quod vero eandem sententiam alibi repetit, et novam creaturam in Christo tantum dicit valere, intelligimus plane, eum novam creaturam in Christo dicere, qui mandata Dei observat. Is enim, qui habet mandata Dei ac servat, diligit Deum, Domino

ipso teste apud Johannem (*Joh. XIV. 23.*): *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Nam etsi justificari potest homo et ex impio fieri pius, antequam singula legis praecepta externis actionibus impleat: tamen fieri non potest, ut qui per aetatem ratione uti queat, ex impio fiat justus, nisi animum habeat paratum ad omnia praecepta Dei servanda.

§. 550. Ad extremum vero, ne quid praetermittat Parochus, quo fidelis populus adducatur ut legem servet, quam sint ejus uberes suavesque fructus demonstrabit, quod facile poterit ex iis, quae Psalmo decimo octavo scripta sunt, probare. In eo enim Legis Dei laudes celebrantur, quarum haec est vel maxima, quae Dei gloriam et majestatem multo amplius explicat, quam decore suo atque ordine faciant ipsa coelestia corpora, quae ut omnes, quamvis barbaras nationes in sui admirationem rapiunt, ita efficiunt, ut rerum omnium opificis et conditoris gloriam, sapientiam ac potentiam agnoscant. Ac lex quidem Domini convertit animas ad Deum. Agnoscentes enim vias ejus et Dei sanctissimam voluntatem per legem, convertimus pedes nostros in vias Domini. At quia soli timentes Deum vere sapientes sunt, hoc illi deinceps tribuit, ut sapientiam praestet parvulis. Hinc veris gaudiis et mysteriorum divinorum cognitione, ingentibus praeterea voluptatibus et praemiis, et in hac vita, et in futuro saeculo illi cumulantur, qui Dei legem observant. Nec vero tam nostrae utilitatis gratia, quam Dei causa, nobis est servanda lex, qui suam hominum generi in lege voluntatem aperuit, quam cum caeterae sequantur, hominem ipsum eandem sequi multo est aequius. Ne id quidem silentio praetereundum est, vel in hoc maxime suam in nos Deum clementiam et summae bonitatis divitias ostendisse, quod cum sine ullo praemio nos potuisset, ut suae gloriae serviremus, cogere, voluit tamen suam gloriam cum utilitate nostra conjungere, ut quod homini utile, idem esset Deo gloriosum. Quoniam igitur id maximum et praeclarissimum est, docebit Parochus, ut a Propheta ultimo loco dictum est, in custodiendis illis retributionem multam esse. Non enim tantum illae nobis benedictiones promissae sunt, quae ad terrenam magis felicitatem spectare videbantur, ut benedicti simus in civitate, benedicti in agro, sed copiosa merces in coelis et mensura bona, conferta,

coagitata et superfluens proposita est, quam piis et justis actionibus meremur divinae misericordiae adjumento.

## DE PRIMO PRAECEPTO.

*Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile etc.*

### CAPUT I.

*Historia gentis Israëliticae, cui lex per Moysen promulgata fuit, et cur eam in populum Deus elegerit, ac tamdiu passus sit peregrinari, duraque servitute premi; denique, quo loco ac tempore legem a Deo acceperit* §. 551 — 554.

§. 551. Quamvis haec lex Judaeis in monte a Domino data fuerit, tamen quoniam natura omnium mentibus multo ante impressa et consignata erat, atque ob eam rem Deus universos homines illi perpetuo parere voluit, plurimum proderit, verba illa, quibus, Moyse ministro atque interprete, Hebraeis promulgata est, et populi Israëlitici historiam, quae mysteriorum est plena, diligenter explicare. Principio narrabit, ex omnibus nationibus, quae sub coelo erant, unam Deum delegisse, quae ortum habuit ab Abraham, quem peregrinum esse voluit in terra Chanaan, cujus possessionem cum ei pollicitus esset, tamen et ille et posteri ejus amplius quadringentos annos vagi fuerunt, antequam promissam terram incolerent, in qua quidem peregrinatione nunquam eorum curam dimisit. Transibant quidem illi de gente in gentem et de regno ad populum alterum, sed nullam unquam illis injuriam fieri passus est, imo vero in reges animadvertit. Priusquam autem in Aegyptum descenderent, virum praemisit, cujus prudentia et illi, et Aegyptii, fame liberarentur. In Aegypto vero ea illos benignitate complexus est, ut repugnante et incumbente ad illorum perniciem Pharaone, mirum in modum augerentur et cum valde affligerentur, ac tanquam servi durissime tractarentur, ducem Moysen excitavit, qui eos in manu potenti educeret.

§. 552. Hujus praecipue liberationis, initio legis meminit Dominus his verbis *(Exod. XX, 2.)* : *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis.* Ex his vero illud maxime Parocho animadvertendum est, unam ex universis nationibus a Deo delectam esse, quam populum vocaret suum et cui se cognoscendum et colendum praeberet; non, quod caeteras justitia aut numero vinceret, quemadmodum Hebraeos monet Deus, sed quod ipsi Deo sic placuit, potius, ut gentem exiguam et inopem augeret et locupletaret, quo ejus potentia et bonitas notior apud omnes esset et illustrior. Cum igitur ea esset illorum hominum conditio, iis conglutinatus est et hos amavit ita, ut cum esset Dominus coeli et terrae, non confunderetur vocari Deus eorum, quo caeteras gentes ad aemulationem provocaret, ut perspecta Israëlitarum felicitate, omnes homines ad veri Dei cultum se conferrent. Quemadmodum etiam Paulus testatur *(Rom. XI.)*, se gentium felicitate proposita et vera Dei cognitione, qua eas instruxerat, ad aemulationem carnem suam provocare.

§. 553. Deinde fideles docebit, Deum hebraeos Patres diu peregrinari passum esse, posteros etiam durissima servitute premi, divexarique permisisse, ob eam rem, uti doceremur, amicos Dei fieri, non nisi mundi inimicos, ac peregrinos in terris, itaque in Dei familiaritatem facilius recipi, si nihil omnino nobis sit commune cum mundo, tum vero, ut ad Dei cultum translati, intelligeremus quanto feliciores demum sint ii, qui Deo, quam qui mundo serviunt, cujus rei nos Scriptura commonet, inquit enim *(2 Paralip. XII, 8.)* : *Verumtamen servient ei, ut sciant distantiam servitutis meae, et servitutis regni terrarum.* Praeterea explicabit, post amplius quadringentis annis Deum promissa praestitisse, ut ille populus fide et spe aleretur. Alumnos enim suos Deus a se perpetuo pendere vult, atque in ejus bonitate omnem spem suam collocare, ut in primi praecepti explanatione dicetur.

§. 554. Postremo, locum ac tempus notabit, quibus hanc legem populus Israël a Deo accepit: nempe, postquam eductus ex Aegypto, in desertum venit, ut beneficii recentis memoria allectus et loci asperitate, in quo versabatur, deterritus, ad accipiendam legem aptior redderetur. Homines enim iis maxime devinciuntur,

quorum beneficentiam experti sunt, atque ad Dei praesidium confugiunt, cum se omni spe humana destitutos esse agnoscunt. Ex quo licet intelligere, fideles ad complectendam coelestem doctrinam eo propensiores esse, quo se magis a mundi illecebris et carnis voluptatibus abstraxerint; sicut per Prophetam scriptum est *(Jes. XXVIII, 9.)*: *Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.*

## CAPUT II.

*Quid principium hoc Decalogi: Ego sum Dominus Deus tuus; significet et animo cogitandum proponat* §. 555; *cum duae sint Decalogi partes, cur ea quae ad Deum pertinent, in priori tabula contineantur et quae sint ea, quae primo praecepto jubentur, quaeque prohibentur* §. 556; *hoc praeceptum esse omnium primum et maximum, et qui in hoc peccent* §. 557.

§. 555. Enitatur itaque Parochus et quantum potest efficiat, ut fidelis populus haec verba semper in animo habeat: *Ego sum Dominus Deus tuus;* ex quibus intelligent, Legislatorem se Creatorem habere, a quo et conditi sunt et conservantur, jureque illud usurpent *(Psalm. XCIV, 7.)*: *Ipse est Dominus Deus noster, et nos populus pascuae ejus, et oves manus ejus.* Quorum verborum vehemens et frequens admonitio eam vim habebit, ut ad legem colendam fideles promptiores reddantur et a peccatis abstineant. Quod autem sequitur: *Qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis,* etsi Judaeis tantum videtur convenire, Aegyptiorum dominatu liberatis, tamen, si interiorem salutis universae rationem spectemus, multo magis ad christianos homines pertinet, qui non ex Aegyptiaca servitute, sed e peccati regione et *potestate tenebrarum a Deo erepti, atque in regnum filii dilectionis suae translati* sunt *(Coloss. I, 13.)*. Cujus beneficii magnitudinem intuens Jeremias, praedixit illud *(Jerem. XVI, 14—16.)*: *Ecce dies venient, dicit Dominus, et non dicetur ultra, Vivit Dominus, qui eduxit filios Israël de terra Aegypti: sed Vivit Dominus, qui eduxit filios Israël de terra Aquilonis, et de universis terris, ad quas ejeci eos, et reducam eos in terram suam, quam dedi Patribus eorum. Ecce ego mittam*

*piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos;* et quae sequuntur. Pater enim indulgentissimus per filium suum filios, qui erant dispersi, congregavit in unum, ut jam non ut servi, peccato sed justitiae, *serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris (Luc. I, 74 s.).* Quare fideles omnibus tentationibus, tamquam clypeum opponent illud Apostoli *(Rom. VI, 2.)*: *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* jam non sumus nostri, sed ejus, qui pro nobis mortuus est et resurrexit. Ipse est Dominus Deus noster, qui nos suo sanguine sibi acquisivit, quomodo peccare poterimus in Dominum Deum nostrum? ipsumque iterum cruci affigere? Ut igitur vere liberi et ea quidem libertate, qua nos Christus liberavit, *sicut exhibueramus membra nostra servire injustitiae, ita exhibeamus servire justitiae in sanctificationem (Rom VI, 19.).*

### *Non habebis Deos alienos coram me.*

§. 556. Priorem in Decalogo locum obtinere, quae ad Deum pertinent, posteriorem vero, quae ad Proximum, docebit Parochus, quia eorum, quae proximo praestamus, causa Deus est. Tum enim ex Dei praecepto proximum diligimus, cum propter Deum diligimus; ea vero sunt in priori tabula descripta. Secundo loco, in verbis iis, quae proposita sunt, duplex contineri praeceptum ostendet, quorum alterum jubendi, alterum prohibendi vim habet. Nam quod dicitur: Non habebis Deos alienos coram me, eam habet sententiam conjunctam; Me verum Deum coles, alienis Diis cultum non adhibebis. In priori autem continetur praeceptum Fidei, Spei et Charitatis. Nam cum Deum dicimus, immobilem, incommutabilem, perpetuo eundem manentem, fidelem, recte sine ulla iniquitate confitemur; ex quo ejus oraculis assentientes, omnem ipsi fidem et auctoritatem tribuamus necesse est: qui vero omnipotentiam, clementiam et ad bene faciendum facilitatem ac propensionem illius considerat, poteritne spes omnes suas non in illo collocare? At si bonitatis ac dilectionis ipsius effusas in nos divitias contempletur, illumne poterit non amare? Hinc est illud prooemium, hinc illa conclusio, qua in praecipiendo mandandoque in Scriptura

utitur Deus: Ego Dominus. Altera autem praecepti pars illa est: Non habebis Deos alienos coram me. Qua loquendi formula legislator usus est, non quod satis explicata non esset haec sententia affirmatione praecepti in hunc modum: Me unum Deum coles; si enim Deus est, unus est, sed propter caecitatem plurimorum, qui olim Deum verum se colere profitebantur, multitudinem tamen Deorum venerabantur, cujusmodi inter Hebraeos ipsos permulti fuerunt, qui, ut Helias eis objiciebat, in duas partes claudicabant, quod et Samaritae fecerunt, qui Deum Israëlis et Deos gentium colebant (3 *Regg. XVIII*, 21.).

§. 557. His explicatis addendum erit, hoc esse praeceptum omnium primum et maximum, non ordine tantum ipso, sed ratione, dignitate, praestantia. Debet enim obtinere Deus apud nos infinitis partibus majorem, quam Domini, quam Regis, charitatem et autoritatem. Ipse nos creavit, idem gubernat; ab eo in utero matris nutriti, atque inde in hanc lucem educti sumus; ipse nobis ad vitam victumque res suppediat necessarias. Peccant autem in hoc praeceptum, qui fidem, spem et charitatem non habent, quorum peccatum latissime patet. Sunt enim in hoc numero, qui in haeresin labuntur, qui non credunt ea, quae sancta mater Ecclesia credenda proponit: qui somniis, auguriis, caeterisque vanissimis rebus fidem habent; qui de sua salute spem abjiciunt, nec divinae bonitati confidunt; qui divitiis tantum, qui corporis valetudine, ac viribus nituntur, quae fusius ab iis explicata sunt, qui de vitiis et peccatis conscripserunt.

## CAPUT III.

*Sanctorum, qui in coelo sunt, venerationem et invocationem, ac Reliquiarum cultum, huic primo praecepto non repugnare* §. 558. 559; *quomodo Sanctorum honos et patrocinium, contra Haereticorum objectiones defendendus sit* §. 560. 561.

§. 558. Verum illud etiam in hujus praecepti explicatione accurate docendum est, venerationem et invocationem sanctorum Angelorum, ac beatarum animarum, quae coelesti gloria perfruuntur; aut etiam corporum ipsorum, Sanctorumque cinerum cultum, quem semper

catholica Ecclesia adhibuit, huic legi non repugnare. Quis enim adeo demens est, qui edicente rege, ne se pro rege quisquam gerat, aut regio cultu atque honore affici patiatur, continuo putet nolle regem, suis ut magistratibus honos deferatur? Etsi enim Angelos Christiani adorare dicuntur, exemplo Sanctorum Veteris Testamenti, non eam tamen illis venerationem adhibent, quam Deo tribuunt. Quod si legimus interdum (*Judic. XIII,* 15. 16. et al.), Angelos recusasse, ne se homines venerarentur, eo fecisse intelligendum est, quod sibi eum honorem haberi nolebant, qui soli Deo deberetur. Spiritus enim Sanctus, qui ait (1 *Tim. I,* 17.): *Soli Deo honor et gloria;* idem praecepit (*Deuter. V,* 16.), ut *honore parentes et seniores afficeremus.* Sancti praeterea viri, qui Deum unum colebant, reges tamen, (ut est in divinis literis) adorabant, id est, supplices venerabantur. Quod si reges, per quos Deus mundum gubernat, tanto honore afficiuntur; angelicis Spiritibus, quos Deus ministros suos esse voluit, et quorum opera non modo ad Ecclesiae suae, sed etiam ad reliquarum rerum gubernationem utitur, quorumque ope maximis tum animae, tum corporis periculis quotidie liberamur, etiamsi se nobis in conspectu non dent, tanto majorem honorem non habebimus, quanto beatae illae mentes dignitate regibus ipsis antecellunt? Adde charitatem qua nos diligunt, qua ducti, pro iis provinciis, quibus praesunt, ut ex Scriptura facile intelligitur (*Daniel. X.*), preces fundunt: quod etiam praestare iis, quorum sunt ipsi custodes, ne dubitandum quidem est: nostras enim preces Deo offerunt et lachrymas.

§. 559. Quamobrem in Evangelio docuit Dominus (*Matth. XVIII,* 10.), *pusillos scandalizandos non esse, quod Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris, qui in coelis est.* Invocandi itaque sunt, quod et perpetuo Deum intuentur et patrocinium salutis nostrae sibi delatum libentissime suscipiunt. Extant divinae Scripturae testimonia (*Genes. XXXII,* 26.) hujus invocationis. Jacob enim ab Angelo, quicum luctatus fuerat, petit, ut sibi benedicat, imo etiam cogit: se enim non dimissurum illum profitetur, nisi benedictione accepta: neque solum sibi ab eo tribui, quem intuebatur, sed ab eo etiam, quem minime videbat, tum cum dixit: (*Gen. XLVIII,* 16.): *Angelus, qui eruit me de cunctis malis,*

41 *

*benedicat pueris istis.* Ex quibus etiam colligi poterit, tantum abesse ut Sanctis, qui in Domino dormierunt, honore afficiendis atque invocandis et sacris eorum Reliquiis, cineribusque venerandis, Dei gloria minuatur, ut eo maxime augeatur: quo magis hominum spem excitat, confirmat et ad Sanctorum imitationem cohortatur quod officium Niceno altero et Gangrensi, ac Tridentino (§. 468. sqq.) Conciliis et sanctorum Patrum autoritate comprobatur.

§. 560. Quo autem sit ad refutandos eos instructior Parochus, qui huic veritati adversantur, Sanctos Hieronymum contra Vigilantium, et Damascenum *(Lib. IV. de orthod. fide Cap.* 16.*)* potissimum legat: ad quorum rationem, quod caput est, accedit consuetudo ab Apostolis suscepta, et in Ecclesia Dei perpetuo retenta et conservata. Cuius rei quis firmius aut clarius requirat argumentum divinae Scripturae testimonio, quae Sanctorum laudes celebrat admirabiliter? Extant enim quorundam Sanctorum divina praeconia; quorum laudes cum Sacris Literis celebrentur, quid est quod illis singularem honorem non habeant homines? Etsi ob eam causam magis etiam colendi et invocandi sunt, quod pro salute hominum preces assidue faciunt, multaque eorum merito et gratia in nos Deus confert beneficia. *(2 Machab. XV,* 22. 23. *Apoc. V,* 2. *Zach. I,* 9.) Si enim *gaudium est in coelo super uno peccatore poenitentiam agente (Luc. XV,* 2.*)*, nonne etiam coelestes cives poenitentes adiuvabunt? nonne rogati peccatorum veniam et impetrabunt et conciliabunt nobis Dei gratiam? Quod si dicatur, ut a nonnullis dicitur, supervacaneum esse Sanctorum patrocinium, quod Deus sine interprete precibus nostris occurrat; has impiorum voces illa S. Augustini *(Quaest.* 149. *super Exod. et Serm. I. et IV. de S. Steph.)* facile convincunt, multa Deum non concedere, nisi mediatoris ac deprecatoris opera et officium accesserit. Quod illustribus Abimelech et Iob amicorum confirmatur exemplis *(Genes. XX. Job. XLII.)*, quorum peccata non nisi Abrahami et Jobi precibus condonavit.

§. 561. Si vero etiam afferatur, fieri inopia et imbecillitate fidei, ut Sanctos internuntios et patronos adhibeamus, quid ad illud respondebunt Centurionis exemplum, qui vel in singulari illo fidei praeconio, quod Dominus Deus impertivit, Seniores tamen Judaeorum ad Salvatorem misit, ut laboranti puero salutem impetra-

rent? Quare, si fatendum est, unum nobis mediatorem propositum Christum Dominum, qui scilicet unus nos per sanguinem Patri coelesti reconciliavit, et qui aeterna redemptione inventa, *semel in Sancta ingressus*, pro nobis interpellare non cessat *(Hebr. IX, 12.)*: ex eo tamen nullo modo sequi potest, quo minus ad Sanctorum gratiam confugere liceat. Nam si propterea subsidiis Sanctorum uti non liceat, quod unum patronum habemus Jesum Christum; nunquam id commisisset Apostolus, ut se Deo tanto studio fratrum viventium precibus adiuvari vellet: neque enim minus vivorum preces, quam eorum qui in coelis sunt Sanctorum deprecatio, Christi mediatoris gloriam et dignitatem imminuerent. Sed cui fidem non faciant et honoris, qui Sanctis debetur, et patrocinii, quod nostri suscipiunt, mirabiles effectae res ad eorum sepulchra, et oculis, et manibus, membrisque omnibus captis, in pristinum statum restitutis, mortuis ad vitam revocatis, ex corporibus hominum ejectis Daemoniis? quae non audisse, ut multi; non legisse, ut plurimi gravissimi viri; sed vidisse, testes locupletissimi, Sancti Ambrosius et Augustinus literis prodiderunt. Quid multa? si vestes, sudaria, si umbra Sanctorum, priusquam e vita migrarent, depulit morbos, viresque restituit: quis tandem negare audeat, Deum per sacros cineres, ossa, caeterasque Sanctorum Reliquias eadem mirabiliter efficere? Declaravit id cadaver illud, quod forte illatum in sepulchrum Elisaei, ejus tacto corpore, subito revixit. *(4 Reg. XIII, 21.)*

## CAPUT IV.

*Quomodo intelligendum sit: Non facies tibi sculptile etc. eaque sententia Imaginum usum non prohiberi* §. 562 — 564.; *Christi Sanctorumque Imagines in Ecclesia non tantum haberi, sed etiam honorari posse* §. 565. 566.

§. 562. Quod vero sequitur: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quae est in coelo et quae in terra deorsum, nec eorum, quae sunt in aquis sub terra: Non adorabis ea, neque coles;* quidam hoc alterum praeceptum existimantes, duo postrema ipsa unius praecepti vi contineri voluerunt: ut Sanctus Augustinus *(super Exod. Quaest. 71. et Conc. I. in Psalm.*

*XXXII.)* illa extrema dividens, haec ipsa verba ad primum praeceptum pertinere voluit. Quam sententiam, quia in Ecclesia celebris est, libenter sequimur. Etsi in promptu ratio est illa verissima, consentaneum fuisse, praemium et poenam cujusque cum primo praecepto conjungi.

§. 563. Nec vero quis existimet, omnino pingendi, fingendi, aut sculpendi artem hoc praecepto prohiberi. Nam in Scripturis jussu Dei simulachra et imagines effectas legimus, Cherubim, Serpentis aenei. Superest igitur, ut Imagines ob eam rem vetitas interpretemur, ne quid, simulachris quasi Diis colendis, de vero Dei cultu detraheretur. Duplici autem potissimum ratione, quod ad hoc praeceptum attinet, Dei majestatem vehementer laedi perspicuum est: altera, si idola et imagines, tanquam Deus, colantur, aut credatur inesse aliqua in his divinitas vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda; veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant, quod passim Sacrae Literae reprehendunt: altera, si quis conetur divinitatis formam aliquo artificio effingere, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit. Quis enim Deum, ut inquit Damascenus, qui sub adspectum non cadit, qui corporis expers est, qui nullis terminis circumscribi, nec ulla figura describi queat, possit exprimere? quae res in altera Nicena Synodo uberius explicatur. Praeclare igitur Apostolus *(Rom. I, 23.)*, eos *mutasse Dei incorruptibilis gloriam in similitudinem volucrum, quadrupedum ac serpentum,* dixit. Haec enim omnia, tanquam Deum, venerabantur, cum illi harum rerum imagines ponerent. Quo circa Israëlitae, qui ante vituli simulachrum clamabant *(Exod. XXXII, 4.)*: *Hi sunt Dii tui, Israël, qui te eduxerunt de terra Aegypti;* idololatrae sunt appellati, quia mutarunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis foenum. Cum igitur Dominus Deos alienos coli prohibuisset, ut penitus idololatriam tolleret, imaginem divinitatis ex aere duci, aut alia quavis materia fieri prohibuit: quod Iesaias declarans, inquit *(Ies. XL, 18.)*: *Cui similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* Atque in hoc praecepto hanc sententiam contineri, praeter sanctorum Patrum scripta, qui eam, quemad-

modum in septima Synodo expositum est, sic interpretantur, illa etiam Deuteronomii verba satis declarant, ubi Moyses populum avertere ab idololatria, (*Deut. IV*, 15.) cum vellet, aiebat: *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis.* Quod sapientissimus legistator ideo dixit, ne quo errore ducti, divinitatis imaginem fingerent, Deoque debitum honorem, rei creatae tribuerent.

§. 564. Nemo tamen propterea contra religionem Deique legem quidquam committi putet, cum Sanctissimae Trinitatis aliqua persona quibusdam signis exprimitur, quae tam in Veteri quam in Novo Testamento apparuerunt. Nemo enim tam rudis est, ut illa imagine Divinitatem credat exprimi; sed illis declarari doceat Pastor proprietates aliquas aut actiones, quae Deo tribuuntur. Veluti, cum ex Daniele (*VII*, 9.10.) pingitur antiquus dierum in throno sedere, ante quem libri aperti sunt, Dei aeternitas et infinita sapientia significatur, qua omnes hominum et cogitationes et actiones, ut de iis iudicium ferat, intuetur. Angelis etiam tum humana species, tum alae affinguntur, ut intelligant fideles, quam propensi sint in humanum genus et tanquam parati ad ministeria Domini exequenda: *omnes* enim *administratorii spiritus sunt, propter eos qui haereditatem capiunt salutis* (*Hebr. I*, 14.). Columbae vero species et linguae tanquam ignis, in Evangelio et Actis Apostolorum, quas Spiritus Sancti proprietates significent, multo notius est, quam ut oporteat pluribus verbis explicari.

§. 565. At vero, cum Christus Dominus, eiusque sanctissima et purissima Mater, caeterique omnes Sancti, humana praediti natura, humanam speciem gesserint; eorum Imagines pingi atque honorari, non modo hoc praecepto interdictum non fuit, sed etiam sanctum et grati animi certissimum argumentum semper habitum est: quod et Apostolorum temporum monumenta et oecumenicae Synodi et tot sanctissimorum doctissimorumque Patrum inter se consentientium scripta confirmant. Non solum autem licere in Ecclesia Imagines habere et illis honorem et cultum adhibere, ostendet Parochus (cum honos, qui eis exhibetur, referatur ad prototypa); verum etiam maximo fidelium bono ad hanc usque diem factum declarabit: vt ex Damasceni libro, quem de Imaginibus

edidit et septima Synodo, quae est secunda Nicena, intelligitur.

§. 566. Verum quia sanctissimum quodque institutum hostis humani generis suis fraudibus et fallaciis depravare contendit; si quid forte a populo hac in re peccatum fuerit, Parochus Tridentini Concilii Decretum (§. 468.) secutus, quoad eius fiert poterit, studebit corrigere, ac Decretum quidem ipsum, cum res tulerit, populo interpretabitur: tum rudes et qui Imaginum ipsarum institutum ignorant, docebit Imagines factas ad utriusque Testamenti cognoscendam historiam, atque eius memoriam identidem renovandam: qua rerum divinarum memoria excitati, ad colendum atque amandum ipsum Deum vehementius inflammemur. Sanctorum quoque Imagines in templis positas demonstrabit, ut et colantur et exemplo moniti, ad eorum vitam ac mores nos ipsos conformemus.

## CAPUT V.

*Hac appendice, quae communis est omnium praeceptorum, homines ad mandata servanda induci; quamvis perfecti et carnales, non eadem ratione circa eam affecti sint* §. 567.; *quomodo utrique per hoc, quod Deus fortis et zelotes dicitur, ad observandam legem impellantur* §. 568. 569. 570.; *quo pacto filii parentum suorum scelerum poenas luunt, deque misericordia Dei ac peccati magnitudine, quae in hac appendice significantur* §. 571. 572.

*Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zeloles, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me: et faciens misericordiam in millia iis, qui diligunt me, et custodiunt praecepta mea.*

§. 567. Duo sunt in extrema parte hujus praecepti diligenter explicanda. Primum est, quod etsi ob summum scelus praevaricationis primi praecepti, atque hominum ad id committendum propensionem, apte hoc loco poena proponitur, communis tamen est omnium appendix praeceptorum. Omnis enim lex, ad praecepta servanda, homines poena et praemio inducit; hinc illae

tam frequentes in Sacris Literis et crebrae Dei promissiones. Ut enim innumerabilia pene Testamenti Veteris testimonia praetermittamus, in Evangelio scriptum est *(Matth. XIX, 17.)*: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* et alibi *(Matth. VII, 21.)*: *Qui facit voluntatem Patris mei qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum;* tum illud *(Matth. VII, 19.)*: *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur;* et *(Matth. V, 23.)*: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio;* atque alibi *(Matth. VI, 14.)*: *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Alterum est, quod longe alia ratione perfecti, alia carnales homines hanc appendicem docendi sunt. Perfectis enim, qui Spiritu Dei aguntur, eique prompto et alacri animo parent, instar est cujusdam laetissimi nuntii, et magnum argumentum propensae in eos divinae voluntatis. Agnoscunt enim sui amantissimi Dei curam, qui nunc praemiis, nunc poenis ad sui cultum et venerationem homines prope compellat. Agnoscunt ejus immensam in se benevolentiam, qui sibi imperare, suaque opera ad divini nominis gloriam uti velit. Neque solum agnoscunt, sed magna in spe sunt, illum, cum quod vult jubeat, etiam daturum vires, quibus legi ipsius parere possint. At Carnalibus, qui nondum spiritu servitutis liberati sunt, magisque metu poenarum, quam amore virtutis abstinent a peccatis, ejus appendicis sensus gravis et acerbus est. Quamobrem sunt piis exhortationibus sublevandi, et quo lex spectat, quasi manu deducendi. Parochus autem, quoties alicujus explicandi praecepti occasio inciderit, eadem haec sibi habeat proposita.

§. 568. Carnalibus perinde tamen ac Spiritualibus, duo inprimis quasi aculei sunt admovendi, qui ad legem observandam hac ipsa in appendice positi, homines maxime incitent. Nam quod Deus f o r t i s dicitur, ideo diligentius est explicandum, quod caro saepe, quae terroribus divinae comminationis minus commovetur, varias sibi ipsa rationes fingit, quibus iram Dei effugere, ac propositam poenam vitare possit: cui autem certo persuasum est, Deum fortem esse, illud magni Davidis usurpat *(Psalm. CXXXVIII, 7.)*: *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam?* Eadem quoque, divinis interdum diffisa promissis, tantas hostium vires

esse credit, ut ad sustinendum minime parem sese esse existimet. At firma et stabilis fides nihil titubans, cum divina vi ac virtute nitatur, homines contra recreat atque confirmat: inquit enim *(Psalm. XXVI, 1.)*: *Dominus illuminatio mea, et salus mea; quem timebo?* Alter vero aculeus, zelus ipse divinus est. Nonnunquam enim homines putant Deum humana non curare, ne illud quidem, legem ipsius servemus, an negligamus: ex quo sequitur magna vitae confusio.

§. 569. Cum autem Deum zelotem credimus, ejus rei meditatio facile nos in officio continet. Zelus vero, qui Deo tribuitur, nullam animi significat perturbationem, sed divinum illum amorem et charitatem, qua Deus nullam a se animam patitur impune fornicari: quotquot autem ab eo fornicantur, perdit. Est itaque zelus Dei, tranquillissima ejus sincerissimaque justitia, qua anima falsis opinionibus, pravisque cupiditatibus corrupta, repudiatur, et a Dei conjugio, tanquam adultera, removetur. At vero zelum hunc Dei suavissimum ac dulcissimum experimur, cum summa ejus atque incredibilis in nos voluntas, zelo ipso demonstratur. Nec enim aut amor ardentior inter homines, aut major arctiorque conjunctio, quam eorum qui conjugio copulati sunt, reperitur. Igitur quam nos valde diligat, ostendit Deus, cum crebro se vel sponso vel marito comparans, zelotem vocat. Quamobrem doceat Parochus, hoc loco sic divini cultus atque honoris cupidos homines esse debere, ut zelantes potius, quam amantes, jure dici possint; illius exemplo, qui de se ipso *(Reg. XIX, 14.)*, *Zelo*, inquit, *zelatus sum pro Domino Deo exercituum.* Imo vero Christum ipsum imitentur, cujus illud est *(Joh. II, 17.)*: *Zelus domus tuae comedit me.*

§. 570. Est autem comminationis explicanda sententia, non inultos peccatores passurum Deum, sed eos vel tanquam parentem castigaturum, vel tanquam judicem acriter ac severe in eos animadversurum. Quod alio in loco significans Moyses *(Deut. VII, 9. 10.)*, *et sciens*, inquit, *quia Dominus Deus tuus ipse est Deus fortis et fidelis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus se, et iis qui custodiunt praecepta ejus, in mille generationes, et reddens odientibus se statim.* Et Josuae *(Jos. XXIV, 19. 20.)*: *Non poteritis*, inquit, *servire Domino: Deus enim sanctus et fortis aemulator*

*est, nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis: si dimiseritis Dominum, et servieritis Diis alienis, convertet se; et affliget vos atque subvertet.*

§. 571. Docendus autem populus est, comminationis poenam ad tertiam quartamque impiorum et facinosorum generationem pertinere; non quod posteriores majorum scelerum poenas semper luant, sed licet illi liberique eorum impune tulerint, non omnis tamen eorum posteritas iram Dei poenamque vitabit. Quod Josiae regi accidit (*2 Parap. XXXIV*, 28.). Huic enim propter singularem pietatem cum pepercisset Deus, dedissetque ut in pace in sepulchrum majorum suorum inferretur, ne videret consequentium temporum mala, quae propter Manassis avi impietatem, Judae et Hierusalem erant eventura, eo mortuo, posteros ejus est ultio Dei consecuta, sic ut ne filiis quidem Josiae pepercerit (*4 Reg. XXIII.*). Qua autem ratione haec legis verba sententiae illi, quae est apud Prophetam, non adversentur (*Ezech. XVIII*, 4.): *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur;* Sancti Gregorii autoritas, cum reliquis omnibus antiquis Patribus consentiens, aperte ostendit. Inquit enim: Quisquis pravi parentis iniquitatem imitatur, etiam ex ejus delicto constringitur; quisquis autem parentis iniquitatem non imitatur, nequaquam delicto illius gravatur. Unde fit, ut iniquus filius iniqui patris non solum sua, quae addidit, sed etiam patris peccata persolvat; cum vitiis patris, quibus iratum Dominum non ignorat, etiam suam adhuc malitiam adjungere non formidat. Et justum est, ut qui sub districto judice vias parentis iniqui non timet imitari, cogatur in vita praesenti etiam culpas parentis iniqui persolvere.

§. 572. Commemorabit deinde Parochus, quantum Dei justitiam superet ejusdem bonitas ac misericordia. Irascitur tertiae quartaeque generationi Deus, misericordiam vero in millia impertit. In eo autem quod dictum est E o r u m q u i o d e r u n t m e peccati magnitudo ostenditur. Quid enim flagitiosius ac detestabilius, quam summam ipsam bonitatem, summam veritatem odisse? Hoc vero ad omnes peccatores idcirco pertinet. quod, quemadmodum, qui habet mandata Dei et servat ea, Deum diligit; ita qui legem Domini contemnit, et mandata ejus non servat, Deum odisse merito dicendus est.

Quod vero extremum est, **Et iis qui diligunt me**, servandae legis modum ac rationem docet. Necesse est enim, eos qui legem Dei servant, eadem charitate atque amore, quo in Deum sunt, ad ejus obedientiam adduci: quae deinceps in singulis praeceptis commemorabuntur.

---

## DE SECUNDO PRAECEPTO.

***Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.***

### CAPUT I.

*Quam studiose hoc praeceptum explicandum sit, propter improbam et usitatam hoc tempore jurandi conconsuetudinem* §. 573; *quaenam hoc praecepto imperentur, quaeque prohibeantur, et quid per nomen Dei intelligendum sit* §. 574.

§. 573. Quanquam primo divinae legis praecepto, quo Deum pie sancteque colere jubemur, hoc, quod secundo loco sequitur, necessario continetur: (nam qui sibi honorem tribui vult, idem postulat, se ut summo verborum honore prosequamur, prohibetque contraria: quod et illa Domini apud Malachiam verba aperte indicant *(Malach. I, 6.)*: *Filius honorat patrem, et servus dominum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus?)*; Deus tamen pro rei magnitudine, hanc de suo ipsius divino et sanctitatis plenissimo nomine honorando legem separatim ferre, idque nobis disertis et perspicuis verbis praescribere voluit. Quod sane Parocho ipsi argumento inprimis esse debet, nequaquam satis fore, si hac de re generatim loquatur: sed ejusmodi locum hunc esse, in quo ipse diutius commorari, et quaecumque ad hanc tractationem pertinent, distincte, delucide accurateque apud fideles explicare necesse sit. Neque vero nimia haec diligentia censenda est, cum non desint, qui adeo errorum tenebris obcaecati sint, ut quem Angeli glorificant, ei maledicere non vereantur. Neque enim lege semel lata deterrentur, quo minus Dei majestatem quotidie imminuere, imo singulis pene horis ac momentis, impudentissime audeant. Quis

enim non videat omnia jurejurando affirmari? omnia imprecationibus et execrationibus referta esse, usque adeo, ut nemo fere vel vendat aliquid, vel emat, vel negotium aliquod gerat, qui non jurisjurandi religionem interponat, Deique sanctissimum nomen millies, vel in re levissima et inani, temere non usurpet? quo major Parocho cura et diligentia adhibenda est, ut saepe fideles admoneat, quam grave hoc scelus sit et detestabile.

§. 574. Jam vero in hujus praecepti explicatione id primum constet, cum eo: quod lex fieri prohibet, earum etiam rerum praeceptionem conjunctam esse, quas praestare homines debent. Utrunque autem separatim docendum est: primum quidem, ut ea quae tradenda sunt, facilius exponantur, quid jubeat lex; mox etiam, quid vetet. Nam quae imperat, illa sunt: nomen Dei esse honorandum, ac per illud sancte jurandum. Haec rursus, quae prohibet: nemo divinum nomen contemnat, nemo illud in vanum assumat, neve per ipsum aut falso, aut frustra, aut temere juret. In ea itaque parte, qua jubemur divino nomini honorem tribuere, Parochus fidelibus praecipiat, Dei nomen, ipsius inquam literas et syllabas, aut omnino per se nudum verbum, tantummodo attendendum non esse; sed in eam cogitationem veniendum, quid valeat illa vox, quae omnipotentem ac sempiternam majestatem unius et trini numinis significat. Ex his autem facile colligitur, inanem esse nonnullorum Judaeorum superstitionem, qui quod scriberent Dei nomen, pronunciare non auderent, quasi in quatuor illis literis, non in re, divina vis esset. Sed quamvis singulari numero prolatum sit: Non assumes nomen Dei, id non de uno aliquo nomine, sed de omnibus, quae Deo tribui solent, intelligendum est. Multa enim Deo imposita sunt nomina, ut Domini omnipotentis, Domini exercituum, Regis regum, Fortis, et alia id genus, quae in Scripturis leguntur, quae parem, eandemque venerationem habent omnia. Deinde docendum est, quo modo divino nomini debitus honor adhibeatur. Neque enim christiano populo, cujus ore Dei laudes assidue celebrandae sunt, rem utilissimam et pernecessariam ad salutem ignorare fas est.

## CAPUT II.

*Quibus modis Dei nomen laudetur* §. 575. 576; *quamvis jusjurandum bonum sit, ejus tamen frequentem usum minime laudabilem esse* §. 577.

§. 575. Quamvis autem multiplex sit ratio laudandi divini nominis, tamen in iis, de quibus deinceps hic dicetur, vis et pondus omnium videtur esse. Primum igitur laudatur Deus, cum in omnium conspectu Deum ac Dominum nostrum fidenter confitemur, Christumque salutis nostrae autorem, quemadmodum agnoscimus, ita etiam praedicamus. Itemque cum verbo Dei, quo voluntas ejus enunciatur, sancte et diligenter operam damus; in ejus meditatione assidue versamur; studiose illud addiscimus aut legendo, aut audiendo; perinde ut cujusque personae et muneri aptum et consentaneum est. Deinde divinum nomen veneramur et colimus, cum officii et religionis causa divinas laudes celebramus, ac de omnibus rebus, tum prosperis tum adversis, illi singulares gratias agimus. Inquit enim Propheta *(Psal.* 102, 2.*)*: *Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus.* Extantque plurimi Davidis Psalmi, quibus egregia quadam erga Deum pietate illius divinas laudes suavissime decantat. Extat admirabile illud patientiae exemplum Iob: qui, cum in maximas illas horribilesque calamitates incidisset, Deum tamen excelso et invicto animo laudare nunquam intermisit. Nos itaque cum animi corporisque doloribus cruciamur, cum miseriis et aerumnis torquemur, statim ad Deum laudandum omne studium et animi nostri vires convertamus, illud Iob dicentes *(Iob.* 1, 21.*)*: *Sit nomen Domini benedictum.*

§. 576. Neque vero minus Dei nomen honoratur, si fidenter opem eius imploramus; quo scilicet aut ad eadem fortiter perferenda constantiam et robur largiatur. Hoc enim fieri vult Dominus *(Psal. IL.,* 15.*)*: *Invoca,* inquit, *me in die tribulationis, et eruam te, et honorificabis me.* Cuius implorationis cum multis aliis in locis, tum praecipue in Psalmis, XXVI. XLIII. et CXVIII. illustria reperiuntur exempla. Praeterea Dei nomen honore prosequimur, cum fidei faciendae causa testamur Deum: qui modus a superioribus valde differt. Nam

quae supra enumeravimus, ita suapte natura bona sunt atque expetenda, ut nihil beatius, nihil homini optabilius possit esse, quam si in illis sedulo exsequendis seipsum dies noctesque exerceat. *Benedicam*, inquit David (*Psal. XXXIII*, 2.), *Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo.*

§. 577. Ac jusjurandum licet bonum sit, ejus tamen frequens usus minime est laudabilis. Hujus autem discriminis ratio in eo posita est; quod jusjurandum de causa institutum est, ut esset tamquam remedium quoddam humanae imbecillitatis, et ad probandum quod dicimus necessarium instrumentum. Ut enim corpori medicamenta adhibere non expedit, nisi necesse sit, eorundem vero frequentatio perniciosa omnino est: ita etiam, nisi cum gravis et justa causa subest, jurejurando uti non est salutare: quod si saepius adhibeatur, tantum abest ut prosit, ut magnum detrimentum afferat. Quamobrem praeclare docet S. Chrysostomus (*Homil. XXVI. ad popul. Antioch.*), non nascente, sed iam adulto mundo, cum mala longe lateque propagata universum terrarum orbem occupassent, nihilque suo loco et ordine consisteret, sed perturbata et permista omnia, sursum deorsumque magna rerum confusione ferrentur; et quod malorum omnium grauissimum est, mortales fere omnes in foedam idolorum servitutem seipsos abjecissent: tum denique, longo sane intervallo, jusjurandum in hominum consuetudinem irrepsisse. Nam cum in tanta hominum perfidia et iniquitate, nemo facile ad credendum adduceretur, Deum testem invocabant.

## CAPUT III.

*Quid sit jurare et quot sint jurandi genera.* §. 578. 579.; *quae conditiones requirantur, ut rectum sanctumque sit jusjurandum.* §. 580 — 582.

§. 576. Verum cum in hac praecepti parte praecipua sit illa ratio docendi fideles, quomodo jusjurandum pie sancteque adhibere debeant, primum dicendum est, jurare nihil aliud esse, nisi Deum testari, quacunque id verborum forma et conceptione fiat. Nam et *Testis est mihi Deus*, et *per Deum* idem sunt. Est etiam illud jusjurandum, cum ad faciendam fidem per res creatas jura-

mus, ut per sacra Dei Evangelia, per crucem, per Sanctorum reliquias et nomen, et caetera id genus. Neque enim haec ipsa per se jurejurando autoritatem aut robur aliquod afferunt, sed Deus ipse hoc praestat, cuius divinae majestatis splendor illis in rebus elucescit. Ex quo sequitur, ut per Evangelium jurantes per Deum ipsum jurent, cujus veritas Evangelio continetur et declaratur: similiter et per Sanctos, qui templa Dei sunt, quique evangelicae veritati crediderunt, eamque omni observantia coluerunt et per gentes et nationes latissime disseminarunt. Eadem ratio est illius jurisjurandi, quod per execrationem profertur; quale est illud S. Pauli *(2 Cor. I, 23.)*: *Ego testem Deum invoco in animam meam.* Etenim hoc pacto aliquis Dei judicio, tanquam mendacii ultori, subiicitur. Neque propterea negamus nonnullas ex hisce formulis ita accipi posse, quasi jurisjurandi vim non habeant: sed tamen utile est, quae de jurejurando dicta sunt, in his etiam servare, atque ad eandem prorsus normam et regulam dirigere.

§. 579. Duo autem sunt jurandi genera: primum quidem, quod a s s e r t o r i u m appellatur; nimirum cum aliquid de re praesenti aut praeterita religiose affirmemus, ut Apostolus in Epistola ad Galatas *(I, 20.)*: *Ecce coram Deo, quia non mentior*: alterum vero p r o m i s s o r i u m dicitur, ad quod etiam comminationes referuntur, futurum tempus spectans, cum aliquid ita fore pro certo pollicemur et confirmamus: cujusmodi est illud Davidis *(3 Reg. I, 30.)* qui Bethsabeae conjugi, jurans per Dominum Deum suum, promisit, Salomonem ejus filium regni haeredem fore, atque in ipsius locum successurum.

§. 580. Verum enimvero licet ad jusjurandum satis sit, Deum testum adhibere, tamen, ut rectum sanctumque sit, multo plura requiruntur, quae sunt diligenter explicanda. Ea vero breviter, teste divo Hieronymo, Hieremias enumerat, dum inquit *(IV, 2.)*: *Jurabis, Vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitia.* Quibus sane verbis illa breviter summatimque complexus est, quibus omnis jurisjurandi perfectio continetur, veritatem, inquam, judicium et justitiam. Primum itaque in jurejurando locum veritas habet, nimirum, ut quod asseritur, et ipsum verum sit, et qui jurat, id ita esse arbitretur, non quidem temere aut levi conjectura adductus, sed certissimis argumentis. Alterum vero jurisjurandi genus, quo aliquid pro-

mittimus, eodem plane modo veritatem requirit: nam qui aliquid pollicetur, ita animatus esse debet, ut cum tempus advenerit, id re ipsa praestet et promissum exsolvat. Neque enim vir probus id unquam se facturum recipiet, quod sanctissimis Dei praeceptis et voluntati adversari putet, sed quidquid promittere et jurare licuerit, id semel promissum nunquam mutabit; nisi fortasse, commutata rerum conditione, tale esse inceperit, ut jam, si fidem servare et promissis stare velit, Dei odium et offensionem subiret. Veritatem autem in jurejurando necessariam esse, David quoque indicat illis verbis *(Psalm. XIV, 4.)*: *Qui jurat proximo suo et non decipit.*

§. 581. Sequitur secundo loco **Judicium**: neque enim jusjurandum temere et inconsiderate, sed consulto et cogitato adhiberi debet. Itaque juraturus primum quidem consideret, utrum necessitate cogatur necne, remque totam accurate expendat, an ejusmodi sit, ut jurejurando indigere videatur. Tempus praeterea spectet, locum attendat, aliaque permulta, quae rebus adjuncta sunt circumspiciat; non odio, non amore, aut animi perturbatione aliqua impellatur, sed ipsius rei vi et necessitate. Etenim, nisi haec consideratio et diligens animadversio antecesserit, sane jusjurandum praeceps et temerarium erit: cujusmodi est illorum irreligiosa affirmatio, qui in re levissima et inani, nulla ratione aut consilio, sed prava quadam consuetudine jurant. Id vero passim quotidie a venditoribus et emptoribus fieri videmus: nam illi, ut quam plurimo vendant, hi rursus, ut quam minimo emant, res venales vel laudare, vel vituperare jurejurando non dubitant. Cum itaque judicio et prudentia opus sit, pueri vero ita acute perspicere ac distinguere nondum per aetatem possint; idcirco constitutum est a S. Cornelio Pontif. *(22. Q. 5. Cap. Honest.)* ne a pueris ante pubertatem, hoc est, ante XIV. annum jusjurandum exigatur.

§. 582. Reliqua est **Justitia**, quae maxime in promissis requiritur. Quare si quis injustum aliquid et inhonestum promittit, et jurando peccat et promissis faciendis scelus scelere cumulat. Exstat hujus rei in Evangelio *(Matth. XIV. Marc. VI.)* exemplum Herodis Regis, qui temerario jurejurando obstrictus, puellae saltatrici caput Johannis Baptistae, tanquam saltationis

42

praemium, dedit. Tale etiam fuit Judaeorum jusjurandum. qui se ipsos, ut est in Actis Apostolorum *(Cap. XXIII, 12.)* ea conditione devoverunt, nihil gustaturos, donec Paulum occidissent.

## CAPUT IV.

*Jusjurandum permissum esse, servatis conditionibus ante dictis, Scripturis rationibusque ostenditur* §. 583. 584; *quomodo Christi verba Matth. V.* 33 *sqq. intelligenda sint, quodque eis non omne juramentum prohibeatur* §. 585.

§. 583. His ita explicatis, nulla plane dubitatio relinquitur, quin illi tuto jurare liceat, qui haec omnia servaverit, quique hisce conditionibus, tanquam praesidiis quibusdam, jusjurandum munierit. Sed et multis argumentis id probare facile est. Nam lex Domini, quae immaculata est et sancta, hoc praecepit *(Deut. VI, 13.)*: *Dominum*, inquit, *Deum tuum timebis et illi soli servies, ac per nomen illius jurabis*; et a Davide scriptum est *(Psalm. LXII, 12.)*: *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo.* Praeterea Sacrae Literae indicant, ipsa Ecclesiae lumina, sanctissimos Apostolos, jurejurando nonnunquam usos esse: idque ex Apostoli Epistolis apparet. Adde, quod et Angeli ipsi interdum jurant. Nam a sancto Johanne Evangelista in Apocalypsi *(Apoc. X, 6.)* scriptum est, *Angelum jurasse per viventem in saecula.* Quin etiam et Deus ipse jurat, Angelorum Dominus, et in Veteri Testamento multis in locis Deus promissiones suas jurejurando confirmat, ut Abrahae et Davidi, qui illud de Dei jurejurando prodidit *(Psalm. CIX, 4.)*: *Juravit*, inquit, *Dominus et non poenitebit eum: tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.*

§. 584. Neque vero obscura est ratio ad explicandum, cur jusjurandum laudabile sit, si quis attentius totam rem consideret et ipsius ortum, finemque intueatur. Etenim jusjurandum a fide originem ducit, qua homines credunt Deum totius veritatis esse autorem, qui nec decipi unquam possit, nec alios decipere; cujus oculis nuda sunt omnia et aperta; qui denique universis rebus humanis admirabili providentia consulit, mundumque administrat. Hac igitur fide homines imbuti, Deum veritatis testem adhibent, cui fidem non habere, impium

ac nefarium erit. Quod vero ad finem attinet, eo tendit jusjurandum, atque id omnino spectat, ut hominis justitiam et innocentiam probet, finemque litibus et controversiis imponat, quod etiam Apostolus in Epistola ad Hebraeos docet.

§. 585. Neque huic sententiae verba illa Salvatoris nostri apud sanctum Matthaeum repugnant (*Matth. V*, 33—37.): *Audistis quia dictum est antiquis: Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per coelum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus, neque per Hierosolymam, quia civitas est magni Regis, neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester: Est, Est; Non, Non: quod autem his abundantius est, a malo est.* His enim verbis jusjurandum generatim universeque damnari, non est dicendum, cum jam supra viderimus Dominum ipsum, Apostolosque frequenter jurasse; sed perversum Judaeorum judicium redarguere Dominus voluit, quo sibi in animum induxerant, nihil in jurejurando cavendum esse, praeter mendacium. Itaque de rebus levissimis et nullius momenti et ipsi jurabant saepissime, et ab aliis jusjurandum exigebant. Hunc morem Salvator reprehendit atque improbat, docetque omnino a jurejurando abstinendum esse, nisi id flagitet necessitas. Nam propter humanam imbecillitatem jusjurandum institutum est et revera a malo provenit: quandoquidem jurantis inconstantiam indicat, aut illius, cujus causa juramus, contumaciam: qui, ut credat, aliter adduci non potest. Sed tamen jurandi necessitas excusationem habet. Et quidem dum inquit Salvator: *Sit sermo vester, Est, Est; Non, Non;* hac loquendi formula satis declarat, se jurandi consuetudinem in colloquiis familiarium et levium rerum prohibere. Quamobrem illud praecipue a Domino admonemur, ne faciles nimium et propensi ad jurandum simus. Idque sedulo docendum erit et fidelium auribus inculcandum: infinita enim fere mala ex nimia jurandi consuetudine emanare et Sacrarum Literarum autoritate, et sanctissimorum Patrum testimoniis comprobatur. In Ecclesiastico scriptum est (*Eccl. XXIII*, 9. 12.): *Jurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa.* Item: *Vir multum jurans, implebitur iniquitate, et non*

*discedet a domo illius plaga.* Plura hac de re legi possunt apud Sanctos, Basilium et Augustinum in libris contra Mendacium. Et hactenus de Jussis, nunc de Vetitis dicatur.

## CAPUT V.

*Quae juramenta et peccata hoc praecepto prohibeantur* §. 586—589; *quare supplicii minae huic praecepto adjungantur, ac de ejus appendicis fructu* §. 590.

§. 586. Vetamur divinum nomen in vanum assumere: apparet enim eum gravi peccato se obstringere, qui non consilio, sed temeritate ad jurandum fertur. Gravissimum autem delictum hoc esse, illa etiam verba declarant: *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Quasi rationem afferret, cur hoc facinus scelestum adeo ac nefarium sit; nimirum propterea, quod ejus majestas minuitur, quem nos Deum et Dominum nostrum esse profitemur. Hoc igitur praecepto prohibetur, ne homines falsum jurent. Nam qui a tanto scelere non refugit, ut Deum falso testetur, hic insignem Deo injuriam facit; quippe qui aut illi inscitiae notam inurit, dum ipsum alicujus rei veritatem latere arbitratur, aut certe improbitatis et pravi affectus, qui mendacium testimonio velit confirmare. Jurat autem falso non is solum, qui quod falsum scit, verum esse jurando affirmat, sed ille etiam, qui jurejurando id asserit, quod cum verum sit, tamen ipse falsum putat. Nam cum mendacium ea re mendacium sit, quod contra mentem et animi sententiam profertur, perspicuum est, hunc plane mentiri et perjurum esse. Simili quoque ratione pejerat, qui id jurat, quod verum existimat et tamen revera falsum est, nisi, quantum potuit, curam et diligentam adhibuerit, ut totam rem compertam et exploratam haberet. Quamvis enim ipsius oratio menti consentiat, tamen hujus praecepti reus est. Ejusdem vero peccati reus censendus est, qui se aliquid jurejurando facturum promittit, cum tamen aut promissum implere in animo non fuerit, aut si fuit, quod promisit, re ipsa non praestat: quod etiam ad eos pertinet, qui cum se voti sponsione Deo obligarunt, non praestant.

§, 587. Praeterea in hoc praeceptum peccatur, si desit Justitia, quae ex tribus jurisjurandi comitibus una

est. Itaque si quis juret se peccatum aliquod mortiferum commissurum, exempli causa, caedem hominis, hujus praecepti reus est, licet ille serio atque ex animo dicat et jusjurandum veritatem habeat, quam primo loco requiri declaravimus. His adjungi debent illa jurandi genera, quae a contemptu quodam proficiscuntur, cum quis jurat se non obtemperaturum evangelicis consiliis: cujusmodi sunt, quae ad coelibatum et paupertatem hortantur; quamvis enim nemo ea necessario sequi debeat, si quis tamen juret, nolle se illis parere consiliis, is eo jurejurando divina consilia contemnit et violat. Praeterea hanc legem is violat et judicio peccat, qui, quod verum est, jurat: idque ita se habere existimat, levibus quibusdam conjecturis adductus et longe petitis. Nam etsi hujusmodi jusjurandum veritas comitatur, subest tamen aliquo modo falsum: nam qui sic negligenter jurat, in magno pejerandi periculo versatur.

§. 588. Falso praeterea jurat, qui per falsos Deos jurat. Quid enim est a veritate alienius, quam mendaces et fictitios Deos, tanquam verum Deum, testari? Verum, quoniam Scriptura, cum perjurium interdixit, inquit: *Nec pollues nomen Dei tui*, neglectio prohibetur, quae fugienda in reliquis, quibus ex hujus praecepti autoritate honor debetur: quale est verbum Dei, cujus majestatem non solum pii, sed interdum etiam impii reverentur: ut in Judicum historia *(Cap. III.)* de Eglon, Moabitarum Rege, memoriae traditum est. Dei autem verbum summa injuria afficit, quicunque Sacram Scripturam a recta et germana ejus sententia, ad impiorum dogmata et haereses flectit. Cujus sceleris admonet nos Princeps Apostolorum verbis illis *(2 Petr. III, 16.)*: *Sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et caeteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem.*

§. 589. Praeterea foedis et inhonestis maculis Sacra Scriptura contaminatur, cum ejus verba et sententias, quae omni veneratione colenda sunt, ad profana quaeque nefarii homines torquent; ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, assentationes, detractationes, sortes, libellos famosos et si qua sunt alia id genus, in quod peccatum sacra Tridentina Synodus (§. 16.) animadverti jubet. Deinde, ut ii Deum honorant, qui ejus opem atque auxilium in suis calamitatibus implorant;

ita debitum Deo honorem is negat, qui illius subsidium non invocat: quos redarguit David, cum inquit *(Psalm. XIII, 5.)*: *Deum non invocaverunt; illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* At vero longe magis detestabili scelere se ipsos adstringunt, qui sacrosanctum Dei nomen, ab omnibus creaturis benedicendum et summis laudibus extollendum, aut etiam Sanctorum nomen, cum Deo regnantium, impuro et contaminato ore blasphemare atque execrari audent. Quod quidem peccatum usque adeo atrox atque immane est, ut interdum Sacrae Literae, si de blasphemia sermo incidat, benedictionis nomine utantur.

§. 590. Quoniam vero poenae et supplicii terror peccandi licentiam vehementer coërcere solet, idcirco Parochus, ut hominum animos magis permoveat, atque ad hoc praeceptum servandum facilius impellat, alteram illius partem et quasi appendicem, diligenter explicabit. Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumserit nomen Domini Dei sui frustra. Ac primum quidem doceat, summa ratione factum esse, ut huic praecepto minae adjungerentur, quo quidem et peccati gravitas et in nos Dei benignitas agnoscatur, qui cum hominum perditione non delectetur, ne ipsius iram et offensionem subeamus, hisce salutaribus minis nos deterret; nimirum, ut illum benevolum potius, quam iratum experiamur. Urgeat hunc locum Pastor, instetque summo studio, ut populus sceleris gravitatem agnoscat et illud detestetur vehementius, et in eo evitando majorem diligentiam et cautionem adhibeat. Ostendat praeterea, quanta sit hominum proclivitas ad hoc peccatum committendum, ut non satis fuerit legem ferre, nisi etiam minae adderentur. Incredibile enim est, quantum haec cogitatio utilitatis habeat. Nam ut nihil aeque nocet, atque incauta quaedam animi securitas; ita propriae imbecillitatis cognitio plurimum prodest. Tum illud etiam declaret, nullum a Deo certum supplicium constitutum fuisse, sed tantum universe minari, quicunque se hoc scelere adstrinxerit, non impune laturum. Quapropter diversa supplicia, quibus quotidie affligimur, hujus peccati admonere nos debent. Hinc enim facile licet conjicere, homines ea re in maximas calamitates incidere, quod huic praecepto non obtemperent, quibus sibi propositis, cautiores eos in posterum fore verisimile

est. Fideles itaque, sancto timore perterriti, omni studio peccatum hoc fugiant. Nam si omnis verbi otiosi in extremo judicio reddenda ratio est, quid de gravissimis sceleribus dicendum, quae magnam divini nominis despicientiam prae se ferunt?

---

## DE TERTIO PRAECEPTO.

*Memento, ut diem Sabbathi sanctifices. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septima autem die Sabbathum Domini Dei tui est. Non facies omne opus in eo, tu et filius tuus, et ancilla tua, jumentum tuum et advena, qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus coelum et terram, mare et omnia, quae in eis sunt et requievit in die septimo; idcirco benedixit Dominus diei Sabbathi et sanctificavit eum.*

### CAPUT I.

*Recto ordine hoc praeceptum consequi, in quo explicando colendoque propter admirabilem utilitatem summa diligentia ponenda sit* §. 591. 592; *quibus hoc praeceptum cum caeteris conveniat, quibusve ab eis differat, atque hinc factum, quid dies dominicus ab Apostoli ad divinum cultum consecratus sit* §. 593—595.

§. 591. Hoc legis praecepto externus ille cultus, qui Deo a nobis debetur, recte atque ordine praescribitur. Est enim hic veluti quidam prioris praecepti fructus: quoniam quem intimis sensibus pie colimus, fide et spe adducti, quam in eo positam habemus, non possumus eum non externo cultu venerari, eidemque gratias agere. Et quoniam haec ab iis, qui humanarum rerum occupationibus detinentur, non facile praestari possunt, certum tempus statutum est, quo ea commode effici queant. Itaque cum hoc praeceptum ejusmodi sit, ut fructum, utilitatemque admirabilem afferat, maxime interest Parochi.

summam in eo explicando diligentiam adhiberi. Ad ejus autem inflammandum studium, magnam vim habet primum illud praecepti verbum Memento. Nam quemadmodum fideles tale praeceptum meminisse debent, sic Pastoris est, in eorum memoriam illud et monendo et docendo saepe redigere.

§. 592. Quantum vero fidelium referat, hoc praeceptum colere, ex eo percipitur, quod id diligenter colendo ad reliqua legis jussa servanda facilius adducentur. Cum enim inter caetera, quae diebus festis praestare debent, necesse habeant, verbi Dei audiendi causa, ad Ecclesiam convenire, cum edocti fuerint divinas justificationes, illud etiam consequentur, ut ex toto corde custodiant legem Domini. Quamobrem saepissime Sabbathi celebritas, cultusque praecipitur in Sacris Literis; ut Exodo, Levitico, Deuteronomio, apud Jesaiam, Jeremiam, item et Ezechielem Prophetas videre licet, quibus omnibus in locis hoc de Sabbathi cultu traditum est praeceptum. Monendi vero et hortandi sunt Principes et Magistratus, ut in iis maxime, quae ad hunc cultum Dei retinendum atque augendum pertinent, Ecclesiae Praesides autoritate sua juvent, jubeantque populum Sacerdotum praeceptis obtemperare.

§. 593. Quod autem ad hujus praecepti explanationem attinet, danda opera est, ut fideles doceantur, quibus rebus hoc Praeceptum cum caeteris conveniat, quibusve differat ab eis. Hoc enim pacto causam illi rationemque cognoscent; quare non Sabbathum, sed Diem dominicum colamus, sanctumque habeamus. Certa igitur illa differentia videtur, quod reliqua Decalogi praecepta naturalia sunt et perpetua, neque mutari ulla ratione possunt. Quo factum est, ut quamvis lex Moysis abrogata sit, omnia tamen praecepta, quae duabus Tabulis continentur, populus christianus servet. Quod ideo fit, non quia Moyses ita jusserit, sed quod naturae conveniunt, cujus vi homines ad illa servanda impelluntur. Hoc autem de Sabbathi cultu praeceptum, si statutum tempus spectatur, non fixum et constans est, sed mutabile, neque ad mores, sed ad caeremonias pertinet, neque naturale, quoniam non a natura ad id docti aut instituti sumus, ut illo die potius, quam alio, externum cultum Deo tribuamus, sed ex eo tempore,

quo populus Israëliticus a Pharaonis est servitute liberatus, diem Sabbathi coluit. Tempus autem, quo Sabbathi cultus tollendus erat, illud idem est, quo caeteri Hebraici cultus caeremoniaeque antiquandae erant; morte scilicet Christi. Nam cum illae caeremoniae sint quasi adumbratae imagines lucis et veritatis, illud utique necesse erat, ut lucis ac veritatis, quae Jesus Christus est, adventu removerentur. Qua de re sanctus Paulus ad Galatas ita scripsit, cum Mosaïci ritus cultores reprehenderet *(Gal. IV,* 10. 11.*)* : *Dies observatis, et menses, et tempora, et annos: timeo vobis, ne forte sine causa laboraverim in vobis.* In quam etiam sententiam scripsit ad Colossenses *(Cap. II,* 15.*)*. Et haec de differentia.

§. 594. Convenit autem hoc praeceptum cum reliquis, non ritu et caeremoniis, sed quia aliquid habet, quod ad mores naturaeque jus attineat. Nam Dei cultus ac religio, quae hoc praecepto exprimitur, a naturae jure exsistit, cum illud natura comparatum sit, ut aliquot horas in iis, quae ad Dei cultum pertinent, versemur. Cujus rei argumento est, quod apud omnes nationes statas quasdam ferias, easque publicas, fuisse cernimus, quae sacris rebus ac divinis obeundis erant consecratae. Est enim naturale homini, ut is certum quoddam tempus necessariis rerum functionibus det; veluti corporis quieti, somno et aliis ejusmodi rebus. Et quemadmodum corpori, ita eadem naturae ratione factum est, ut menti aliquid etiam temporis concederet, quo in Dei contemplatione sese reficeret. Atque ita cum aliqua temporis pars esse debeat, quo res divinae colantur, cultusque Deo debitus tribuatur, hoc sane ad morum praecepta pertinet.

§. 595. Quam ob causam Apostoli ex illis septem diebus eum, qui primus est, ad divinum cultum consecrare statuerunt, quem *dominicum diem* dixere. Nam et sanctus Johannes in Apocalypsi *(Apoc. I,* 10.*)*, dominici diei meminit, et Apostolus *(1 Cor. XIV,* 2.*)* per unam Sabbathi, quae est dies dominicus, ut sanctus Chrysostomus interpretatur, collectas fieri jubet, ut intelligamus, jam tum in Ecclesia diem dominicum sanctum habitum esse.

## CAPUT II.

*Quid per verba prioris partis hujus praecepti significetur et observandum praescribatur* §. 596—598; *de die septimo, quem altera praecepti parte Dei cultui dicatum esse demonstratur, et quare is signum dicatur* §. 599. 600.

§. 596. Jam vero, ut sciant fideles, quid eo die agere, a quibusve actionibus abstinere debeant, non alienum est, ut Parochus totum praeceptum, quod in quatuor partes recte distribui potest, ad verbum diligenter interpretetur. Itaque primum generatim proponat, quid iis verbis praescribatur;

*Memento, ut diem Sabbathi sanctifices.*

Ob eam vero causam initio praecepti verbum illud Memento apposite additum est, quod hujus diei cultus ad caeremonias pertineat. Qua de re populus admonendus esse videbatur, cum naturae lex, etsi aliquo tempore Deum religionis ritu colendum esse doceat, hoc tamen, quo potissimum die fieri deberet, non praescripsit. Praeterea fideles docendi sunt, ex iis verbis modum et rationem colligi posse, qua in tota hebdomada opus facere conveniat; ita scilicet, ut diem festum semper spectemus. Quo die cum actionum et operum nostrorum Deo quasi reddenda ratio sit; ejusmodi opera efficiamus necesse est, quae neque Dei judicio repudientur, neque nobis, ut scriptum est (1 *Regg.* XXV, 31.), in singultum sint et in scrupulum cordis. Postremo id docemur, quod certe animadvertere debemus, non defuturas scilicet occasiones, quamobrem nos hujus praecepti capiat oblivio, vel aliorum, qui illud negligunt, exemplo adductos, vel spectaculorum ludorumque studio, quibus plerumque ab hujus diei sancto religiosoque cultu abducimur.

§. 597. Sed jam ad id veniamus, quod Sabbathi significatione demonstratur. Sabbathum, Hebraïcum nomen, si Latine interpretaris, Cessatio dicitur: sabbathizare propterea cessare et requiescere, Latino vocabulo appellatur. Qua significatione factum est, ut Sabbathi nomine dies septimus diceretur, quoniam absoluta, per-

fectaque mundi universitate, Deus ab omni opere, quod fecerat, requievit: ita hunc diem in Exodo *(XX, 10.)* Dominus vocat. Postea vero non solum septimus hic dies, sed ob ejus dignitatem, ipsa etiam hebdomada eo nomine appellata est. In quem sensum Pharisaeus apud Sanctum Lucam *(Luc. XVIII, 12.)* dixit: *Jejuno bis in Sabbatho.* Atque hoc quidem de Sabbathi significatione.

§. 598. Sanctificatio autem Sabbathi, Sacris in Literis Cessatio est, quae fit a corporis laboribus et a negotiis, ut aperte ostendunt haec, quae sequuntur, praecepti verba: *Non operaberis.* Neque vero id solum significat (aliter enim satis fuisset dicere in Deuteronomio *(V, 12.)*: *Observa diem Sabbathi)* sed cum in eodem loco addatur, *ut sanctifices eum,* hoc verbo ostenditur, Sabbathi diem religiosum esse, divinisque actionibus et sanctis rerum officiis consecratum. Itaque diem Sabbathi tum plene et perfecte celebramus, cum pietatis et religionis officia Deo praestamus, hocque plane *Sabbathum* est, quod Jesaias *delicatum* appellat *(Jes. LVIII, 13.)*: quoniam festi dies sunt veluti deliciae Domini et piorum hominum. Quare si religioso huic sanctoque Sabbathi cultui misericordiae adjunguntur opera; certe maxima sunt et multa praemia, quae eodem capite nobis proponuntur. Itaque verus ac proprius hujus praecepti sensus eo spectat, ut homo et animo et corpore in eam curam incumbat, ut statuto aliquo tempore, a negotiis corporisque laboribus feriatus, Deum pie colat ac veneretur.

§. 599. Altera vero praecepti parte demonstratur, diem septimum Dei cultui divinitus dicatum esse. Nam ita scriptum est:

> *Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua: septimo autem die Sabbathum Domini Dei tui est.*

Quae verba ad eam sententiam referuntur, ut Sabbathum Domino consecratum interpretemur, eique eo die religionis officia tribuamus, septimumque diem intelligamus signum esse quietis Domini. Hic vero dies divino cultui dicatus est, quia rudi populo minus expediebat, habere eam facultatem temporis, arbitratu suo deligendi,

ne forte Aegyptiorum sacra imitaretur. Itaque e septem diebus, ultimus ad Deum colendum delectus est, quae quidem res plena mysterii est. Quare Dominus in Exodo *(Exod. XXXI, 13.)* et apud Ezechielem *(Ezech. XX, 12.)*, signum vocat. *Videte itaque*, ille inquit, *ut Sabbathum meum custodiatis, quia signum est inter me et vos in generationibus vestris, ut sciatis quia ego Dominus, qui sanctifico vos.*

§. 600. Itaque Signum fuit, quod indicabat homines Deo se dedicare oportere, sanctosque eidem praebere, cùm diem etiam videamus ei dicatum esse: siquidem ille dies sanctus est, quod tum praecipue sanctitatem et religionem homines colere debeant. Deinde signum est et quasi monumentum conditae hujus admirandae universitatis. Signum praeterea fuit Israëlitarum memoriae traditum, quo admoniti, se Dei auxilio a durissimo Aegyptiacae servitutis jugo solutos ac liberatos esse meminissent, id quod Dominus ostendit illis verbis *(Deut. V, 15.)*: *Memento, quod et ipse servieris in Aegypto, et eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti et brachio extento, idcirco praecepit tibi ut observares diem Sabbathi.* Est signum item tum spiritualis, tum coelestis Sabbathi. Spirituale autem Sabbathum in sancta quadam et mystica quiete consistit; nimirum cum vetus homo, Christo consepultus, ad vitam renovatur, atque in iis actionibus, quae christianae pietati conveniunt, studiose se exercet. Debent enim, *qui aliquando erant tenebrae, nunc autem lux in Domino sunt, ut filii lucis, ambulare, in omni bonitate, justitia et veritate, neque communicare operibus infructuosis tenebrarum (Eph. V, 8 sqq.)*. Coeleste vero Sabbathum est (ut ait D. Cyrillus, eum locum Apostoli tractans, *Relinquitur ergo sabbathismus populo Dei*) illa vita, in qua omnibus bonis cum Christo viventes fruemur, peccato radicitus exstirpato, secundum illud *(Jes. XXXV, 8. 9.)*: *Non erit ibi leo, nec prava bestia illuc adscendet, sed erit ibi vita pura et via sancta vocabitur*: omnia enim bona in visione Dei mens Sanctorum adipiscitur. Quare fideles hortandi erunt his verbis et a Pastore incitandi: *Festinemus ingredi in illam requiem (Hebr. IV, 11.)*.

## CAPUT III.

*Cur Sabbathum in dominicum diem translatum, ac praeterea alii dies festi instituti sint, qui ut studiosius colantur, neve otiose vita traducatur, reliquis diebus laborandum esse* §. 601 — 603.

§. 601. Praeter diem septimum habebat populus Judaeus alios etiam festos et sacros dies, divina lege constitutos, quibus maximorum beneficiorum memoria renovaretur. Placuit autem Ecclesiae Dei, ut diei Sabbathi cultus et celebritas in dominicum transferretur diem. Nam ut eo die primum lux orbi terrarum illuxit, sic Redemptoris nostri, qui ad vitam aeternam nobis aditum patefecit, resurrectione, quae eo die fuit, e tenebris ad lucem vita nostra revocata est; unde et *dominicum diem* Apostoli dici voluerunt. Solennem praeterea hunc diem esse in Sacris Literis animadvertimus, quod eo die mundi creatio initium habuit, quod Spiritus Sanctus Apostolis datus sit.

§. 602. Alios autem dies festos ab Ecclesiae initio et consequentibus deinde temporibus Apostoli et sancti Patres nostri instituerunt, ut pie et sancte Dei beneficiorum memoriam coleremus. Inter eos autem celeberrimi habentur illi dies, qui ob redemptionis nostrae mysteria religioni consecrati sunt; deinde qui sanctissimae Virgini Matri, tum vero Apostolis, ac Martyribus, caeterisque Sanctis cum Christo regnantibus dicantur, in quorum victoria Dei bonitas et potentia laudatur, ipsis debiti honores tribuuntur, atque ad eorum imitationem fidelis populus incitatur.

§. 603. Et quoniam ad hoc praeceptum servandum, magnam vim ea ipsius pars habet, quae illis verbis expressa est: *Sex diebus operaberis; septimus autem dies, Sabbathum Dei est;* Parochus debet illam partem diligenter explicare. Etenim ex his verbis colligi potest, fideles hortandos esse, ne otiosi et desides vitam traducant: sed potius Apostolicae vocis (1 *Thessal. IV,* 11.) memores, *negotium suum quisque agat et operetur manibus suis,* sicut ab eo praeceptum fuerat. Praeterea hoc praecepto illud Dominibus jubet, ut sex ipsis diebus opera nostra efficiamus, ne aliquid eorum quae aliis hebdomadae diebus fieri agive oporteat, in diem

festum rejiciatur, atque ita animus a rerum divinarum cura studioque avocetur.

### CAPUT IV.

*Quae actiones et opera in Sabbatho prohibeantur* §. 604. 605; *in quibus actionibus Christiani diebus festis exercere se debeant* §. 606; *quibus argumentis populo persuadendum sit, ut summo studio hujus praecepti legem observet* §. 607.

§. 604. Tertia deinde praecepti pars explicanda est, quae quodam modo describit, qua ratione Sabbathi diem colere debeamus; praecipue autem explicat, quid illo die facere prohibemur. Quare inquit Dominus: *Non facies omne opus in eo, tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, jumentum tuum, et advena, qui est intra portas tuas.* Quibus verbis ad id primum instituimur, ut quaecunque divinum cultum impedire possunt, omnino vitemus. Facile enim perspici potest, omne servilis operis genus prohiberi; non quidem ea de re, quod sua natura aut turpe aut malum sit, sed quoniam mentem nostram a divino cultu, qui finis praecepti est, abstrahit. Quo magis peccata fidelibus vitanda sunt, quae non solum animum a divinarum rerum studio avocant, sed nos a Dei amore prorsus sejungunt. Non tamen eae actiones, neque ea opera vetantur, quae ad divinum cultum attinent, etiamsi servilia sint; ut altare instruere, templa alicujus festi diei causa ornare, et reliqua hujus generis. Ideoque a Domino dictum est (*Matth. XII, 5.*): Sacerdotes in templo Sabbathum violare et sine crimine esse. Sed neque earum rerum opera hac lege prohiberi existimandum est, quorum jactura facienda sit, si die festo praetermittantur; quemadmodum sacris etiam Canonibus permissum est.

§. 605. Multa alia Dominus in Evangelio festis diebus fieri posse declaravit, quae facile Parochus apud Sanctos Matthaeum et Johannem observabit. Sed ut nulla res praetermitteretur, cujus actione hic Sabbathi cultus impediretur, facta est jumenti mentio, quo animalium genere impediuntur homines, quo minus Sabbathum diem colant. Si enim die Sabbathi alicui operis actioni jumenti usus destinatur, necessaria est etiam ad id hominis opera, qui jumentum agat. Itaque solum

per se opus facere non potest, sed hominem, qui illud molitur, adjuvat. Eo autem die nemini opus facere licet: ergo neque jumentis, quorum opera ad id homines utuntur. Itaque hujus praecepti lex eo etiam spectat, ut, si jumentorum laboribus homines parcere Deus vult, eo certe magis ipsi cavere debeant, ne inhumani sint in eos, quorum opera atque industria utuntur.

§. 606. Neque vero Parochus illud praetermittere debet, ut diligenter doceat, quibus in operibus atque actionibus christiani homines diebus festis exercere se debeant. Illae vero ejusmodi sunt, ut ad Dei templum accedamus, eoque loco sincera, piaque animi attentione sacrosanctae Missae Sacrificio intersimus, divina Ecclesiae Sacramenta, quae ad salutem nostram instituta sunt, ad animae vulnerum curationem crebro adhibeamus. Nihil vero est, quod opportunius aut melius christianis hominibus fieri possit, quam si peccata sua Sacerdotibus saepe confiteantur. Ad quam rem perficiendam poterit Parochus populum adhortari, sumta hujus probandae rei ratione et copia ex iis, quae de Poenitentiae Sacramento suo loco tradita ac praecepta sunt. Neque solum ad hoc Sacramentum populum excitabit, sed sedulo etiam atque etiam ad illud adhortabitur, ut sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum crebro percipiant. Attente praeterea diligenterque sacra Concio fidelibus audienda est: nihil enim minus ferendum est, neque tam profecto indignum, quam Christi verba contemnere, aut negligenter audire. Exercitatio item atque studium fidelium, in precibus divinisque laudibus frequens esse debet, praecipuaque ejusdem cura, ut quae ad christianae vitae institutionem pertinent, ea diligenter addiscat, seduloque se exerceat in iis officiis, quae pietatem continent, pauperibus et egenis eleemosynam tribuendo, aegros homines visitando, moerentes, quique dolore afflicti jacent, pie consolando. Nam ut est apud sanctum Jacobum *(Jacob. I, 27.)*: *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, haec est; visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum.* Ex his, quae dicta sunt, facile erit colligere, quae contra praecepti regulam committuntur.

§. 607. Parochi vero officium in eo item esse debet, ut certos quosdam locos in promptu habeat, unde rationes atque argumenta sumat, quibus populo illud

maxime persuadetur, ut hujus praecepti legem summo studio, accurataque diligentia servet. Ad hoc plurimum valet, ut populus scilicet intelligat ac plane perspiciat, quam justum et rationi consentaneum sit, nos certos quosdam dies habere, quos totos divino cultui tribuamus, Dominumque nostrum, a quo summa et innumerabilia beneficia accepimus, agnoscamus, colamus et veneremur. Si enim jussisset nos quotidie sibi religionis cultum tribuere, nonne pro suis erga nos beneficiis, quae maxima et infinita sunt, omnis opera danda esset, ut prompto alacrique animo, ejus dicto audientes essemus? Nunc vero, paucis ad ejus cultum institutis diebus, non est, cur nos negligentes atque difficiles in ejus officii functione simus, quod sine gravissima culpa praetermittere non possumus. Demonstret deinde Parochus, quanta hujus praecepti virtus sit, cum ii, qui illud recte servaverint, in conspectu Dei esse, cum eoque colloqui videantur. Nam et precibus faciendis Dei majestatem contemplamur et cum eo colloquimur, et in concionatoribus audiendis, Dei vocem accipimus: quae ad aures nostras eorum opera pervenit, qui de rebus divinis pie sancteque concionantur. Tum in Altaris Sacrificio praesentem Christum Dominum adoramus. Et his quidem bonis illi maxime fruuntur, qui hoc praeceptum servant diligenter; qui vero hanc legem omnino negligunt, ii, cum Deo et Ecclesiae non obediant, neque ejus praeceptum audiant, et Dei et sanctarum legum hostes sunt: quod animadverti potest ex eo, quod praeceptum hoc ejusmodi est, ut nullo labore servari queat. Cum etiam Deus non labores nobis imponat, quos vel difficillimos ejus causa suscipere deberemus, sed quietos illis diebus festis a terrenis curis liberos esse jubeat, magnae temeritatis indicium est, hujus praecepti legem recusare. Exemplo nobis esse debent supplicia, quae de illis Deus sumpsit, qui illud violarunt; ut ex libro Numerorum *(Cap. XXV.)* licet intelligere. Ne igitur in hanc Dei offensionem incidamus, operae pretium erit, saepe illud verbum *Memento* cogitatione repetere, magnasque illas utilitates et commoda sibi ante oculos proponere, quae ex festorum dierum cultu percipi, supra declaratum est; et multa alia ad id genus pertinentia, quae bonus et diligens Pastor, ut occasionis ratio postulabit, copiose lateque pers equipoterit.

## DE QUARTO PRAECEPTO.

*Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*

### CAPUT I.

*Praecepta secundae tabulae, quae sequuntur, pertinere ad proximi dilectionem, quae signum est obedientiae primi praecepti* §. 608. 609.; *quid primae tabulae praecepta ab iis, quae in secunda tabula incisa fuerunt, differant* §. 610—613.

§. 608. Cum in superioribus praeceptis summa sit vis et dignitas, merito, quae nunc persequimur, quia maxime necessaria sunt, proximum locum obtinent. Nam illa finem, qui Deus est, continuo spectant; haec nos ad proximi charitatem erudiunt, etsi longius progressa, ad Deum, id est, illud extremum, cujus gratia proximum ipsum diligimus, perducunt. Quamobrem Christus Dominus praecepta illa duo de diligendo Deo et Proximo, similia inter se esse dicit. Hic autem locus, dici vix potest, quantas habeat utilitates, cum et suos fructus ferat, uberes illos quidem ac praestantes, et sit tanquam signum, ex quo primi praecepti obedientia et cultus elucet. *Qui non diligit*, inquit d. Johannes (1 *Joh. IV*, 20.), *fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* Ad eundem modum, si Parentes, quos secundum Deum diligere debemus, non veneramur et colimus, cum nobis in conspectu fere semper sint, Deo, summo parenti et optimo, qui nullum sub adspectum cadit, quem honorem, quem cultum tribuemus? Ex quo perspicuum est, utraque praecepta inter se congruere.

§. 609. Hujus autem praecepti usus latissime patet. Nam praeter eos, qui nos genuerunt, multi praeterea sunt, quos in parentum loco colere debemus, vel potestatis, vel dignitatis, vel utilitatis, vel praestantis alicujus muneris et officii nomine. Parentum praeterea, majorumque omnium laborem levat. Cum enim id inprimis curent, ut quos habent in sua potestate, ii recte et divinae legi convenienter vivant, erit haec cura perfacilis, si omnes intelligant, Deo autore et monitore, summum honorem parentibus tribui oportere.

§. 610. Quod ut praestare possimus, necesse est nosse quandam differentiam, quae est inter praecepta primae et secundae tabulae. Ergo haec primum a Parocho sunt explicanda, idque inprimis moneat, divina Decalogi praecepta fuisse in duabus tabulis incisa, in quarum altera, quemadmodum a sanctis Patribus accepimus, tria illa continebantur, quae jam sunt exposita; reliqua vero in alteram tabulam erant inclusa. Atque haec nobis perapposita fuit descriptio, ut praeceptorum rationem ordo ipse distingueret. Nam quidquid in Sacris Literis divina lege jubetur aut vetatur, id duorum generum oritur ex altero: aut enim erga Deum, aut erga homines charitas in omni officio spectatur. Et quidem charitatem in Deum superiora tria praecepta docent; quod vero ad hominum conjunctionem et societatem pertinet, id reliquis septem praeceptis continetur. Quocirca non sine causa ejusmodi est facta distinctio, ut alia ad priorem, alia ad alteram tabulam praecepta referantur. Nam superioribus tribus praeceptis, de quibus dictum est, quasi subjecta materies, quam tractent, est Deus, id est, summum bonum; caeteris vero, proximi bonum. Illis summus, his proximus amor est propositus; illa finem, haec autem ea quae ad finem referuntur, spectant.

§. 611. Praeterea charitas Dei ex ipso pendet. Deus enim per se, non alterius rei causa, summe diligendus est; charitas autem proximi, a charitate Dei ortum habet, atque ad eam, tanquam ad certam regulam dirigenda est. Nam si parentes charos habemus, si dominis paremus, si dignitate antecedentes reveremur, id ea de re maxime faciendum est, quod eorum procreator est Deus, eosque aliis praeesse voluit, quorum opera caeteros homines regit ac tuetur, qui cum nobis autor sit, ut ejusmodi personas vereamur, idcirco id praestare debemus, quia a Deo hoc ipso honore dignantur; ex quo fit, ut honor, quem parentibus habemus, Deo potius, quam hominibus haberi videatur. Sic enim apud sanctum Matthaeum est, cum de observantia in Superiores agitur *(Matth. X, 40.)*: *Qui recipit vos, me recipit.* Et Apostolus in Epistola ad Ephesios, servos instituens *(Ephes. VI, 5.)*: *Servi*, inquit, *obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi.*

§. 612. Accedit, quod Deo nullus honor, nulla pietas, nullus cultus satis digne tribuitur, in quem amor augeri infinite potest, propterea que nostra erga illum charitas indies fiat ardentior necesse est, quem ejus jussu ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus amare debemus. At charitas, qua proximum complectimur, suis finibus circumscribitur; jubet enim Dominus proximos diligere, sicut nos ipsos. Quod si quis hos fines egressus fuerit, ita ut parem Deo et proximis amorem tribuat, is maximum scelus admittit. *Si quis venit ad me*, inquit Dominus (*Luc. XIV, 26.*), *et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.* In quam sententiam item dictum est (*Luc. IX, 60.*): *Sine, ut mortui sepeliant mortuos suos*: cum quidam primum humare patrem vellet, postea Christum sequi. Cujus rei dilucidior illa apud sanctum Matthaeum explicatio est (*Matth. X, 37.*): *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.*

§. 613. Nec tamen ulla dubitatio est, quin parentes vehementer amandi observandique sint: sed ad pietatem inprimis necessarium est, Deo, qui parens et effector est omnium, praecipuum honorem et cultum tribui, ideoque mortales parentes amari, ut ad coelestem sempiternumque Patrem tota amoris vis referatur. Quod si interdum parentum jussa Dei praeceptis repugnent, non dubium est, quin liberi parentum cupiditati, Dei voluntatem anteferre debeant, divinae illius sententiae memores (*Actor. V, 29.*): *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.*

## CAPUT II.

*Quid sit honorare, quique Patrum nomine intelligendi et quare praecipue meritoque parentes, ex quibus nati sumus, honorare conveniat* §. 614—616.; *quomodo iidem observandi sint, tam in vita, et praesertim morte imminente, quam cum e vita excesserint* §. 617—620.

§. 614. Quibus rebus expositis, Parochus verba praecepti interpretabitur, atque illud primum honorare quid sit. Est enim, de aliquo honorifice sentire, et quae illius

sunt, maximi putare omnia. Huic autem honori haec omnia conjuncta sunt, amor, observantia, obedientia et cultus. Scite autem in lege posita est honoris vox, non amoris aut metus, etiamsi valde amandi ac metuendi parentes sint. Etenim qui amat; non semper observat et veneratur, qui metuit, non semper diligit; quem vero aliquis ex animo honorat, item amat et veretur.

§. 615. Haec cum Parochus explicarit, tunc aget de Patribus, quique sunt ii, qui vocentur hoc nomine. Nam etsi de iis praecipue Patribus lex loquitur, ex quibus generati sumus; tamen ad alios quoque pertinet hoc nomen, quos etiam complecti lex videtur, quemadmodum ex pluribus Divinae Scripturae locis facile colligimus. Praeter illos igitur, qui nos procrearunt, Patrum genera item alia sunt in Sacris Literis, quod antea attigimus, quibus singulis suus honor debetur. Ac primum Ecclesiae Praesides et Pastores et Sacerdotes Patres dicuntur, quemadmodum ex Apostolo constat, qui ad Corinthios scribens *(1 Cor. IV, 14. 15.)*: *Non*, inquit, *ut confundam vos, haec scribo, sed ut filios meos charissimos moneo. Nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres: nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.* Et in Ecclesiastico scriptum est *(Eccl. XLIV, 1.)*: *Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua.* Deinde ii, quibus aut imperium, aut magistratus, aut potestas commissa est, qui Rempublicam gubernant, Patres appellantur. Sic Naaman a famulis *pater* vocabatur *(4 Reg. V,13.)*. Praeterea Patres eos dicimus, quorum procurationi, fidei, probitati sapientiaeque alii commendantur, cujusmodi sunt Tutores et Curatores, Paedagogi et Magistri. Quare Eliam et Elisaeum filii Prophetarum *patrem* vocant *(4 Reg. II, 12.)*. Postremo, Patres dicimus senes et aetate confectos, quos etiam vereri debemus.

§. 616. Atque hoc in Parochi praeceptis maximum sit, ut doceat Patres, cujuscumque sint generis; praesertim vero eos, ex quibus nati sumus, a nobis honorandos, de quibus divina lex praecipue loquitur. Sunt enim immortalis Dei, quasi quaedam simulachra, in iisque ortus nostri imaginem intuemur, ab iis vita nobis data est, iis Deus usus est, ut nobis animum mentemque impertiret, ab iis ad Sacramenta deducti, ad reli-

gionem, ad humanum cultum civilemque instituti, ad morum integritatem et sanctitatem eruditi sumus. Doceat vero Parochus, merito nomen Matris, in hoc praecepto expressum, ut ejus beneficia et merita erga nos consideremus; quanta cura et sollicitudine nos in utero gesserit, quanto cum labore ac dolore pepererit et educarit.

§. 617. Porro ita observandi parentes sunt, ut quem eis tribuimus honor, ex amore atque intimo animi sensu depromptus videatur, quibus hoc officium debetur maxime, cum erga nos sint ita affecti, nullum ut laborem, nullam contentionem, nulla pericula nostra causa refugiant, nihilque illis accidere possit jucundius, quam ut filiis charos se esse sentiant, quos maxime diligunt. Joseph cum in Aegypto honore et amplitudine regi esset proximus, patrem, qui in Aegyptum venerat, honorifice excepit *(Genes. XLVI, 29.)*. Et Salomon matri advenienti assurrexit, eamque veneratus, regio in solio ad dexteram collocavit *(3 Reg. II, 19.)*. Alia praeterea sunt honoris officia, quae in parentes conferri debent. Nam eos tum etiam honoramus, cum a Deo suppliciter petimus, ut eisdem bene et feliciter omnia eveniant, ut in maxima gratia et honore sint apud homines, ut ipsi Deo ac Sanctis, qui in coelis sunt, commendatissimi sint.

§. 618. Item parentes honoramus, cum nostras rationes ad eorum arbitrium voluntatemque conferimus. Cujus rei suasor Salomon *(Proverb. I, 8. 9.)*: *Audi*, inquit, *fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuae, ut addatur gratia capiti tuo et torques collo tuo.* Cujusmodi sunt etiam divi Pauli cohortationes *(Ephes. VI, 1.)*: *Filii, obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim justum est.* Item *(Coloss. III, 20.)*: *Filii, obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum est in Domino.* Et sanctissimorum hominum exemplis confirmatur. Etenim Isaac, cum a patre ad sacrificium vinciretur, modeste ac sine recusatione paruit, et Rechabitae, ne a patris consilio unquam discreparent, vino se in perpetuum abstinuerunt *(Genes. XXII, 19. Jer. XXXV, 6. 10.)*.

§. 619. Item parentes honoramus, cum eorum recte facta, moresque imitamur; iis enim plurimum tribuere videmur, quorum esse volumus quam simillimi. Item

parentes honoramus, quorum consilia non modo exquirimus, verum etiam sequimur. Item quibus subvenimus, ea impertientes, quae victus cultusque desiderat, quod Christi testimonio comprobatur, qui Pharisaeorum impietatem redarguens (*Matth. XV, 3—6.*): *Quare et vos,* ait, *transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora patrem et matrem; et, qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri vel matri, munus quodcunque est ex me, tibi proderit, et non honorificavit patrem suum, aut matrem suam; et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.*

§. 620. Et honoris quidem officia parentibus tribuere semper debemus, sed tum maxime, cum periculose aegrotant. Danda enim opera est, ne quid praetermittant, quod vel ad peccatorum confessionem attinet, vel ad reliqua Sacramenta, quae a christianis hominibus percipi debent, cum mors appropinquat, idque nobis curae sit, ut pii religiosique homines eos crebro intervisant, qui vel imbecillos confirment et consilio juvent, vel optime animatos ad spem erigant immortalitatis, ut cum mentem a rebus humanis excitarint, totam conjiciant in Deum. Sic fiet, ut fidei, spei et charitatis beatissimo comitatu ac religionis praesidio muniti, mortem non modo non pertimescendam, cum necessaria sit, sed cum aditum ad aeternitatem expediat, etiam appetendam censeant. Postremo vel mortuis parentibus honor tribuitur, si iis funus facimus, si exequias cohonestamus, si honorem sepulturae impertimus, si justa et sacrificia anniversaria curamus, si, quae ab iis legata sunt, diligenter persolvimus.

## CAPUT III.

### *Quomodo Majores et Superiores, tam ecclesiastici quam saeculares, honorandi* §. 621. 622.

§. 621. Honorandi autem sunt non modo ii, ex quibus nati sumus, verum etiam alii, qui Patres appellantur; ut Episcopi et Sacerdotes, ut Reges, ut Principes, ut Magistratus, ut Tutores, ut Curatores, ut Magistri, ut Paedagogi, ut Senes, et caeteri cujusmodi. Digni enim sunt, qui ex charitate, ex obedientia, ex ope nostra fructus percipiant, sed alius alio magis. De

Episcopis et aliis Pastoribus ita scriptum est (1 *Tim.* *V*, 17.): *Qui bene praesunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina.* Jam vero, quanti erga Apostolum amoris documenta Galatae dederunt? quibus is praeclarum illud benevolentiae testimonium tribuit (*Galat. IV*, 15.): *Testimonium enim perhibeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi.* Quin etiam Sacerdotibus ea suppeditanda sunt, quae ad vitae usus necessarios requiruntur. Quare Apostolus (1 *Cor. IX*, 7.): *Quis*, inquit, *militat suis stipendiis unquam?* et in Ecclesiastico scriptum est (*Eccles. VII.* 33. 34.): *Honorifica Sacerdotes, et propurga te cum brachiis: da illis partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum et purgationis.* His etiam obtemperandum esse docet Apostolus (*Hebr. XIII*, 17.): *Obedite*, inquit, *praepositis vestris, et subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Quin potius a Christo Domino praeceptum est, ut vel improbis Pastoribus obtemperemus, cum dicat (*Matth. XXIII*, 2. 3.): *Super cathedram Moysis sederunt Scribae et Pharisaei. Omnia ergo, quaecunque dixerint vobis, servate et facite, secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, et non faciunt.*

§. 622. Idem de Regibus, de Principibus, de Magistratibus et reliquis, quorum potestati subjicimur, dicendum est. Iis vero quod honoris, cultus, observantiae genus tribuendum sit, Apostolus ad Romanos (*Cap. XIII.*) late explicat; pro quibus etiam orandum esse monet; et divus Petrus (1 *Petr. II*, 13. 14.): *Subjecti*, inquit, *estote omni humanae creaturae propter Deum: sive regi, quasi praecellenti; sive ducibus, tanquam ab eo missis.* Nam si quem eis cultum tribuimus, is ad Deum refertur: habet enim venerationem hominum excellens dignitatis gradus, quia divinae potestatis est instar, in quo etiam Dei providentiam veneramur, qui publici muneris procreationem iis attribuit, quibusque utitur tanquam potestatis suae ministris: nec enim hominum improbitatem aut nequitiam, si tales sunt Magistratus, sed divinam autoritatem, quae in illis est, reveremur, ut quod permirum fortasse videatur, quamvis in nos sint inimico infensoque animo, quamvis implacabiles, tamen non satis digna causa sit, cur eos non perofficiose obser-

vemus. Nam et Davidis magna in Saulem officia extiterunt, cum ei tamen esset offensior, quod innuit illis verbis *(Psalm. CXIX, 7.)*: *Cum iis qui oderunt pacem, eram pacificus.* At vero si quid improbe, si quid inique imperent, cum id non ex potestate, sed ex injustitia atque animi perversitate agant, omnino non sunt audiendi.

## CAPUT IV.

*De fructu, quem hujus praecepti observatio affert et quo pacto promissio illa de vitae diuturnitate intelligenda sit; contra vero, quam graviter impii filii et ingrati in parentes, a Deo puniantur* §. 623 — 625*; de Parentum officiis et muneribus in liberos, ac de iis quae in eorum educatione atque disciplina Parentes potissimum declinare debeant* §. 626.

§. 623. Ubi haec Parochus singulatim exposuerit, deinceps consideret, quodnam praemium, quamque consentaneum iis propositum sit, qui divino huic praecepto obediunt. Nam in eo fructus est maximus, ut diu vivant, propterea, quod digni sunt, qui beneficio quam diutissime perfruantur, cujus memoriam perpetuo conservant. Cum igitur, qui Parentes colunt, iis gratiam referant, a quibus lucis et vitae usum habent, jure et merito vitam ad summam senectutem perducunt. Tum adjungenda est divinae promissionis illustris explanatio. Neque enim solum sempiternae ac beatae, sed hujus etiam, quam in terris agimus, vitae usus promittitur. Cujus sententiae interpres est D. Paulus, cum inquit *(1 Tim. IV, 8.)*: *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae.* Nec vero haec merces aut exigua est, aut contemnenda, etiamsi sanctissimis viris, ut Job, ut Davidi, ut Paulo, mors fuerit optabilis et aerumnosis ac miseris hominibus vitae propagatio sit injucunda.

§. 624. Nam illorum verborum adjunctio: *Quam Dominus Deus tuus dabit tibi;* non modo temporis diuturnitatem ad vivendum, sed otium, quietem, incolumitatem ad bene vivendum pollicetur. Nam in Deuteronomio *(V, 16.)* non solum inquit: *Ut longo vivas tempore;* sed illud etiam addit: *Ut bene sit tibi;* quod deinde ab Apostolo *(Ephes.*

*VI, 3.)* repetitum est. Haec autem bona eis suppetere dicimus, quorum pietati Deus gratiam referat: aliter enim divini promissi fides et constantia non erit, cum interdum, qui majorem pietatem parentibus praestiterunt, iis vita brevior sit, quibus id quidem contingit, vel quod iis optime consulitur, qui prius vita excedunt, quam a virtutis et officii religione discedant: *rapiuntur* enim *(Sap. IV, 11.), ne malitia mutet intellectum eorum, aut ne fictio decipiat animam illorum:* vel quia, dum pernicies et rerum omnium perturbatio impendet, e corporibus evocantur, ut communium temporum acerbitatem evadant: *A facie enim malitiae,* inquit Propheta *(Jes. LVII, 1.), collectus est justus;* quod fit, ne eorum aut virtus, aut salus periclitetur, cum a mortalibus flagitiorum poenas repetit Deus, vel ne tristissimis temporibus, ex propinquorum, amicorumque calamitatibus acerbissimos luctus sentiant.

§. 625. Quare metuendum est majorem in modum, cum viris bonis immatura mors accidit ac quemadmodum iis, qui grati in parentes sunt, officii merces et fructus est a Deo propositus; sic ingrati et impii filii gravissimis poenis reservantur. Scriptum est enim *(Exod. XXI, 17. Levit. XX, 9.): Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur;* et *(Proverb. XIX, 26.): Qui affligit patrem, et fugat matrem, ignominiosus est et infelix;* et *(Proverb. XX, 20.): Qui maledicit patri suo, vel matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris;* et *(Proverb. XXX, 17.): Oculum, qui subsannat patrem et qui despicit partum matris suae, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilae.* Qui parentibus injuriam intulerunt, multos fuisse legimus, in quibus ulciscendis Dei iracundia exarsit: non enim Davidem inultum reliquit, sed sceleri debitas poenas dedit Absalon, quem ob ejus scelus tribus hastis transfixum punivit *(2 Regg. XVII.)*. De iis vero, qui Sacerdotibus non obtemperant, scriptum est *(Deut. XVII, 12.): Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis morietur homo ille.*

§. 626. Et quemadmodum divina lege sancitum est, ut Parentibus filii honorem habeant, ut pareant, ut ob-

sequantur: sic parentum propria officia sunt atque munera, ut sanctissimis disciplinis ac moribus filios imbuant, iisque optima dent vivendi praecepta, ut ad religionem instructi et parati, Deum sancte inviolateque venerentur. Quod a parentibus Susannae factum esse legimus. Itaque Sacerdos parentes commoneat, ut se liberis magistros praebeant virtutis, aequitatis, continentiae, modestiae et sanctitatis, triaque praesertim declinent, in quibus saepe offendere consueverunt, primum, ne quid acerbius in liberos aut loquantur, aut statuant, quod Apostolus in epistola ad Colossenses ita praecipit *(Col. III, 21.)*: *Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* Nam periculum est, ne fracto abjectoque animo sint, dum omnia timent. Quare illud praecipit, ut nimiam severitatem effugiant, malintque liberos corrigere, quam ulcisci. Deinde, si qua culpa commissa est, cum necessaria sit castigatio et objurgatio, ne quid liberis per indulgentiam dissolute remittant: saepe enim filii parentum nimia lenitate et facilitate depravantur. Quamobrem a dissoluta indulgentia deterreat exemplo Heli summi Sacerdotis *(1 Regg. II—IV.)*, qui quod in liberos indulgentior fuerat, maximo supplicio est affectus. Postremo ne quod foedissimum est, in filiorum educatione ac doctrina, praepostera consilia ineant. Etenim permulti in hac una cogitatione curaque versantur, ut opes, ut pecunias, ut lautum et amplum patrimonium liberis relinquant: quos non ad religionem, non ad pietatem, non ad bonarum artium disciplinam, sed ad avaritiam et ad rem familiarem augendam cohortantur; nec de filiorum existimatione et salute sunt solliciti, dummodo pecuniosi sint et perdivites: quo quid dici aut cogitari turpius potest? Ita fit, ut ad illos non tam rerum copias, quam sua scelera et flagitia transferant, quibus tandem non ad coelum se duces praebent, sed ad inferorum supplicia sempiterna. Sacerdos igitur optimis praeceptis parentes instituat, eosque ad Tobiae exemplum ac similem virtutem excitet, ut cum filios ad Dei cultum et sanctimoniam probe erudierint, ab iis etiam amoris et observantiae et obsequii uberrimos fructus capiant.

## DE QUINTO PRAECEPTO.

*N o n   o c c i d e s.*

### CAPUT I.

*Quam utile et necessarium sit, hoc quintum praeceptum diligenter explicari et attente libenterque audire, quodque eo non tantum aliquid prohibeatur, sed quaedam etiam fieri jussa sint et praecepta* §. 627; *non omnem caedem hac lege vetitam esse et quot modis occidere permissum sit* §. 628. 629.

§. 627. Magna illa, quae *pacificis* hominibus proposita est felicitas, *quoniam filii Dei vocabuntur (Matth. V, 9.)*, Pastores maxime commovere debet, ut praecepti hujus disciplinam fidelibus diligenter accurateque tradant. Nam ad conciliandas hominum voluntates nulla melior ratio iniri potest, quam si ejusmodi praecepti lex recte explicata, ab omnibus ita, ut oportet, sancte servetur: quoniam tum sperare licet, ut summa animi consensione conjuncti homines, concordiam et pacem maxime colant. Sed quam necesse sit, praeceptum hoc explicari, ex eo perspicitur, quod immensa illa universae terrae inundatione facta, hoc unum inprimis est quod Deus hominibus interdixit *(Genes. IX, 5.)*: *Sanguinem,* inquit, *requiram animarum vestrarum de manu cunctarum bestiarum, et de manu hominis.* In Evangelio etiam, quae primum veteres leges a Domino explicatae sunt, in iis haec prima est, de qua apud S. Matthaeum ita scriptum est *(Matth. V, 21.)*: *Dictum est* enim: *Non occides*, et reliqua, quae hac de re eo ipso loco deinceps commemorantur. Fideles praeterea attente, libenterque praeceptum hoc audire debent. Si enim ejus vis spectatur, ad vitam cujusque tuendam valet: quoniam iis verbis: N o n   o c c i d e s, homicidium omnino interdictum est. Itaque singuli homines tanta cum voluptate animi illud accipere debent, perinde ac si ira Dei proposita, gravissimisque aliis poenis, nominatim prohibitum sit, ne quis eorum laedatur. Ergo ut praeceptum hoc auditu jucundum est, ita ejus peccati cautio, quod praecepto prohibetur, jucunditatem habere debet. Cum autem hujus legis vim Dominus explicaret, in eo duo contineri ostendit: alterum,

ne occidamus quod a nobis fieri vetitum est; alterum, quod facere jubemur, ut concordi amicitia, charitateque inimicos complectamur, pacem habeamus cum omnibus, cuncta denique incommoda patienter feramus.

§. 628. In eo autem, quod caedes prohibetur, illud primum docendum est, quae caedes sint ejusmodi, quae hac praecepti lege non vetentur. Nam bestias occidi prohibitum non est; quoniam, si illis vesci a Deo hominibus est concessum, fas item est illas occidi. Qua de re ita S. Augustinus *(Lib. I. de Civitat. Dei Cap. 20.)*: Cum audimus, inquit, n o n o c c i d e s, non accipimus hoc dictum esse de frutetis, quia nullus est eis sensus, nec de irrationabilibus animalibus, quia nulla nobis ratione sociantur. Alterum permissum caedis genus est, quod ad eos Magistratus pertinet, quibus data est necis potestas, qua ex legum praescripto judicioque, in facinorosos homines animadvertunt et innocentes defendunt; quo in munere dum juste versantur, non modo ii caedis non sunt rei, sed huic divinae legi, qua caedes vetantur, maxime obediunt. Cum enim legi huic finis is propositus sit, ut hominum vitae salutique consulatur; Magistratuum item, qui legitimi sunt scelerum vindices, animadversiones eodem spectant, ut audacia et injuria suppliciis repressa, tuta sit hominum vita. Quare David *(Psal. C, 8.)*: *In matutino*, inquit, *interficiebam omnes peccatores terrae, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Qua ratione ne illi quidem peccant, qui justo bello, non cupiditate aut crudelitate impulsi, sed solo publicae utilitatis studio, vitam hostibus adimunt. Sunt praeterea hujusmodi caedes, quae nominatim jussu Dei fiunt. Levi filii non peccaverunt, qui una die tot millia hominum occiderunt. Qua caede facta, sic ad eos locutus es Moyses *(Exod. XXXII, 29.)*: *Consecrastis manus vestras hodie Domino.*

§. 629. Neque vero hujus praecepti reus est, qui non sponte, neque meditato, sed fortuito hominem occidit; qua de re in Deuteronomii libro ita est *(Deut. XIX, 4. 5.)*: *Qui percusserit proximum suum nesciens, et qui heri et nudiustertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur, sed abiisse cum eo simpliciter in silvam ad ligna caedenda, et in succisione lignorum securis fugerit manum ferrumque lapsum de manubrio,*

*amicum ejus percusserit et occiderit.* Hae caedes ejusmodi sunt, quae, quia non voluntate, neque de industria inferuntur, propterea non omnino in peccatis numerantur, quod S. Augustini *(Epist. CLIV. ad Publicolam)* sententia comprobatur. Absit enim, inquit, ut ea, quae aut propter bonum aut licitum facimus, si quid per haec praeter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur. In quo tamen duabus de causis peccari potest; altera, si quis in re injusta occupatus, hominem occiderit; exempli causa, si quis gravidam mulierem pugno vel calce percuteret, ex quo abortus sequeretur. Fuisset quidem illud praeter percussoris voluntatem, non tamen praeter culpam, cum illi non liceret ullo modo gravidam mulierem percutere. Altera, si non omnibus circumspectis, negligenter et incaute aliquem occiderit. Qua etiam ratione, si quis salutis suae defendendae causa, omni adhibita cautione, alterum interemerit, hac lege non teneri satis apparet.

## CAPUT II.

*De iis quae hoc praecepto vetita sunt* §. 630. 631.; *de remediis adversus homicidium* §. 632.

§. 630. Atque hae quidem, quas modo commemoravimus, caedes sunt, quae hoc legis praecepto non continentur, quibus exceptis, reliquae omnes prohibentur, sive homicidam quis spectet, sive qui occiditur, sive modus, quibus caedes fit. Nam quod ad eos pertinet, qui caedem faciunt, nemo plane excipitur, non divites, non potentes homines, non domini, non parentes, sed delectu omni et discrimine remoto, occidere vetitum est omnibus. Si vero ii spectantur, qui interficiuntur, ad omnes haec lex pertinet, nec quisquam est tam humilis et abjectae conditionis homo, quin legis hujus vi defendatur. Neque vero seipsum interficere cuipiam fas est, cum vitae suae nemo ita potestatem habeat, ut suo arbitratu mortem sibi consciscere liceat, ideoque legis hujus verbis non ita praescriptum est: Ne alium occidas, sed simpliciter: Ne occidas. Sin autem multiplicem caedis faciendae modum attendimus, nemo est qui excipiatur: non solum enim suis cuiquam manibus, aut ferro, aut lapide, aut baculo, aut laqueo, aut veneno, vitam homini eripere non licet, sed consilio, ope, auxilio, vel alia quacunque ratione id fieri pror-

sus vetitum est. In quo summa tarditas stuporque Judaeorum fuit, qui crederent, se hoc praeceptum servare, si manus tantum a caede abstinerent.

§. 631. Sed homini christiano, qui interprete Christo didicit hanc legem spiritualem esse, nempe quae non manus solum puras, sed animum etiam castum sincerumque nos habere jubet, illud non satis omnino est, quod illi satis cumulate se praestare arbitrabantur. Nam ne irasci quidem cuiquam licere in Evangelio traditum est, cum dicat Dominus *(Matth. V, 22.)*: *Ego autem dico vobis: Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit gehennae ignis.* Ex quibus verbis perspicuum est, eum culpa non carere, qui fratri succenseat; quamvis iram animo inclusam contineat. Qui vero ejus irae significationem aliquam dederit, graviter peccare, at multo gravius, qui non vereatur, dure fratrem accipere, et ei convicium facere. Et quidem hoc verum est, si nulla subsit irascendi causa. Nam irae causa, quae a Deo legibusque conceditur, ea est, cum in eos animadvertimus, qui nostro imperio potestatique parent, si in eis sit culpa; christiani enim homini ira non a carnis sensibus, sed a Spiritu Sancto proficisci debet, cum nos templa Sancti Spiritus, in quibus Jesus Christus habitet, esse conveniat. Multa praeterea sunt a Domino tradita, quae ad perfectam hujus legis rationem pertinent, qualia illa sunt *(Matth. V, 39 — 41.)*: *non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram, et ei, qui vult tecum in judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium, et quicunque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo.* Ex his, quae jam commemorata sunt, animadverti licet, quam proclives sint homines ad ea praecepta, quae hoc praecepto vetita sunt, quamve multi reperiantur, qui, si minus manu, animo saltem caedis scelus committunt.

§. 632. Et quoniam huic tam periculoso morbo remedia in Sacris Literis adhibita sunt, Parochi est officium, ea diligenter fidelibus tradere. Praecipuum autem illud est, ut intelligant, quam nefarium sit peccatum hominis caedes; idque vel plurimis maximisque Sanctarum Literarum testimoniis perspici potest. Usque enim adeo homicidium detestatur Deus in Sanctis Literis *(Gen. IX, 5.)*,

ut a bestiis, hominum caedis poenam se repetiturum dicat, ac belluam, quae hominem laeserit, occidi jubeat. Neque aliam ob causam a sanguine hominem abhorrere voluit, nisi ut omni ratione a nefaria hominis caede et animum et manus abstineret. Sunt enim homicidae humani generis, atque adeo naturae hostes acerbissimi, qui quantum in eis est universum Dei opus evertunt, cum hominem tollant, cujus causa is omnia, quaecunque procreata sunt, se fecisse testatur. Imo vero in Genesi, cum prohibitum sit, hominem occidi, quia illum Deus ad imaginem suam et similitudinem creavit, insignem Deo injuriam is facit, quasique violentas illi manus afferre videtur, qui ejus imaginem e medio tollit. Hoc divina animi cogitatione meditatus David, gravissime de sanguinariis hominibus conquestus est illis verbis (*Ps. XIII*,3.): *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem;* neque simpliciter dixit, Occidunt, sed Effundunt sanguinem, quae verba, ad detestabilis illius sceleris amplificationem, immanemque illorum crudelitatem ostendendam, protulit. Utque declaret inprimis, quam praecipites illi diabolico quodam impulsu ad id facinus ferantur, dixit: *Veloces pedes eorum.*

## CAPUT III.

### *De iis, quae hoc praecepto servanda imperantur* §. 633—635.

§. 633. Jam vero quae in hoc praecepto servanda esse Christus Dominus jubet, eo spectant, ut pacem cum omnibus habeamus: inquit enim, cum hunc locum interpretaretur (*Matth. V*, 23. 24.): *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum,* et quae sequuntur. Quae ita a Parocho explicabuntur, ut doceat, sine ulla exceptione omnes charitate complectendos esse, ad quam in hujus praecepti explicatione fideles, quammaxime poterit, incitabit, quod in eo proximi diligendi virtus maxime elucet. Cum enim odium hoc praecepto aperte vetetur, *quoniam, qui fratrem suum odit, homicida est* (1 *Joh. III*, 15.); certe illud consequitur, ut amoris et charitatis praeceptum detur. Cumque hac lege de charitate et amore praeceptum sit, tum omnium etiam illo-

rum officiorum atque actionum, quae charitatem ipsam consequi solent, praecepta traduntur. *Charitas patiens est*, inquit d. Paulus *(1 Cor. XIII, 4.)*.

§. 634. *Patientia* igitur nobis praecipitur, *in qua nos animas nostras possessuros esse*, Salvator docet *(Luc. XXI, 19.)*. Beneficentia deinde, charitatis comes est et socia; quoniam *charitas benigna est (1 Cor. XIII, 4.)*. Benignitatis autem atque beneficentiae virtus late patet, ejusque officium in iis rebus maxime versatur, ut pauperibus suppeditemus res necessarias, *cibum esurientibus, sitientibus potum demus, nudos vestiamus (Matth. XXV, 35.)*, et quo quisque opis nostrae magis indiget, eo in illum plus liberalitatis conferamus. Hae beneficentiae et bonitatis officia, quae per se sunt illustria, eo fiunt illustriora, si inimicis praestentur. Ait enim Salvator *(Matth. V, 44.)*: *Diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos.* Quod etiam Apostolus monet illis verbis *(Rom. XII, 20. 21.)*: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Denique, si charitatis legem spectemus, quae benigna est, omnia quaecunque ad mansuetudinem, lenitatem aliasque id generis virtutes pertinent, officia colere, ea lege praescribi intelligemus.

§. 635. At vero longe omnium praestantissimum officium, quod charitatis plenissimum est, in quo maxime nos exercere convenit, illud est, ut injurias, quas accepimus, aequo animo remittamus atque condonemus. Quod ut plane efficiamus, saepe nos divinae literae, ut antea dictum est, monent atque hortantur, cum non beatos solum eos dicant, qui ita prorsus faciunt, sed erratorum etiam veniam iisdem a Deo datam affirment. Qui vero hoc ipsum facere negligunt, aut omnino recusant, illam non consequuntur. Sed quoniam ulciscendi libido hominum mentibus fere insita est, Parochus maximam in eo diligentiam ponat necesse est, ut injuriarum oblivisci, easque remittere christianum hominem oportere, non doceat solum, sed penitus etiam fidelibus persuadeat. Cumque hac ipsa de re apud Sacros Scriptores multa fiat mentio, eos consulat, ad revelendam illorum pertinaciam, qui in ulciscendi cupiditate animo obstinato sunt atque obfirmato. Argumenta in promptu

habeat, quae illi Patres gravissima, et ad eam rem maxime accommodata, pie adhibuerunt.

## CAPUT IV.

*De tribus argumentis, quae ad revelendam ulciscendi cupiditatem adhiberi possunt* §. 636 — 638.; *de duobus aliis adversus idem vitium remediis* §. 639.

§. 636. Verum haec potissimum tria explicanda sunt. Primum est, ut qui se injuriam accepisse putat, ei maxime persuadeatur, illum detrimenti aut injuriae praecipuam causam non fuisse, quem ipse ulcisci cupit. Sic admirabilis ille Iob fecit, qui a Sabaeis hominibus, a Chaldaeis et a Daemone graviter laesus, nulla tamen eorum habita ratione, ut vir rectus et homo admodum pius, recte pieque iis verbis usus est *(Iob I, 21,)*: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Itaque patientissimi illius viri oratione et exemplo christiani homines sibi persuadeant, quod verissimum est, omnia, quaecunque in hac vita patimur, a Domino, qui justitiae omnis misericordiaeque parens est et autor, proficisci. Neque vero ille nos, quae ejus est immensa benignitas, ut inimicos punit, sed uti filios corrigit et castigat. Nec profecto, si recte animadvertimus, in hisce rebus homines aliud omnino sunt, nisi ministri et quasi satellites Dei, et quanquam homo potest male aliquem odisse, pessimeque illi cupere, tamen, nisi permissu Dei, nocere nullo modo potest. Hac ratione adductus Joseph fratrum impia consilia; sic David injurias sibi a Semei illatas, aequo animo tulit *(Genes. XLV. 2 Reg. XVI.)*. Ad hanc item rem illud argumenti genus valde pertinet, quod S. Chrysostomus graviter atque erudite pertractavit, neminem scilicet, nisi a seipso, laedi. Nam qui se injuriose tractatos esse opinantur, si rem recta secum via reputent, comperient profecto, nullam se ab aliis injuriam aut damnum accepisse. Etsi enim, quibus ipsi laeduntur, ea extrinsecus eveniunt; tamen se maxime ipsi offendunt, cum animum odio, cupiditate, invidia nefarie contaminant.

§. 637. Alterum est, quod duo praecipua commoda complectitur, quae ad illos pertinent, qui pio erga Deum studio adducti, injurias libenter remittunt. Quorum primum illud est, quod aliena debita remittentibus promi-

sit Deus, fore ut ipsi etiam peccatorum veniam impetrent. Ex quo promisso, quam gratum illi sit hoc pietatis officium, facile apparet. Alterum commodum est, quod nobilitatem quandam et perfectionem assequimur, quoniam condonandis injuriis quodammodo Dei similes efficimur *(Matth. V, 45.)*, *qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.*

§. 638. Postremo explicanda sunt incommoda illa, in quae nos tum incidimus, cum injurias, quae nobis illatae sunt, condonare nolumus. Itaque Parochus illis, qui sibi in animum inducere non possunt, ut inimicis ignoscant, ob oculos ponat, odium non solum peccatum grave esse, sed diuturnitate peccandi gravius inhaerere. Cum enim is, in cujus animo hic affectus insederit, inimici sui sanguinem sitiat, illius ulciscendi spe plenus, dies noctesque in perenni quadam mala mentis agitatione ita versatur, ut nunquam a caedis aut nefariae alicujus rei cogitatione cessare videatur. Quo fit, ut is vel nunquam vel maximo negotio ad id impellatur, ut aut prorsus ignoscat, aut aliqua saltem ex parte injurias remittat. Quare merito vulneri comparatur, cui telum infixum haeret. Multa praeterea incommoda et peccata sunt, quae hoc uno Odii peccato, quasi vinculo quodam, juncta tenentur. Ideoque d. Johannes in hanc sententiam ita dixit *(1 Joh. II, 11.)*: *Qui fratrem suum odit, in tenebris ambulat, et nescit quo eat, quia tenebrae obcaecaverunt oculos ejus.* Itaque saepius labatur necesse est. Etenim quo pacto fieri potest, ut dicta aliquis aut facta illius probet, quem oderit? Hinc temeraria et iniqua judicia existunt, irae, invidiae, obtrectationes et alia ejusmodi; quibus illi quoque implicari solent, qui aut cognatione aut amicitia juncti sunt. Itaque saepe fit, ut ex uno peccato multa existant. Neque injuria dicitur, hoc peccatum esse Diaboli, quandoquidem ipse ab initio homicida fuit. Quamobrem Dei filius, Dominus noster Jesus Christus, cum sibi mortem Pharisaei afferre cuperent, illos *a patre Diabolo* genitos *esse* dixit *(Joh. VIII, 44.)*.

§. 639. Sed praeter haec quae dicta sunt, unde sceleris hujus detestandi rationes peti possunt, alia quoque remedia, et ea profecto maxime oportuna, Sanctarum Literarum monumentis tradita sunt. Ac primum omnium remedium et maximum est Salvatoris nostri

exemplum, quod ad imitandum nobis proponere debemus: is enim, cum ne minima quidem peccati suspicio in eum cadere posset, virgis caesus, spinis coronatus, et cruci denique affixus, eam habuit orationem plenissimam pietatis *(Luc. XXIII, 34.)*: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Cujus *aspersionem sanguinis* testatur Apostolus *(Hebr. XII, 24.)*, *melius loquentem, quam Abel.* Alterum autem remedium ab Ecclesiastico propositum est, ut mortem atque illum judicii diem recordemur. *Memorare*, inquit ille *(Eccles. VII, 40.)*, *novissima tua, et in aeternum non peccabis.* Quae sententia eodem spectat, ac si dicat: Illud saepe etiam atque etiam cogita, brevi fore ut mortem obeas; proinde, quia tali tempore tibi optatissimum erit et maxime necessarium, summam Dei misericordiam impetrare, eam tibi ob oculos jam nunc perpetuoque proponas necesse est. Ita enim fiet, ut immunis illa ulciscendi cupiditas tibi exhauriatur, cum ad misericordiam implorandam nullum aptius majusve remedium invenias, quam oblivionem injuriarum et amorem in eos, qui te aut tuos re aut oratione violarint.

---

## DE SEXTO PRAECEPTO.

*Non moechaberis.*

### CAPUT I.

*Recte optimoque ordine hanc legem eam, quae praecessit, consequi, quodque in ea explicanda Parochum cautum, prudentem et moderatum esse oporteat; denique illius duplicem vim esse, quarum altera aliquid vetitum sit, altera quiddam jussum et imperatum* §. 640.; *non tantum adulterium, sed etiam omne impuritatis et impudicitiae genus, quo corpus polluitur, atque adeo intimam animi libidinem prohiberi* §. 641. 642.

§. 640. Quoniam viri et uxoris vinculum arctissimum et nihil utrique jucundius accidere potest, quam intelligere se mutuo quodam et singulari amore diligi, contra nihil molestius, quam sentire, a se debitum et legitimum animum alio transferri; recte quidem atque ordine illam,

quae hominis vitam a caede tuetur, legem haec, quae de moechia sive adulterio est, consequitur, ut sanctam illam et honorabilem Matrimonii conjunctionem, unde magna charitatis vis existere solet, nemo ullo adulterii scelere violare aut dirimere audeat. Sed tamen in hac ipsa re explicanda cautus admodum sit Parochus et prudens, et rectis verbis rem commemoret, quae moderationem potius desiderat, quam orationis copiam. Verendum est enim, ne, dum is late atque copiose nimis explicare studet, quibus modis homines ab hujus legis praescripto discedant, in illarum rerum sermonem forte incidat, unde excitandae libidinis potius materia, quam restinguendae illius ratio, emanare solet. Sed quoniam hoc praecepto multa continentur, quae praetermittenda non sunt, ea suo loco explicabuntur a Parochis. Ejus igitur duplex vis est: altera, qua disertis verbis adulterium vetatur; altera, quae eam sententiam inclusam habet, ut animi corporisque castitatem colamus.

§. 641. Ut autem ab eo, quod prohibitum est, docendi initium sumatur: adulterium est legitimi tori injuria, sive alienus sive proprius ille sit. Etenim si maritus cum muliere soluta rem habet, suum ipsa torum violat; si vero solutus vir alienam cognoscat uxorem, adulterii labe torus alienus inquinatur. Hoc vero adulterii interdicto omnia prohiberi, D. Ambrosius *(Lib. I. de Abraham. Cap. 4.)* et Augustinus *(Quaest. LXXI. sup. Exod.)* autores sunt, quaecunque inhonesta sunt et impudica. In hanc sententiam haec verba accipienda esse, ex Sacris Literis tum Veteris, tum Novi Testamenti licet colligere. Nam praeter adulterium, alia libidinis genera apud Moysen puniuntur. Est Judae in Genesi judicium in nurum suam *(Genes. XXXVIII.)*. Est praeclara illa in Deuteronomio Moysis lex, ne de filiabus Israël ulla esset meretrix *(Deut. XXIII.)*. Extat praeterea Tobiae ad filium ejusmodi adhortatio *(Tob. IV, 13.)*: *Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione.* Ecclesiasticus item *(Eccles. XLI, 25.)*: *Erubescite*, inquit, *a respectu mulieris fornicariae.* In Evangelio etiam *(Matth. XV, 19.)* Christus Dominus inquit; *de corde exire adulteria et fornicationes, quae coinquinant hominem.* Apostolus vero Paulus hoc vitium saepe multis gravissimisque verbis detestatur *(1 Thess. IV, 3.)*: *Haec est*, ait, *voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos*

*a fornicatione*, et (1 *Cor. VI*, 18.): *Fugite fornicationem*, et (1 *Cor. V*, 9.): *Ne commisceamini fornicariis. Fornicatio autem*, inquit (*Ephes. V*, 3.), *et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis*, et (1 *Cor. VI*, 9. 10.): *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt.*

§. 642. Praecipue vero ob eam rem adulterium diserte vetitum est, quia praeter turpitudinem, quae illi cum aliis intemperantiae generibus communis est, injustitiae quoque peccatum non solum in proximum, sed etiam in civilem societatem adjunctum habet. Est illud item certum, qui se a caeterarum libidinum intemperantia non abstinet, eum ad hanc, quae adulterii est, incontinentiam facile labi. Quare hoc adulterii interdicto facile intelligimus, omne impuritatis et impudicitiae genus, quo polluitur corpus, prohiberi; imo vero omnem intimam animi libidinem hoc praecepto vetitam esse, tum ipsius legis vis significat, quam spiritualem esse constat, tum Christus Dominus docuit illis verbis (*Matth. V*, 27.): *Audistis, quia dictum est antiquis, non moechaberis; ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est eam in corde suo.* Haec sunt, quae fidelibus publice tradenda duximus; si tamen ea addantur, quae a sancta Tridentino Synodo in adulteros et eos, qui scorta et pellices alunt, decreta sunt (§. 418.), praetermissis multis aliis ac variis impudicitiae et libidinis generibus, de quibus privatim unusquisque a Parocho admonendus erit, ut temporis et personarum ratio postulabit.

## CAPUT II.

*De eo, quod hac lege jubetur atque praecipitur, quod est pudicitiae et continentiae studium, ac de remediis contrarii vitii, quae in cogitatione turpitudinis, magnitudinis atque perniciei hujus peccati, praecipue adulterii, consistunt* §. 643 — 646.

§. 643. Sequitur nunc, ut ea explicentur, quae jubendi vim habent. Docendi igitur sunt fideles ac vehementer hortandi, ut pudicitiam et continentiam omni studio colant, *mundentque se ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei*

(2 *Cor. VII*, 1.). Inprimis autem admonendi sunt, quamvis castitatis virtus in eorum hominum genere magis eluceat, qui pulcherrimum illud ac plane divinum virginitatis propositum sancte et religiose colunt, tamen iis etiam convenire, vel qui coelibem vitam agunt, vel matrimonio juncti, a vetita libidine puros se et integros servant. Quoniam vero multa a sanctis Patribus tradita sunt, quibus docemur domitas habere libidines, et coërcere voluptates, ea Parochus studeat populo accurate exponere, atque in hac tractatione diligentissime versetur. Haec autem ejusmodi sunt; partim quae in cogitatione consistunt; partim quae in actione. Quod in cogitatione remedium positum est, id in eo maxime versatur, ut intelligamus, quanta sit hujus peccati turpitudo et pernicies; qua cognita, facilior fiet ejus detestandi ratio.

§. 644. Perniciosum vero scelus esse, intelligi ex eo potest; quoniam propter hoc peccatum e Dei regno pelluntur atque exterminantur homines, quod malorum omnium ultimum est. Et haec quidem calamitas omnium scelerum communis est; illud autem hujus peccati proprium, quod, qui fornicantur, in sua ipsi corpora peccare dicuntur, ex sententia Apostoli ita scribentis (1 *Cor. VI*, 18.): *Fugite fornicationem; omne enim peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Quod ob eam causam dictum est, quoniam illud injuriose tractat, cum ejus violat sanctitatem. Qua de re ad Thessalonicenses ita divus Paulus (1 *Thess. IV*, 3—5.): *Haec est*, inquit, *voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes, quae ignorant Deum.* Deinde, id quod scelestius est, si homo christianus meretrici turpiter se dedat, membra quae Christi sunt, ea meretricis facit; ita enim divus Paulus (1 *Cor. VI*, 15. 16. 19.) ait: *Nescitis quoniam corpora vestra, membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis, quoniam qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur?* Est praeterea homo christianus, ut idem testatur, *templum Spiritus Sancti*, quod violare, nihil aliud est, nisi ab eo Spiritum Sanctum ejicere.

§. 645. In adulterii autem scelere magna inest iniquitas. Si enim, ut vult Apostolus *(1 Cor. VII, 10 sqq.)*, *qui matrimonio juncti sunt*, ita eorum alter alterius potestati mancipatus est, ut neuter sui corporis potestatem jusque habeat; sed mutuo quodam sint inter se quasi servitutis vinculo ita devincti, ut vir ad uxoris voluntatem, contraque uxor ad viri nutum voluntatemque se accommodare debeat; certe si alteruter corpus suum, quod est alieni juris, ab eo, cui illud adstrictum est, disjungit, is admodum iniquus est et nefarius. Et quoniam infamiae metus et ad ea, quae jussa sunt, vehementer incitat homines, et a vetitis magnopere deterret, docebit Parochus adulterium hominibus insignem turpitudinis notam inurere. Nam Sacris Literis ita proditum est *(Proverb. VI, 32. 33.)*: *Qui adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam, turpitudinem et ignominiam congregat sibi, et opprobrium illius non delebitur.*

§. 646. Verum hujus sceleris magnitudo ex supplicii severitate facile perspici potest. Adulteri enim, lege a Domino in Veteri Testamento praescripta, obruebantur lapidibus. Quin etiam, ob unius libidinem, non solum qui scelus admisit, sed universa interdum civitas, ut de Sichimitis legimus, deleta est. Multa divinae animadversionis exempla in Sacris Literis prodita sunt, quae ad deterrendos a nefaria libidine homines Parochus colligere poterit; ut Sodomae et reliquarum finitimarum urbium interitus; Israëlitarum, qui fornicati sunt cum filiabus Moab in deserto, supplicium; Benjamitarum deletio. Qui vero mortem effugiunt, intolerabiles tamen dolores, ac poenarum cruciatus, quibus saepe plectuntur, non effugiunt. Nam mente caeci, quae poena gravissima est, ita fiunt, ut neque Dei, neque famae, neque dignitatis, neque filiorum denique, vitaeque suae rationem habeant, hocque pacto adeo nequam et inutiles fiunt, ut nihil grave committi eis debeat, et ad nullum fere officii munus idonei sint. Hujus rei exempla a Davide et Salomone petere nobis licet, quorum alter postquam adulteratus est, repente sui dissimillimus, ex mitissimo crudelis extitit, ut Uriam optime de se meritum morti obtulerit; alter, cum se totum in mulierum libidinem profudisset, ita a vera Dei religione sese avertit, ut alienos Deos sequeretur. *Aufert* igitur, ut Hoseas dixit

*(Hos. IV, 11.)*, hoc peccatum *cor hominis*, saepeque obcaecat.

### CAPUT III.

*De variis remediis, quae in actione consistunt*
§. 647 — 650.

§. 647. Nunc ad ea remedia veniamus, quae in actione consistunt. Quorum primum illud est, ut otium maxime fugiamus, in quo Sodomitae homines, ut est apud Ezechielem *(Cap. XVI.)*, cum hebescerent, in spurcissimum illud nefariae libidinis scelus praecipites lapsi sunt. Deinde crapula magnopere est vitanda: *saturavi eos*, inquit Propheta *(Jerem. V, 7.)*, *et moechati sunt*, quoniam venter expletus ac saturatus, libidinem parit. Hoc ipsum illis verbis Dominus significavit *(Luc. XXI, 34.)*: *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra crapula et ebrietate.* Hoc item Apostolus *(Ephes. V, 18.)*: *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo est luxuria.* Sed maxime animus ad libidinem oculis inflammari solet. Quo pertinet illa Christi Domini sententia *(Matth. V, 29.)*: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te.* Multae praeterea sunt Prophetarum de eadem re voces, ut est apud Iob *(Cap. XXXI, 1.)*: *Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Sunt multa denique, ac pene innumerabilia exempla malorum, quae ex oculorum adspectu ortum habuerunt. Sic David (2 *Regg. XI, 2.)*, sic rex Sichem peccavit *(Gen. XXXIV, 2.)*, hocque item pacto senes illi Susannae *(Dan. XIII, 8.)* calumniatores deliquerunt.

§. 648. Elegantior item ornatus, quo oculorum sensus valde excitatur, occasionem libidini non parvam saepe praebet, ideoque Ecclesiasticus monet *(Eccles. IX, 8.)*: *Averte faciem tuam a muliere compta.* Cum igitur mulieres in nimio ornatus studio versentur, non alienum erit, si Parochus aliquam in eo diligentiam adhibeat, ut eas interdum moneat objurgetque verbis, quae hoc de genere gravissima Apostolus Petrus ita protulit (1 *Petr. III, 3.)*: *Mulierum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.* D. Paulus item (1 *Tim. II, 9.)*: *Non in tortis*, inquit, *crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa.* Multae enim auro et margaritis adornatae, ornamenta mentis et corporis perdiderunt. Hoc

autem libidinis incitamentum, quod e vestium exquisito ornatu existere solet, alterum sequitur, quod est turpis obscoenique sermonis.

§. 649. Nam verborum obscoenitate, quasi face quadam subjecta, adolescentum accenduntur animi. *Corrumpunt enim mores bonos colloquia prava*, inquit Apostolus (1 *Cor. XV*, 33.), hocque ipsum cum maxime efficiant delicatiores et molliores cantus ac saltationes, ac iis quoque diligenter cavendum est. Quo in genere numerantur item libri obscoene et amatorie conscripti; qui ita vitandi sunt, ut imagines, quae aliquam turpitudinis speciem prae se ferunt, cum ad turpes rerum illecebras inflammandosque adolescentum animos, vis in illis sit maxima. Sed Parochus inprimis curet, ut quae de iis a sacrosancto Tridentino Concilio (§. 472.) pie religioseque constituta sunt, ea sanctissime serventur. Haec vero omnia, quae commemorata jam sunt, si magno adhibito studio curaque vitentur, omnis fere libidinis materia tollitur.

§. 650. Sed ad illius vim opprimendam maxime valet frequens Confessionis et Eucharistiae usus; tum assiduae ac piae quidem ad Deum preces, cum eleemosynis atque jejunio conjunctae. Est enim castitas donum Dei, quod recte petentibus non denegat, *nec patitur nos tentari supra id, quod possumus* (1 *Cor. X*, 13.). Corpus autem non jejuniis modo, et iis praesertim, quae sancta Ecclesia instituit, sed vigiliis etiam, piis peregrinationibus, atque aliis afflictationum generibus exercendum est, sensuumque appetitiones reprimendae; in his enim atque aliis ejusmodi rebus maxime cernitur temperantiae virtus, in quam sententiam ad Corinthios ita d. Paulus scribit (1 *Cor. IX*, 25. 27.): *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Et paulo post: *Castigo*, inquit, *corpus meum, et in servitutem redigo; ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Et alio loco (*Rom. XIII*, 14.): *Carnis curam ne feceritis in desideriis.*

## DE SEPTIMO PRAECEPTO.

### *Non furtum facies.*

### CAPUT I.

*Quam diligenter hoc praeceptum inculcandum, et ad illud studiose colendum observandumque fideles excitandi, quum Dei singularem amorem significet; tum vero duas ejus esse partes, et aliquid prohiberi, aliud autem praecipi* §. 651. 652.*; quae hac lege vetentur, et quod furti nomine etiam rapina, omnisque injusta possessio, cujus varia sunt nomina, atque adeo animus furandi prohibeatur* §. 653. 654.*; quam grave scelus sit furtum* §. 655.

§. 651. Veterem hunc Ecclesiae morem fuisse, ut hujus praecepti vis et ratio inculcaretur auditoribus, indicat illa apud Apostolum *(Rom. II, 21.)* obiurgatio eorum, qui caeteros ab iis vitiis maxime deterrerent, quibus ipsi cumulati reperiebantur: *Qui enim*, inquit, *alium doces, teipsum non doces? qui praedicas non furandum, furaris?* Quo doctrinae bono non solum frequens illorum temporum peccatum corrigebant, sed etiam turbas ac lites sedabant, aliasqne malorum causas, quae furto commoveri solent. In iis et delictis, et delictorum incommodis atque calamitatibus, cum nostra etiam haec aetas misere versetur: ad exemplum sanctorum Patrum et christianae disciplinae magistrorum, Parochi hunc urgebunt locum, et assidue ac diligenter hujus praecepti vim ac sententiam explicabunt.

§. 652. Ac primum officium et diligentiam suam conferent ad declarandum Dei infinitum amorem erga genus humanum, qui non modo illis duobus interdictis, *Non occides; Non moechaberis*, quasi praesidiis, et vitam corpusque nostrum, et famam existimationemque tueatur: sed etiam hoc praecepto, *non furtum facies*, tanquam custodia quadam externas res ac facultates muniat atque defendat. Quam enim haec verba subjectam habent notionem, nisi eam, quam supra diximus, cum de aliis praeceptis loqueremur? vetare videlicet Deum, bona haec nostra quae in ejus tutela sint, a quoquam auferri aut violari. Quod divinae legis beneficium quo

majus est, eo nos in ipsius beneficii autorem Deum gratiores esse oportet. Et quoniam et habendae, et referendae gratiae, nobis optima ratio proposita est, ut non tantum praecepta libenter auribus accipiamus, sed etiam re ipsa probemus: ad hoc colendum praecepti officium fideles excitandi et inflammandi sunt. Est autem hoc praeceptum, quemadmodum superiora, divisum in duas partes: quarum altera, quae furtum vetat, aperte est annunciata: alterius sententia et vis, qua jubemur benigni et liberales esse in proximos, in priore occulta est et involuta. De priore igitur prius dicetur, *Non furtum facies.*

§. 653. In quo illud animaduertendum est, furti nomine non id modo intelligi, cum occulte ab invito domino aliquid aufertur, sed etiam, cum aliquid alienum contra voluntatem scientis domini possidetur. Nisi forte existimandum est, eum, qui furtum prohibeat, rapinas factas per vim et injuriam non improbare, cum extet illud Apostoli (1 *Cor. VI*, 10.): *Rapaces regnum Dei non possidebunt, quorum* omnem rationem et consuetudinem fugiendam esse idem scribit Apostolus (1 *Cor. V*, 11.). Quanquam vero majus peccatum rapinae sint, quam furtum, quem praeter rem, quam alicui adimunt, praeterea vim afferunt, et majorem imponunt ignominiam: mirandum tamen non est, quod leviori hoc furti nomine notatum sit divinae legis praeceptum non rapinae. Id enim summa ratione factum est: quia furtum latius patet, et ad plura pertinet, quam rapinae, quas tantummodo illi facere possunt, qui potentia et viribus praestant. Quanquam nemo non videt, exclusis ejusdem generis levioribus peccatis, graviora etiam facinora prohiberi.

§. 654. Variis autem nominibus notatur injusta possessio, et usus rerum alienarum, ex varietate eorum, quae et invitis et insciis dominis auferuntur. Nam si privatum quid privato adimitur, furtum dicitur: si surripitur publico, peculatus appellatur. Plagiatum vocant, si homo liber vel servus alienus in servitutem abducitur: si vero sacra res eripitur, nominatur sacrilegium; quod facinus maxime nefarium ac scelestum, adeo in mores inductum est, ut bona, quae necessario et sacrorum cultui, et Ecclesiae ministris, et pauperum usui pie ac sapienter fuerant attributa, in privatas cupiditates, perniciosasque libidines convertantur. Sed praeter ip-

sum furtum, id est, externam actionem furandi, etiam animus et voluntas, Dei lege prohibetur. Est enim spiritualis lex, quae animum, fontem cogitationum et consiliorum, inspicit. *De corde enim*, inquit Dominus apud S. Matthaeum (*Matth. XV*, 19.), *exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia.*

§. 655. Sed quam grave scelus Furtum sit, ipsa naturae vis et ratio satis ostendit: est enim justitiae contrarium, quae suum cuique tribuit. Nam bonorum distributiones et assignationes, jaminde ab initio jure gentium constitutas, divinis etiam et humanis legibus confirmatas, ratas esse oportet, ut unusquisque, nisi humanam societatem tollere velimus, ea teneat, quae ei jure obtigerunt. Nam, ut Apostolus ait (1 *Cor. VI*, 10.), *neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Etsi hujus sceleris importunitatem et immanitatem permulta declarant, quae furtum consequuntur. Fiunt enim judicia temere et inconsulto multa de multis: erumpunt odia: suscipiuntur inimicitiae: existunt interdum acerbissimae innocentium hominum damnationes. Quid dicemus de ea necessitate, quae divinitus imposita est omnibus, satisfaciendi ei, cui aliquid ademptum sit? *Non* enim, inquit Augustinus (*Epist. LIV. ad Macedonium*), *remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum:* quae restitutio, cum quis assueverit ex alienis locupletari, quantam habeat difficultatem, praeter id, quod unusquisque, et ex aliorum consuetudine, et de suo sensu judicare potest, ex testimonio Habacuc Prophetae licet intelligere. Inquit enim (*Habac. II*, 6.): *Vae ei, qui multiplicat non sua? usquequo et aggravat contra se densum lutum?* Lutum appellat densum, rerum alienarum possessionem, unde emergere et expedire se homines difficile possunt. Furtorum autem tam multa sunt genera, ut ea dinumerare sit difficilimum, quare de his duobus, Furto et Rapinis, dixisse satis erit, ad quae, tanquam ad caput, reliqua quae dicemus referuntur. Ad ea igitur detestanda, et ad fidelem populum a scelesto facinore deterrendum, conferent omnem curam ac diligentiam Parochi.

## CAPUT II.

*De variis Furtorum generibus, quae hoc praecepto prohibentur* 656. 657.; *de diversis Rapinis, quae similiter hac lege vetantur* §. 658. 659.

§. 656. Verum hujus generis partes persequamur. Sunt igitur fures etiam, qui furto sublatas res emunt, vel aliqua modo inventas, occupatas, aut ademptas retinent: ait enim S. Augustinus (*Lib. L. Hom.* 9. *et de verbis Apost. Serm.* 109. *Si invenisti, et non reddidisti, rapuisti)*: Quod si rerum Dominus nulla ratione inveniri potest, illa sunt bona in usus pauperum conferenda; quae ut restituat qui adduci non potest, ea re facile probat se undique ablaturum omnia, si possit. Eodem se alligant scelere, qui in emendis vendendisque rebus fraudes adhibent, et vanitatem orationis: horum fraudes vindicabit Dominus. Graviores et iniquiores in hoc furtorum genere sunt ii, qui fallaces et corruptas merces vendunt pro veris et integris: quive pondere, mensura, numero, ac regula decipiunt emptores. Est enim in Deuteronomio (*Deut. XXX*, 13.): *Non habebis in sacculo diversa pondera*; et in Levitico (*Levit. XIX*, 35. 36.): *Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura: statera iusta, et aequa sint pondera: justus modius, aequusque sextarius.* Est et alio loco (*Proverb. XX*, 23.): *Abominatio est apud Dominum pondus, et pondus; statera dolosa non est bona.*

§. 657. Furtum etiam apertum est operariorum et artificum, qui totam et integram mercedem exigunt ab iis, quibus ipsi justam ac debitam operam non dederunt. Nec vero distinguuntur a furibus servi, dominorum rerumque custodes infidi: quinetiam eo sunt detestabiliores, quam reliqui fures, qui clavibus excluduntur, quod furaci servo nihil domi obsignatum aut occlusum esse potest. Furtum praeterea facere videntur, qui fictis simulatisque verbis, quive fallaci mendicitate pecuniam extorquent: quorum eo gravius est peccatum, quod furtum mendacio cumulant. Illi quoque in furum numero reponendi sunt, qui, cum ad privatum aliquod vel publicum officium conducti sunt, nullam vel pravam operam navantes, munus negligunt, mercede tantum ac pretio fruuntur. Reliquam furtorum multitudinem, a solerti avaritia, quae omnes pecuniae vias novit, excogitatam, persequi lon-

gum est, ut diximus, difficilimum. Itaque de Rapinis, quod est alterum horum scelerum caput, dicendum videtur, si prius monuerit Parochus christianum populum, ut meminerit illius Apostoli sententiae (*1 Tim. VI, 9.*): *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum Diaboli.* Nec ullo sibi loco patiatur excidere praeceptum hoc (*Matth. VII, 12.*): *Quaecunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* Et illud cognitent perpetuo (*Tob. IV, 16.*): *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.*

§. 658. Rapinae igitur patent latius. Nam qui debitam operariis mercedem non persolvunt, sunt rapaces: quos S. Jacobus ad poenitentiam invitat illis verbis (*Jacob. V, 1. 4.*): *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quae advenient vobis.* Cujus poenitentiae causam subjungit: *Ecce enim merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quae fraudata est a vobis, clamat, et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Quod genus rapinarum in Levitico (*XIX, 3.*), in Deuteronomio (*XXIV, 14.*), apud Malachiam (*III, 6.*) et apud Tobiam (*IV, 15.*) vehementer improbatur. In hoc crimine rapacitatis includuntur, qui, quae Ecclesiae praesidibus et Magistratibus debentur, vectigalia, tributa, decimas et reliqua hujus generis non dissolvunt, vel intervertunt et ad se transferunt. Huc etiam referuntur foeneratores, in rapinis acerrimi et acerbissimi, qui miseram plebem compilant ac trucidant usuris. Est autem Usura, quidquid praeter sortem et caput illud, quod datum est, accipitur, sive pecunia sit, sive quidvis aliud, quod emi aut aestimari possit pecunia. Sic enim apud Ezechielem scriptum est (*Ezech. XVIII, 17.*): *Usuram et superabundantiam non acceperit.* Et Dominus apud Lucam (*Luc. VI, 35.*): *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Gravissimum semper fuit hoc facinus, etiam apud gentes, et maxime odiosum. Hinc illud: Quid foenerari? Quid hominem, inquit, occidere? Nam qui foenerantur, bis idem vendunt, aut id vendunt, quod non est.

§. 659. Item rapinas faciunt nummarii judices, qui venalia habent judicia, et pretio muneribusque deliniti, optimas tenuiorum et egentium causas evertunt. Fraudatores creditorum et infitiatores, quique sumpto temporis spatio ad solvendum, sua vel aliena fide merces emunt, neque fidem liberant, damnabuntur eodem crimine

rapinarum, quorum etiam delictum gravius est, quod mercatores, illorum destitutionis ac fraudationis occasione, magno detrimento civitatis vendunt omnia carius. In quos illa Davidis sententia videtur convenire *(Psalm. XXXVI, 21.)*: *Mutuabitur peccator, et non solvet.* Quid de locupletibus dicemus iis, qui ab illis, qui solvendo non sunt, quod commodarunt, exigunt acerbius et pignora etiam ea auferunt contra Dei interdictum, quae ad eorum corpus tuendum sunt necessaria? Inquit enim Deus *(Exod. XX, 26. 27.)*: *Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddas ei, ipsum enim est solum, quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud, in quo dormiat; si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum.* Horum exactionis acerbitatem, jure rapacitatem, atque adeo rapinas appellabimus. Ex numero eorum, qui raptores dicuntur a sanctis Patribus, sunt qui in frugum inopia comprimunt frumentum, faciuntque ut sua culpa carior ac durior sit annona; quod etiam valet in rebus omnibus, ad victum et ad vitam necessariis. Ad quos illa Salomonis pertinet execratio *(Proverb. XI, 26.)*: *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis.* Quos suorum scelerum admonitos, Parochi liberius accusabunt, ac propositas illis peccatis poenas explicabunt uberius.

## CAPUT III.

*De restitutione quae hac lege praecipitur* §. 660.*; de operibus misericordiae et eleemosyna in pauperes* §. 661. 662.*; qua ratione fideles a furtis atque rapinis revocandi sint* §. 663.

§. 660. Haec de vetitis, nunc ad jussa veniamus, in quibus satisfactio vel restitutio primum locum habet: peccatum enim non remittitur, nisi ablatum restituatur. Sed quoniam non is solum, qui furtum fecit, ei cui furatus est, id debet restituere, sed omnes praeterea, qui furti participes fuerunt, hac lege restitutionis tenentur; aperiendum est, qui sint illi, qui hanc satisfaciendi vel restituendi necessitatem effugere non possint. Sunt autem plura hominum genera: ac primum est eorum, qui furari imperant, qui non modo sunt ipsi furtorum socii et autores, sed etiam in illo furum genere teterrimi. Alterum genus par voluntate primis, potestate dispar, in eodem tamen furum gradu ponendum, eorum, qui cum

jubere non possint suasores sunt atque impulsores furtorum. Tertium genus est eorum, qui cum furibus consentiunt. Quartum genus est eorum, qui participes furtorum, inde lucrum ipsi etiam faciunt: si lucrum dicendum est, quod, nisi resipuerint, eos addicit aeternis cruciatibus: de quibus sic loquitur David *(Psalm. XXXIX, 18.)*: *Si videbas furem, currebas cum eo.* Quintum genus est furum, qui cum furta possint prohibere, tantum abest ut illis occurrant et obsistant, ut eorum licentiam permittant, atque concedant. Sextum genus est eorum, qui cum et furtum factum et ubi factum sit certo sciant, non indicant rem, sed etiam se scire dissimulant. Postremum genus est, quod omnes complectitur furtorum adjutores, custodes, patronos, quique illis receptaculum praebent ac domicilium: qui omnes et satisfacere debent iis, quibus aliquid detractum est, ad illud necessarium officium vehementer cohortandi sunt. Ne hujus quidem sceleris omnino sunt expertes, approbatores furtorum et laudatores. Nec vero etiam ab eadem culpa sunt alieni filii familias, et uxores, qui pecunias a patribus et viris surripiunt.

§. 661. Jam vero huic praecepto illa subiecta sententia est, ut pauperum et inopum misereamur, eorumque difficultates et angustias nostris facultatibus et officiis sublevemus. Quod argumentum quia saepissime et copiosissime tractandum est, petant ea Parochi ex virorum sanctissimorum, Cypriani, Johannis Chrysostomi, Gregorii Nazianzeni, et aliorum libris, qui de eleemosyna praeclare scripserunt, quibus huic muneri satisfaciant. Sunt enim inflammandi fideles ad studium et alacritatem opitulandi iis, quibus aliena misericordia vivendum est. Sunt vero etiam docendi, quantam habeat necessitatem eleemosyna; ut videlicet re et opera nostra in egentes simus liberales, verissimo illo argumento, quod summo judicii die detestaturus sit eos Deus, et sempiternis ignibus addicturus, qui eleemosynae officia praetermiserint ac neglexerint: illos autem collaudatos in patriam coelestem introducturus, qui benigne fecerint indigentibus. Est utraque Christi Domini ore pronunciata sententia *(Matth. XXV, 34. 41.)*: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum;* et *Discedite a me maledicti in ignem aeternum.* Utentur praeterea Sacerdotes accommodatis illis ad persuadendum locis *(Luc. VI, 38.)*: *Date et dabitur vobis.* Proferent Dei

promissum, quo nihil uberius, nihil magnificentius ne cogitari quidem potest (*Marc. X,* 29. 30.): *Nemo est, qui reliquerit* etc. *qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, et in seculo futuro vitam aeternam.* Adjicient illud, quod a Christo Domino dictum est (*Luc. XVI,* 9.): *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.* Hujus vero necessarii muneris partes exponent, ut qui largiri non possunt egentibus, quo vitam sustentent, saltem commodent pauperi, juxta Christi Domini praescriptum (*Luc. VI,* 35.): *Mutuum dare, nihil inde sperantes.* Atque hujus rei felicitatem beatus David expressit (*Psalm. CXI,* 5.): *Jucundus homo, qui miseretur et commodat.*

§. 662. Est autem christianae pietatis, nisi sit aliunde facultas bene merendi de iis, quibus ad victum aliena misericordia opus est, vitandi etiam otii causa, labore, opera ac manibus ea quaerere, quibus inopum indigentiam levare possint. Ad id omnes suo exemplo hortatur in Epistola ad Thessalonicenses Apostolus illis verbis (2 *Thess. III,* 7.): *Ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos.* Item ad eosdem (1 *Thess. IV,* 11.): *Operam detis, ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris, sicut praecepimus vobis.* Et ad Ephesios (*Ephes. IV,* 28.): *Qui furabatur, jam non furetur; magis autem laboret, operando manibus quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.* Est etiam frugalitati consulendum parcendumque bonis alienis, ne caeteris graves aut molesti simus. Quae temperantia sanequam elucet in omnibus Apostolis, sed maxime eminet in d. Paulo; cujus illud est ad Thessalonicenses (1 *Thess. II,* 9.): *Memores estis, fratres, laboris nostri et fatigationis, nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus, praedicavimus in vobis Evangelium Dei.* Atque idem alio loco Apostolus (2 *Thess. III,* 8.): *In labore et fatigatione nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus.*

§. 663. Sed ut ab universo hoc genere nefariorum facinorum abhorreat fidelis populus, Parochis a Prophetis petere, et a reliquis divinis libris sumere par erit detestationem furtorum et rapinarum, et horribiles minas a Deo propositas eis, qui illa scelera committunt. Clamat Amos Propheta (*Amos VIII,* 4. 5.): *Audite hoc,*

*qui conteritis pauperem, et deficere facitis egenos terrae, dicentes: Quando transibit mensis, et venundabimus merces; et Sabbathum, et aperiemus frumentum; ut imminuamus mensuram, et augeamus siclum, et supponamus stateras dolosas?* Sunt in eadem sententia multa apud Jeremiam, in Proverbiis et apud Ecclesiasticum. Nec vero dubitandum est, quin haec malorum semina, quibus malis opprimitur haec aetas, magna ex parte in his inclusa sint causis. Verum ut assuescant christiani homines prosequi omni liberalitatis ac benignitatis officio egentes et mendicos, quod ad alteram hujus praecepti partem pertinet, proferent Parochi maxima praemia, quae beneficis et largis, et in hac et in altera vita, daturum se Deus pollicetur.

## CAPUT IV.

*De frivolis furtorum excusationibus, et quomodo eis occurrendum* §. 664—666.

§. 664. Sed quia non desunt, qui etiam se in furtis excusent, admonendi sunt, fore, ut nullam eorum peccati excusationem accipiet Deus; imo vero futurum, ut illa purgatione non modo non levetur peccatum, sed mirum in modum augeatur. Ecce, nobilium hominum non ferendae deliciae, qui culpam extenuare sibi videntur, si se affirmarint, non cupiditate aut avaritia ad detrahendum alteri sua descendere, sed tuendae causa amplitudinis familiae et majorum suorum, quorum existimatio ac dignitas rueret, nisi rerum alienarum accessione fulciretur. Quibus perniciosus error eripiendus est, simulque demonstrandum, unam esse rationem conservandi et amplificandi copias et opes, majorumque gloriam, si Dei voluntati paruerint, si ejus praecepta servaverint, quibus contemptis, fundatae et optime constitutae opes evertuntur; reges ex regio solio et summo gradu honoris praecipites exturbantur; in quorum locum infimi interdum homines, et qui summo in odio illis fuerunt, divinitus vocantur. Incredibile est, quantopere his succenseat Deus, cujus rei testis est Jesaias, apud quem sunt illa Dei verba *(Jes. I, 23—25.)*: *Principes tui infideles, socii furum; omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Propter hoc ait Dominus Deus exercituum, fortis Israël: Heu, consolabor super hostibus meis, et vin-*

*dicabor de inimicis meis, et convertam manum meam ad te, et excoquam ad purum scoriam tuam.*

§. 665. Non desunt qui non jam illam afferant causam splendoris et gloriae, sed victus et vitae commodiorem facultatem et elegantiam Qui refellendi sunt docendique, quam impia sit eorum et actio et oratio, qui ullam commoditatem anteferant Dei voluntati et gloriae, quam, negligendo ejus praecepta, offendimus mirandum in modum. Etsi quae potest esse in furto commoditas, quod summa incommoda consequantur? *Super furem enim*, inquit Ecclesiasticus *(Eccles. V, 17.)*, *est confusio et poenitentia.* Sed fac esse, ut cum illis non agatur incommode. Dedecorat fur divinum nomen, repugnat ejus sanctissimae voluntati, salutaria ipsius praecepta contemnit. Quo ex fonte omnis error, omnis improbitas, omnis fluit impietas. Quid? quod audire licet interdum fures, qui nihil se eo peccare contendant, quod detrahant aliquid locupletibus et copiosis hominibus, qui ea detractione nihil damni faciant, ne sentiant quidem? misera sane et pestifera defensio. Putat alius satisfactionem suam accipi debere, quod eam furandi consuetudinem cepit, ut non facile possit ab illa mente et actione desistere, qui. nisi audierit Apostolum dicentem *(Ephes. IV, 28.)*: *Qui furabatur, jam non furetur;* velit nolit, etiam consuetudinem capiet aeternorum suppliciorum. Nonnulli sunt, qui excusant se, occasione data, alteri aliquid ademisse. Est enim illud tritum sermone proverbium: Fures, qui non sint, fieri occasione. Qui hac ratione sunt de nefaria sententia deducendi, resistendum esse pravis cupiditatibus. Nam si continuo est re perficiendum id, quod libido persuaserit; quis modus, quis finis erit scelerum ac flagitiorum? Turpissima igitur est illa defensio, vel summae potius intemperantiae et injustitiae confessio. Nam qui dicit, se non ideo peccare, quia nullam habet peccandi occasionem, idem propemodum fatetur, se semper, oblata occasione, peccaturum.

§. 666. Sunt, qui furari se dicant ulciscendi causa, quod ab aliis eadem injuria sint affecti. Quibus ita respondendum est: primum, nemini licere injurias persequi; deinde, non posse quemquam rei suae judicem esse; cum multo minus concedi, ut poenas ab aliis repetant eorum, quae alii in eum peccaverunt. Postremo, quidam

furtum satis illa ratione defensum tectumque arbitrantur, quod cum sint aere alieno oppressi, aliter eo liberari non possint, nisi illud furto dissolvant. Quibuscum ita agendum est, nullum esse gravius aes alienum, et quo magis prematur humanum genus, quam debitum illud, cujus in divina precatione quotidie meminimus: *Dimitte nobis debita nostra.* Quare illud insanissimi hominis esse, plus velle Deo debere, id est, plus peccare, ut quod debet hominibus, dissolvat, multoque praestare, conjici in carcerem, quam mandari suppliciis inferorum sempiternis; longe etiam esse gravius, Dei, quam hominum, judicio condemnari; porro autem supplices ipsos ad Dei opem ac pietatem confugere debere, a quo quid opus sit, possint impetrare. Sunt alia excusationum genera, quibus Parochi prudentes, ac sui officii diligentissimi, facile poterunt occurrere, ut aliquando habeant populum sectatorem bonorum operum.

## DE OCTAVO PRAECEPTO.

*Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*

### CAPUT I.

*Quam utile et necessarium sit hoc praeceptum, cujus duae sunt partes, altera vetans, jubens altera* §. 667. 668.*; quid nomine falsi testimonii, quod hic prohibetur, et proximi vocabulo significetur, quodque nec contra se, nec utilitatis causa, multo minus in detrimentum alterius, falsum testimonium aut mendacium dicere liceat* §. 668—670.

§. 667. Quantam non modo utilitatem, sed etiam necessitatem habeat assidua hujus et praecepti explicatio et officii admonitio, nos d. Jacobi monet autoritas illis verbis *(Jacob. III, 2. 5.)*: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir;* et idem: *Lingua modicum quidem membrum est, et magna exaltat; ecce quantus ignis quam magnam silvam incendit;* et quae sequuntur in eandem sententiam. Quibus duo monemur: primum, latissime patere hoc linguae vitium, quod etiam illa Prophetae sententia confirmatur *(Psalm. CXV, 2.)*:

*Omnis homo mendax*, ut propemodum sit unum hoc peccatum, quod ad omnes homines pertinere videatur. Alterum, inde proficisci mala innumerabilia, cum saepe maledici hominis culpa facultates, fama, vita, animae salus amittatur; vel ejus, qui laeditur, quod contumelias patienter ferre non possit, sed eas impotenti animo persequatur; vel ejus, qui laedit, quod pravo pudore et falsa cujusdam existimationis opinione deterritus, adduci non possit, ut illi, qui offensus sit, satisfaciat. Quare hoc loco monendi fideles erunt, ut quantas possunt maximas Deo gratias agant de hoc salutari praecepto non dicendi falsi testimonii, quo non solum ipsi aliis injuriam facere vetamur, sed etiam hac obedientia ab aliorum injuria prohibemur. Verum in hoc praecepto eadem ratione et via progrediendum est, qua in caeteris progressi sumus, ut videlicet animadvertantur in eo duae leges: altera prohibens, ne falsum dicatur testimonium; jubens altera, ut simulatione fallaciisque sublatis, dicta et facta nostra simplici veritate metiamur. Cujus officii Apostolus Ephesios illis verbis admonuit *(Ephes. IV, 15.)*: *Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia.*

§. 668. Sed prior hujus praecepti pars habet hanc rationem, ut quamvis nomine falsi testimonii significetur, quidquid in bonam vel in malam partem de altero constanter dicatur, sive in judicio sive extra judicium; tamen praecipue prohibeatur illud testimonium, quod in judicio falso dicitur a jurato: jurat enim per Deum testis, quod ita testificantis et divinum nomen interponentis oratio plurimum fidei habet et ponderis. Itaque, quia periculosum est hoc testimonium, idcirco praecipue prohibetur; juratos enim testes, nisi exceptionibus legitimis excludantur, aut eorum sit aperta improbitas atque perversitas, ne judex quidem ipse potest rejicere; praesertim cum extet jussum divinae legis *(Deuter. XIX, 15.)*, *ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.* Sed ut praeceptum fideles plane intelligant, docendi erunt, quid significet hoc proximi vocabulum, in quem falsum testimonium dicere minime licet. Est autem proximus, ut ex Christi Domini doctrina colligitur, quicunque eget opera nostra, sive ille propinquus sit, sive alienus, sive civis, sive advena, sive amicus, sive inimicus. Nefas enim est existimare, contra hostes licere falsum aliquid dicere pro testimonio, quos jussu

Dei ac Domini nostri diligere oporteat. Quin etiam, quia sibi quisque quadam ratione proximus est, nemini fas est in se falsum testimonium dicere, quod qui committunt, sibi ipsi notam inurentes ignominiae ac turpitudinis, et seipsos et Ecclesiam laedunt, cujus sunt membra, quo modo etiam, cum sibi mortem consciscunt, nocent civitati; ita enim est apud sanctum Augustinum *(Lib. I. de Civit. Dei, Cap.* 20.*)*: Nec recte intelligentibus poterat videri, non esse prohibitum, ut adversus seipsum quisquam falsus testis assisteret, eo quod in praecepto additum fuit, contra proximum tuum. Sed non ideo si adversus seipsum quisque falsum testimonium dixerit, ab hoc crimine se putet alienum, quando regulam diligendi proximi a semetipso dilector accepit.

§. 669. Verum quia prohibemur proximum laedere falso testimonio, nemo propterea contrarium permitti nobis arbitretur, ut pejerando liceat conciliare ei, qui nobiscum natura ac religione conjunctus sit, aliquid utilitatis aut commodi. Nemini enim mendacio et vanitati, multo minus periurio studendum est. Quare S. Augustinus de Mendacio ad Consentium docet ex Apostoli sententia, mendacium in falsis testimoniis numerandum esse, etiamsi in cujusquam falsa laude dicatur. Nam locum illum tractans: Invenimur autem et falsi testes Dei, si testimonium diximus adversus Deum, quod suscitarit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt: Falsum, inquit, testimonium vocat Apostolus *(1 Cor. XV,* 15.*)*, si quis de Christo, et quod ad ejus laudem videtur pertinere, mentiatur. Saepissime vero etiam contingit, ut qui alteri favet, obsit alteri. Certe errandi causa affertur judici, qui interdum falsis testibus adductus, contra jus secundum injuriam statuit et judicare cogitur. Nonnunquam etiam fit, ut qui ob falsum alicujus testimonium causam judicio vicerit, idque impune tulerit, exultans iniqua victoria, assuescat corrumpere et adhibere falsos testes, quorum opera sperat se posse ad id, quodcunque concupierit, pervenire. Est vero id et ipsi testi gravissimum, qui et ab eo, quem jurejurando sublevarit et adjuverit, falsus et perjurus agnoscitur, et ipse, quod ei e sententia succedit scelus, quotidie majorem exercitationem et consuetudinem capit impietatis et audaciae.

§. 670. Ut igitur testium vanitas, mendacia et perjuria prohibentur, sic et accusatorum, et reorum, et patronorum, cognitorum et procuratorum, advocatorum et omnium denique, qui judicia constituunt. Postremo vetat Deus omne testimonium, non modo in judicio, sed etiam extra judicium, quod alterius incommodum aut detrimentum possit afferre. Est enim in Levitico, quo loco haec praecepta iterantur, his verbis *(Levit. XIX, 11.)*: *Non facietis furtum, non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum.* Ut nemini dubium esse possit, quin a Deo omne mendacium hoc praecepto ejectum condemnetur. Quod apertissime testatur David in hunc modum *(Psal. V, 7.)*: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.*

## CAPUT II.

*De vitio detractionis, ejusque gravitate ac variis generibus* §. 671 — 673.; *de generibus mendaciorum, quae hoc praecepto prohibentur* §. 674.

§. 671. Prohibetur autem hoc praecepto non modo falsum testimonium, sed detestabilis etiam libido et consuetudo detrahendi alteri, qua ex peste incredibile est, quam multa et quam gravia et incommoda, et mala nascantur. Hoc vitium maledice et contumeliose dicendi occulte in alterum, passim improbant Divinae Literae. *Cum hoc*, inquit David *(Psalm. C, 5.)*, *non edebam;* et S. Jacobus *(Cap. IV, 11.)*: *Nolite detrahere alterutrum, fratres mei.* Nec vero praecepta solum Sacrae Literae, sed etiam exempla suppeditant, quibus sceleris magnitudo declaratur. Nam et Aman, confictis criminibus adeo incendit in Judaeos Assverum, ut is omnes ejus gentis homines imperarit occidi *(Ester XIII.)*. Referta est hujusmodi exemplis sacra historia, quorum commemoratione Sacerdotes operam dabunt, ut fideles a rei improbitate deterreant. Ut autem peccati hujus vis, quo de altero detrahitur, omnino perspiciatur, sciendum est, non tantum adhibenda calumnia offendi hominum existimationem, sed et augendis amplificandisque criminibus. Et si quid occultius ab aliquo commissum sit, quod ubi rescitum fuerit, grave aut turpe sit ad famam, eam rem qui, ubi, quando, quibus non necesse sit, pervulgarit, is obtrectator et maledicus jure dicitur. Verum totius obtrectationis nulla capitalior est, quam

eorum, qui catholicae doctrinae, ejusque Praedicatoribus obtrectant. In simili culpa sunt, qui malarum doctrinarum et errorum magistros extollunt laudibus. Nec vero ab horum hominum numero et culpa sejunguntur, qui detrahentibus et maledicentibus hominibus patefacientes aures, non reprehendunt obtrectatores, sed illis libenter assentiuntur. Detrahere enim vel detrahentem audire, scribunt sancti Hieronymus et Bernardus, utrum damnabilius sit, non facile constat. Non enim essent, qui detraherent, si non adessent, qui detrahentes audirent.

§. 672. In eodem genere sunt, qui suis artificiis distrahunt homines, et inter se committunt, magnopereque serendis discordiis delectantur, ut summas conjunctiones ac societates fictis sermonibus dirimentes, amicissimos viros ad immortales inimicitias, et ad arma compellant. Hanc pestem sic detestatur Dominus *(Levit. XIX, 16.)*: *Non eris criminator, neque susurro in populo.* Tales erant multi ex consiliariis Saulis, qui ejus voluntatem a Davide alienare, et in illum, Regem incitare conabantur *(1 Regg. XXIV et XXVI.)*. Peccant denique in hanc partem blandi homines et assentatores, qui blanditiis et simulatis laudibus influunt in aures, et in amicos eorum, quorum gratiam, pecuniam et honores aucupantur, *dicentes,* ut est apud Prophetam *(Jes. V, 20.)*, *malum bonum et bonum malum.* Quos ut arceamus et pellamus a consuetudine nostra, monuit nos David illa oratione *(Psalm. CXL, 5.)*: *Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Quanquam enim isti proximo minime maledicunt, tamen ei maxime nocent, qui vel laudandis ejus peccatis, afferunt ipsi causam perseverandi in vitiis, quamdiu vixerit. Et quidem in hoc genere illa est assentatio deterior, quae ad proximi calamitatem et perniciem adhibetur. Sic Saul, cum Davidem furori et ferro Philistaeorum objicere cuperet, ut occideretur, ei blandiebatur illis verbis *(1 Regg. XVIII, 17.)*: *Ecce filia mea major Merob, ipsam dabo tibi uxorem; tantummodo esto vir fortis; et praeliare bella Domini.* Sic Judaei insidiosa oratione Christum Dominum sunt affati *(Matth. XXII, 16.)*: *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces.* Longe autem perniciosior oratio est amicorum, affinium et cognatorum, qua ad eos interdum utuntur assentatorie, qui mortifero morbo

affecti, jam sint extremo spiritu; dum affirmant nullum esse tum ei a morte periculum; dum laetum et hilarem esse jubent, eumque a peccatorum confessione, tanquam a tristissima cogitatione, deterrent; dum denique ejus animum avertunt ab omni cura et meditatione extremorum periculorum, in quibus maxime versatur.

§. 673. Quare fugiendum est omne mendaciorum genus, sed illud inprimis, quo gravi damno quisquam affici possit. Plenissimum vero impietatis est mendacium, cum quis in religionem, vel de religione mentitur. Sed illis etiam maledictis et probris graviter offenditur Deus, quae committuntur libellis, quos famosos vocant, et aliis hujus generis contumeliis. Praeterea joco vel officii causa fallere mendacio, ut si nemo in illo vel damnum vel lucrum fecerit, tamen omnino indignum est; ita enim nos Apostolus admonet *(Ephes. IV, 25.): Deponentes mendacium, loquimini veritatem.* Nam in eo est ad frequens graviusque mendacium magna proclivitas, et ex jocosis mendaciis capiunt homines mentiendi consuetudinem, unde veniunt in opinionem, non esse veraces: quamobrem, ut fidem faciat eorum oratio, necese habent jurare perpetuo. Postremo priore parte hujus praecepti simulatio repudiatur, nec modo quae simulate dicuntur, sed quae ita fiunt, cum scelere conjuncta sunt. Tam enim verba, quam facta, notae ac signa quaedam sunt eorum, quae sunt in animo cujusque, ob eamque causam Dominus saepe Pharisaeos arguens, hypocritas appellat. Et haec de priore praecepti lege, quae ad vetandum spectat.

## CAPUT III.

*De secunda hujus praecepti parte, qua justitia unicuique inviolabiliter administranda praecipitur, seu de iis, quae judicibus, reis et sontibus, patronis causarum et advocatis, petitoribus et accusatoribus, denique omnibus fidelibus hac lege observanda praescribuntur* §. 674—676.

§. 674. Nunc explicemus, quid in altera jubeat Dominus. Pertinet autem haec praecepti vis et ratio ad id, ut juste et ex legibus forensia judicia exerceantur, neve occupent homines et usurpent judicia. Non enim

fas esse *alienum servum judicare*, ut scribit Apostolus *(Rom. XIV, 4.)*, ne re et causa incognita, sententiam ferant. Quo in vitio fuit Sacerdotum et Scribarum consilium, qui de sancto Stephano judicarunt *(Actor. VII.)*; quod item peccatum fuit magistratus Philippensium, de quibus inquit Apostolus *(Actor. XVI, 37.)*: *Caesos nos publice indemnatos, homines Romanos, miserunt in carcerem, et nunc occulte nos ejiciunt.* Ne condemnent innocentes, aut nocentes absolvant, ne pretio aut gratia, ne odio aut amore moveantur. Sic enim Moyses Seniores admonet, quos populi judices constituerat *(Deut. I, 16. 17.)*: *Quod justum est, judicate, sive civis sit ille, sive peregrinus; nulla erit distantia personarum: ita parvum audietis, ut magnum, nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est.*

§. 675. De Reis autem et Sontibus vult eos Deus verum confiteri, cum ex judicii formula interrogantur. Est enim testimonium ac praedicatio quaedam, illa confessio laudis et gloriae Dei, ex ipsius Josuae sententia, qui Achan ad veri confessionem adhortatus, inquit *(Jos. (VII, 19.)*: *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israël.* Sed quoniam hoc praeceptum Testes potissimum attingit, de his etiam a Parocho diligenter agendum erit. Nam praecepti ea vis est, ut non solum prohibeat falsum testimonium, sed verum etiam dici imperet. Est enim in humanis rebus maximus usus veri testimonii, quod sunt innumerabiles res, quas a nobis ignorari necesse sit, nisi eas ex testium fide cognoscamus. Quare nihil tam necessarium est, quam testimoniorum veritas in iis rebus, quas nec ipsi scimus, neque tamen licet ignorare. De quo exstat illa sancti Augustini *(Quaest. XI. Cap. 3.)* sententia: Qui veritatem occultat, et qui prodit mendacium, uterque reus est; ille, quia prodesse non vult, hic, quia nocere desiderat. Licet vero interdum verum tacere, sed extra judicium. Nam in judicio, ubi testis legitime interrogatur a judice, vera omnia patefacienda sunt. Quo loco cavendum tamen est testibus, ne suae memoriae nimium confisi, quod exploratum non habent, id pro certo affirment.

§. 676. Reliqui sunt Patroni causarum et Advocati, Actores deinceps et Petitores. Illi igitur opera ac patrocinio suo non deerunt necessariis hominum tempori-

bus et egentibus benigne subvenient, tum injustas causas defendendas non suscipient, neque calumnia lites protrahent, nec alent avaritia. Quod ad mercedem attinet laboris et operae suae, illa jure et aequo mentiantur. Petitores vero ac Accusatores monendi sunt, ne cuiquam amore aut odio, aut cupiditate aliqua adducti, periculum iniquis criminationibus creent. Jussum hoc denique divinitus descriptum est piis omnibus, ut in congressibus et colloquiis vere semper et ex animo loquantur; nihil dicant, quod alterius existimationi possit officere, ne de illis quidem, a quibus laedi se et exagitari intelligunt; cum illud propositum habere debeant, sibi cum illis eam necessitudinem et societatem intercedere, ut membra sint ejusdem corporis.

## CAPUT IV.

*Quam turpe, grave et perniciosum sit mendacium* §. 677. 678.; *de vitandis mendaciorum excusationibus, et quomodo iis occurrendum* §. 679. 680.

§. 677. Ut autem libentius hoc mendacii vitium caveant fideles, proponet eis Parochus summam hujus sceleris miseriam ac turpitudinem. Nam in Sacris Literis *(Joh. VIII, 44.)* mendacii pater Daemon dicitur. Quod enim *Daemon in veritate non stetit, mendax est, et mendacii parens.* Adjunget ad ejiciendum tantum flagitium ea mala, quae mendacium consequuntur. Et quoniam sunt innumerabilia, fontes et capita incommodorum et calamitatum commonstrabit. Ac primum, in quantam cadat Dei offensionem, quantumve ejus odium incurrat homo vanus et mendax Salomonis autoritate declarabit eo loco *(Prov. VI, 16—19.)*: *Sex sunt, quae odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus. Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem,* et quae sequuntur. Quis igitur ei praestet incolumitatem, qui in insigni odio sit apud Deum, quo minus gravissimis afficiatur suppliciis? Deinde, quid impurius aut foedius, ut sanctus inquit Jacobus *(Jacob. III, 9. 11.)*, quam *in eadem lingua, qua benedicimus Deum et Patrem, maledicere homines, qui ad imaginem et similitudinem Dei facti sunt, ita, ut fons de eodem*

*foramine emanet dulcem et amaram aquam?* Quae enim lingua prius laudem et gloriam Deo tribuebat, postea, quantum in ea est, eum ignominia afficit ac dedecore mentiendo. Quare fit, ut a coelestis beatitudinis possessione mendaces excludantur. Cum enim in hunc modum quaereret a Deo David (*Psalm. XIV*, 1. 2.): *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* respondit Spiritus Sanctus: *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum iu lingua sua.*

§. 678. Maximum vero etiam illud in mendacio incommodum est, quod fere est insanabilis is animi morbus. Cum enim peccatum, quod in ferendo falso crimine, aut proximi famae et existimationi obtrectando, commissum sit, non remittatur, nisi calumniator ei, quem criminatus fuerit, satisfaciat injuriarum, id autem difficile fiat ab hominibus; primo, ut antea monuimus, pudore et inani quadam dignitatis opinione deterritis; qui in eo peccato fit, hunc addictum esse aeternis inferorum poenis, dubitare non possumus. Neque enim quisquam speret, se calumniarum vel obtrectationis veniam consequi posse, nisi prius ei satisfaciat, de cujus dignitate et fama aut publice in judicio, aut etiam in privatis et familiaribus congressibus aliquid detraxerit. Praeterea latissime patet hoc detrimentum, et in caeteros diffunditur, qua vanitate et mendacio fides ac veritas tolluntur, arctissima vincula societatis humanae, quibus sublatis, sequitur summa vitae confusio, ut homines nihil a Daemonibus differre videantur. Docebit porro vitandam esse loquacitatem Parochus, cujus vitatione et reliqua peccata fugiuntur, et est magna cautio mendacii, a quo vitio loquaces sibi haud facile temperare possunt.

§. 679. Postremo iis illum errorem eripiet Parochus, qui se in vanitate orationis excusant, et mendacium prudentium exemplo defendunt, quorum esse ajunt, mentiri in tempore. Dicet id, quod verissimum est, prudentiam carnis mortem esse. Hortabitur auditores, ut in difficultatibus et angustiis Deo confidant, neque ad artificium mentiendi confugiant. Nam illi, qui utuntur perfugio, facile declarant, se sua magis niti prudentia, quam in Dei providentia spem ponere. Qui causam sui mendacii conferunt in eos, a quibus sunt mendacio decepti, hi docendi sunt, non licere hominibus seipsos ul-

cisci, neque malum malo conpensandum esse, sed potius vincendum in bono malum. Quod si etiam fas esset, hanc referre gratiam, nemini tamen utile, se suo ulcisci detrimento: esse aut id gravissimum detrimentum, quod mendacio dicendo facimus. Iis, qui afferunt humanae naturae imbecillitatem et fragilitatem, tradendum erit hoc officii praeceptum, ut divinum auxilium implorent, nec infirmitati humanitatis obtemperent. Qui consuetudinem opponunt, admonendi sunt, si mentiri assueverunt, ut dent operam, ut contrariam consuetudinem capiant vere loquendi; praesertim, cum qui usu et consuetudine peccant, gravius delinquant, quam caeteri.

§. 680. Et quoniam non desunt, qui se tegant excusatione caeterorum hominum, quos passim mentiri et pejerare contendunt, hac ratione illi ab ea opinione deducendi sunt, non esse imitandos malos, sed reprehendendos et corrigendos, cum autem ipsi mentimur, minus autoritatis in reprehensione et correctione alterius nostram habere orationem. Alios se ita defendentes, quod vera dicendo, saepe incommodo sint affecti, sic refellent Sacerdotes, esse illam accusationem, non defensionem, cum sit officium christiani hominis, quamvis potius facere jacturam, quam mentiri. Restant duo genera eorum, qui se in mendacio excusent: alteri, qui dicant, se joci causa mentiri; alteri se idem facere utilitatis, gratia quippe qui bene nec emerent, nec venderent, nisi mendacium adhiberent. Utrosque a suo errore Parochi avertere debebunt. Ac superiores quidem illos a vitio abducent, et docendo quantum eo in genere peccandi consuetudinem augeat usus mentiendi, et illud inculcando (*Matth. XII, 36.*): *Omnis otiosi verbi reddendam esse rationem;* proximos autem hos acerbius etiam objurgabunt, quorum in excusatione gravior insit illorum ipsorum accusatio, qui prae se ferant, se minime illis Dei verbis fidem et autoritatem tribuere (*Matth. VI, 33.*): *Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis.*

## DE NONO ET DECIMO PRAECEPTO.

*Non concupisces domum proximi tui: nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quae illius sunt.*

### CAPUT I.

*De duorum postremorum praeceptorum utilitate, conjunctione, dissimilitudine et necessitate* §. 681 — 683; *his praeceptis Dei erga nos pietatem demonstrari et legem Dei non externis rebus contentam esse, sed internam animi puritatem requirere, qua etiam ratione ipsa a legibus humanis distinguitur* §. 684. 685.

§. 681. In his duobus praeceptis, quae postremo loco tradita sunt, illud inprimis sciendum est, rationem fere constitui, qua caetera praecepta serventur. Nam quod his verbis praescriptum est, eo spectat, ut si quis studet superiora legis jussa servare, hoc maxime faciat, ne concupiscat, quoniam qui non concupiscet, suis contentus, aliena non appetet, aliorum commodis gaudebit, Deo immortali gloriam tribuet, gratias eidem maximas aget, Sabbathum colet, id est, quiete perpetua fruetur, majoresque venerabitur, neminem denique, neque re, neque verbis, neque ullo alio modo laedet. Nam stirps ac semen malorum omnium est prava concupiscentia, qua qui incensi sunt, praecipites feruntur in omne flagitiorum et scelerum genus. His animadversis et Parochus in iis, quae sequuntur, tradendis diligentior et fideles ad audiendum erunt attentiores.

§. 682. Sed quamquam haec duo praecepta conjunxerimus, propterea quod, cum non dissimile sit eorum argumentum, eandem docendi viam habent: Parochus tamen et cohortando et monendo poterit communiter vel separatim, ut commodius sibi videbitur, ea tractare. Sin autem Decalogi interpretandi munus susceperit, demonstrabit, quae sit horum duorum praeceptorum dissimilitudo, quidve una concupiscentia ab altera differat, quam differentiam libro Quaestionum in Exodum d. Augustinus declarat. Nam ex iis altera solum spectat, quid utile sit, quid fructuosum: alteri propositae sunt libi-

dines et voluptates. Si quis igitur fundum aut domum concupiscit, is lucrum potius et quod utile est, consectatur, quam voluptatem, si vero alienam uxorem appetit, non utilitatis, sed voluptatis cupiditate ardet.

§. 683. Verum horum praeceptorum duplex fuit necessitas: altera, ut sexti septimique praecepti sententia explicaretur. Nam etsi quodam naturae lumine intellectum est, alienae uxoris potiundae cupiditatem prohiberi vetito adulterio: nam si concupiscere liceret, fas item esset potiri: tamen plerique ex Judaeis, peccato obcaecati, in eam opinionem adduci non poterant, ut crederent, id a Deo prohibitum esse, imo vero, lata et cognita hac Dei lege, multi, qui se legis esse interpretes profitebantur, in eo errore versati sunt, id quod animadvertere licet ex illo Domini sermone apud S. Matthaeum *(Matth. V, 27)*: *Audistis, quia dictum est antiquis: Non moechaberis, ego autem dico vobis*, et quae sequuntur. Altera est horum praeceptorum necessitas, quod aliqua distincte, explicateque vetantur, quae sexto et septimo explicite non prohibebantur. Nam, exempli causa, septimum praeceptum prohibuit, ne quis injuste concupiscat aliena, aut eripere conetur. Hoc autem vetat, ne ullo modo quis concupiscat, etsi jure legeque assequi id possit, ex cujus adeptione proximo damnum importari videat.

§. 684. Sed illud inprimis, antequam ad praecepti explicationem veniamus, fideles docendi erunt, nos hac lege non ad id solum institui, ut cupiditates nostras cohibeamus: sed etiam Dei erga nos pietatem, quae immensa est, cognoscamus. Nam cum superioribus legis praeceptis nos quibusdam quasi praesidiis munisset, ne quis nos ipsos, aut nostra violaret, hoc adjuncto praecepto, illud maxime providere voluit, ne appetitionibus nostris ipsi laederemur, quod facile futurum fuit, si omnia cupere atque optare, liberum nobis atque integrum esset. Hac igitur non concupiscendi lege praescripta, illud a Deo provisum est, ut cupiditatum aculei, quibus ad perniciosa quaeque incitari solemus, hujus legis vi quodammodo excussi, nos minus urgeant, majusque propterea temporis spatium nos molesta illa cupiditatum sollicitudine liberati, ad ea praestanda pietatis et religionis officia habeamus, quae ipsi Deo multa, maximaque debemus.

§. 685. Neque id solum haec lex nos docet, verum etiam illud ostendit, legem Dei ejusmodi esse, quae non externis solum munerum functionibus, sed etiam intimo animi sensu servanda sit. Hocque inter divinas et humanas leges interest, quod hae rebus tantum externis contentae sunt; illae vero, quoniam animum Deus intuetur, ipsius animi puram sinceramque castitatem atque integritatem requirunt. Est igitur divina lex, quasi speculum quoddam, in quo naturae nostrae vitia intuemur. Quamobrem dixit Apostolus *(Rom. VII, 7.)*: *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.* Cum enim concupiscentia, id est, peccati fomes, qui ex peccato originem habuit, perpetuo nobis infixus inhaereat, ex hoc agnoscimus, in peccato nos nasci: quapropter supplices ad eum confugimus, qui solus potest peccati sordes eluere.

## CAPUT II.

*Quid sit concupiscentia, quaeque concupiscentiae non sint in vitio, nec vetitae* §. 686. 687; *quae cupiditas damnata sit atque prohibita et quas ob causas* §. 688. 689.

§. 686. Habent autem haec singula praecepta illud cum caeteris commune, ut partim aliquid vetent, partim jubeant. Quod ad prohibendi vim attinet, ne quis forte arbitretur, concupiscentiam illam, quae vitio caret, aliquo modo vitium esse; ut concupiscere spiritum adversus carnem (*Gal. V,* 17.), vel expetere justificationes Dei in omni tempore id quod David summopere cupiebat *(Palm. CXVIII.)*, Parochus doceat, quae concupiscentia illa sit, quam hujus legis praescripto fugere oporteat. Quare sciendum est, concupiscentiam esse commotionem quandam, ac vim animi, qua impulsi homines, quas non habent, res jucundas appetunt. Et quemadmodum reliqui animi nostri motus non perpetuo mali sunt, ita haec concupiscendi vis non semper in vitio est ponenda. Neque enim propterea malum est, si cibum, aut si potum appetimus, aut cum frigemus, si calescere, aut contra, cum calemus, si frigescere cupimus. Et quidem recta haec concupiscendi vis, Deo autore, nobis a natura insita est; sed primorum parentum nostrorum peccato factum est, ut illa naturae fines transiliens, usque adeo depravata

sit, ut ad ea concupiscenda saepe incitetur, quae spiritui ac rationi repugnant.

§. 687. Quin etiam haec vis, si moderata est suisque finibus continetur, saepe etiam non mediocres utilitates praebet. Nam illud primum efficit, ut assiduis precibus Deum oremus, supplicesque ab eo petamus quae maxime cupimus. Oratio enim cupiditatis nostrae interpres est. Quod si recta haec concupiscendi vis abesset, non tam multae preces essent in Ecclesia Dei. Efficit praeterea, ut chariora sint nobis Dei munera: quo enim vehementiori alicujus rei cupiditate flagramus, eo charior illa nobis res est atque jucundior, cum eam adepti sumus; tum vero delectatio ipsa, quam ex re concupita sentimus, facit, ut majore pietate gratias Deo agamus. Itaque si concupiscere aliquando licet, fateamur necesse est, non omnem concupiscendi vim prohibitam esse. Et quamquam d. Paulus *(Rom. VII, 8.)* *cupiscentiam peccatum esse* dixit, id in eam tamen sententiam accipiendum est, in quam Moyses locutus est, cujus ille testimonium affert: id quod ipsius Apostoli oratio declarat. Nam illam carnis concupiscentiam vocat in Epistola ad Galatas *(Galat. V, 16.)*: *Spiritu*, inquit, *ambulate et desideria carnis non perficietis.* Naturalis igitur illa cupiditatis vis et moderata, quae fines suos non egreditur, non vetatur: multoque minus spiritualis illa rectae mentis cupiditas, qua ad eorum appetitionem incitamur, quae carni repugnant. Ad hanc ipsam enim Sacrae Literae nos adhortantur *(Sapient. VI, 12.)*: *Concupiscite sermones meos;* et *(Eccles. XXIV, 26.)*: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me.*

§. 688. Itaque hoc interdicto non ipsa concupiscendi vis, qua tum ad bonum, tum ad malum uti libet, sed usus pravae cupiditatis, quae carnis concupiscentia et peccati fomes vocatur; ac si animi assensionem adjunctam habeat, semper in vitiis numeranda est, omnino prohibetur. Ergo ea tantum concupiscendi libido vetita est, quam *carnis concupiscentiam* vocat Apostolus *(Gal. V, 17.)*, illi scilicet concupiscendi motus, qui nullum rationis modum habent, neque finibus a Deo constitutis continentur. Haec cupiditas damnata est, vel quia malum appetit, veluti adulteria, ebrietates, homicidia et alia ejusmodi nefaria scelera. De quibus ita Apostolus (1 *Cor. X, 6.)*: *Non simus*, inquit, *concupiscentes ma-*

*lorum, quemadmodum et illi concupierunt;* vel quia, etsi res natura sua malae non sunt, causa tamen aliunde exstat, quare illas concupiscere nefas sit. Quo in genere sunt ea, quae ne possideamus Deus aut Ecclesia prohibet: non enim ea nobis appetere licet, quae possidere omnino nefas sit, qualia olim in Veteri Lege fuerunt aurum et argentum, ex quibus idola conflata erant, quae Dominus in Deuteronomio vetuit, ne quis concupisceret.

§. 689. Ob eam praeterea causam haec cupiditas vitiosa prohibetur, quoniam, quae appetuntur, aliena sunt; ut domus, servus, ancilla, ager, uxor, bos, asinus et alia multa, quae cum aliena sint, ea concupiscere vetat divina lex: rerumque ejusmodi cupiditas nefaria est, et in peccatis gravissimis numeratur, cum illis concupiscendis animi praebetur assensus. Nam tum peccatum natura existit, cum post malarum cupiditatum impulsum animus rebus pravis delectatur, atque his vel assentitur, vel non repugnat: id quod d. Jacobus, cum peccati originem et progressionem ostendit, illis verbis docet *(Jac. I, 14. 15.)*: *Unusquisque a concupiscentia sua abstractus et illectus; deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum vero, cum cousummatum fuerit, generat mortem.* Cum igitur lege ita caveatur: Non concupisces; haec verba ad eum sensum referuntur, ut nostras cupiditates a rebus alienis cohibeamus. Alienarum enim rerum cupiditatis sitis immensa est atque infinita, neque unquam satiatur, ut scriptum est *(Eccles. V, 9.)*: *Avarus non implebitur pecunia.* De quo ita est apud Jesaiam *(Jes. V, 8.)*: *Vae, qui conjungitis domum ad domum et agrum agro copulatis.*

## CAPUT III.

*Quae sit verborum utriusque praecepti sententia et quae per ea prohibeantur* §. 690—692.

§. 690. Sed ex singularum vocum explicatione facilius intelligetur hujus peccati foeditas et magnitudo. Quare Parochus docebit, domus vocabulo, non locum modo quem incolimus, sed universam haereditatem significari, ut ex divinorum Scriptorum usu consuetudineque cognoscitur. In Exodo scriptum est *(Exod. I, 21.)*: *Obstetricibus a Domino domos esse aedificatas.* Sententia eo spectat, ut illarum facultates ab eo auctas esse

atque amplificatas, interpretemur. Ex hac igitur interpretatione animadvertimus, hac praecepti lege vetitum nobis esse, ne divitias avide expetamus, neque alienis opibus, potentiae, nobilitati invideamus, sed statu nostro, qualis qualis ille sit, sive humilis sive excelsus, contenti simus. Alienae deinde gloriae appetitionem vetitam esse, intelligere debemus. Nam hoc item ad domum pertinet. Quod vero sequitur, non bovem, non asinum: id ostendit, non solum quae magna sunt, ut domus, nobilitas et gloria, ea, cum aliena sint, concupiscere nobis non licere: sed etiam parva, qualia illa sint, sive animata sive inanimata.

§. 691. Sequitur deinceps, neque servum: quod intelligendum est tam de captivis, quam de reliquo genere servorum, quos, ut caetera alterius bona, concupiscere non debemus. Liberos vero homines, qui voluntate serviunt, vel mercede conducti, vel amore observantiaque impulsi, nullo modo neque verbis, neque spe, neque pollicitationibus, neque praemiis quis corrumpere aut sollicitare debet, ut eos deserant, quibus se ipsi sponte addixerunt: imo vero, si ante id tempus, quo se in illorum famulatu fore promiserant, ab illis recesserint hujus praecepti autoritate admonendi sunt, ut ad eos ipsos omnino revertantur. Quod autem in praecepto mentio fit proximi, id eo pertinet, ut hominum vitium demonstretur, qui vicinos agros, aut proximas domos, aut aliam rem ejusmodi, quae secum continens sit, appetere solent. Vicinitas enim, quae in parte amicitiae ponitur, ab amore ad odium, cupiditatis vitio, traducitur. Hoc vero praeceptum ii minime violant, qui res, quas proximi venales habent, emere de illis cupiunt, aut justo pretio emunt: ii enim non modo proximum non laedunt, sed valde adjuvant, cum ei pecunia majori commodo, usuique futura sit, quam res illae, quas ipse venditat.

§. 692. Hanc de re aliena non concupiscenda legem altera sequitur, quae prohibet, ne alienam concupiscamus uxorem. Qua lege concupiscendi libido non ea quidem tantum prohibita censetur, qua adulter alterius uxorem in matrimonium ducere concupiscit. Eo enim tempore, cum repudii permittebatur libellus, illud facile evenire poterat, ut quae ab uno repudiata esset, eam alter uxorem acciperet. At hoc Dominus vetuit, ne aut

mariti ad uxores relinquendas sollicitarentur, aut uxores maritis difficiles se ac morosas ita praeberent, ut eam ob causam, quaedam quasi necessitas viris imponeretur illas repudiandi. Nunc vero gravius est peccatum, cum mulierem, etiamsi a viro repudiata sit, alteri in matrimonium ducere non liceat, nisi marito mortuo. Itaque, qui alterius uxorem concupiscet, facile ex una in aliam incidet cupiditatem: aut enim illius virum mori, aut adulterium admittere cupiet. Atque hoc idem de iis mulieribus dicitur, quae alteri desponsatae sunt. Neque enim has item concupiscere licet, cum ii, qui haec pacta rescindere student, violent sanctissimum fidei foedus. Et quemadmodum quae alteri nupta est, eam concupiscere omnino nefas est; sic quae ad Dei cultum, religionemque est consecrata, nullo pacto licet illam uxorem appetere. Si vero quis mulierem, quae nupta est, cum eam innuptam esse opinetur, uxorem sibi dari concupiscit, neque si in matrimonium alii collocatam intelligeret, eam nuptam sibi dari cuperet, id quod Pharaoni et Abimelech contigisse legimus *(Genes. XII, 20.)*, qui Saram in matrimonio habere concupierunt, cum eam minime nuptam, Abrahaeque sororem, non uxorem, arbitrarentur; ille certe, qui eo animo est, ejusmodi praecepti legem violare non videtur.

## CAPUT IV.

*De opportunis remediis, iisque quae adversus concupiscentiarum ardorem hic jubentur* §. 693. 694; *de praecipuis concupiscentiae vitiis, vel de iis qui potissimum hoc cupiditatis vitio laborant* §. 695.

§. 693. Sed ut Parochus remedia patefaciat, quae ad tollendum hoc cupiditatis vitium accommodata sunt, explicare alteram praecepti rationem debet, quae in eo consistit, ut si divitiae affluant, cor non apponamus, easque pietatis et divinarum rerum studio abjicere parati simus et in sublevandas pauperum miserias libenter pecuniam erogemus; si desint facultates, egestatem aequo et hilari animo feramus. Et quidem si rebus nostris dandis liberalitate utemur, rerum alienarum cupiditates restinguemus. De paupertatis autem laudibus divitiarumque despicientia, in Sacris Literis et apud sanctos Patres facile erit Parocho multa colligere et fideli populo tar-

dere. Hac idem lege praecipitur, ut ardenti studio summaque cupiditate optemus id potissimum effici, non quod nos concupiscimus, sed quod Deus vult, quemadmodum Domini oratione exponitur. Voluntas autem Dei in eo maxime est, ut nos singulari quodam modo sancti efficiamur, animumque nostrum sincerum, atque ab omni labe purum, integrumque conservemus, et exerceamus nos in iis mentis ac spiritus officiis, quae corporis repugnant sensibus, horumque edomitis appetitionibus, ratione ac spiritu duce, rectum vitae cursum teneamus, quive praeterea sensus materiam cupiditatibus nostris, libidinique praebent, eorum vim maxime reprimamus.

§. 694. Sed ad hunc cupiditatum ardorem restinguendum, plurimum etiam hoc potest, si quae incommoda ex illis accidunt, ea nobis ob oculos proponamus. Primum vero illud incommodum est, quod, quoniam ejusmodi cupiditatibus paremus, in anima nostra regnat summa peccati vis ac potestas. Quamobrem monuit Apostolus (*Rom. VI,* 12.): *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Nam quemadmodum, si cupiditatibus resistimus, peccati vires concident, ita si iisdem succumbimus, Dominum a regno suo expellimus et in ejus locum peccatum introducimus. Alterum praeterea incommodum est, quod ab hac concupiscendi vi, veluti fonte quodam, omnia peccata manant, ut d. Jacobus docet, d. item Johannes (1 *Joh. II,* 16.): *Omne,* inquit, *quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae.* Tertium incommodum in eo est, quoniam rectum animi judicium his cupiditatibus obscuratur; homines enim iis cupiditatum tenebris obcaecati, honesta et praeclara putant omnia, quaecunque ipsi concupiscunt. Opprimitur praeterea concupiscendi vi verbum Dei, quod in animis nostris a magno illo agricola Deo insitum est. Sic enim apud d. Marcum scriptum est (*Marc. IV,* 18. 19.): *Alii sunt, qui in spinis seminantur: hi sunt, qui verbum audiunt, et aerumnae seculi, et deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiae introeuntes, suffocant verbum, et sine fructu efficitur.*

§. 695. Jam vero, qui prae caeteris hoc cupiditatis vitio laborant, quosque propterea Parochus ad colendum hoc praeceptum diligentius cohortari debet, illi sunt, qui lusionibus non honestis delectantur, aut qui

ludis immoderate abutuntur; mercatoresque item, qui rerum penuriam annonaeque caritatem expetunt, atque id aegre ferunt, ut alii praeter ipsos sint, qui vendant aut emant, quo carius vendere, aut vilius emere ipsi possint, qua in re item peccant, qui alios egere cupiunt, ut aut vendendo, aut emendo ipsi lucrentur. Peccant etiam milites, qui bellum expetunt ut furari ipsis liceat; Medici item, qui morbos desiderant; Jureconsulti, qui causarum litiumque vim copiamque concupiscunt; tum Artifices, qui quaestus avidi, omnium, quae ad victum cultumque pertinent, penuriam exoptant, ut inde plurimum lucri faciant. In hoc praeterea genere, graviter ii peccant, qui alienae laudis, gloriaeque avidi atque appetentes sunt, non sine aliqua famae alterius obtrectatione, idque praesertim, si qui illam appetunt, ignavi nulliusque pretii homines sunt: fama enim et gloria, virtutis atque industriae, non ignaviae aut inertiae praemium est.

---

# LIBER QUARTUS.

# D E O R A T I O N E.

---

## DE ORATIONE IN GENERE.

### CAPUT I.

*Quam necessaria sit tractatio explicatioque Orationis, maxime Dominicae, quam omnibus notam esse, memoriaque tenere oportet* §. 696.

§. 696. In officio et munere pastorali cum primis necessaria est ad salutem fidelis populi, praeceptio christianae precationis; cujus vim ac rationem multos necesse est ignorare, nisi pia et fideli Pastoris diligentia tradita sit. Quamobrem praecipua Parochi cura versari debet in eo, ut pii auditores intelligant, quid a Deo et quo modo orandum sit. Omnes autem necessariae precationis numeros continet divina illa formula, quam

Christus Dominus Apostolis et per illos eorumque successores omnibus deinceps, qui christianam religionem susciperent, notam esse voluit. Cujus verba atque sententias sic anima ac memoria comprehendere oportet, ut in promptu habeamus. Ut autem in hac orandi ratione suppeditet Parochis facultas instituendi fideles auditores, quae magis opportuna visa sunt, hic proposuimus, sumpta ab iis Scriptoribus, quorum in genere doctrina et copia maxime laudatur. Nam reliqua, si opus fuerit, Pastores ex eisdem fontibus haurire poterunt.

## CAPUT II.

### *De necessitate Orationis* §. 697. 698.

§. 697. Primum igitur docendum est, quam sit Oratio necessaria, cujus praeceptum non solum consilii causa traditum est, sed etiam necessarii jussi vim habet. Quod a Christo Domino declaratum est illis verbis *(Luc. XVIII, 5.): Oportet semper orare.* Hanc orandi necessitatem ipsa, etiam illo Dominicae Precationis quasi prooemio, ostendit Ecclesia: Praeceptis salutaribus moniti et divina institutione formati, audemus dicere. Itaque cum esset necessaria precatio christianis hominibus et illud a discipulis ipse rogatus esset *(Luc. XI, 5.): Domine, doce nos orare,* praescripsit eis orandi formam Dei filius et spem attulit impetrationis eorum, quae postularent et ipse documentum fuit precationis, qua non solum utebatur assidue, sed etiam in ea pernoctabat. Cujus deinde officii iis, qui se ad Jesu Christi fidem contulissent, Apostoli praecepta tradere non destiterunt. Nam sancti et Petrus et Johannes, de ea diligentissime pios admonent *(1 Petr. III, 7. 1 Joh. V, 14.)*, et ejus rationis memor Apostolus, pluribus locis *(1 Thess. V, 17. Philipp. IV, 6. Coloss. IV, 2.)* Christianos hortatur ad salutarem orandi necessitatem.

§. 698. Praeterea tam multis indigemus bonis et commodis, ad animum et corpus tuendum necessariis, ut ad precationem confugere oporteat, tanquam ad unam omnium optimam et indigentiae nostrae interpretem et conciliatricem eorum, quibus egemus. Nam cum nihil cuique debeat Deus, reliquum profecto est, ut quae nobis opus sunt, ab eo precibus expetamus; quas preces tanquam instrumentum necessarium nobis dedit ad id,

quod optaremus, consequendum, praesertim cum quaedam esse constet, quae nisi ejus adjumento non liceat impetrare. Habent enim sacrae preces praestantem illam virtutem, qua maxime Daemones ejiciuntur. Est enim quoddam Daemoniorum genus, quod non ejicitur, nisi jejunio et oratione *(Matth. XVII, 20.)*. Quare magnam sibi adimunt facultatem singularium donorum, qui hanc consuetudinem, exercitationemque non adhibent pie ac diligenter orandi. Petitione enim non solum honesta, sed etiam assidua opus est ad impetrandum, quod concupiscas. Nam, ut inquit S. Hieronymus *(in Cap. VII. Matthaei)*, scriptum est: Omni petenti datur. Ergo si tibi non datur, ob id non datur, quia non petis: Petite ergo et accipietis.

## CAPUT III.

### *De utilitate Orationis* §. 699 — 704.

§. 699. Habet autem haec necessitas jucundissimam utilitatem, quae fructus ex se edit uberrimos, quorum copiam sument Pastores a Sacris Scriptoribus, cum opus erit illos impertiri fideli populo. Nos ex ea copia aliquot elegimus, quos huic tempori accommodatos duximus. Primus autem fructus, quem inde capimus, est is, quod orantes Deo honorem habemus, siquidem est quoddam religionis argumentum Oratio, quae in divinis literis thymiamati comparatur. *Dirigatur* enim, inquit Propheta *(Psalm. CXL, 2.)*, *oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Quare nos hac ratione Deo subjectos esse profitemur, quem bonorum omnium autorem agnoscimus et praedicamus, in quem solum spectamus, quod unum incolumitatis salutisque praesidium, atque perfugium habemus. Hujus fructus illis etiam verbis admonemur *(Psalm. XLIX, 15.)*: *Invoca me in die tribulationis; eruam te et honorificabis me.*

§. 700. Sequitur fructus amplissimus et jucundissimus Orationis, cum a Deo preces audiuntur: Est enim, ex S. Augustini sententia *(Serm. CCXXVI. de temp.)*, coeli clavis Oratio. Nam adscendit, inquit, precatio et descendit Dei miseratio. Licet alta sit terra, altum coelum, audit tamen Deus hominis linguam. Cujus orandi muneris tanta vis est, tanta utilitas, ut ea re coelestium donorum amplitudinem consequamur. Nam et

impetramus nobis, ut ducem et adjutorem adhibeat Spiritum Sanctum, et fidei assequimur conservationem et incolumitatem, et vitationem poenarum, et divinum patrocinium in tentationibus, et ex Diabolo victoriam. Omnino inest in precatione singularis gaudii cumulus. Quamobrem sic loquebatur Dominus *(Joh. XVI, 24.)*: *Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Nec vero, quin huic petitioni praesto sit et occurrat Dei benignitas, ullus relictus est dubitandi locus. Quod multa comprobant Divinae Scripturae testimonia, quae, quia sunt in promptu, illa modo apud Jesaiam exempli causa attingemus *(Jes. LVIII, 9.)*: *Tunc* enim, inquit, *invocabis, et Dominus exaudiet; clamabis, et dicet: Ecce adsum;* et rursus *(Jes. LXV, 24.)*: *Eritque antequam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Exempla autem eorum, qui Deum exoraverunt, quia propemodum sunt et infinita, et posita ante oculos, omittimus.

§. 701. At interdum fit, ut quae petimus a Deo, non impetremus. Ita est: sed tum maxime prospicit utilitati nostrae Deus, vel quod alia nobis majora et ampliora bona impertitur, vel quod nec necessarium nobis est, nec utile, quod petimus; imo vero fortasse supervacaneum id futurum sit, si dederit, atque pestiferum. Quaedam enim, inquit sanctus Augustinus *(Serm. LIII. de verbis Domini)*, negat propitius Deus, quae concedit iratus. Nonnunquam etiam fit, ut adeo remisse ac negligenter oremus, ut ne ipsi quidem, quod dicimus, attendamus. Cum autem sit Oratio mentis adscensus ad Deum, si in orando animus, qui ad Deum referri debet, peregrinatur, nulloque studio, nulla adhibita pietate, temere precationis verba funduntur, quo modo inanem hujus Orationis sonitum, christianam precationem esse dicemus? Quare minime mirum est, si Deus nostrae non obsequitur voluntati, cum vel ipsi nolle id nos, quod petimus, pene probemus nostrae negligentia et ignoratione precationis, vel postulemus ea, quae nobis sunt obfutura. Contra vero scienter ac diligenter petentibus multo plus tribuitur, quam a Deo postulaverint. Quod et Apostolus testatur in Epistola ad Ephesios *(Cap. III. 20.)*, et illa prodigi filii similitudine declaratur *(Luc. XV.)*, qui praeclare secum actum existimaturus fuit, si in loco mercenarii famuli eum habuisset pater. Et si recte cogitantibus, non solum postulantibus nobis cumulat gra-

tiam suam Deus, non modo munerum copia, sed etiam celeritate tribuendi. Quod ostendunt Divinae Literae, cum illa utuntur loquendi formula *(Psalm. IX, 17.)*: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Intimis enim et tacitis egentium studiis, ne exspectata quidem eorum voce, Deus occurrit.

§. 702. Accedit eo etiam ille fructus, quod orando animi virtutes et exercemus et augemus, maxime vero fidem. Ut enim rite illi non orant, qui fidem Deo non habent (*quomodo* enim, inquit, *invocabunt, in quem non crediderunt?*) sic fideles, quo studiosius orant, eo majorem ac certiorem fidem habent divinae curae ac providentiae, quae potissimum id requirit a nobis, ut ad se de iis, quae nobis opus sunt, referentes, omnia postulemus. Posset vero Deus non petentibus, ne cogitantibus quidem, abunde nobis omnia largiri, quo modo et animantibus rationis expertibus cuncta suppeditat ad usus vitae necessarios, sed beneficentissimus parens vult a filiis invocari, vult nos quotidie rite petendo, petere fidentius, vult impetratis iis, quae postulamus, indies magis testificari ac praedicari suam in nos ipsos benignitatem.

§. 703. Amplificatur etiam charitas: nam illum autorem agnoscentes omnium bonorum utilitatumque nostrarum, quanta eum possumus maxima charitate amplectimur; et ut amantes, colloquio et congressu magis ad amorem incenduntur, sic pii homines, quo saepius Deo facientes preces, et ejus implorantes benignitatem, quasi cum ipso colloquuntur, eo majori in singulas precationes affecti laetitia, ad eum amandum et colendum incitantur ardentius. Propterea nos hac uti vult exercitatione precationis, ut flagrantes petendi studio, quod optamus, tantum ea assiduitate et cupiditate proficiamus, ut digni simus, in quos illa conferantur beneficia, quae antea jejunus et angustus animus noster capere non poterat. Vult praeterea nos id, quod est, intelligere ac prae nobis ferre, si gratiae coelestis auxilio deseramur, nostra opera nihil consequi posse, proptereaque toto animo ad orandum incumbere.

§. 704. Valent autem maxime haec tanquam orationis arma, contra naturae nostrae hostes acerrimos. Inquit enim sanctus Hilarius *(in Psalm. CIII.)*: Adver-

sus Diabolum armaque ejus orationum nostrarum sonitu certandum est. Praeclarum praeterea illum Orationis fructum assequimur, quod, cum proclives simus ad malum, et ad libidinis varios appetitus vitio infirmitatis ingenitae, patitur se nostris cogitationibus concipi, ut dum illum oramus, et mereri ejus contendimus munera, accipiamus innocentiae voluntatem, et ab omni labe, delictorum omnium amputatione, purgemus. Postremo ex sancti Hieronymi *(in Cap. 7. Jerem. super illud: Non obsistas mihi)* sententia, irae divinae resistit Oratio. Itaque sic ad Moysem locutus est Deus (*Exod. XXXII, 10.*): *Dimitte me*; cum quidem poenas eum ab illo populo petere volentem, precibus impediret; nihil enim est, quod aeque Deum leniat iratum, aut etiam paratum ad plagas sceleratis inferendas, aeque retardet et revocet a furore, ac preces piorum hominum.

## CAPUT IV.

*De duabus praecipuis Orationis partibus* §. 705.; *de gradibus utriusque partis* §. 706—708.

§. 705. Exposita necessitate et utilitate christianae precationis, scire praeterea oportet fidelem populum, quot et quibus partibus ea constet Oratio; id enim ad hujus officii perfectionem pertinere testatur Apostolus, qui in Epistola ad Timotheum *(Cap. II, 1.)* cohortans ad pie sancteque orandum, orationis partes diligenter enumerat: *Obsecro*, inquit, *primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Quod vero subtilis quaedam est harum differentia partium, si ejus explicationem auditoribus Parochi conducere existimabunt, consulent inter caeteros S. Hilarium et Augustinum. Sed quoniam duae sunt praecipue partes orationis, postulatio et gratiarum actio, a quibus, tanquam a capite, manant reliquae, minime eas praetermittendas duximus. Nam ad Deum accedimus, ut cultum ei ac venerationem adhibentes, vel ab eo aliquid impetremus, vel ipsi de beneficiis, quibus assidue ab ejus benignitate ornamur et augemur, gratias agamus. Utramque hanc, maxime necessariam partem Orationis, Deus ipse pronuntiavit ore Davidis illis verbis *(Psalm. XLIX, 15.)*: *Invoca me in die tribulationis, eruam te, et honorificabis me.* Quantum autem egeamus

divinae liberalitatis ac bonitatis, quis ignorat, modo summam hominum egestatem et miseriam intueatur? Quam vero sit propensa Dei voluntas in genus humanum, quam effusa in nos benignitas, omnes intelligunt, qui sensu oculorum et mente praediti sint. Nam quocunque oculos conjicimus, quocunque nos cogitatione convertimus, nobis admirabilis lux divinae beneficentiae ac benignitatis oboritur. Quid enim habent homines, quod a Dei largitate profectum non sit? et si omnia sunt ejus dona ac munera bonitatis, quid est, quod non omnes pro viribus beneficentissimum Deum laudibus celebrent, et gratiarum actione prosequantur?

§. 706. Sed utriusque officii et petendi aliquid a Deo, et ei gratias agendi, multi sunt gradus, quorum alius alio est altior atque perfectior. Ut igitur fidelis populus non solum oret, sed etiam optime fungatur illo munere Orationis, proponent ei Pastores summam perfectamque orandi rationem, et ad eam quam diligentissime poterunt, hortabuntur. Sed quinam est optimus orandi modus, et summus precationis gradus? Nempe is, quo pii et justi homines utuntur, qui freti verae fidei stabili fundamento, quibusdam optimae mentis orationisque gradibus in illum locum perveniunt, ex quo infinitam Dei potentiam, immensam benignitatem ac sapientiam contemplari possunt, ubi etiam in spem certissimam veniunt, se et quidquid petierint in praesentia, et illam inexplicabilium bonorum vim consecuturos esse, quae pollicitus est Deus largiturum se iis, qui divinum auxilium pie et ex animo implorarint. His quasi duabus alis elata in coelum anima, ardenti studio pervenit ad Deum, quem omni gratiarum et laudum honore prosequitur, quod summis ab eo beneficiis affecta sit; tum vero singulari adhibita pietate ac veneratione, quasi filius unicus carissimo parenti, quid sibi sit opus, non dubitanter exponit. Quem precandi modum, effundendi voce, exprimunt Divinae Literae. Inquit enim Propheta (*Psalm. CXLI, 3.*): *Effundo in conspectu ejus orationem meam, et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.* Quae vox eam vim habet, ut nihil reticeat, nihil occultet, sed effundat omnia is, qui ad orandum venit, fidenter confugiens in sinum amantissimi parentis Dei. Ad id enim nos doctrina coelestis hortatur illis verbis (*Psalm. LXI, 9.*): *Effundite coram illo corda*

vestra; et (*Psalm. LIV, 23.*): *Jacta super Dominum curam tuam.* Hunc autem precationis gradum significat sanctus Augustinus, cum inquit in eo libro, qui inscriptus est Enchiridion (*Cap. 7.*): Quod si fides credit, spes et caritas orat.

§. 707. Alius est eorum gradus, qui mortiferis peccatis oppressi, fide tamen ea, quae mortua dicitur, nituntur sese erigere, et ad Deum adscendere, sed propter intermortuas vires, summamque fidei imbecillitatem, se altius a terra tollere non possunt; verumtamen sua peccata recognoscentes, et eorum conscientia ac dolore cruciati, humiliter ac demisse, ex illo maxime longinquo loco poenitentes, scelerum a Deo veniam et pacem implorant. Horum oratio suum obtinet locum apud Deum. Nam eorum preces audiuntur, imo vero hujusmodi homines liberalissime misericors Deus invitat (*Matth. XI, 28.*): *Venite*, inquit, *ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Ex horum hominum numero fuit ille publicanus (*Luc. XVIII.*), qui, cum oculos ad coelum tollere non auderet, exiit tamen e templo magis justificatus, quam Pharisaeus.

§. 708. Est praeterea eorum gradus, qui nondum fidei lucem acceperunt; veruntamen, divina benignitate exiguum illorum naturae lumen accendente, vehementer excitantur ad studium cupiditatemque veritatis, quam ut doceantur summis precibus petunt. Qui si manent in voluntate, a Dei clementia eorum studium non repudiatur. Quod exemplo Cornelii Centurionis (*Actor. X.*) comprobatum videmus. Nemini enim id ex animo petenti clausae sunt fores divinae benignitatis. Postremus est gradus eorum, quos non modo facinorum ac flagitiorum non poenitentes, sed etiam sceleribus scelera cumulantes, tamen non pudet saepe a Deo petere peccatorum veniam, in quibus volunt perseverare, qui tali statu ne ab hominibus quidem audere deberent, ut sibi ignoscerent, postulare. Horum oratio a Deo non auditur. Sic enim de Antiocho scriptum est (*2 Mach. IX, 13.*): *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* Quare vehementer hortandi sunt, qui in gravi illa miseria versantur, ut abjecta peccandi voluntate, vere et ex animo se convertant ad Deum.

## CAPUT V.

*De iis, quae petenda sunt, et quae praecipue ac omnino simpliciterque sine adjunctione, quae autem adhibita conditione postulanda sint* §. 709. 710.

§. 709. Sed quoniam in singulis petitionibus quid postulandum, quid non, suo loco dicetur; satis hic erit fideles universe illud admonere, ut quae justa quaeve honesta sint, a Deo petant homines, ne, si contra quam deceat aliquid postularint, illo responso repellantur *(Matth. XX, 22.)*: *Nescitis, quid petatis.* Quidquid autem recte optari potest, petere licet. Quod illa Domini uberrima promissa testantur *(Joh. XV, 7.)*: *Quodcunque volueritis, petetis, et fiet vobis.* Omnia enim se concessurum pollicetur. Quare primum optatum ac desiderium nostrum ad eam regulam dirigemus, ut ad Deum, qui summum est bonum, summum studium desideriumque referatur. Deinde cupiemus ea, quae cum Deo nos maxime conjungant; quae vero nos inde sejungant, aut causam aliquam afferant disjunctionis, ab omni studio et cupiditate nostra removenda sunt. Hinc licet colligere, secundum illud summum et perfectum bonum, quo modo reliqua quae dicuntur bona et optanda sint, et a parente Deo postulanda. Nam haec corporis, quae vocant, et externa bona, ut sanitas, robur, pulchritudo, divitiae, honores, gloria, quia facultatem ac materiam saepe dant peccato (quare fit, ut non omnino pie aut salutariter petantur) erit illa petitio his praescribenda finibus, ut haec vitae commoda postulentur necessitatis causa. Quae precandi ratio refertur ad Deum. Licet enim nobis ea precibus petere, quae et Jacob et Salomon postularunt *(Gen. XXVIII, 20. 21. Prov. XXX, 8.)*. Ille enim in hunc modum: *Si dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum, erit mihi Dominus in Deum;* Salomon his verbis: *Tribue tantum victui meo necessaria.*

§. 710. Cum vero nobis Dei benignitate suppeditetur ad victum et ad cultum; par est nos illius Apostoli cohortationis recordari *(1 Cor. VII, 30. 31.)*: *Qui emunt, tanquam non possidentes, et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur; praeterit enim figura hujus mundi.* Item *(Psalm. LXI, 11.)*: *Divitiae si affluant, nolite cor apponere.* Quarum fructum et usum tantummodo

nostrum esse, sed ita, ut cum caeteris communicemus, ab ipso doctore Deo didicimus. Si valemus, si reliquis externis et corporis bonis abundamus; eo illa nobis tributa esse meminerimus, ut et facilius Deo inservire possimus, et proximo omnia ejus generis commodare. Ingenii autem bona et ornamenta, cujus generis sunt artes atque doctrinae, petere non licet, sed ea tantum conditione, si nobis ad Dei gloriam et ad salutem profutura sunt. Quod autem omnino et sine adjunctione aut conditione optandum, quaerendum, postulandum est, quemadmodum ante diximus, id Dei gloria est, et deinceps omnia, quae summo illi bono conjungere nos queant; ut fides, timor Dei, amor, de quibus plenius dicemus in explicatione petitionum.

## CAPUT VI.

*Pro quibus orandum sit* §. 711—713.; *de altera Orationis parte, qua gratiae Deo pro ejus beneficiis, idque potissimum in Sanctis, aguntur; et de Salutatione angelica* §. 714.

§. 711. His autem cognitis, quae petenda sint, docendus est fidelis populus, pro quibus orare debeat. Continet autem Oratio petitionem et gratiarum actionem, quare prius de Petitione dicamus. Orandum igitur est pro omnibus sine ulla exceptione, vel inimicitiarum vel gentis vel religionis. Nam sive hostis sit, sive alienus, sive infidelis, proximus est; quem quia Dei jussu amare debemus, sequitur, ut preces quoque, quod amoris officium est, pro eo facere oporteat. Nam eo pertinet illa Apostoli cohortatio (1 *Tim. II,* 1.): *Obsecro fieri orationes pro omnibus hominibus.* Qua in Oratione primum petenda sunt, quae salutem animae complectuntur; deinde quae corporis. Debemus autem hoc precationis officium primum Pastoribus animarum tribuere, quod ab Apostolo ejus exemplo monemur. Scribit enim is ad Colossenses (*Coloss. IV,* 3.), *ut orent pro se, ut sibi Deus aperiat ostium sermonis.* Quod item facit ad Thessalonicenses (1 *Thess. V,* 25.). Est praeterea in Actis Apostolorum (*Actor. XII,* 5.): *Oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia pro Petro.* Cujus etiam officii a divo Basilio in libris de Moribus admonemur; pro iis enim orandum esse inquit, qui praesunt verbo veritatis. Secundo loco

pro Principibus nos precari oportet ex ejusdem Apostoli sententia; quanto enim publico bono principibus, piis et justis utamur, nemo ignorat. Itaque rogandus est Deus, ut tales sint, quales esse oportet, qui reliquis hominibus praesint. Exstant exempla sanctorum hominum, quibus monemur, ut pro bonis etiam piisque deprecemur. Egent enim et illi precibus aliorum. Quod divinitus factum est, ne superbia efferantur, dum intelligunt se inferiorum suffragiis indigere.

§. 712. Jussit praeterea Dominus *(Matth. V, 44.)*, *precari pro persequentibus et calumniantibus nos.* Illud etiam sancti Augustini testimonio celebratum est, hanc esse acceptam consuetudinem ab Apostolis pro iis, qui ab Ecclesia sunt alieni, preces et vota faciendi, ut infidelibus donetur fides, ut idolorum cultores ab impietatis errore liberentur; ut Judaei, discussa animorum caligine, lucem veritatis accipiant; ut Haeretici redeuntes ad sanitatem, catholicae doctrinae praeceptis erudiantur; ut Schismatici, a qua desciverunt sanctissimae parentis Ecclesiae communione, cum ea iterum verae charitatis nodo juncti copulentur. Quantam autem vim habeant preces pro hujusmodi hominibus factae ex animo, constat tam multis exemplis omnis hominum generis, quos quotidie *(Coloss. I, 13.) ereptos a potestate tenebrarum, transfert Deus in regnum filii charitatis suae*, et ex vasis irae, facit vasa misericordiae. In quo plurimum valere piorum obsecrationem, nemo qui recte sentiat dubitare potest.

§. 713. Preces autem, quae pro mortuis fiunt, ut ab igne Purgatorii liberentur, ex Apostolorum doctrina fluxerunt. Qua de re satis dictum est, cum de Sacrificio Missae loqueremur. In iis autem, qui peccare dicuntur ad mortem, vix quicquam precibus votisque proficiscitur. Verumtamen est christianae charitatis, et precari pro illis, et lacrymis contendere, an eis possint reddere pacatum Deum. Execrationes vero sanctorum hominum, quibus in impios utuntur, ex Patrum sententia constat esse, vel praedictiones eorum, quae illis eventura sunt, vel adhibitas contra peccatum, ut, salvis hominibus, peccati vis intereat.

§. 714. In altera parte precationis maximas Deo gratias agimus pro divinis ejus immortalibusque beneficiis,

quibus et semper affecit, et quotidie afficit humanum genus. Maxime autem fungimur hoc munere gratiarum actionis Sanctorum omnium causa, quo in officio singulares Deo laudes tribuimus, et eorum victoriae et triumphi, quem de omnibus et intimis et externis hostibus ejus benignitate deportarunt. Huc pertinet prima illa pars Angelicae Salutationis, cum ea ad precandum utimur *(Luc. 1, 28.)*: *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus.* Nam Deum summis et habendis laudibus et gratiis agendis celebramus, quod sanctissimam Virginem omni coelestium donorum munere cumulavit, ipsique Virgini singularem illam gratulamur felicitatem. Jure autem sancta Dei Ecclesia huic gratiarum actioni preces etiam et implorationem sanctissimae Dei Matris adjunxit, qua pie atque suppliciter ad eam confugeremus, ut nobis peccatoribus sua intercessione conciliaret Deum, bonaque tum ad hanc, tum ad aeternam vitam necessaria impetraret. Ergo nos exules, filii Evae, qui hanc lacrymarum vallem incolimus, assidue misericordiae matrem ac fidelis populi advocatam invocare debemus, ut oret pro nobis peccatoribus, ab eaque hac prece opem et auxilium implorare, cujus et praestantissima merita apud Deum esse, et summam voluntatem juvandi humanum genus, nemo, nisi impie et nefarie, dubitare potest.

## CAPUT VII.

### *Quis orandus sit*, §. 715. 716.

§. 715. Deum autem orandum esse et ejus nomen invocandum, ipsa loquitur naturae vis, insita in hominum mentibus, non solum tradunt Divinae Literae, in quibus licet audire imperantem Deum *(Psalm. XLIX, 15.)*: *Invoca me in die tribulationis;* sed Dei nomine tres personas intelligi oportet. Secundo loco confugimus ad auxilia Sanctorum, qui in coelo sunt, quibus etiam preces esse faciendas, ita certum est in Ecclesia Dei, ut piis nulla de eo dubitatio possit accidere. Quae res quia separatim suo loco est explicata, eo et Parochos et caeteros transmittimus.

§. 716. Sed ut tollatur omnis error imperitorum, operae pretium erit docere fidelem populum, quid intersit inter hanc invocandi rationem: non enim eodem

modo Deum et Sanctos imploramus. Nam precamur Deum, ut ipse vel bona det vel liberet a malis; a Sanctis autem, quia gratiosi sunt apud Deum, petimus, ut nostri patrocinium suscipiant, ut nobis a Deo impetrent ea, quorum indigemus. Hinc duas adhibemus precandi formulas, modo differentes. Ad Deum enim proprie dicimus: *Miserere nobis, Audi nos;* ad Sanctum: *Ora pro nobis;* quanquam licet etiam alia quadam ratione petere a Sanctis ipsis, ut nostri misereantur: sunt enim maxime misericordes. Itaque precari possumus eos, ut conditionis nostrae miseria permoti, sua nos apud Deum gratia ac deprecatione juvent. Quo loco illud maxime cavendum est omnibus, ne, quod Dei proprium est, cuiquam praeterea tribuant; imo vero, cum ad imaginem Sancti alicujus quis Dominicam Orationem pronunciat, ita tum sentiat, se ab illo petere, ut secum oret sibique postulet ea, quae Dominicae Orationis formula continentur, et sui denique sit interpres et deprecator ad Deum. Nam eos hoc fungi officio. docuit S. Johannes Apostolus in Apocalypsi *(Cap. VIII.)*.

## CAPUT VIII.

*De praeparatione adhibenda* §. 717—719.; *de iis, quae fiduciam juvant in oratione necessariam* §. 720. 721.

§. 717. Est in Divinis Literis *(Eccl. XVIII, 23.)*: *Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Tentat enim Deum is, qui, cum bene orat, male agit, et cum loquatur cum Deo, a precibus animus ejus aberrat. Quare, cum tanti intersit, quo quisque animo Deo preces faciat, tradent Parochi vias precationum piis auditoribus. Primus igitur gradus ad orationem erit, vere humilis ac demissus animus, scelerum quoque recognitio, quibus sceleribus intelligat qui ad Deum accedit, se non modo dignum non esse, qui quidquam impetret a Deo, sed qui ne in ejus quidem conspectum veniat oraturus. Hujus praeparationis saepissime mentionem faciunt Divinae Literae, quae et illud loquuntur *(Psalm. CI, 18.)*: *Respexit in orationem humilium, et non sprevit preces eorum.* Item *(Eccl. XXXV, 21.)*: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Sed occurrent Pastoribus eruditis loci innumerabiles, qui in eam sententiam conveniant; quamobrem

plurium non necessaria commemoratione supersedemus; tantum vero, quae alias attigimus, ne in hac quidem parte, quia sunt apposita ad hanc rationem, duo illa exempla praetermittemus. Publicanus est ille notissimus *(Luc. XVIII.)*, qui longe consistens, oculos humo tollere non audebat. Est etiam mulier illa peccatrix (*Luc. VII.)*, quae dolore commota, lacrymis pedes Christi Domini perfudit. Uterque, quantum afferat orationi pondus humilitas christiana declaravit. Sequitur angor quidam in recordatione delictorum, vel saltem aliquis doloris sensus ob eam causam, quod dolere non possimus, quorum utrumque, vel certe alterum, nisi a poenitente adhibeatur, venia impetrari non potest.

§. 718. Sed quia sunt quaedam scelera, quae maxime obstant, quo minus in precatione Deus postulationi nostrae concedat, ut caedes et illata vis, manus abstinendae sunt ab hac crudelitate et violentia. De quo facinore sic Jesaiae ore loquitur Deus *(Jes. I, 15.)*: *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestrae sanguine plenae sunt.* Fugienda est ira ac dissidium, quae magnopere etiam impediunt, ne preces audiantur. De quibus est illud Apostoli (1 *Tim. II*, 8.): *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus suas sine ira et disceptatione.* Videndum est praeterea, ne nos implacabiles cuiquam praebeamus in injuria: nam sic affecti, Deum precibus adducere non poterimus, ut nobis ignoscat. *Cum* enim *stabitis*, inquit ipse *(Marc. XI, 25.)*, *ad orandum, dimittite, si quid habetis adversus aliquem*, et (*Matth. VI*, 15.) *si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Cavendum quoque est, ne duri simus et inhumani egentibus. Nam in ejusmodi homines illud dictum est *(Prov. XXI, 13.)*: *Qui obdurat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur.* Quid dicemus de superbia? quae quantopere Deum offendat, testis est illa vox *(Jac. IV, 6.)*: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Quid de contemptione divinorum oraculorum? in quam exstat illud Salomonis *(Prov. XXVIII, 9.)*: *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Quo tamen loco non excluditur deprecatio factae injuriae, non caedis, non iracundiae, non illiberalitatis in pauperes, non superbiae, non despicientiae di-

vinae orationis, non denique reliquorum scelerum, si ignoscendi venia petatur.

§. 719. Est vero ad hanc quoque praeparationem animi fides necessaria, quae si desit, neque de summi Patris omnipotentia, neque de illius misericordia, unde tamen orantis fiducia oritur, habetur cognitio, quemadmodum docuit ipse Christus Dominus *(Matth. XXI, 22.)*: *Omnia*, inquit, *quaecunque petieritis in oratione credentes, accipietis.* De hujusmodi fide scribit S. Augustinus de verbis Domini *(Serm. XXXVI.)*: Si fides defecit, oratio periit. Caput igitur est ad rite orandum, quod jam dictum est, ut fide firmi ac fixi simus. Quod Apostolus *(Rom. X, 14.)* ex contrario ostendit: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Itaque credamus oportet, ut et orare possimus, et ne nos fides ipsa deficiat, qua salutariter oramus. Fides enim est, quae preces fundit; preces faciunt, ut omni dubitatione sublata, stabilis ac firma sit fides. In hanc sententiam sanctus hortabatur Ignatius *(Epist. X. ad Hieronem)* eos, qui ad Deum adirent oraturi: Noli dubio esse animo in oratione. Beatus est, qui non dubitaverit. Quare ad impetrandum quod velimus a Deo, maximum pondus affert fides et certa spes impetrandi. Quod monet S. Jacobus *(Cap. I, 6.)*: *Postulet in fide, nihil haesitans.*

§. 720. Multa sunt, quibus nos confidere oportet in hoc officio precationis. Est ipsa Dei in nos perspecta voluntas ac benignitas, cum jubet nos se Patrem appellare, ut ejus nos esse filios intelligamus. Est prope infinitus numerus eorum, qui Deum exoraverunt. Est summus ille deprecator, qui nobis semper praesto est, Christus Dominus, de quo sic est apud sanctum Johannem *(1 Joh. II, 1. 2.)*: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Item Paulus Apostolus *(Rom. VIII, 34.)*: *Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Item ad Timotheum (1 *Tim. II, 5.)*: *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Tum ad Hebraeos *(Cap. II, 17.)*: *Unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret, et fidelis Pontifex ad Deum.* Quare etsi nos indigni sumus, qui impetremus, tamen optimi dignitate interpretis ac deprecatoris Jesu Christi, spe-

rare et magnopere confidere debemus, nobis omnia, quae per illum rite petierimus, concessurum Deum. Denique nostrae autor est precationis Spiritus Sanctus, quo duce preces nostras audiri necesse est: *Accepimus enim spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater (Rom. VIII,* 15. 26.*)*. Qui quidem Spiritus infirmitatem, qui inscitiam nostram adjuvat in hoc orandi munere; *imo vero*, inquit, *ipse postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Quod si qui titubant interdum, nec se satis esse firmos in fide sentiunt, utantur illa voce Apostolorum *(Luc. XVII,* 5.*)*: *Domine, adauge nobis fidem*, et caeci illius *(Marc. IX,* 23.*)*: *Adjuva incredulitatem meam.*

§. 721. Sed tum maxime et fide et spe vigentes, omnia a Deo optata consequemur, cum ad ipsius Dei legem ac voluntatem, omnem menten, actionem et orationem nostram conformabimus. *Si manseritis* enim, inquit *(Joh. XV,* 7.*)*, *in me, et verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, et fiet vobis;* quamquam ad hanc impetrandi a Deo omnia facultatem, inprimis necessaria est, ut antea diximus, oblivio injuriarum, et benevolentia ac benefica voluntas in proximos.

## CAPUT IX.

### *Quae ratio in orando requiratur* §. 722—728.

§. 722. Maxime autem refert, quo modo sacris precibus utamur. Nam etsi precatio Bonum est salutare, tamen, nisi recte adhibeatur, minime prodest; quod enim petimus, saepe non assequimur, ut sanctus inquit Jacobus *(Cap. IV,* 3.), ob eam causam, quia male petimus. Ergo docebunt Parochi fidelem populum, quae sit optima ratio bene petendi, et privatim ac publice orandi. Quae praecepta christianae orationis tradita sunt ex Christi Domini disciplina. Est igitur orandum in spiritu et veritate. Nam coelestis Pater tales quaerit, qui adorant eum (*Joh. IV,* 23.*) in spiritu et veritate.*

§. 723. Orat autem eo modo, qui intimum ac flagrans animi studium adhibet. A qua spirituali precandi ratione vocalem non excludimus; verumtamen principatum jure tribuendum ducimus illi, quae a vehementi animo proficiscitur, obsecrationi, quam Deus, cui patent occultae hominum cogitationes, audit, etiamsi non ore proferatur. Audivit Annae, ejus quae fuit mater Samue-

lis, intimas preces, de qua illud legimus (1 *Regg. I*, 10. 13.), flentem orasse, et tantum labia moventem. Oravit hoc modo David; inquit enim (*Psalm. XXVI*, 8.): *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea.* Hujusmodi exempla in Divinis Libris passim legentibus occurrunt. Habet autem vocalis oratio propriam utilitatem et necessitatem. Nam incendit animi studium et religionem orantis inflammat. Quod ad Probam scribit sanctus Augustinus (*Epist. CXXI. Cap.* 9.) hoc modo: Nonnunquam verbis et aliis signis ad augendum desiderium sanctum, nos ipsos acrius excitamus. Cogimur interdum vehementi animi cupiditate et pietate, verbis efferre sententiam. Nam exultante animo laetitia, par etiam est, linguam exultare. Et vere decet nos cumulatum illud sacrificium facere et animae et corporis. Quem Apostolorum orandi morem fuisse, ex Actis et ex Apostolo multis locis cognoscimus.

§. 724. Sed quoniam duplex precandi ratio est, privata et publica, privatae orationis pronuntiatione utimur, ut intimum studium et pietatem adjuvet; in publica, quae ad incitandam fidelis populi religionem instituta est, certis statisque temporibus linguae officio supersederi nullo modo potest. Hanc vero in spiritu orandi consuetudinem, propriam christianorum hominum, infideles minime colunt, de quibus ita licet Christum Dominum loquentem audire (*Matth. VI*, 7.): *Orantes, nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt; putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis; scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum.* Cum autem prohibeat loquacitatem, longas tamen preces, quae a vehementi ac diuturno animi studio proficiscantur, tantum abest ut rejiciat, ut etiam suo exemplo nos ad eam orationem cohortetur, qui non modo noctes in precatione consumpsit, sed ter eundem sermonem repetiit (*Luc. VI. Matth. XXVI.*). Tantum igitur statuendum est, inani verborum sono minime exorari Deum.

§. 725. Nec vero ex animo orant hypocritae, a quorum nos consuetudine deterret Christus Dominus in hanc sententiam (*Matth. VI*, 5. 6.): *Cum oratis, non eritis sicut hypocritae, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus, qui videt*

*in abscondito, reddet tibi.* Cubiculum, quod hoc loco dicitur, ad cor hominis referri potest; quod non satis est ingredi, sed praeterea occludi oportet, ne quid irrumpat vel influat in animas extrinsecus, quo precationis integritas violari possit. Tum enim coelestis Pater, qui omnium mentes et occultas cogitationes maxime perspicit, orantis postulationi concedit.

§. 726. Requirit praeterea oratio assiduitatem, quae quantam vim habeat, judicis illius exemplo, Dei filius ostendit *(Luc. XVIII, 5.)*, qui cum nec timeret Deum, nec hominem revereretur, victus assiduitate ac diligentia viduae, ejus postulationi concessit. Itaque assidue Deo preces faciendae sunt, nec imitandi illi, qui semel aut iterum orantes, nisi quod petunt impetrarint, in oratione defatigantur. Nulla enim hujus officii lassitudo esse debet, quod nos Christi Domini et Apostoli docet auctoritas. Quod si interdum voluntas in eo defecerit, precibus a Deo petamus perseverandi vim.

§. 727. Vult etiam Dei filius orationem nostram ad Patrem suo nomine pervenire, quae ejus merito et gratia deprecatoris id pondus assequitur, ut a coelesti Patre audiatur. Est enim ejus illa vox apud S. Johannem *(Cap. XVI, 23. 24.)*: *Amen, amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, usque modo non petistis quidquam in nomine meo. Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Et iterum *(Joh. XIV, 13.)*: *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Imitemur ardens sanctorum hominum studium, quod in orando adhibebant. Gratiarum autem actionem cum precatione jungamus, Apostolorum exemplo *(Coloss. I. Philipp. IV.)*, qui hanc consuetudinem perpetuo servaverunt, quemadmodum apud Apostolum licet videre.

§. 728. Jejunium vero et Eleemosynam ad orationem adhibeamus. Jejunium quidem certe maxime est cum oratione sociatum. Nam qui cibo et potu sunt onusti, horum mens oppressa est sic, ut neque Deum intueri, neque, quid sibi velit oratio, cogitare possint. Sequitur Eleemosyna, quae magnam et ipsa cum oratione societatem habet. Quis enim, cui facultas sit benigne faciendi ei, qui aliena misericordia vivat, nec opituletur proximo et fratri suo, se charitate praeditum dicere audeat? aut quo ore is, qui expers sit charitatis, Dei auxilium im-

plorabit? nisi, cum peccati veniam precatur, simul et a Deo suppliciter postulat charitatem. Quare divinitus factum est, ut saluti hominum triplici hoc remedio subveniretur. Cum enim peccando vel offendamus Deum, vel proximos violemus, vel nos ipsos laedamus, sacris Precibus placatum reddimus Deum, Eleemosyna redimimus hominum offensiones, Jejunio proprias vitae sordes eluimus. Et quamquam singula prosint ad omnium scelerum genera, tamen proprie singulis iis peccatis, quae diximus, apposita et accommodata sunt.

---

# DE ORATIONE DOMINICA.

## CAPUT I.

*Quid sibi velit prima vox Pater, et quibus rationibus Deo conveniat, quae singularem erga homines benevolentiam charitatemque significant §. 729—733.; quid vicissim amantissimo Patri debeamus, qui rebus non tantum prosperis, sed etiam adversis suum amorem nobis conservat §. 734.*

§. 729. Cum haec formula christianae precationis, a Jesu Christo tradita, eam habet vim, ut, antequam ad preces postulationesque veniamus, certis verbis loco prooemii nobis utendum sit, quibus pie ad Deum accedentes, fidentius etiam id facere possimus, Parochi officium est, illa distincte dilucideque declarare, ut alacrior pius populus ad preces adeat, seque cum Patre Deo acturum intelligat. Prooemium autem, si spectes verba, brevissimum est, si res aestimes, gravissimum mysteriorumque plenissimum. Ac prima quidem vox, qua Dei jussu et institutione utimur in hac precatione est Pater. Nam etsi Salvator noster divinam hanc Orationem praetexere potuit aliquo verbo, quod plus majestatis haberet, exempli causa, Creatoris aut Domini, tamen haec omisit, quae timorem simul nobis afferre possent; illud autem adhibuit, quod orantibus et aliquid a Deo petentibus, amorem fiduciamque conciliat. Quid enim jucundius est Patris nomine, quod indulgentiam sonat et charitatem?

§. 730. Quibus autem rationibus Patris nomen Deo conveniat, suppeditabit facultas docendi fidelem populum;

ex locis creationis, gubernationis ac redemptionis. Nam cum Deus hominem creaverit ad imaginem suam, nec illam caeteris animantibus impertiverit, ex hoc singulari munere, quo hominem ornavit, jure omnium hominum, nec fidelium modo, sed etiam infidelium, Pater in Divinis Scripturis appellatur. A gubernatione vero sumere poterit argumentum, quod prospiciendo et consulendo utilitati hominum, praecipuo quodam curae et providentiae modo nobis praestat patriam charitatem. Sed ut in hujus explicatione argumenti paternam Dei de hominibus curam melius agnoscat, de custodia Angelorum, in quorum tutela sunt homines, aliquid dicendum videtur.

§. 731. Est enim Dei providentia datum hoc negotium Angelis, ut custodiant humanum genus singulisque hominibus praesto sint, ne gravius aliquod detrimentum accipiant. Nam ut parentes, si infesta et periculosa via filiis iter faciendum sit, custodes adhibent et periculorum adjutores; sic coelestis parens in hoc itinere, quo ad coelestem patriam contendimus, singulis nobis praeposuit Angelos, quorum ope ac diligentia tecti, furtim paratos ab hostibus laqueos vitaremus, et factos in nos horribiles impetus repelleremus, iisque ducibus rectum iter teneremus, ne objectus aliquis error a fallaci adversario nos de via posset deducere, quae ducit in coelum. Quam vero habeat utilitatem haec de hominibus Dei cura ac providentia singularis, cujus munus et administratio mandata est Angelis, quorum inter Deum et homines media est et interjecta natura, patet exemplis, quorum copiam suppeditant Divinae Literae, quae testantur, saepe Dei benignitate factum esse, ut inspectantibus hominibus Angeli mirabiles res efficerent, quibus moneremur, innumerabilia ejus generis, quae sub oculos non caderent, a custodibus nostrae salutis Angelis effici utiliter ac salutariter. Raphael Angelus, Tobiae comes et dux itineris divinitus adjunctus, illum duxit et reduxit incolumem *(Tob. V. VI. XII.)*. Cui et adjumento fuit, ne ab immani pisce devoraretur, et quanta esset in ejus piscis jecore, felle et corde vis, demonstravit. Ille Daemonium expulit, ejusque impedita et colligata potestate, ne Tobiae noceret effecit. Ille verum et legitimum matrimonii jus et usum, adolescentem edocuit. Ille Tobiae patri, oculis capto, lumina restituit. Angelus item ille, Principis Apostolorum liberator *(Actor. XII.)*, uberem praebebit ma-

teriam ad erudiendum pium gregem de admirabili fructu, curae custodiaeque Angelorum, cum demonstrabunt Parochi Angelum carceris tenebras illustrantem, et Petrum tacto ejus latere, e somno excitantem, solventem catenas, disrumpentem vincula, monentem ut surgeret, seque sumptis caligis et reliquo vestitu, sequeretur, cum docebunt, ab eodem Angelo Petrum per custodias libere eductum e carcere, et aperta denique janua in tuto collocatum. Hujus generis exemplorum, quemadmodum diximus, referta est Sanctarum Literarum historia, quibus intelligimus, quanta sit vis beneficiorum, quae confert in homines Deus Angelis interpretibus et internuntiis, nec solum certa aliqua et privata de re missis, sed a primo ortu, nostrae curae praepositis, et in singulorum hominum salutis praesidio collocatis. Hanc doctrinae diligentiam illa utilitas consequetur, ut audientium mentes erigantur, et ad agnoscendam ac venerandam Dei paternam de se curam ac providentiam excitentur.

§. 732. Commendabit autem hoc loco Parochus, inprimisque praedicabit divitias benignitatis Dei erga genus humanum, quem cum a primo parente nostri generis et peccati, usque ad hanc diem offenderimus flagitiis ac sceleribus innumerabilibus, retinet tamen in nos charitatem, neque praecipuam illam de nobis curam deponit. Quem si quis existimat hominum oblivisci, amens est, et in Deum jacit indignissimam contumeliam. Irascitur Israëli Deus propter ejus gentis blasphemiam, quae se arbitrabatur coelesti ope desertam esse. Est enim in Exodo *(Cap. XVII, 7.)*: *Tentaverunt Dominum, dicentes: Estne Deus in nobis, an non?* Et apud Ezechielem succenset eidem populo Deus, quod dixerat (*Ezech. VIII, 12.*): *Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram.* Ergo fideles his autoritatibus a nefaria illa opinione deterrendi sunt, fieri posse, ut Deum capiat hominum oblivio. In quam sententiam audire licet conquerentem de Deo apud Jesaiam Israëliticum populum, contraque Deum stultam ejus querimoniam benigna similitudine refellentem. Est enim ibi (*Jes. XLIX,* 14—16.): *Dixit Sion: Dereliquit me Domine, et Dominus oblitus est mei. Cui Deus: Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te.* Quibus locis quamquam id

quido confirmatur, tamen, ut penitus fideli populo peradeatur, nullum posse tempus accidere, quo deponat eus hominum memoriam, quo eis non tribuat patriae aritatis officia; Parochi rem clarissimo primorum hoinum exemplo comprobabunt, quos post neglectum viotumque Dei jussum, cum acerbius accusatos et horrili illa sententia condemnatos audit *(Genes. III, 17.)*: *'aledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex cunctis diebus vitae tuae, spinas et tribulos germibit tibi, et comedes herbas terrae;* cum vides e Paraso expulsos, et ut omnis reditus spes adimeretur, cum aditu Paradisi collocatum legis Cherubin, flammeum nentem et versatilem gladium; cum ab ulciscente suam juriam Deo illos intimis et externis molestiis conflictas intelligis: an non de homine putes? an non credas n modo divino illum auxilio nudatum, sed etiam cuivis uriae propositum? Veruntamen in tantis divinae irae ultionis indiciis aborta est lux quaedam Dei in eos aritatis. *Fecit* enim, inquit (*v.* 21.), *Dominus Deus Adae uxori ejus tunicas pelliceas, et induit eos;* quod maxim fuit argumentum, hominibus nullo unquam tempore futurum Deum. Hujus etiam sententiae vim, non exuriri Deum amorem ulla hominum injuria, David excessit illis verbis *(Psalm. LXXVI, 10.)*: *Numquid contebit Deus in ira sua misericordias suas?* Hanc Habac Deum affatus exposuit, dum inquit *(Cap. III, 2.)*: *um iratus fueris, misericordiae recordaberis.* Hanc Michaeas aperuit *(Mich. X, 18.)*: *Quis Deus similis i? qui aufers iniquitatem, et transfers peccatum reliiarum haereditatis tuae; non immittet ultra furorem um, quoniam volens misericordiam est.*

§. 733. Omnino res ita se habet, cum maxime pertos nos, et Dei praesidio spoliatos arbitramur, tum axime pro immensa sua bonitate, nos quaerit et curat eus: sustinet enim in ira gladium justitiae, nec cessat undere inexhaustos misericordiae thesauros. Magnam itur vim habent ad declarandam praecipuam Dei ratiom in amando, tuendoque hominum genere, creatio et ibernatio. Sed tamen illud opus redimendi hominem, eminet inter duo superiora, ut beneficentissimus Deus ırensque noster summam in nos benignitatem tertio hoc neficio cumulatam illustrarit. Quare tradet spiritualis filiis Parochus, et assidue eorum auribus inculcabit

hanc praestantissimam Dei erga nos charitatem, ut inte ligant, se, quia redempti sint, admirabilem in modu Dei filios evasisse. *Dedit* enim, inquit Johannes (*Ca I*, 12. 13.), *eis potestatem filios Dei fieri*, et *Ex Deo na sunt.* Quam ob causam Baptismus, quod primum r demptionis pignus et monumentum habemus, Sacrame tum regenerationis dicitur; inde enim nascimur Dei fil Nam inquit ipse Dominus (*Joh. III*, 6. 7.): *Quod nat est ex spiritu, spiritus est*, et: *oportet vos nasci denu* Item Petrus Apostolus (1 *Petr. I*, 23.): *Renati non semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum D vivi.* Hujus pondere redemptionis et Spiritum Sanctu accepimus, et Dei gratia dignati sumus. Quo mune Dei filii adoptamur, quemadmodum ad Romanos scrips Apostolus Paulus (*Rom. VIII*, 15.): *Non accepistis sp ritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritu adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.* Cuj vim et efficaciam adoptionis explanat sanctus Johann ad hunc modum (1 *Epist. III*, 1.): *Videte qualem ch ritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simu*

§. 734. His expositis admonendus est fidelis pop lus, quid ipse vicissim debeat amantissimo Patri Deo, intelligat, quem amorem ac pietatem, quam obedientia ac venerationem Creatori, Gubernatori ac Redempto praestare, qua spe ac fiducia illum invocare oportea Sed ad erudiendam inscientiam dirigendamque sententia perversitatem eorum, si qui tantummodo secundas res prosperum vitae cursum argumento esse existiman Deum conservare nobis amorem suum, rebus autem ad versis et calamitatibus, cum a Deo exercemur, id ess signum hostilis in nos animi, et prorsus abalienatae nobis divinae voluntatis, demonstrandum erit, cum tangi nos manus Domini, minime id hostiliter facere Dominum verum percutiendo sanare, et plagam a Deo venientem esse medicinam. Castigat enim peccantes, ut ea disci plina meliores faciat, et praesenti animadversione redi mat ab exitio sempiterno. *Nam visitat quidem in virg iniquitates nostras, et in verberibus peccata nostra, mi sericordiam autem suam non aufert a nobis* (*Psalm LXXXVIII*, 33. 34.). Quare monendi sunt fideles, ut i ejusmodi castigatione patriam Dei charitatem agnoscant et illud apud patientissimum Iob in memoria et in ore ha beant (*V*, 18.). *Ipse vulnerat et medetur, percutit et manu*

*us sanabunt;* ut illud usurpent, quod sub persona raëlitici populi scripsit Jeremias (*Cap. XXXI,* 18.): *astigasti me, et eruditus sum, quasi juvenculus indo-itus; converte me, et convertar, quia tu Dominus Deus eus.* Ut Tobiae exemplum sibi proponant, qui, cum illa plaga caecitatis paternam Dei manum caedentem nsisset, clamavit (*Tob. XI,* 17.): *Benedico te, Domine eus Israël, quia tu castigasti me, et tu salvasti me.* In io maxime cavendum est fidelibus, ne, etiamsi quovis commodo affecti, quavis calamitate afflicti sint, Deum ignorare existiment; ait enim ipse (*Luc. XXI,* 18.): *apillus de capite vestro non peribit.* Imo vero se ipsi o divini oraculi solatio consolentur, quod in Apocalypsi ctum est (*Apoc. III,* 19.): *Ego, quos amo, arguo et stigo.* Conquiescant in Apostoli cohortatione ad He-aeos (*Hebr. XII,* 5. 6. 8.): *Fili mi, noli negligere sciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris: em enim diligit Dominus, castigat; flagellat autem mem filium, quem recipit, quod si extra disciplinam tis, adulterini estis et non filii. Patres quidem carnis strae eruditores habuimus, et reverebamur eos: non ulto magis obtemperabimus patri spirituum, et vivemus?*

## CAPUT II.

*Quid sibi velit haec dictio* n o s t e r, *qua significatur, fideles omnes non tantum inter se, sed etiam Christi esse fratres, communemque precationem Deo gratam esse* §. 735.; *fideles omnes inter se fraterne comiterque vivere ac amare debere, nec se alios aliis insolentius praeferre: tum vero, quid cogitandum illi, qui oraturus sit, et quo modo eum affectum esse oporteat* §. 736. 737.

§. 735. Cum P a t r e m invocamus singuli, et n o s t r u m pellamus, docemur, ex dono ac jure divinae adoptio-s consequi necessario, ut fratres sint fideles omnes, inter se fraterne amare debeant. *Omnes* enim, inquit *Matth. XXIII,* 8. 9.), *vos fratres estis; unus est enim ter vester, qui in coelis est.* Quare etiam in Epistolis eles omnes Apostoli f r a t r e s appellant. Ex quo item nficitur illa consecutio necessaria, ut eadem adoptione ei non solum inter se fideles universi fraterna neces-udine conjungantur, sed quia homo est unigenitus

Dei filius, fratres etiam ejus et nominentur et sint. Na in Epistola ad Hebraeos, cum de filio Dei loqueretu scripsit Apostolus *(Hebr. II, 11. 12.)*: *Non confunditu fratres eos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fra tribus meis.* Quod tanto ante David *(Psalm. XXI, 23.* de Christo Domino praedixerat. Ipse vero etiam Chri stus sic apud Evangelistam loquitur ad mulieres *(Matth XXVIII, 10.)*: *Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant i Galilaeam, ibi me videbunt.* Quod tum ab eo dictur esse constat, cum jam excitatus a mortuis, immortalita tem esset consecutus, ne quis existimet fraternam han cognationem, ejus resurrectione, et in coelum adscens dissolutam esse. Tantum enim abest, ut hanc conjun ctionem et charitatem Christi resurrectio diremerit, u ex illa majestatis et gloriae sede, tum cum de omnibu omnis memoriae hominibus judicabit, fidelium minimo ab eo, fratrum nomine appellandos acceperimus. Qu autem fieri potest, ut Christi fratres non simus, cuju *cohaeredes* dicimur *(Rom. VIII, 17.)*? Est enim, primo genitus ipse, *constitutus haeres universorum (Hebr. I, 2.)* nos vero secundo loco geniti, cohaeredes ejus, pro mod coelestium donorum, pro ratione charitatis, qua prae buimus nos ministros et coadjutores Spiritus Sancti, qu autore, ad virtutem salutaresque actiones impellimur e incendimur, ut ejus freti gratia, in certamen salutis for titer descendamus, quo sapienter constanterque confecto decursoque hujus vitae spatio, justum coronae praemiun capimus a coeleste Parente, omnibus, qui eundem cur sum tenuerint, constitutum. *Non enim,* ut ait Apostolu *(Hebr. VI, 10.)*, *injustus est Deus, ut obliviscatur ope ris nostri et dilectionis.* Quam vero hanc ex anim vocem Noster proferre debeamus, S. Chrysostomi sen tentia declaratur, qui Deum, inquit, libenter Christianum audire non solum pro se, sed pro altero deprecantem, quod pro se orare, naturae est, pro altero gratiae, pro se necessitas cogit, pro altero fraterna charitas hortatur. Quibus illa subjunxit: Jucundior est Deo, quam cha ritas fraterna commendat, quam ea, quae necessitate pronuntiatur.

§. 736. In hac tanta materia salutaris orationis, monere et hortari debet Parochus omnes omnis aetatis, generis, ordinis, ut communis hujus fraternae necessitudinis memores comiter et fraterne se gerant, neque se

aliis alii praeferant insolentius. Nam etsi in Ecclesia Dei diversi sunt officiorum gradus, tamen illa varietas graduum et munerum, fraternae necessitudinis conjunctionem minime tollit, quemadmodum in hominis corpore varius usus et diversa functio membrorum nihil agit, quamobrem haec vel illa corporis pars, membri munus et nomen amittat. Propone tibi eum, qui regia sit potestate; an is igitur, si fidelis est, frater non est omnium, qui christianae fidei communione continentur? maxime: quid ita? quia non est Deus alius is, ex quo divites et reges nati sunt, ab eo, a quo pauperes et qui in regum potestate sunt, exstiterunt, sed unus Deus et Parens et Dominus omnium. Itaque una spiritualis ortus omnium nobilitas, una dignitas, unus splendor generis, cum omnes ex eodem spiritu, ex eodem fidei sacramento nati simus filii Dei, et ejusdem haereditatis cohaeredes. Nec vero alium Christum Deum habent copiosi et potentes homines, alium tenuiores et infimi, non aliis Sacramentis sunt initiati, nec aliam haereditatem regni coelestis exspectant. Fratres sumus omnes, et, ut inquit Apostolus ad Ephesios *(Cap. V, 30.)*, *membra sumus corporis Christi, de carne ejus et de ossibus ejus.* Quod idem in Epistola ad Galatas significat Apostolus *(Gal. III, 26 — 28.)*: *Omnes filii Dei estis per fidem in Christo Jesu; quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis; non est Judaeus, neque Graecus, non est servus, neque liber, non est masculus, neque foemina; omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.*

§. 737. Haec autem accurate versanda res est Pastoribus animarum, et scienter illis in hac sententia commorandum; est enim accommodatus locus non minus ad confirmandos et excitandos inopes et abjectos homines, quam ad coërcendam deprimendamque arrogantiam locupletum atque potentium. Cui hominum incommodo uti mederetur, urgebat Apostolus fraternam hanc charitatem, et inculcabat fidelium auribus. Cum igitur has Deo preces facturus es, Christiane, memineris te tanquam filium ad Patrem Deum accedere. Itaque cum precationem ordiris, et illud, *Pater noster*, pronuntias, cogita quem in locum te summa Dei benignitas extulerit, qui non ut servum ad Dominum adire invitum ac timidum, sed ut ad Patrem filium voluntarium securumque confugere jusserit. Qua in memoria et cogitatione, quo

vicissim studio et pietate tibi orandum sit, considera; danda enim est tibi opera, te ut talem praebeas, qualem esse decet Dei filium, id est, ut oratio et actiones tuae non indignae sint divino genere, quo te dignari voluit beneficentissimus Deus. Ad hanc officii rationem nos Apostolus cohortatur, cum ait *(Ephes. V, 1.)*: *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi;* ut vere de nobis dici possit, quod ipse Apostolus scripsit ad Thessalonicenses *(1 Thess. V, 5.)*: *Omnes vos filii lucis estis, et filii diei.*

## CAPUT III.

*Quae sit verborum istorum vis et significatio* qui es in coelis, *cum Deus ubique sit* §. 738.; *de quibus per eadem verba oratur, admoneantur, qui est hujus sententiae usus* §. 739.

§. 738. Constat inter omnes, qui recte de Deo sentiunt, ubique locorum et gentium esse Deum, quod non ita intelligendum est, quasi ipse distributus in partes, una parte locum unum, alia alium occupet ac tueatur. Nam Deus spiritus est, omnis expers divisionis. Quis enim audeat Deum, tanquam in vestigio positum, loci alicujus finibus circumscribere, cum ipse de se dicat *(Jer. XXIII, 24.)*: *Numquid non coelum et terram ego impleo?* Quod rursum sic accipiendum est, Deum coelum ac terram, quaeque coelo ac terra comprehensa sunt, vi sua ac virtute complecti, non autem ipsum ullo loco contineri. Adest enim rebus omnibus Deus, vel creans ipsas, vel conservans creatas. Nulla regione, nullis finibus vel circumscriptus, vel ita definitus, quo minus et naturam et potestatem suam praesens ubique constituat. Quod beatus David expressit illis verbis *(Psalm. CXXXVIII, 8.)*: *Si adscendero in coelum, tu illic es.* Verum etsi praesens adsit Deus in locis et rebus omnibus, nullis, ut diximus, terminis definitus, tamen in Divinis Scripturis saepe dicitur habere domicilium suum in coelo. Quod ideo factum videmus, quod coeli, quos suspicimus, sunt nobilissima mundi pars, iidemque manent incorrupti, praestantes vi, magnitudine ac pulchritudine caeteris corporibus, certisque ac stabilibus motibus praediti. Ergo, ut excitaret hominum animos Deus ad contemplandam infinitam suam potestatem ac majestatem, quae maxime elucet in opere coelorum,

se in Divinis Scripturis habitare testatur in coelis; saepe etiam, quod res est, declarat, nullam esse mundi partem, quae non praesenti Dei natura et potestate comprehensa sit.

§. 739. Quamquam in hac cogitatione fideles non solum communis omnium parentis imaginem sibi proponent, sed etiam in coelo regnantis Dei, ut oraturi meminerint, mentem animumque esse referendum ad coelum, quantumque spei ac fiduciae affert eis Patris nomen, tantum christianae humilitatis ac pietatis adjungat praestans illa natura ac divina majestas *Patris nostri, qui est in coelis.* Quae verba praefiniunt etiam orantibus, quid petendum sit. Omnis enim postulatio nostra, quae ad hujus vitae usum ac necessitatem pertineat, nisi cum coelestibus sit conjuncta bonis, et ad illum finem dirigatur, inanis est et indigna Christiano. Quare monebunt pios auditores Parochi de hac ratione precationis, et admonitionem illa Apostoli autoritate comprobabunt (*Col. III,* 1. 2.): *Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram.*

## CAPUT IV.

### De prima petitione: *Sanctificetur nomen tuum.*

*De ordine petitionum, et cur haec sit prima petitio, quaeque ea sint, quae tribus primis petitionibus ipsi Deo postulamus, ad quarum singulas referri possunt haec verba: Sicut in coelo et in terra* §. 740.; *quae sit vis et sententia hujus primae postulationis, tum quae et quot sint, quae in ea precamur* §. 741 —744.; *non solum verbis orandum, sed re etiam, atque ita videndum, ut nomen Dei per nos non violetur, aut factis blasphemetur, sed sanctificetur* §. 745.

§. 740. Quid a Deo petendum, quove ordine id agendum sit, Magister ipse ac Dominus omnium docuit et imperavit. Nam cum studii et desiderii nostri nuntia sit et interpres oratio, tum recte et ratione petimus, cum postulationum ordo sequitur ordinem rerum expetendarum. Monet autem nos vera charitas, totum ut animum et studium conferamus in Deum, qui, quoniam solus est

in seipso summum bonum, jure est praecipuo quodan ac singulari amore diligendus. Nec vero ex animo e unice potest amari Deus, nisi rebus ac naturis omnibu ejus honor et gloria praeponatur. Bona enim, et nostr et aliena et omnino omnia, quaecunque Boni vocabul nominantur, ab illo profecta, summo ipsi bono cedunt Quare ut ordine procederet Oratio, Salvator petitionen hanc de summo bono, principem et caput constituit pe titionum reliquarum, docens nos, priusquam ea, qua nobis aut proximo cuique opus sint, postulemus, qua propria sint Dei gloriae, petere debere, ipsique De studium et desiderium ejus rei nostrum exponere. Qu facto, manebimus in officio charitatis, qua docemur, e plus Deum, quam nos ipsos, diligere, et primum petere quae Deo cupiamus; deinde, quae nobis optemus. E quoniam desiderium et petitio sunt earum rerum, quibu caremus; nec vero Deo, id est ejus naturae, fieri ac cessio potest, aut augeri ulla re divina substantia, qua inexplicabilem in modum est omni perfectione cumulata intelligendum est, extra haec esse, quae a Deo, ipsi De petimus, et ad externam ejus gloriam pertinere. Cupi mus enim et petimus, ut Dei nomen notius sit gentibus ut ejus regnum amplificetur, ut plures quotidie obedian divino numini; quae tria, Nomen, Regnum, Obedienti non in illo ipso sunt intimo Dei bono, sed assumuntu extrinsecus. Verum ut hae petitiones quam vim ha beant, et quid valeant, planius intelligatur, Pastori erunt partes, monere fidelem populum, verba illa: *Sicu in coelo et in terra* ad singulas referri posse primarun trium postulationum, ut *Sanctificetur nomen tuum, sicu in coelo et in terra*; item: *Adveniat regnum tuum, sicu in coelo et in terra;* similiter: *Fiat voluntas tua, sicu in coelo et in terra.*

§. 741. Cum autem petimus, ut sanctificetur nome Dei, id sentimus, ut augeatur sanctitas et gloria divin nominis. Quo loco Parochus animadvertet ac docebi pios auditores, non id dicere Salvatorem, ut eodem mod sanctificetur in terra, quo in coelo, id est, ut amplitu dine terrestris sanctificatio coelestem exaequet; hoc enin fieri nullo pacto potest: sed ut ex charitate, ex intim animi studio id agatur. Etsi verissimum illud est, sicut est, *divinum nomen* per se sanctificatione non egere cum *sanctum et terribile sit (Psalm. CX, 9.)*, quemad

modum ipse Deus suapte natura sanctus est; neque ei ulla sanctitas, qua ab omni aeternitate praeditus non fuerit, possit accedere; tamen, quod in terris longe minore honore afficitur, quam par est, nonnunquam etiam maledictis et nefariis vocibus violatur; propterea cupimus ac petimus, ut laudibus, honore, gloria celebretur ad exemplum laudum, honoris et gloriae, quae illi in coelo tribuuntur, id est, ut sic honor et cultus in mente, in animo, in ore versetur, ut omni veneratione, et intima et externa, prosequamur, omni celebritate excelsum, purum et gloriosum Deum, ad imitationem supernorum ac coelestium civium, complectamur.

§. 742. Ut enim coelites summa consensione, gloriā et praedicatione efferunt Deum; sic precamur, ut idem contingat orbi terrarum, et omnes gentes Deum cognoscant, colant et venerentur, ut nulli plane mortales reperiantur, qui non et suscipiant christianam religionem, et se totos Deo dicantes, credant ex eo omnem sanctitatis fontem existere, neque quidquam esse purum aut sanctum, quod non a sanctitate divini nominis oriatur. Testatur enim Apostolus *(Ephes. V, 26.)*, *mundatam esse Ecclesiam in lavacro aquae, in verbo vitae.* Significat autem verbum vitae, nomen Patris et Filii et Spiritus Sancti, in quo baptizamur et sanctificamur. Itaque, quoniam nulla cujusquam expiatio, nulla munditia et integritas esse potest, super quo non sit invocatum divinum nomen, cupimus et petimus a Deo, ut omne hominum genus, relictis impurae infidelitatis tenebris, ac radiis divini luminis illustratum, hujus vim nominis agnoscat: sic, ut in eo veram quaerat sanctitatem, et in nomine sanctae et individuae Trinitatis Baptismi Sacramentum suscipiens, ipsius Dei dextera perfectam vim sanctitatis consequatur.

§. 743. Pertinet vero optatum et postulatio nostra non minus etiam ad eos, qui flagitiis et sceleribus contaminati, puram Baptismi integritatem et innocentiae stolam amiserunt; quare factum est, ut in illis miserrimis suam iterum sedem impurissimus spiritus collocarit. Optamus igitur et precamur a Deo, ut in ipsis etiam sanctificetur nomen ejus, ut ad cor et ad sanitatem redeuntes, Sacramento Poenitentiae redimant pristinam sanctitatem, seque ipsos purum ac sanctum Deo templum ac domicilium praebeant. Oramus denique, lumen

ut suum Deus praeferat omnium mentibus, quo videre possint (*Jacob. I, 17.*), *omne datum optimum, et omne donum perfectum, descendens a Patre luminum,* ad nos divinitus esse delatum, quo temperantiam, justitiam, vitam, salutem, omnia denique animi, corporis, externa, vitalia ac salutaria bona illi accepta referant, a quo, quemadmodum praedicat Ecclesia, bona cuncta procedunt: si quid luce sua sol, si quid reliqua sidera motu et cursu prosunt hominum generi; si circumfuso hoc alimur spiritu; si terra frugum et fructuum ubertate vitam sustinet omnium; si opera magistratuum quiete ac tranquillitate fruimur: et haec et hujus generis bona innumerabilia nobis suppeditat immensa Dei benignitas. Quin etiam, quas Philosophi secundas causas appellant, interpretari debemus, mirabiliter effectas quasdam, et ad usum nostrum accommodatas Dei manus, quibus nobis sua bona distribuit, ac longe lateque diffundit.

§. 744. Quod autem maxime rem continet in hac petitione, illud est, ut omnes agnoscant et venerentur sanctissimam Jesu Christi sponsam et parentem nostram Ecclesiam, in qua una est fons ille amplissimus atque perpetuus ad eluendas et expiandas omnes peccatorum sordes, unde hauriuntur universa salutis et sanctificationis Sacramenta, quibus, quasi coelestibus quibusdam fistulis, in nos a Deo ille sanctitatis ros et liquor effunditur, ad quam solam, et ad eos, quos suo sinu et gremio complexa est, pertinet divini illius imploratio *nominis, quod unum sub coelo datum est hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri (Act. IV, 12.).*

§. 745. Verum Parochi maxime hunc locum urgere debebunt, esse boni filii, non solum Patrem Deum orare verbis, sed re etiam et actione conari, ut eluceat in ipso sanctificatio divini nominis. Utinam non essent, qui, cum oratione hanc Dei nominis sanctificationem assidue postulent, factis, quantum in ipsis est, illud violant atque contaminant, quorum culpa interdum ipsi etiam Deo maledicitur. In quos dictum est ab Apostolo (*Rom. II, 24.*): *Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes.* Et apud Ezechielem legimus (*Ezech. XXXVI, 20.*): *Ingressi sunt ad gentes, ad quas introierunt, et polluerunt nomen sanctum meum, cum diceretur de iis: Populus Domini iste est, et de terra ejus egressi sunt.* Qualis enim est vita, et ut sunt eorum mores, qui reli-

gionem profitentur, sic de religione ipsa, deque ejus autore religionis, multitudo imperita judicare solet. Quare qui vivunt ex christiana religione, quam susceperunt, et ad ejus regulam, orationem et actiones dirigunt suas, magnam facultatem praebent aliis laudandi nomen coelestis parentis, et omni honore et gloria celebrandi. Nobis enim ipse has partes imposuit Dominus, ut illustribus virtutis actionibus excitemus homines ad laudem et praedicationem divini nominis; ad quos loquitur in hunc modum apud Evangelistam *(Matth. V, 16.)*: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in coelis est.* Et princeps Apostolorum *(1 Petr. I, 12.)*: *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum.*

## CAPUT V.

### De secunda petitione: *Adveniat regnum tuum.*

*Quanta ejus vis sit atque necessitas, et quam studiose explicanda, quaeque summa sit eorum, quae in ea postulantur* §. 746. 747.; *non tantum petendum esse regnum Dei, sed etiam in eo quaerendo inveniendoque operam ponendam esse, et qua ratione ad regni coelestis desiderium studiumque fideles excitandi per comparationem summae illius beatitudinis, et nostri status miseriarum* §. 748. 749.

§. 746. Regnum coeleste, quod altera hac petitione postulamus, ejusmodi est, ut eo referatur ac terminetur omnis Evangelii praedicatio. Nam et inde exorsus est ad poenitentiam cohortari S. Johannes Baptista *(Matth. III, 2.)*, dum, *Poenitentiam*, inquit, *agite; appropinquavit enim regnum coelorum.* Nec aliunde fecit initium suae praedicationis Salvator humani generis, et in illo salutari sermone, quo beatitudinis vias discipulis in monte monstravit, tanquam proposito orationis argumento, principium duxit a regno coelorum. Nam *Beati*, inquit *(Matth. V, 3.)*, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* Quin etiam cum retinere cupientibus, attulit illam causam necessariae profectionis *(Luc. IV, 43.)*: *Et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum.* Hoc idem postea regnum praedicare jussit Apostolos (*Matth. X, 7.*), et illi, qui

se ire ad sepeliendum patrem suum velle dixerat, respondit *(Luc. IX, 60.)*: *Tu vade, annuntia regnum Dei.* Cum vero resurrexisset a mortuis, per illos quadraginta dies, quibus apparuit Apostolis, loquebatur de regno Dei. Quare Parochi hunc secundae postulationis locum diligentissime tractabunt, ut fideles auditores, quanta sit in hac petitione vis ac necessitas, intelligant.

§. 747. Primum autem ipsis, ad rem scienter subtiliterque explicandam, magnam facultatem dabit ea cogitatio, quod, etsi haec petitio conjuncta sit cum reliquis omnibus, eam tamen separatim etiam adhiberi jusserit a caeteris, ut quod petimus, summo studio quaeramus. Inquit enim *(Matth. VI, 33.)*: *Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus; et haec omnia adjicientur vobis.* Et quidem tanta vis et copia coelestium munerum hac postulatione continetur, ut omnia complectatur, quae ad corpoream et spiritualem vitam tuendam sint necessaria. Quem autem regio nomine dignum dicemus, cui ea curae non sint, quae regni salutem contineant? Quod si sunt homines de regni sui incolumitate solliciti, quanta Regem Regum omnium cura et providentia tueri credendum est et vitam et salutem hominum? Hac igitur regni Dei petitione comprehensa sunt omnia, quibuscumque in hac peregrinatione, vel exilio potius, indigemus, quae concessurum se Deus benigne pollicetur. Nam statim illa subjunxit: *Et haec omnia adjicientur vobis.* Quibus omnino declaravit, se eum esse Regem, qui generi hominum copiose omnia largeque suppeditat; in cujus infinitae benignitatis cogitatione infixus David, cecinit *(Psalm. XXII, 1.)*: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit.*

§. 748. Verum minime satis est, vehementer petere Dei regnum, nisi ad petitionem nostram adhibeamus omnia tanquam instrumenta, quibus illud quaeritur et invenitur. Nam et quinque fatuae virgines studiose illae quidem petierunt ad hunc modum: *Domine, Domine, aperi nobis;* veruntamen, quod illius postulationis praesidia non haberent, exclusae sunt, nec injuria: est enim illa Dei ore pronuntiata sententia *(Matth. VII, 21.)*: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine Domine! intrabit in regnum coelorum.* Quamobrem haurient animarum curatores, Sacerdotes, ex uberrimis Divinarum Literarum fontibus ea, quae fidelibus desiderium studiumque commoveant regni coelorum, quae calamitosam status nostri

conditionem illis ob oculos ponant; quae sic eos afficiant, ut respicientes et colligentes se, in memoriam redeant summae beatitudinis et inexplicabilium bonorum, quibus redundat aeterna parentis Dei domus. Exules enim sumus, et plane ejus loci incolae, in quo habitant Daemones, quorum odium in nos nulla ratione mitigari potest; nam sunt infestissimi et implacabiles in genus humanum. Quid domestica intestinaque praelia, quae inter se corpus et anima, caro et spiritus assidue gerunt, quibus perpetuo timendum est, ne concidamus; timendum autem? imo vero statim conciderem us, nisi propugnaculo divinae dexterae defenderemur. Quam vim miseriarum cum sentiret Apostolus *(Rom. VII, 24.)*: *Infelix*, inquit, *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

§. 749. Haec infelicitas nostri generis, quamquam per se cognoscitur, tamen ex contentione reliquarum naturarum et creatarum rerum facilius intelligi potest. In illis, sive rationis sive etiam sensus expertibus, raro fieri videmus, ut aliqua natura a propriis actionibus, a sensu vel motu insito declinet sic, ut a proposito et constituto fine deflectat. Hoc apparet in bestiis agrestibus, nantibus, volucribus, ut res declaratione non egeat. Quod si coelum suspexeris, nonne verissimum id esse intelligis, quod a Davide dictum est *(Psalm. CXVIII, 89.)*: *In aeternum, Domine, verbum tuum permanet in coelo?* Nempe illud continenti motu et perpetua conversione fertur, ut ne minimum quidem a praefinita divinitus lege discedat. Si terram et reliquam universitatem consideres, facile videas, aut nulla aut exigua ex parte deficere. At miserrimum hominum genus saepissime labitur; raro quae recte sunt cogitata persequitur; plerumque susceptas bonas actiones abjicit atque contemnit; quae modo placuerat optima sententia, subito displicet, et illa rejecta, ad turpia consilia sibique perniciosa delabitur. Quaenam igitur est hujus inconstantiae miseriaeque causa? Contemptio plane divini afflatus. Claudimus enim aures Dei monitis, oculos tollere nolumus ad ea, quae nobis lumina divinitus praeferuntur, nec coelestem Patrem salutariter praecipientem audimus. Quare huc incumbendum erit Parochis, ut et miserias oculis subjiciant fidelis populi, et commemorent causas miseriarum et remediorum vim ostendant. Quorum omnium illis facultas

non deerit, comparata ex viris sanctissimis, Johanne Chrysostomo et Augustino, maxime vero ex iis, quae in Symboli expositione posuimus. Nam illis cognitis, quis erit e facinorosorum hominum numero, quin adjumento Dei gratiae praeeuntis, evangelico illo prodigi filii exemplo *(Luc. XV.)* conetur exurgere et erigere se, atque in coelestis Regis Patrisque conspectum venire?

## CAPUT VI.

### *Quid sit Regnum Dei, et de quatuor ejus significationibus* §. 750 — 754.

§. 750. His explicatis, quae sit fidelium fructuosa petitio, aperient, quid sit, quod his verbis a Deo postulemus; praesertim cum vocabulum Regni Dei multa significet, quorum declaratio et ad reliquam Scripturae intelligentiam non erit inutilis, et est ad hujus cognitionem loci necessaria. Communis igitur quaedam Regni Dei significatio, quae frequens est in Divinis Literis, est non solum ejus potestatis, quam habet in omnem hominem rerumque universitatem, sed etiam providentiae, quae cuncta regit et moderatur. *In manu* enim *ejus*, inquit Propheta *(Psalm. XCIV, 4.)*, *sunt fines terrae.* Quibus finibus intelliguntur etiam, quae occulta sunt, et abdita in intimis terrae, ac rerum omnium partibus. In hanc sententiam Mardochaeus loquebatur illis verbis *(Esth. XIII, 9. 11.)*: *Domine Deus, Rex omnipotens: in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est, qui possit tuae resistere voluntati. Dominus omnium es, nec est, qui resistat majestati tuae.*

§. 751. Item Dei Regno declaratur praecipua illa ac singularis providentiae ratio, qua Deus pios et sanctos homines tuetur et curat. De qua propria et eximia quadam Dei cura dictum est illud a Davide *(Psalm. XXII, 1.)*: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit.* Tum ab Jesaia *(Cap. XXXIII, 22.)*: *Dominus Rex noster, ipse salvabit nos.* In qua Dei regia potestate etsi praecipua ratione sunt in hac vita ii, quos diximus, sancti ac pii homines; tamen monuit Pilatum ipse Christus Dominus *(Joh. XVIII, 36.)*, regnum suum non esse ex hoc mundo, hoc est, minime ex hoc mundo, qui et conditus est et interiturus, ortum habere. Nam eo, quem diximus, modo dominantur Imperatores, Reges, Respublicae, Duces

omnesque ii, qui vel expetiti ac delecti ab hominibus, praesunt civitatibus atque provinciis, vel per vim et injuriam dominatum occuparunt.

§. 752. Christus autem Dominus *constitutus est Rex a Deo*, ut ait Propheta *(Psalm. II, 6.)*, cujus regnum, ex Apostoli sententia *(Rom. XIV, 17.)*, justitia est. Inquit enim: *Regnum Dei est justitia, et pax et gaudium in Spiritu Sancto.* Regnat autem in nobis Christus Dominus per virtutes intimas, fidem, spem, charitatem: quibus virtutibus Regni quodammodo partes efficimur, et Deo peculiari quadam ratione subjecti, ad ejus cultum ac venerationem consecramur, ut, quemadmodum dixit Apostolus *(Galat. II, 20.)*: *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus;* ita nobis dicere liceat: Regno ego, jam non ego, regnat vero in me Christus. Id autem Regnum justitia dicitur, quia Christi Domini justitia constitutum est. Ac de hoc Regno sic loquitur apud sanctum Lucam Dominus *(Luc. XVII, 21.)*: *Regnum Dei intra vos est.* Nam etsi Jesus Christus per fidem regnat in omnibus, qui gremio ac sinu sanctissimae matris Ecclesiae continentur; praecipue tamen modo regit eos, qui praestanti fide, spe et charitate praediti, se, tanquam pura quaedam et viva membra, Deo praebuerunt, et in his Dei gratiae Regnum esse dicitur.

§. 753. Est vero etiam Dei gloriae regnum illud, de quo Christum Dominum apud S. Matthaeum loquentem audimus *(Matth. XXV, 34.)*: *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis Regnum a constitutione mundi.* Quod idem ab eo Regnum, apud S. Lucam latro admirabiliter sua scelera recognoscens expetebat in hunc modum *(Luc. XXIII, 42.)*: *Domine, memento mei, cum veneris in Regnum tuum.* Sanctus etiam Johannes meminit hujus Regni *(Joh. III, 5.)*: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in Regnum Dei.* Meminit item Apostolus ad Ephesios *(Cap. V, 5.)*: *Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet haereditatem in Regno Christi et Dei.* Eodem pertinent aliquot similitudines Christi Domini *(Matth. XIII.)*, loquentis de Regno Coelorum.

§. 754. Necesse est autem, prius ponere Regnum Gratiae. Neque enim fieri potest, ut in illo regnet Dei gloria, nisi ejusdem gratia in illo regnarit. Est vero

Gratia, ipsius sententia Salvatoris (*Joh. IV*, 14.), *fons aquae salientis in vitam aeternam.* Gloriam autem quid esse dicemus, nisi gratiam quandam perfectam et absolutam? Quamdiu enim fragili hoc et mortali corpore vestiti sumus, dum in hac caeca peregrinatione et exilio vagi et imbecilles absumus a Domino, saepe labimur et cadimus, abjecto Regni Gratiae adminiculo, quo nitebamur: cum autem Regni Gloriae, quod perfectum est, lux nobis illuxerit, firmi ac stabiles perpetuo consistemus. Omne enim et vitium et incommodum exhaurietur, omnis infirmitas confirmata roborabitur; ipse denique nostra in anima et in corpore regnabit Deus. Quae res uberius in Symbolo tractata est, cum de Resurrectione carnis ageretur.

## CAPUT VII.

*De iis, quae praecipue hac petitione continentur et postulantur* §. 755.; *quibus cogitationibus instructus has preces pie utiliterque Deo facere possit, ut de contemptu rerum terrenarum et animi humilitate, operaque danda, ut ea agantur et adhibeantur, quibus ad coeleste regnum pervenitur* §. 756—758.

§. 755. His expositis, quae communem Regni Dei sententiam declarant, quid sibi haec petitio proprie velit, dicendum est. Petimus autem a Deo, ut Regnum Christi, quod est Ecclesia, propagetur, ut se ad fidem Christi Domini, et ad accipiendam veri Dei cognitionem convertant infideles et Judaei, et Schismatici ac Haeretici redeant ad sanitatem, et ad Ecclesiae Dei communionem, a qua desciverunt, revertantur, ut compleatur et ad exitum perducatur, quod Jesaiae ore dixit Dominus (*Jes. LIV*, 2. 3.): *Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende; longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida; ad dexteram enim et ad laevam penetrabis, quia dominabitur tui, qui fecit te.* Et idem (*Cap. LX*, 3. 4.): *Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui; leva in circuitu oculos tuos, et vide; omnes isti, qui congregati sunt, venerunt tibi; filii tui de longe venient, et filiae tuae de latere surgent.* Verum quia sunt in Ecclesia, qui verbis confitentes Deum, factis negantes (*Tit. I*, 16.), deformatam fidem prae se ferant, in quibus propter peccatum Daemon habitat ac dominatur, tanquam in propriis domiciliis; petimus etiam, ut ad eos

veniat Regnum Dei, quo illi, peccatorum discussa caligine et radiis divinae lucis illustrati, restituantur in filiorum Dei pristinam dignitatem, ut omnibus e suo Regno, coelestis parens, sublatis Haereticis atque Schismaticis, ejectisque offensionibus ac scelerum causis, aream purget Ecclesiae, quae Deo cultum pie sancteque adhibendo, quieta ac tranquilla pace perfruatur. Petimus denique, ut solus in nobis vivat, solus regnet Deus, ne sit posthac morti locus, sed ut illa absorbeatur in victoria Christi Domini nostri, qui disjecto ac dissipato omni hostium principatu, potestate et virtute, suo omnia subjiciat imperio.

§. 756. Erit autem curae Parochis, ut, quod postulat hujus ratio petitionis, fidelem populum doceant, quibus cogitationibus et meditationibus instructus, has pie Deo preces facere possit. Ac primum hortabuntur, ut vim ac sententiam intueatur illius similitudinis a Salvatore introductae (*Matth. XIII,44.*): *Simile est Regnum Coelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, et prae gaudio illius vadit et vendit universa, quae habet, et emit agrum illum.* Nam qui noverit Christi Domini divitias, is prae illis omnia contemnet; huic facultates, opes, potentia sordescent. Nihil enim est, quod illi summo pretio comparari, imo vero quod in conspectu ejus stare possit. Quare quibus id nosse contigerit, exclamabunt illi, ut Apostolus (*Philip. III, 8.*): *Omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Haec est illa insignis Evangelii margarita, in quam, qui pecuniam, ex omnium bonorum venditione redactam erogarit, is beatitudine fruetur sempiterna. O nos felices, si tantum luminis nobis praeferret Jesus Christus, ut illam videre possemus divinae gratiae margaritam, qua ipse regnat in suis! nam et nostra omnia et nos ipsos venundaremus, ut emptam illam tueremur. Tum enim denique nobis id non dubitanter dicere liceret (*Rom. VIII, 35.*): *Quis nos separabit a charitate Christi?* Praestantem vero Regni Gloriae excellentiam, si, quae sit, scire volumus, eandem de illa et Prophetae (*Jes. LXIV, 4.*) et Apostoli (*1 Cor. II, 9.*) vocem atque sententiam audiamus: *Oculus non vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis adscendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Proficiet autem ad impetrandum maxime, quod petimus, si, qui simus, ipsi nobiscum

reputemus, id est Adam progenies, jure e Paradiso ejecti, et exules, quorum indignitas ac perversitas summum Dei odium ac sempiternas poenas postularet. Quare demisso tum et abjecto animo simus oportet. Nostra etiam erit plena christianae humilitatis oratio, et omnino nobis ipsi diffidentes, illius more Publicani *(Luc. XVIII.)* confugiemus in Dei misericordiam, totumque ejus benignitati tribuentes, ipsi gratias agemus immortales, qui nobis suum spiritum sit elargitus, quo freti, clamare audeamus: *Abba, Pater (Rom. VIII, 15.)*.

§. 757. Suscipiemus etiam illam curam et cogitationem, quid agendum, quid contra vitandum sit, ut ad Coeleste Regnum pervenire possimus. Non enim a Deo ad otium et ad inertiam vocati sumus: quin imo inquit *(Matth. XI, 12.)*: *Regnum Coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud;* et *(Matth. XIX, 17.)*: *Si vis ad vitam ingredi. serva mandata.* Itaque non est satis, petere Regnum Dei, nisi suum ipsi etiam studium et operam adhibeant homines. Nam adjutores sint oportet, et administri Dei gratiae in eo tenendo cursu, quo pervenitur in coelum. Nunquam nos deserit Deus, qui nobiscum se futurum perpetuo pollicitus est *(Matth. XXVIII, 20.)*; unum ut nobis videndum sit, ne Deum et nos ipsos deseramus. Ac Dei quidem sunt in hoc Ecclesiae Regno omnia, quibus et vitam tuetur hominum, et salutem perficit sempiternam, et quae sub adspectum non cadunt, Angelorum copiae et plenissimum virtutis coelestis visibile hoc munus Sacramentorum. In his tantum nobis praesidii est divinitus constitutum, ut non modo ab acerrimorum hostium regno tuti esse, sed ipsum etiam tyrannum ejusque nefarios satellites prosternere et conculcare possimus.

§. 758. Quare vehementer ad extremum petamus a Dei Spiritu, nos ut omnia jubeat e sua voluntate facere; Satanae ut tollat imperium, nullam ut in nobis summo illo die potestatem habeat; ut vincat et triumphet Christus; ut vigeant ejus leges toto orbe terrarum; ut decreta serventur; nullus ut proditor aut desertor ejus sit; sed tales se praebeant omnes, ut in Regis Dei conspectum non dubitanter veniant, et constitutam illis ex omni aeternitate possessionem adeant Regni Coelestis, ubi beati cum Christo sempiterno aevo fruantur.

## CAPUT VIII.

### De tertia petitione: *Fiat voluntas tua.*

*De ordine et continuatione, ejusque necessitate atque utilitate; continet enim remedium adversus ea mala et damna, quae primi parentis peccatum invexit* §. 759—761.; *quae sit summa hujus petitionis quodque in ea regula tradatur, ad quam christiani hominis vita dirigenda sit et conformanda* §. 762.

§. 759. Cum a Christo Domino dictum sit (*Matth. VII,* 21.): *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in Regnum Coelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse intrabit in Regnum Coelorum;* quicunque in illud Coeleste Regnum pervenire cupiunt, id a Deo petere debent, *ut fiat voluntas ejus.* Quamobrem hoc loco posita petitio est statim post Regni Coelestis postulationem. Ut autem intelligant fideles, quam necessarium id nobis sit, quod hac prece postulamus, quantamque vim salutarium munerum ex ejus impetratione consequamur, demonstrabunt Parochi, quibus miseriis et aerumnis oppressum fuerit hominum genus propter peccatum primi parentis. Nam a principio Deus proprii boni appetitionem creatis rebus ingeneravit, ut naturali quadam propensione suum quaererent et expeterent finem, a quo illae nunquam, nisi objecto extrinsecus impedimento, declinant. Haec autem initio fuit in homine expetendi Deum, suae beatitudinis autorem parentemque, eo praeclarior et praestantior vis, quod is compos esset rationis atque consilii. Sed hunc amorem, sibi naturaliter ingenitum, cum reliquae naturae rationis expertes conservassent, quae, ut initio procreatae fuerunt natura bonae, sic in eo statu et conditione manserunt, hodieque manent; miserum hominum genus cursum non tenuit: non enim solum bona justitiae originalis amisit, quibus a Deo supra naturae suae facultatem auctum ornatumque fuerat; sed etiam insitum in animo praecipuum virtutis studium obscuravit. *Omnes,* inquit (*Psalm. LII,*4.), *declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. Nam sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua* (*Genes. VIII.* 21.), ut inde facile intelligi possit, neminem per se salutariter sapere, sed omnes ad malum esse propensos, innumerabilesque

esse hominum pravas cupiditates, dum proclives sunt, et flagranti studio feruntur ad iram, ad odium, ad superbiam, ad ambitionem, ad omne fere malorum genus.

§. 760. Quibus in malis quamquam assidue versemur, tamen, quae summa est nostri generis miseria, permulta ex illis sunt, quae nobis minime mala videantur. Quae res insignem arguit hominum calamitatem, qui cupiditatibus ac libidinibus obcaecati, non videant, quae salutaria opinantur plerumque esse pestifera, imo vero ad illa perniciosa mala, tanquam ad optabile et expetendum bonum, rapiantur praecipites; ab iis, quae vere bona sunt et honesta, tanquam a contrariis rebus, abhorreant. Hanc opinionem corruptumque judicium detestatur Deus illis verbis *(Jes. V, 20.)*: *Vae, qui dicitis malum bonum et bonum malum, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce et dulce in amarum.* Itaque nostris ut subjiciant oculis nostras miserias, comparant nos Divinae Literae iis, qui verum gustandi sensum amiserunt, qua re fit, ut a salubri victu alieni sint appetantque contrarium. Cum aegrotis praeterea nos conferunt. Ut enim illi nisi morbum depulerint, sanorum et integrorum hominum officia ac munera obire non possunt, sic nos actiones, quae Deo gratae sint, suscipere sine divinae gratiae adjumento nequimus. Quod si quaedam sic affecti assequimur, levia illa sunt, et quae ad consequendam coelestem beatitudinem parum vel nihil momenti habent. At Deum, ut par est, amare et colere, quod majus quiddam et altius est, quam ut nos humi strati, id humanis viribus assequamur, nunquam poterimus, nisi adminiculo divinae gratiae sublevemur.

§. 761. Quamquam aptissima est etiam illa comparatio ad significandam miseram humani generis conditionem, quod similes esse dicimur puerorum, qui suo relicti arbitrio, temere moventur ad omnia; pueri, inquam, sumus et imprudentes, ludicris sermonibus et inanibus actionibus dediti, si a divino praesidio deseramur. Sic enim nos objurgat Sapientia *(Prov. I, 22.)*: *Usque quo parvuli diligitis infantiam, et stulti ea, quae sibi sunt noxia, cupient?* Et in hunc modum hortatur Apostolus *(1 Cor. XIV, 20.)*: *Nolite pueri effici sensibus.* Etsi majori in inanitate et errore versamur, quam illa puerilis aetas, cui tantum abest humana prudentia, ad quam

tamen per se tempore potest pervenire; cum ad divinam prudentiam, quae ad salutem necessaria est, nos, nisi Deo autore et adjutore, adspirare non possimus. Nisi enim praesto nobis sit Dei auxilium, rejectis iis, quae vere sunt bona, ad interitum ruimus voluntarium. Ac si quis discussa divinitus animi caligine, has videat hominum miserias, et sublato stupore, sentiat legem membrorum, ac sensus cupiditates spiritui repugnantes, recognoscat omnemque dispiciat naturae nostrae propensionem ad malum, qui poterit non ardenti studio opportunum tanto huic malo, quo naturae vitio premimur, remedium quaerere salutaremque illam regulam expetere, ad quam christiani hominis vita dirigenda et conformanda sit?

§. 762. Hoc igitur illud est, quod imploramus, cum ita precamur Deum: *Fiat voluntas tua.* Cum enim abjecta obedientia et Dei voluntate neglecta, in has miserias inciderimus, unum illud tantorum malorum remedium nobis divinitus propositum est, ut ex Dei voluntate, quam peccando contempsimus, aliquando vivamus, omnesque cogitationes et actiones nostras ea regula metiamur; quod ut assequi possimus, suppliciter illud a Deo petimus: *Fiat voluntas tua.* Id vero illis etiam vehementer petendum est, in quorum animis jam regnat Deus, quique jam sunt radiis divini luminis illustrati; cujus gratiae beneficio, Dei obtemperent voluntati. Quibus licet ita comparatis, propriae tamen cupiditates adversantur, propter proclivitatem ad malum, insitam in hominum sensibus, ut, etiamsi tales simus, magnum tamen hoc loco nobis periculum sit a nobis ipsis, ne abstracti et illecti a *concupiscentiis, quae militant in membris nostris* (*Jac. IV,* 1.), iterum de salutis via deflectamus. De quo nos periculo Christus Dominus admonuit illis verbis (*Matth. XXVI,* 41.): *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem: spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Non enim est in hominis potestate, ne in ejus quidem, qui per Dei gratiam est justificatus, ita domitos habere carnis affectus, ut nunquam illi postea excitentur; quippe cum eorum, qui justificati sunt, mentem sanet Dei gratia, non etiam carnem; de qua illud scripsit Apostolus (*Rom. VII,* 18.): *Scio enim, quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum.* Nam ut semel primus homo justitiam originalem, quo, tanquam

fraeno quodam, cupidates regebantur, amisit, minime eas postea ratio ita continere potuit in officio, ut ea non appeterent, quae etiam rationi repugnant. Itaque in ea hominis parte peccatum, id est, peccati fomitem habitare scribit Apostolus, ut intelligamus, eum non ad tempus, quasi hospitem, diversari apud nos, sed quamdiu vivimus, tanquam incolam nostri corporis in domicilio membrorum haerere perpetuo. Ergo domesticis et intestinis hostibus assidue oppugnati, facile intelligimus, confugiendum esse ad Dei auxilium, petendumque, ut fiat in nobis voluntas ejus.

## CAPUT IX.

*Quae voluntatis nomine hoc loco comprehensa sint, quaeque ea sint et quam varia, quae hac tertia petitione postulantur* §. 763—768.

§. 763. Jam vero faciendum est, ut sciant fideles, quae sit hujus petitionis vis. Quo loco multis omissis, quae a Doctoribus scholasticis de Dei voluntate utiliter et copiose disputantur, voluntatem hic accipi dicimus pro ea, quam signi appellare solent, hoc est pro eo, quod Deus a nobis fieri, aut caveri jusserit, aut monuerit. Quare voluntatis nomine hoc loco comprehensa sunt universa, quae nobis ad coelestem beatitudinem comparandam proponuntur, sive illa ad fidem, sive ad mores pertineant; omnia denique, quaecunque nos Christus Dominus per se, vel per Ecclesiam suam facere, aut imperarit aut prohibuerit. De qua voluntate ita scribit Apostolus *(Ephes. V, 17.)*: *Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quae sit voluntas Dei.*

§. 764. Cum igitur illud precamur: *Fiat voluntas tua*, petimus inprimis, nobis ut Pater coelestis facultatem concedat obtemperandi divinis jussis, et inserviendi ei in sanctitate et justitia, omnibus diebus nostris, ut ad nutum et voluntatem ejus omnia faciamus, ut ea colamus officia, de quibus in Sacris Literis admonemur, ut ipso duce et autore reliqua omnia praestemus, quae eos decent, qui non ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt. Exemplum Christi Domini secuti, qui factus est *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (Philip. II, 8.)*, ut parati simus omnia perpeti potius, quam vel in minimo ab ejus voluntate discedere. Nec

vero quisquam est, qui hujus studio et amore petitionis flagret ardentius, quam is, cui concessum sit, ut summam eorum dignitatem intueatur, qui Deo obediunt. Idem enim illud verissime dici intelligit: Servire Deo, et illi obedire, regnare esse. *Quicunque*, inquit Dominus *(Matth. XII, 50.)*, *fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater, soror et mater est;* hoc est, cum illo sum omnibus amoris et benevolentiae vinculis conjunctissimus. Nemo fere est ex viris sanctis, quin praecipuum hujus petitionis munus a Deo vehementer postularit, ac praeclara quidem omnes, sed varia persaepe oratione usi sunt, in quibus mirificum et suavissimum Davidem videmus illud varie postulantem. Modo enim inquit *(Psalm. CXVIII, 5.)*: *Utinam dirigantur viae meae ad custodiendas justificationes tuas;* interdum (35.): *Deduc me in semitam mandatorum tuorum;* nonnunquam (133.): *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis injustitia.* Huc pertinent illa (73. 108. 125.): *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua.— Judicia tua doce me.— Da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.* Saepe aliis verbis eandem tractat versatque sententiam. Qui loci diligenter animadvertendi sunt et fidelibus explicandi, ut quanta sit in prima hujus petitionis parte vis et copia salutarium rerum, omnes intelligant.

§. 765. Secundo loco, cum illud precamur: *Fiat voluntas tua*, detestamur opera carnis, de quibus scribit Apostolus *(Galat. V, 19.)*: *Manifesta sunt autem opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria* etc.; et *(Rom. VIII, 13.)*: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Petimusque, ne sinat Deus ea nos perficere, quae sensus, quae cupiditas, quae imbecillitas nostra suaserit, sed ut nostram voluntatem sua voluntate moderemur. Alieni sunt ab hac voluntate voluptarii homines, qui in terrenarum rerum cura et cogitatione defixi sunt. Feruntur enim libidine praecipites ad potiundum, quod concupierunt, et in illo fructu pravae cupiditatis felicitatem ponunt, ut beatum etiam esse dicunt, qui quodcunque optarit, consequatur. Nos contra petimus a Deo, ut ait Apostolus *(Rom. XIII, 14.)*, ne *carnis curam faciamus in desideriis*, sed ut fiat voluntas ejus: etsi non facile adducimur, ut precemur Deum, ut cupiditatibus nostris non satisfaciat. Habet enim diffi-

cultatem haec animi inductio, quod ipsi quodam modo id petentes, nos videmur odisse; quod etiam stultitiae tribuunt ii, qui toti haerent in corpore. Sed nos stultitiae famam subeamus libenter Christi causa, cujus est illa sententia *(Matth. XVI, 24.)*: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum;* praesertim cum sciamus, multo praestare, id optare, quod rectum justumque sit, quam illud assequi, quod a ratione, a virtute, a Dei legibus sit alienum.

§. 766. Et certe deteriore loco is est, quicunque ad id pervenit, quod temere ac libidinis impulsu cupiebat, quam qui, optime quod optavit, non assequitur. Quamquam non id modo petimus, ne concedatur nobis a Deo, quod ipsi nostra sponte cupimus, cum studium nostrum depravatum esse constat; sed ne id etiam detur, quod, suasore et impulsore Daemone, simulato lucis Angelo, tanquam bonum interdum postulamus. Rectissimum illud Principis Apostolorum studium videbatur, pietatisque plenissimum, cum Dominum a consilio proficiscendi ad mortem, avocare conabatur *(Matth. XVI.)*; et tamen eum, qui humanis sensibus, non divina ratione, ducebatur, Dominus acriter objurgavit. Quid amantius in Dominum videtur eo postulari potuisse, quod sancti viri Jacobus et Johannes, illis irati Samaritanis, qui Magistrum hospitio excipere noluissent, ab eo petierunt, uti juberet ignem e coelo descendere, qui duros illos et inhumanos absumeret? At a Christo Domino reprehensi sunt illis verbis *(Luc. IX, 55. 56.)*: *Nescitis, cujus spiritus estis; Filius enim hominis non venit animas perdere, sed salvare.*

§. 767. Neque vero solum, cum, quod cupimus, malum est aut mali speciem habet, Deum precari debemus, ut fiat voluntas ejus, sed etiam, cum revera malum non est, veluti, cum voluntas sequitur primam illam naturae inclinationem, ut appetat ea, quae naturam conservant, et rejiciat, quae ei contraria videantur. Quocirca cum in eum locum ventum est, ut aliquid petere velimus hujus generis, tum vero dicamus ex animo: *Fiat voluntas tua:* imitemur illum ipsum, a quo salutem et salutis disciplinam accepimus, qui, cum naturaliter insito cruciatuum et acerbissimae mortis timore commoveretur, tamen in illo horrore summi doloris, suam ad Dei patris retulit voluntatem *(Luc. XXII, 42.)*: *Non mea,* inquit, *voluntas, sed tua fiat.*

§. 768. Sed mirabiliter depravatum est hominum genus, qui cum vim etiam suae attulerint cupiditati, eamque divinae voluntati subjecerint, tamen sine Dei auxilio, quo a malo protegimur et in bonum dirigimur, peccata vitare non possunt. Ergo confugiendum est ad hanc precationem et petendum a Deo, ut in nobis ipse instituta perficiat, ut exultantes cupiditatis motus comprimat, ut appetitus rationi obedientes efficiat, ut nos denique totos ad suam confirmet voluntatem. Precamur etiam, ut Dei voluntatis cognitionem totus orbis terrarum accipiat, quo divinum *mysterium, absconditum a seculis et generationibus*, notum ac pervulgatum sit apud omnes *(Coloss. I, 26.)*.

## CAPUT X.

*Quid sibi velint haec verba: **Sicut in coelo et in terra**, quodque iis formam obedientiae postulemus, et simul gratiarum actionem haec petitio contineat* §. 769. 770.*; de iis, quae vicissim haec petitio in nobis observanda requirat* §. 771.

§. 769. Formam praeterea et praescriptionem hujus obedientiae postulamus, ut videlicet ad eam regulam dirigatur, quam in coelo et servant beati Angeli, et colit reliquus coelestium animarum chorus, ut quemadmodum illi sponte et summa cum voluptate obediunt divino numini, sic nos Dei voluntati, quo modo ipse maxime vult, libentissime pareamus. Et vero in opera et studio, quod Deo navamus, summum a nobis amorem Deus et eximiam charitatem requirit, ut, etiamsi spe coelestium praemiorum totos nos ei dicaverimus, tamen ideo illa speremus, quod, ut in eam spem ingrederemur, placuit divinae majestati. Quare tota nitatur illo in Deum amore nostra spes, qui mercedem amori nostro proposuit aeternam beatitudinem. Sunt enim, qui amanter alicui serviant, sed tamen pretii causa, quo amorem referunt. Sunt praeterea, qui tantummodo charitate et pietate commoti, in eo, cui dant operam, nihil spectant, nisi illius bonitatem atque virtutem, cujus cogitatione et admiratione se beatos arbitrantur, quod ei suum officium praestare possint, et hanc habet sententiam illa appositio: *Sicut in coelo et in terra.* Maxime enim nobis enitendum est, ut Deo simus obedientes, quemadmodum beatas mentes esse diximus. Quorum laudes in illo

summae obedientiae munere obeundo, eo Psalmo prosequitur David *(Psalm. CII, 21.)*: *Benedicite Domino omnes virtutes ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.* Quod si quis S. Cyprianum secutus, sic illa interpretatur, ut dicat: *In coelo* in bonis et piis; *in terra* in malis et impiis; nos vero etiam ejus sententiam comprobamus, ut pro *coelo* spiritus, pro *terra* caro intelligatur, ut et omnes et omnia in omnibus Dei voluntati obediant.

§. 770. Gratiarum item actionem continet haec petitio. Veneramur enim ejus sanctissimam voluntatem, et maximo perfusi gaudio summis laudibus, et gratulationibus omnia ejus opera celebramus, qui certo sciamus, eum omnia bene fecisse. Cum enim constet, esse omnipotentem Deum; necessario sequitur, ut omnia ejus nutu facta esse intelligamus. Cum vero etiam ipsum, sicuti est, summum Bonum esse affirmemus, nihil ex ejus operibus non esse bonum, cum omnibus ipse suam impertiverit bonitatem, confitemur. Quod si in omnibus divinam rationem non assequimur, in omnibus tamen et ambigui causa neglecta et rejecta omni haesitatione, illud Apostoli *(Rom. XI, 33.)* profitemur, *investigabiles esse vias ejus.* Sed ob id maxime etiam Dei voluntatem colimus, quod ab eo coelesti lumine dignati sumus. *Ereptos* enim *de potestate tenebrarum, transtulit in regnum filii dilectionis suae (Coloss. I, 13.)*.

§. 771. Sed ut extremo loco id explicetur, quod ad meditationem pertinet hujus petitionis; redeundum est ad id, quod initio attigimus: debere fidelem populum in hujus pronunciatione petitionis esse demisso et humili animo, reputantem secum eam, quae in natura est insita, cupiditatum vim, divinae voluntati repugnantem, cogitantem se in eo officio vinci a naturis omnibus, de quibus ita scriptum est *(Psalm. CXVIII, 91.)*: *Omnia serviunt tibi*, maximeque imbecillem esse, qui nullum opus Deo gratum non modo non perficere, sed ne instituere quidem possit, nisi Dei adjumento sublevetur. Quoniam vero nihil magnificentius est, nihil praestantius, quam, ut diximus, Deo servire et vitam ex ejus lege ac praeceptis agere; quid optabilius esse potest homini christiano, quam ambulare in viis Domini? quam nihil agitare animo, nihil actione suscipere, quod a divina voluntate abhorreat? Ut vero eam exercitationem capiat,

et illud institutum teneat diligentius, petat ex divinis libris exempla eorum, quibus, cum illi consiliorum suorum rationem non retulissent ad Dei voluntatem, omnia male ceciderunt. Moneantur postremo fideles, ut in simplici et absoluta Dei voluntate acquiescant: ferat aequo animo conditionem suam, qui sibi inferiori loco videtur esse, quam ejus dignitas postulet, ne deserat ordinem suum, sed in ea vocatione maneat, in qua vocatus est, et proprium judicium subjiciat Dei voluntati, qui nobis melius consulit, quam ipsi optare possimus. Si angustia rei familiaris, si corporis valetudine, si persecutionibus, si aliis molestiis et angoribus premimur; certo statuendum est, nihil horum sine Dei voluntate, quae summa omnium ratio est, nobis accidere posse, ideoque non debere nos gravius commoveri, sed invicto animo ferre, semper illud in ore habentes *(Actor. XXI, 14.)*: *Domini voluntas fiat*, et illud beati Iob *(Cap. I, 21.)*: *Sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum.*

## CAPUT XI.

### De quarta petitione: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

*De ordine quartae petitionis et subsequentium, ac quo animi proposito atque consilio res terrenae petendae sint §. 772. 773.; de necessitate huius petitionis propter rerum ad victum et ad vitam colendam necessariarum indigentiam ac difficultates, quas primi Parentis peccatum attulit: ideoque fidentius ad orandum accedendum esse §. 774. 775.*

§. 772. Quarta petitio et reliquae deinceps, quibus animae et corporis subsidia proprie ac nominatim postulamus, ad superiores petitiones referuntur. Habet enim hunc ordinem ac rationem Precatio dominica, ut postulationem rerum divinarum consequatur earum petitio, quae ad corpus et ad hanc vitam tuendam pertinent. Nam ut ad Deum, tanquam ad ultimum finem, referuntur homines: sic humanae vitae bona, ad divina eadem ratione diriguntur.

§. 773. Quae quidem ideo optanda ac petenda sunt, vel quod ita divinus ordo postulat, vel quod illis adiumentis ad divinorum bonorum adeptionem indigemus, ut iis adminiculis propositum finem consequamur, qui regno et gloria coelestis Patris, atque iis praeceptis colen-

dis servandisque continetur, quae Dei voluntatis esse non ignoramus; quare omnem vim et rationem huius petitionis, ad Deum ejusque gloriam referre debemus. Praestabunt igitur suum officium Parochi fidelibus auditoribus, ut intelligant, in iis petendis, quae ad usum ac fructum pertinent rerum terrenarum, esse intendendum animum ac studium nostrum ad Dei praescriptionem, nec inde ulla ex parte declinandum. Nam in eo, quod scribit Apostolus *(Rom. VIII, 26.)*: *Quid oremus, sicut oportet, nescimus;* maxime peccatur his postulationibus terrenarum et caducarum rerum. Ergo petenda sunt bona haec, ut oportet: ne, perperam aliquid postulantes, responsum illud a Deo feramus *(Matth. XX, 22.)*: *Nescitis quid petatis.* Erit autem certa judicandi nota, quae prava sit, quaeve recta petitio, consilium et propositum postulantis. Nam, si quis terrena petit eo animo, ut illa omnino bona existimet, et in illis, tanquam in optato fine, conquiescens, nihil praeterea requirat: sine dubio non orat sicut oportet. Non enim, inquit S. Augustinus *(Lib. II. de Serm. Domini in monte, C. 24.)*, petimus temporalia haec tamquam bona nostra, sed tamquam necessaria nostra. Apostolus etiam in Epistola ad Corinthios docet omnia, quae spectant ad usus vitae necessarios, ad Dei gloriam referri oportere. *Sive enim manducatis*, inquit *(1 Cor. X, 31.)*, *sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

§. 774. Sed ut videant fideles, quantam habeat haec petitio necessitatem: commemorabunt Parochi, quanta ad victum et ad vitam colendam indigentia sit externarum rerum. Quod magis intelligent, si comparatio fiet eorum, quae primo illi Parenti nostri generis et reliquis deinceps hominibus fuerunt ad vivendum necessaria. Nam etsi ille in amplissimo innocentiae statu, unde et ipse, et eius culpa omnis posteritas corruit, necesse habuisset adhibere cibum ad reficiendas vires: tamen inter illius et nostrae vitae necessitates multum interest. Non enim ei vestibus ad tegumentum corporis opus fuisset, non tecto ad perfugium, non armis ad defensionem, non remediis ad valetudinem, non aliis multis, quorum subsidio nos ad hanc naturae imbecillitatem ac fragilitatem tuendam egemus. Satis ei fuisset ad immortalem vitam ille fructus, quem felicissima vitae arbor nullo eius aut posterorum labore praebuisset. Neque vero

futurus erat homo in tantis paradisi deliciis otiosus, quem ad agendum Deus in eo voluptatis domicilio collocarat: verum nulla ei opera molesta, nullum officii munus non jucundum fuisset. Tulisset ille perpetuo suavissimos fructus ex cultura felicium hortorum, nec eum unquam opera aut spes fefellisset. At posterorum proles non solum fructu privata vitalis arboris, verum etiam horribili illa sententia condemnata est (*Genes. III, 17—19.*): *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae: spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terrae: in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es: quia pulvis es et in pulverem reverteris.* Nobis igitur contra evenerunt omnia, atque illi et posteris contigisset, si Dei dicto audiens fuisset Adam. Itaque inversa sunt omnia et mutata in deterrimam partem. In quo illud gravissimum est, quod maximos sumptus, summum laborem ac sudorem saepissime nullus fructus consequitur: cum fruges datae in deteriorem segetem, vel succrescenti agrestium herbarum asperitate opprimuntur, vel nimbis, vento, grandine, uredine, rubigine perculsae et prostratae intereunt: ut omnis anni labor, exiguo tempore, aliqua coeli vel terrae calamitate recidat ad nihilum. Quod accidit immanitate nostrorum scelerum, a quibus aversus Deus, nostris minime benedicit operibus: sed horrenda manet sententia, quam de nobis initio pronuntiavit.

§. 775. Ergo Pastores in huius loci tractationem incumbent, ut sciat fidelis populus, sua culpa homines in has angustias et miserias incidere, ut intelligat desudandum quidem et elaborandum esse in parandis iis, quae ad vivendum sunt necessaria: veruntamen, nisi laboribus nostris benedixerit Deus, fallacem spem et inanem fore omnem contentionem. *Nam neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus (1 Cor. III, 7.).* Et: *Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam (Psal. CXXVI, 1.).* Docebunt igitur Parochi, esse res pene innumerabiles, quae si nobis desint, vel vitam amittimus, vel agimus insuavem. Hac enim cognita rerum necessitate, naturaeque imbecillitate, christianus populus coelestem Patrem adire cogetur, et ab eo terrena et coelestia bona suppliciter petere. Imitabitur pro-

digum illum filium *(Luc. XV.)*, qui cum in regione longinqua coepisset egere, nec esset, cum esuriret, qui ei siliquas daret, aliquando ad se rediens, intellexit malorum, quibus premebatnr, nusquam nisi a patre esse expetendum remedium. Quo loco accedet etiam fidentius ad orandum fidelis populus, si in cogitatione divinae benignitatis recordabitur, paternas aures perpetuo patere filiorum vocibus. Nam dum hortatur nos, ut panem petamus, ea se recte petentibus abunde largiturum pollicetur: docendo enim, quo modo petamus, hortatur; hortando, impellit; impellendo, spondet; spondendo, nos in spem certissimae impetrationis inducit.

## CAPUT XII.

*Quid hac petitione postuletur; quod duplicem panem expetamus, quodque humanarum rerum subsidia petere liceat* §. 776.*; quid nomine Panis, quid item per illam vocem Nostrum et Quotidianum significetur* §. 777—779.

§. 776. Excitatis igitur et inflammatis animis fidelis populi, sequitur, ut quid hac petitione postuletur, declarandum sit: primum, quis sit ille Panis, quem petimus. Sciendum igitur est, in divinis literis hoc Panis nomine multa quidem significari, sed illa duo praecipue: primum quidquid in victu, caeterisque rebus, ad corpus vitamque tuendam adhibemus; deinde quidquid nobis ad spiritus et animae vitam ac salutem Dei munere tributum est. Petimus autem hoc loco hujus, quam in terris agimus, vitae subsidia, sanctorum Patrum ita sentientium autoritate. Quamobrem minime sunt audiendi, qui dicunt, non licere christianis hominibus a Deo petere terrena hujus vitae bona. Nam huic adversantur errori, praeter consentientem Patrum sententiam, exempla permulta tum Veteris, tum Novi Testamenti. Iacob enim vovens, sic orabat *(Genes. XXVIII, 20. 21. 22.)*: *Si fuerit Dominus mecum, et custodierit me in via, per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum, reversusque fuero prospere ad domum Patris mei: erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste, quem erexi, in titulum, vocabitur Domus Dei: cunctorumque, quae dederis mihi, decimas offeram tibi.* Salomon etiam certum pe-

tebat huius vitae subsidium, cum illud precabatur (*Proverb. XXX, 8.*): *Mendicitatem et divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria.* Quid? quod Salvator humani generis illa iubet petere, quae nemo negare audeat ad corporis usum pertinere? *Orate*, inquit (*Matth. XXIV, 20.*), *ut non fiat fuga vestra in hieme vel Sabbatho.* Quid dicemus de sancto Jacobo? cuius illa sunt (*Jac. V, 13.*): *Tristatur aliquis vestrum? oret: aequo animo est? psallat.* Quid de Apostolo? qui sic cum Romanis agebat (*Rom. XV, 30. 31.*): *Obsecro vos fratres per Dominum nostrum Jesum Christum et per charitatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus, qui sunt in Judaea.* Quare, cum et divinitus concessum sit fidelibus, ut petant haec subsidia rerum humanarum, et perfecta haec a Christo Domino tradita sit orandi formula: ne illud quidem dubium relinquitur, unam ex septem hanc esse petitionem.

§. 777. Petimus praeterea Panem quotidianum, id est, victui necessaria: vt panis nomine, quod satis sit, et vestium ad tegendum, et cibi ad vescendum, sive panis is sit, sive caro, sive piscis, sive quodcunque aliud, intelligamus. Videmus enim usum esse hoc loquendi modo Elisaeum, cum Regem moneret, ut praeberet panem militibus Assyriis, quibus magna ciborum copia data est (*4 Reg. XXII.*). Illud etiam de Christo Domino scriptum scimus (*Luc. XIV, 1.*): *Ingressus est in domum cuiusdam principis Pharisaeorum Sabbatho manducare panem.* Qua voce, quae ad cibum, quaeque ad potum pertinent, significari videmus. Ad hujus petitionis absolutam significationem praeterea animadvertendum est, hoc panis vocabulo non abundantem et exquisitam ciborum ac vestium copiam, sed necessariam ac simplicem intelligi debere: quemadmodum scripsit Apostolus (*1 Tim. VI, 8.*): *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.* Et Salomon, ut diximus (*Prov. XXX, 8.*): *Tribue tantum victui meo necessaria.*

§. 778. Hujus quoque frugalitatis et parsimoniae, illa voce, quae proxime sequitur, admonemur. Cum enim, *nostrum* dicimus *panem* illum ad necessitatem nostram, non ad luxuriam, petimus: non enim Nostrum dicimus, quia eum nobis opera nostra sine Deo parare possimus (est enim apud Davidem (*Psalm. CIII, 27.*

28.): *Omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore: dante te illis, colligent, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate*; et alio loco (*Psalm. CXLIV, 15.*): *Oculi omnium in te sperant, Domine et tu das escam illorum in tempore oportuno)*; sed quia necessarius est, et a parente omnium Deo, qui omnes sua providentia alit animantes, nobis attributus. Ob eam quoque causam panis noster appellatur, quod jure est a nobis acquirendus, non injuria, fraude, aut furto parandus. Quae enim nobis malis artibus conciliamus, non nostra sunt, sed aliena: saepiusque illorum calamitosa est, vel adeptio, vel possessio, vel certe iactura: contra vero honestis ac laboriosis piorum hominum lucris, ex Prophetae sententia, tranquillitas inest et magna felicitas. *Labores* enim inquit (*Psalm. CXXVII, 2.*): *manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit.* Jam vero iis, qui justo labore victum quaerunt, fructum suae benignitatis eo loco pollicetur Deus (*Deut. XXVIII, 8.*): *Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua, et super omnia opera manuum tuarum, benedicetque tibi.* Neque solum petimus a Deo, nobis ut illo uti liceat, quod nostro sudore ac virtute peperimus ejus adjumento benignitatis: id enim, vere dicitur nostrum; sed etiam bonam mentem postulamus, ut recte partis, recte item ac prudenter uti possimus.

§. 779. Quotidianum. Hüic etiam voci subjecta est ea notio frugalitatis ac parsimoniae, quam proxime diximus. Non enim multiplicem aut delicatum cibum postulamus, sed eum, qui naturae necessitati satisfaciat: ut eos pudeat hoc loco, qui, fastidio communis cibi et potionis, conquisitissima escarum ac vinorum genera persequuntur. Nec minus hac Quotidiani voce improbantur ii, quibus horrendas illas minas proponit Iesaias (*Ies. V, 8.*): *Vae, qui coniungitis domum ad domum et agrum agro copulatis usque ad terminum loci: nunquid habitabitis vos soli in medio terrae?* Etenim est inexplebilis horum hominum cupiditas, de quibus illud scriptum est a Salomone (*Eccl. V, 9.*): *Avarus non implebitur pecunia.* Ad quos dictum etiam illud pertinet Apostoli (*Tim. VI, 9.*): *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum Diaboli.* Quotidianum praeterea panem appellamus, quod vescimur eo ad reficiendum vitalem humorem, qui quotidie consumitur vi

naturalis caloris. Est denique illa huius ratio nominis, quod assidue petendus est, ut in hac consuetudine amandi et colendi Deum retineamur, nobisque omnino persuadeamus, id quod est, vitam ac salutem nostram ex Deo pendere.

## CAPUT XIII.

*Quid per hanc vocem Da significetur, quaeque divitibus necessitas sit, petendi quotidianum panem, et quamobrem, Da Nobis, numero multitudinis dicamus, cuius praeterea rei admoneamur per hanc dictionem Hodie §. 780 — 782.; hoc loco simul etiam peti panem spiritualem, et quae ad spiritus animaeque salutem requiruntur; ut Verbum Dei, et Eucharistiae Sacramentum §. 783 — 786.*

§. 780. *Da Nobis.* Quantam hae duae voces materiam praebeant ad cohortandum fideles, ut infinitam Dei potentiam pie sancteque colant et venerentur, in cuius manu sunt omnia, ut nefariam illam Satanae ostentationem detestentur *(Luc. IV, 6.)*: *Mihi tradita sunt omnia, et cui volo, do illa;* nemo non videt. Nam unius nutu Dei distributa cuncta, et conservantur et augentur. Sed quae divitibus haec est imposita necessitas, dixerit quispiam, petendi quotidianum panem, cum rebus omnibus abundent? Haec illis necessitas est orandi in hunc modum, non ut dentur eis, quorum Dei benignitate habent copiam, sed ne, quae abunde illis adsunt, amittant. Quamobrem, ut scribit Apostolus *(1 Tim. VI, 17.)*: Hinc discant divites *non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum.* Hujus autem necessariae petitionis hanc causam affert sanctus Chrysostomus *(Homil. XIV. operis imperfecti in Matth.)*, non solum ut nobis suppetat cibus, sed ut eum nobis suppeditet Domini manus, quae, salubrem, atque adeo salutarem vim inserens pani quotidiano, efficit, ut et cibus corpori prosit, et corpus animae serviat.

§. 781. Sed quid est, quamobrem Da Nobis numero multitudinis dicimus, non autem, Mihi? Quia proprium illud est christianae charitatis, non ut quisque de se uno sollicitus sit, sed ut praeterea de proximo

laboret, et in cura suae utilitatis meminerit etiam aliorum. Accedit eo, quod quae alicui munera divinitus tribuuntur, non idcirco tribuuntur, ut solus is ea possideat, vel in illis luxuriose vivat; sed ut cum aliis communicet, quae necessitati superfuerint: nam inquiunt sancti Basilius et Ambrosius: Esurientium panis est, quem tu detines, nudorum indumentum est, quod tu recludis, miserorum redemptio est et absolutio, pecunia, quam tu in terram defodis.

§. 782. *Hodie.* Admonet nos haec vox communis infirmitatis. Quis enim est, qui, si minus sua unius opera providere se posse sperat in longinquum tempus necessarios vitae sumptus, saltem in diem victus subsidia paraturum non confidat? Sed ne hujus quidem fiduciae facultas nobis a Deo permittitur, qui nos singulorum etiam dierum cibum a se petere iussit. Quae sententia habet illam necessariam rationem, quia quotidie pane egemus omnes, quotidie etiam dominica precatione singulis utendum esse. Haec de pane, qui ore perceptus, corpus alit atque sustentat, qui communis fidelium et infidelium, piorum et impiorum, admirabili Dei bonitate, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, pluit super justos et injustos, omnibus impertitur.

§. 783. Reliquus est spiritualis panis, quem etiam hoc loco petimus. Quo significantur omnia, quaecunque in hac vita ad spiritus et animae salutem et incolumitatem requiruntur. Ut enim multiplex est cibus, quo corpus alitur et sustentatur; sic non est unius generis esca, quae spiritus et animae vitam continet. Nam et verbum Dei cibus est animae: Sapientia enim inquit *(Proverb. IX, 5.): Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis.* Hujus autem verbi facultatem cum adimit Deus hominibus, quod efficere solet, cum gravius nostris sceleribus offenditur, fame dicitur premere genus humanum. Sic enim est apud Amos *(Cap. VIII, 11.): Emittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquae, sed audiendi verbum Domini.* Ut autem illud est certum propinquae mortis signum, cum non possint homines, vel cibum sumere, vel sumptum retinere: sic magnum est desperatae salutis argumentum, cum, vel non quaerunt verbum Dei, vel si adsit, non sustinet, et illam impietatis vocem

in Deum effundunt *(Job. XXI, 14.)*: *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* In hoc furore animi et mentis caecitate versantur illi, qui, neglectis iis, qui legitime eis praesunt, Catholicis, et Episcopis, et Sacerdotibus, et a sancta Romana Ecclesia desciscentes, corruptoribus Dei verbi Haereticis se in disciplinam tradiderunt.

§. 784. Jam vero panis est Christus Dominus animae cibus: inquit enim ipse de se *(Joan. VI, 41.)*: *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi.* Incredibile est, quanta voluptate ac laetitia perfundat piorum animas hic panis tum, cum maxime terrenis molestiis et incommodis conflectantur. Exemplo nobis est sanctus ille chorus Apostolorum, de quibus extat *(Actor. V, 41.)*: *Illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii.* Referti sunt eiusmodi exemplis libri de vita sanctorum hominum, et, de intimis his bonorum gaudiis ita loquitur Deus *(Apoc. II, 7.)*: *Vincenti dabo manna absconditum.* Praecipue autem panis noster est ipse Christus Dominus, qui in Sacramento Eucharistiae substantialiter continetur. Hoc inexplicabile pignus charitatis dedit nobis rediturus ad Patrem, de quo dixit *(Joh. VI, 57.)*: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo;* et *(1 Cor. XI, 24.)*: *Accipite, et manducate: hoc est corpus meum.* Ea petent Parochi, quae ad fidelis populi utilitatem pertinebunt, ex eo loco, quo separatim hujus Sacramenti vis ac ratio continetur. Et vero dicitur hic panis *Noster;* quia fidelium modo hominum est: id est, eorum, qui charitatem cum fide conjungentes, Poenitentiae Sacramento sordes eluunt peccatorum, qui non dimittentes memoriam, se Dei filios esse, divinum Sacramentum sumunt et colunt, quanta maxima possunt sanctitate ac veneratione. *Quotidianus* vero quamobrem dicatur, in promptu duplex ratio est: altera, quod in sacris christianae Ecclesiae mysteriis quotidie et offertur Deo, et datur pie sancteque postulantibus: altera, quod quotidie sumendus est, vel certe ita vivendum, ut quotidie, quo ad ejus fieri possit, digne sumere queamus. Audiant, qui contra sentiunt, nisi longo intervallo salutaribus his epulis animae vesci non oportere, quid sanctus dicat Ambrosius *(Lib. V. de Sacrament. Cap. 4.)*: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis.*

§. 785. Sed in hac petitione ad illud praecipue cohortandi sunt fideles, ut, cum recte et consilium et industriam suam posuerint in comparandis rebus vitae necessariis, rei exitum Deo permittant, suumque desiderium ad ejus referant voluntatem, *qui non dabit in aeternum fluctuationem justo (Ps. LIV, 23.).* Nam vel concedet Deus, quae petuntur, et ita suum optatum consequentur, vel non concedet, et id erit certissimum argumentum, nec salutare illud esse, nec utile, quod piis a Deo negatur, cui magis curae est de eorum salute, quam illis ipsis. Quem locum instruere poterunt, explicandis iis rationibus, Parochi, quae a sancto Augustino in Epistola ad Probam praeclare colliguntur.

§. 786. Extremum illud erit in hujus tractatione petitionis, ut meminerint divites, facultates suas et copias Deo acceptum referre, cogitentque se id circo illis bonis esse cumulatos, ut illa distribuant indigentibus. In quam sententiam conveniunt, quae in prima Epistola ad Timotheum (*Cap. VI.*) ab Apostolo disseruntur, unde magnam vim Parochis petere licebit divinorum praeceptorum, ad hunc locum utiliter ac salutariter illustrandum.

## CAPUT XIV.

## De quinta petitione: *Et dimitte nobis debita nostra* etc.

*Quam diligenter et accurate haec petitio tradenda sit, propter ejus dignitatem atque utilitatem, eaque beneficia, quae per illam declarantur ac impetrantur* §. 787. 788.; *quomodo quisque in hac precatione affectus esse debeat; nimirum, ut non solum peccatum agnoscat, sed ejus etiam sensu ac dolore commoveatur, quibusque rationibus ad hunc animi dolorem perveniri possit* §. 789 — 793.

§. 787. Cum ita multa sint, quae infinitam Dei potentiam cum pari sapientia ac bonitate conjunctam significent, ut quocunque oculos cogitationemque converteris, certissima signa immensae potestatis ac benignitatis occurrant, nihil profecto est, quod summum eius amorem et admirabilem in nos charitatem magis declaret, quam inexplicabile mysterii Jesu Christi passionis, unde perennis ille fons ad eluendas peccatorum sordes erupit,

quo perfundi et expiari, Deo duce ac largitore, exoptamus, cum illud ab eo petimus: Dimitte nobis debita nostra. Continet autem haec petitio summam quandam eorum bonorum, quibus per Jesum Christum cumulatum est humanum genus. Id enim docuit Jesaias (*Cap. XXVII, 9.*): *Dimittetur*, inquit, *iniquitas domui Jacob, et iste omnis fructus, ut auferatur peccatum ejus.* Quod David etiam ostendit, beatos praedicans eos, qui salutarem illum fructum percipere potuerunt, his verbis (*Psalm. XXXI, 1.*): *Beati, quorum remissae sunt iniquitates.* Quare est accurate ac diligenter Pastoribus hujus postulationis animadvertenda et exponenda sententia, quam ad coelestem vitam consequendam tantum valere intelligimus.

§. 788. Ingredimur autem novam precandi rationem. Nam hactenus a Deo non solum aeterna et spiritualia bona, sed caduca, et quae ad hanc vitam pertinent, commoda petivimus; nunc vero mala deprecamur et animae, et corporis, et hujus et sempiternae vitae.

§. 789. Sed quoniam ad impetrandum, quod postulamus, requiritur recta postulandi ratio, quomodo affectos esse oporteat eos, qui Deum hoc orare velint, dicendum videtur. Monebunt igitur Parochi fidelem populum, primum necesse esse, ut is, qui ad hoc petendum velit accedere, suum ipse peccatum agnoscat; deinde, ut ejus sensu ac dolore commoveatur; tum, ut sibi omnino persuadeat, Deum in hac esse voluntate, ut iis, qui peccaverunt, ita ut diximus, affectis et comparatis, ignoscat, ne forte acerbam delictorum recordationem ac recognitionem illa veniae desperatio consequatur, quae olim Cain et Judae animum occupavit (*Genes. IV. Matth. XXVII.*), qui Deum modo vindicem et ultorem, non etiam mitem et misericordem, existimarunt. Ergo in hac petitione sic affecti simus oportet, ut dolenter peccata nostra recognoscentes, ad Deum, tanquam ad parentem, non quasi ad judicem, confugiamus, a quo non, ut ex justitia nobiscum agat, sed ex misericordia, postulemus.

§. 790. Facile autem adducemur, ut peccatum nostrum agnoscamus, si ipsum audierimus Deum, nos in Sacris Literis hujus rationis admonentem. Est enim illud apud Davidem (*Psalm. XIII, 3.*): *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est, qui faciat bo-*

*num, non est usque ad unum.* In eandem sententiam loquitur Salomon (*Eccl. VII*, 21.): *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet.* Quo illud etiam pertinet (*Proverb. XX.* 9.): *Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Quod idem a S. Johanne (1 *Joh. I*, 8.) ad deterrendos homines ab arrogantia scriptum est: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Et a Jeremia (*Cap. II*, 35.): *Dixisti, absque peccato et innocens ego sum, et propterea avertatur furor tuus a me; ecce ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris: Non peccavi.* Quorum sententias omnium idem, qui eas illorum ore protulerat, Christus Dominus hoc petitionis praescripto confirmat, quo jubet nos delicta nostra confiteri. Id enim secus interpretari prohibuit autoritas Milevitani Concilii (*Cap.* 7. *sqq.*) in hunc modum: Placuit, ut, quicunque verba ipsa dominicae Orationis, ubi dicimus: Dimitte nobis debita nostra, ita vult a Sanctis dici, ut humiliter, non veraciter, hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat orantem, et non hominibus, sed ipsi Domino, mentientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle, et corde dicit, quae sibi dimittantur debita non habere?

§. 791. Verum in necessaria recognitione peccatorum non est satis, illa leviter recordari. Nam ut acerba nobis sit ea memoria, ut cor pungat, animum stimulet, et dolorem inurat, necesse est. Quare pertractabunt locum hunc diligenter Parochi, ut non solum facinorum ac flagitiorum suorum meminerint fideles auditores, sed ut moleste dolenterque meminerint, ut, cum angantur intimis sensibus, conferant se ad patrem Deum, a quo ut inhaerentes evellat scelerum aculeos, suppliciter petant. Nec vero solum erratorum turpitudinem studebunt subiicere oculis fidelis populi, verum etiam indignitatem ac sordes hominum, qui cúm nihil simus, nisi putida caro, nisi summa foeditas, incomprehensibilem illam Dei majestatem et inexplicabilem praestantiam, incredibilem in modum audeamus offendere, praesertim a quo procreati, liberati, innumerabilibus maximisque beneficiis aucti simus. Ut quid? Ut abalienati a patre Deo, qui summum bonum est, turpissima peccati mercede, Diabolo nos addicamus in miserrimam servitutem. Neque enim dici potest, quam crudeliter ille dominetur in eorum animis, qui, repulso suavi jugo Dei,

ruptoque charitatis amabilissimo nodo, quo parenti Deo spiritus noster astringitur, ad hostem acerrimum desciverunt, qui eo nomine *princeps* et rector *mundi*, et princeps tenebrarum, et *rex super universos filios superbiae*, dicitur in divinis literis (*Joh. XIV*, 30. *Ephes. VI*, 12. *Job. XLI*, 45.). In eos autem, qui Daemonis tyrannide opprimuntur, vere convenit illa vox Jesaiae (*Cap. XXVI*, 13.): *Domine Deus noster, possederunt nos domini absque te.*

§. 792. Haec si nos minus movent rupta foedera charitatis, moveant certe calamitates et aerumnae, in quas per peccatum incidimus. Violatur enim sanctitas nimae, quam Christo desponsam esse scimus. Profanum fit illud idem templum Domini, quod qui contaminant, in eos dicit Apostolus (*1 Cor. III*, 17.): *Si quis utem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* nnumerabilia sunt mala, quae peccatum invehit in hominem: quam pene infinitam pestem David his verbis xpressit (*Psal. XXXVII*, 4.): *Non est sanitas in carne nea a facie irae tuae: non est pax ossibus meis a facie eccatorum meorum.* Nimirum norat hanc plagae vim, um nullam sui partem pestifero peccato intactam fatereur. Pervaserat enim in ossa peccati virus, id est, raionem et voluntatem, quae maxime solidae sunt aninae partes, infecerat. Hanc late patentem pestem inicant Sacrae Literae, cum peccatores claudos, surdos, nutos, caecos et omnibus membris captos appellant. ed praeter dolorem, quem ex peccatorum quasi scere sentiebat, magis etiam angebatur David ex ira Dei, uam in se propter peccatum commotam intelligebat. ellum enim est sceleratis cum Deo, quorum sceleribus ncredibiliter offenditur. Inquit enim Apostolus (*Rom. I*, 8. 9.): *Ira et indignatio, tribulatio et angustia in mnem animam hominis operantis malum.* Nam etsi tranierit actio peccati, tamen peccatum macula et reatu ermanet; cui semper imminens ira Dei illud insequiur, tanquam umbra corpus. Cum igitur David his ulneraretur aculeis, ad petendam delictorum veniam xcitabatur; cujus et exemplum doloris, et doctrinae raonem, ex quinquagesimo ejus Psalmo depromptam, proonent Parochi fidelibus auditoribus, ut Prophetae imiatione et ad doloris sensum, id est, ad veram poenintiam, et ad veniae spem erudiri possint.

§. 793. Quantam habeat utilitatem haec docendi ratio, ut ex peccatis dolere discamus, illa Dei apud Jeremiam declarat oratio, qui cum Israëlem ad poenitentiam hortaretur, admonebat eum, ut malorum sensum perciperet, quae peccatum consequuntur: *Vide* enim, inquit *(Jerem. II, 19.)*, *quia malum et amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum.* Qui carent necessario hoc recognitionis ac doloris sensu, ii apud Prophetas, Iesaiam *(XLVI, 12.)*, Ezechielem *(XXXVI, 26.)* et Zachariam *(VII, 12.)*: *cor durum, lapidum et adamantinum* habere dicuntur. Sunt enim instar lapidis, nullo dolore molliti, nullum vitae, id est, salutaris recognitionis sensum habentes.

## CAPUT XV.

*De tertio eorum, quae requiruntur in eo, qui hac precatione usurus sit; scilicet, spe veniae, et qua ratione ad eam animus peccatoris vocandus* §. 794.; *quid* d e b i t a *significent, et cujus vi illa remittantur; tum quid sibi velint* d e b i t a n o s t r a, *quodque ea non nobis modo, sed etiam proximis ignosci postulemus, atque idcirco singuli dicimus:* D i m i t t e n o b i s, *non autem* m i h i §. 795—798.

§. 794. Sed ne peccatorum gravitate deterritus, se populus veniam impetrare posse desperet, ipsum ad spem vocare Parochi debebunt his rationibus: quod et Ecclesiae Christus Dominus potestatem dedit remittendi peccata, quemadmodum sacrosancti Symboli articulo declaratur, et hac petitione docuit, quanta esset Dei bonitas ac liberalitas in genus humanum. Nisi enim promptus esset ac paratus Deus ad condonandum peccata poenitentibus, nunquam nobis hanc precandi formulam praescripsisset; D i m i t t e n o b i s d e b i t a n o s t r a. Quamobrem illud fixum in animis tenere debemus, fore, ut is paternam misericordiam nobis impertiat, qui ipsam his precibus jussit exposcere. Nam omnino sub hac petitione, illa est subjecta sententia; sic esse in nos affectum Deum, ut vere poenitentibus libenter ignoscat. Est enim Deus is, in quem, abjecta obedientia, peccamus, cujus ordinem sapientiae perturbamus, quantum est situm in nobis, quem offendimus, quem factis dictisque violamus. Verum, idem est ille beneficentissimus

parens, qui, cum possit omnia condonare, non modo se id velle declaravit, sed etiam impulit homines, ut a se veniam peterent, et quibus verbis id facerent, docuit. Quare nemini dubium esse potest, quin illo autore in nostra potestate sit, nobis Dei gratiam reconciliare. Et quoniam haec testificatio propensae ad ignoscendum divinae voluntatis fidem auget, spem alit, charitatem inflammat; operae pretium est, ornare hunc locum nonnullis divinis testimoniis, et hominum exemplis, quibus maximorum scelerum poenitentibus Deus veniam concesserit. Quam sententiam quoniam persecuti sumus (quantum res ferebat) in prooemio hujus precationis, et in ea Symboli parte, quae est de remittendis peccatis, inde assument Parochi, quae ad hunc locum instruendum pertinere videbuntur; reliqua haurient ex divinarum literarum fontibus; tum vero eodem utantur instituto, quo in caeteris petitionibus utendum diximus, ut intelligant fideles, quid hic *Debita* significent, ne forte decepti ambiguo, aliud ab eo, quam quod petendum sit, postulent.

§. 795. Primum autem scire oportet, minime petere nos, nobis ut remittatur amor ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente nostra, quem omnino Deo debemus, et cujus debiti solutio est ad salutem necessaria. Neque vero, quia debiti nomine etiam obedientia, cultus, veneratio et caetera hujus generis officia continentur, postulamus, ut non amplius ea debeamus, sed precamur, ut liberet a peccatis: sic enim S. Lucas (*XI*, 4,) est interpretatus, qui peccata pro debitis posuit, ob eam causam, quod illis committendis rei efficimur Deo et debitis poenis propositi, quas vel satisfaciendo, vel patiendo pendimus. Hujus generis debitum fuit, quod Christus Dominus locutus est ore Prophetae *(Psal. LXVIII, .): Quae non rapui, tunc exsolvebam.* Qua Dei verbi sententia licet intelligere, non solum nos debitores esse, sed etiam non esse solvendo, cum peccator per se satisfacere nullo modo possit.

§. 796. Quare confugiendum nobis est ad Dei misericordiam, cui, quia par justitia respondet, cujus est retinentissimus Deus, utendum erit deprecatione et patrocinio passionis Domini nostri Jesu Christi, sine qua nemo unquam veniam delictorum impetravit, a qua omnis et satisfaciendi vis et ratio, tanquam ex fonte, pro-

fluxit. Nam pretium illud in cruce a Christo Domino persolutum et nobiscum per Sacramenta, re vel studio ac desiderio adhibita, communicatum, tanti est, ut nobis impetret et conficiat, quod hac petitione postulamus, ut peccata nostra remittantur. Quo loco non id modo pro levibus erratis, et facillimis ad impetrandum veniam, sed pro gravibus et mortiferis peccatis deprecamur; quae precatio in scelerum gravitate pondus non habebit, nisi id a Poenitentiae Sacramento, re vel certe desiderio suscepto, ut jam dictum est, sumpserit.

§. 797. Dicimus autem, *Debita nostra*, longe aliter, atque Panem nostrum, antea diximus. Noster enim ille est panis, quia nobis Dei munere tribuitur: at peccata nostra sunt, quia illorum culpa residet in nobis; nam nostra voluntate suscipiuntur, quae peccati vim non haberent, nisi essent voluntaria. Nos igitur, eam culpam sustinentes et confitentes, ad expiandum peccata necessariam Dei clementiam imploramus. In quo non utimur excusatione cujusquam, nec causam in quenquam transferimus, ut primi homines Adam et Eva fecerunt *(Gen. III,* 12. 13.*)*: ipsi nos judicamus, illam, si sapimus, Prophetae precationem adhibentes *(Psal. CXL,* 4.*)*: *Non declines cor meum in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis.*

§. 798. Nec vero dicimus, *Dimitte mihi*, sed *nobis*, quod fraterna necessitudo et charitas, quae inter omnes homines intercedit, a nobis singulis postulat, ut de communi proximorum salute solliciti, cum pro nobis preces facimus, pro illis etiam deprecemur. Hunc orandi morem, a Christo Domino traditum, deinceps ab Ecclesia Dei acceptum perpetuoque servatum, ipsi et maxime tenuerunt Apostoli, et, ut caeteri adhiberent, autores fuerunt. Hujus autem flagrantis studii et cupiditatis in deprecando pro salute proximorum, habemus in utroque Testamento, sanctorum Moysis et Pauli praeclarum exemplum; quorum alter sic Deum precabatur *(Exod. XXXII,* 31. 32.*)*: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro tuo;* alter in hunc modum *(Rom. IX,* 3.*)*: *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.*

## CAPUT XVI.

*De duplici vi ac significatione horum verborum: Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, atque utrumque sensum eandem habere ignoscendi necessitatem* §. 799. 800.*; de duplici errore circa hanc petitionem vitando: quorum prior est, ne quis, cognita ignoscendi difficultate ac necessitate, salutem desperet; alter, ne propter injurias nondum remissas, nec extinctas inimicitias, ab hac dominica precatione abstineat* §. 801. 802.

§. 799. Illud sicut dupliciter intelligi potest: nam et similitudinis vim habet, cum videlicet a Deo petimus, ut, quemadmodum nos injurias et contumelias remittimus iis, a quibus laesi sumus, sic ipse nobis peccata condonet. Est praeterea conditionis nota; in quam sententiam Christus Dominus eam formulam interpretatur: *Si enim dimiseritis*, inquit *(Matth. VI*, 14. 15.*)*, *hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester coelestis delicta vestra: si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Verum habet vterque sensus eandem ignoscendi necessitatem: ut, si volumus Deum nobis veniam concedere delictorum, parcamus illis ipsis necesse sit, a quibus injuriam accepimus. Sic enim Deus oblivionem injuriarum, mutuumque studium et amorem requirit a nobis, ut eorum, qui in gratiam non sunt reconciliati, dona ac sacrificia rejiciat et aspernetur. Est etiam naturae lege sancitum, ut tales nos aliis praebeamus, quales eos in nos esse cupimus; vere ut impudentissimus ille sit, qui postulet a Deo, ut sui sceleris poenam praetermittat, cum ipse in proximum animum retineat armatum. Quare parati et prompti ad ignoscendum esse debent ii, quibus impositae sunt injuriae; cum et urgeantur hac precandi formula, et apud S. Lucam id jubeat Deus *(Cap. XVII*, 3. 4.*)*: *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum, et si poenitentiam egerit, dimitte illi, et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens: Poenitet me, dimitte illi;* et in Evangelio sancti Matthaei sic *(Cap. V*, 44.*)*: *Diligite inimicos vestros;* et Apostolus *(Rom. XII*, 20.*)* et ante eum Salomon *(Proverb. XXV*, 21.) scripserit: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitierit, potum*

*da illi;* et sit apud sanctum Marcum Evangelistam *(Cap. XI, 25.): Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester, qui in coelis est, dimittat vobis peccata vestra.*

§. 800. Sed quoniam, depravatae naturae vitio, nihil aegrius fit ab homine, quam ut inferenti condonet injurias, omnem conferant Parochi animi et ingenii vim ad commutandos et flectendos animos fidelium ad hanc lenitatem et misericordiam, christiano homini necessariam. Commorentur in tractatione divinorum oraculorum, in quibus audire licet imperantem Deum, inimicis ignoscendum. Praedicent id, quod verissimum est, magno esse argumento hominibus, eos esse Dei filios, si facile remittant injurias, et inimicos diligant ex animo. Elucet enim in eo, quod inimicos diligimus, similitudo quaedam cum parente Deo, qui sibi inimicissimum et infestissimum genus hominum, filii sui morte ab aeterno exitio redemptum, reconciliavit. Sit autem hujus cohortationis et praecepti clausula illud imperium Christi Domini, quod recusare non possumus sine summo dedecore et pernicie *(Matth. V, 44. 45.): Orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est.*

§. 801. Verum hoc loco non vulgaris Pastorum prudentia requiritur, ne quis, cognita hujus difficultate ac necessitate praecepti, salutem desperet. Sunt enim, qui, cum se debere intelligant conterere injurias oblivione voluntaria, et eos diligere, qui laeserunt, id cupiunt et pro viribus faciunt, sed universam memoriam injuriarum sibi exhauriri non posse sentiunt: nam resident in animo quaedam reliquiae simultatis. Quamobrem magnis agitantur conscientiae fluctibus, verentes, ne, parum simpliciter et candide positis inimicitiis, Dei jusso non obediant. Hic igitur Pastores contraria studia carnis et spiritus explicabunt, quod illius sensus sit ad vindicationem proclivis, hujus ratio propensa ad ignoscendum, hinc inter ipsos perpetuam turbam ac rixam existere, quare saluti minime diffidendum esse demonstrabunt, reclamantibus et adversantibus rationi, corruptae naturae appetitionibus, modo spiritus perstet in officio et voluntate remittendi injurias, proximumque diligendi.

§. 802. Quod autem aliqui fortasse fuerint, qui, cum nondum animum inducere possint, ut obliti injurias, ament inimicos, propterea deterriti ea, quam diximus, conditione hujus petitionis, dominica precatione non utantur, duas has rationes afferent Parochi, quibus exitiosum hunc errorem illis eripiant. Nam quivis unus e fidelium numero preces has facit totius Ecclesiae nomine, in qua pios esse aliquot necesse est, qui debitoribus ea quae hic commemorantur debita remiserunt. Accedit eo, quod id a Deo petentes, una etiam petimus, quidquid ad illud impetrandum in eam petitionem a nobis necessario conferendum est. Petimus enim et veniam peccatorum, et donum verae poenitentiae; petimus facultatem intimi doloris; postulamus, ut a peccatis abhorrere, et illa Sacerdoti vere ac pie confiteri possimus. Itaque cum necesse etiam nobis sit parcere iis, qui damnum aut malum aliquod dederunt, cum, ut nobis Deus ignoscat, precamur, simul oramus, ut facultatem largiatur reconciliandi nos illis, quos odimus. Quare deterrendi sunt ab ea opinione, qui inani et pravo illo timore commoventur, ne sibi Deum reddant offensiorem hac precatione, contraque etiam cohortandi ad frequentem precationis usum, quo a parente Deo postulent, ut sibi det eam mentem, ut iis qui laeserint, ignoscant, et inimicos diligant.

## CAPUT XVII.

*De hujus petitionis usu, iisque, quae observanda adhibendaque sunt, ut ipsa fructuosa esse possit* §. 803—805.

§. 803. Sed, ut precatio omnino fructuosa sit, primum haec in ea est cura meditatioque adhibenda, nos Deo supplices esse, et ab eo veniam petere, quae non datur, nisi poenitenti. Itaque nos ea charitate et pietate praeditos esse oportere, quae poenitentibus conveniat; convenire autem maxime iis, subjecta quasi oculis propria flagitia atque facinora lachrymis expiare. Cum hac cogitatione conjungenda est cautio in posterum earum rerum, in quibus fuit aliqua occasio peccandi, quaeque nobis ansam dare possint ad offendendum parentem Deum. In his curis versabatur David, cum diceret (*Psalm. L, 5.*): *Et peccatum meum contra me est*

*semper;* et alio loco *(Psalm. VI, 7.): Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Proponat sibi praeterea unusquisque ardentissimum orandi studium eorum, qui a Deo precibus impetraverunt veniam delictorum: ut publicani illius, qui longe consistens prae pudore ac dolore, et oculis humi defixis, tantum pnlsabat pectus, eam habens orationem: *Deus, propitius esto mihi peccatori (Luc. XVIII, 13.);* tum illius peccatricis mulieris *(Luc. VII, 38.)*, quae Christo Domino, retro stans, rigatos a se ejus pedes, capillis etiam abstersos osculabatur; Petri denique Principis Apostolorum, *qui egressus foras, flevit amare (Matth. XXVI, 75.).*

§. 804. Deinde cogitandum est, quo infirmiores sunt homines, et ad morbos animi, quae sunt peccata, propensiores, eo pluribus et frequentioribus medicamentis indigere. Sunt autem aegrotae animae remedia, Poenitentia et Eucharistia. Haec igitur saepissime adhibeat fidelis populis: deinde Eleemosyna (quemadmodum tradunt divinae literae) medicina est accommodata sanandis animae vulneribus. Quare, qui pie hac prece uti cupiunt, pro viribus benigne faciant egentibus; quantam enim vim habeat ad delendas scelerum maculas, testis est in Tobia Angelus Domini sanctus Raphaël, cujus est illa vox *(Tob. XII, 9.): Eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quae purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam aeternam.* Testis est Daniel, qui Nabuchodonosor Regem sic admonebat *(Dan. IV, 34.): Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.*

§. 805. Optima autem largitio, et impertiendae misericordiae ratio, est oblivio injuriarum et bona voluntas erga eos, qui rem, vel existimationem, vel corpus tuum tuorumve violarint. Quicunque igitur cupit in se esse maxime misericordem Deum, is ipsi Deo suas donet inimicitias, remittatque omnem offensionem, et pro hostibus libentissime deprecetur, omnem captans occasionem de illis ipsis bene promerendi. Sed quoniam hoc argumentum explicatum est, cum homicidii locum tractavimus, eo rejicimus Parochos, qui tamen hanc petitionem hoc fine concludant; nihil injustius esse aut fingi posse, quam eum, qui, cum hominibus durus sit, ut nemini se det ad lenitatem, idem postulet, ut in se sit mitis et benignus Deus.

## CAPUT XVIII.

De sexta petitione: *Et ne nos inducas in tentationem, ejusque necessitate in hac christiani hominis militia et pugna, propter humanae naturae imbecillitatem et acerrimos hostes: Carnem, Mundum et Diabolum, qui nos perpetuo infestissimeque oppugnant* §. 806—811.

§. 806. Non dubium est, quin filii Dei post impetratam delictorum veniam, cum incensi studio, adhibendi Deo cultum et venerationem, coeleste regnum exoptant, et omnia divino numini tribuentes pietatis officia, toti pendent a paterna ejus voluntate ac providentia, tum eo magis humani generis hostis omnes adversus illos artes excogitet, omnes machinas paret, quibus oppugnentur: sic, ut verendum sit, ne labefactata et mutata sententia, rursum in vitia delabantur, longeque deteriores evadant, quam antea fuerint. De quibus illud Principis Apostolorum jure dici possit *(2 Petr. II, 21.)*: *Melius erat illis non cognoscere viam justitiae, quam post agnitionem, retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Quare nobis a Christo Domino datum est hujus petitionis praeceptum, ut quotidie nos Deo commendemus, ejusque patriam curam et praesidium imploremus, minime dubitantes, fore, ut si deseramur divino patrocinio, vaferrimi hostis laqueis irretiti teneamur. Neque vero solum in hac orandi regula jussit a Deo petere, ne patiatur nos induci in tentationem; sed in illa etiam oratione, quam ad sacros Apostolos habuit sub ipsum mortis tempus *(Joh. XIII et XV.)* cum quidem ipsos mundos esse dixisset, eos hujus officii his verbis admonuit *(Matth. XXVI, 41.)*: *Orate, ut non intretis in tentationem.* Quae iterum a Christo Domino adhibita admonitio, magnum diligentiae onus imponit Parochis, excitandi fidelem populum ad frequentem hujus usum praecationis, ut, cum tanta hominibus ad hoste Diabolo in singulas horas pericula hujus generis intendantur, a Deo, qui solus illa propulsare potest, petant illud assidue: *Ne nos inducas in tentationem.*

§, 807. Intelliget autem fidelis populus, quantopere egeat divini hujus adjumenti, si suae imbecillitatis inscitiaeque meminerit, si recordabitur illam Christi Do-

mini sententiam *(Matth. XXVI, 41.)*: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma;* si ei venerit in mentem, quam graves sint et exitiales hominum casus, impellente Daemone, nisi sustineantur dexterae coelestis auxilio. Quod illustrius esse possit humanae infirmitatis exemplum, quam sacer ille chorus Apostolorum (*Matth. XXVI*, 56.), qui magno antea animo cum essent, primo quoque objecto terrore, relicto Salvatore, diffugerunt? etsi illustrius etiam est illud Principis Apostolorum, qui in professione singularis fortitudinis et amoris in Christum Domum, cum paulo ante, sibi bene fidens, ita dixisset: *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo;* statim unius voce mulierculae perterritus, se Dominum non nosse, jurejurando affirmavit (*Matth. XXVI*, 35.74.). Nimirum illi in summa spiritus alacritate non respondebant vires. Quod, si viri sanctissimi humanae naturae fragilitate, cui confidebant, graviter peccaverunt; quid non timendum est caeteris, qui ab eorum sanctitate absunt longissime? Quare proponat fideli populo Parochus praelia ac pericula, in quibus assidue versamur, dum anima est in hoc mortali corpore, quos undique Caro, Mundus et Satanas oppugnant. Quid ira, quid cupiditas in nobis possit, quotusquisque est, qui magno suo malo non experiri cogatur? Quis non his lacessitur stimulis? Quis hos non sentit aculeos? Quis subjectis non uritur ardentibus facibus? Et quidem tam varii sunt ictus, tam diversae petitiones, ut difficillimum sit, gravem aliquam plagam non accipere.

§. 808. Ac praeter hos inimicos, qui habitant et vivunt nobiscum, sunt praeterea illi hostes acerrimi, de quibus scriptum est (*Eph. VI*, 12.): *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spirituales nequitias in coelestibus.* Accedunt enim ad intimas pugnas externi impetus et impressiones Daemonum, qui et aperte nos petunt, et per cuniculos influunt in animas nostras, vix ut ab illis cavere possimus. Illos et *Principes* appellat Apostolus propter naturae excellentiam, (nam natura hominibus, et caeteris, quae sub sensum cadunt, creatis rebus antecellunt) et *Potestates* vocat, quod non solum naturae vi, sed potestate etiam superant, et *Rectores* nominat *mundi tenebrarum;* non enim clarum et illustrem mundum regunt, id est, bonos et pios, sed obscurum et caliginosum, nempe

eos, qui flagitiosae et facinorosae vitae sordibus ac tenebris obcaecati, duce tenebrarum Diabolo delectantur. Nuncupat etiam Daemones *spiritualia nequitiae;* est enim et carnis, et spiritus nequitia. Carnalis quae dicitur nequitia intendit appetitum ad libidines et voluptates, quae percipiuntur sensibus: Spiritualia nequitiae sunt mala studia, et pravae cupiditates, quae ad superiorem pertinent animae partem, quae tanto pejores sunt, quam reliquae, quanto mens ipsa et ratio altior est atque praestantior. Quae Satanae nequitia, quia maxime spectat illuc, ut coelesti nos haereditate privet, propterea dixit Apostolus *in coelestibus.* Ex quo licet intelligere, magnas esse hostium vires, invictum animum, immane in nos et infinitum odium; bellum etiam perpetuum eos gerere nobiscum, ut nulla pax esse cum illis, nullae induciae fieri possint.

§. 809. Quantum vero audeant, declarat Satanae apud Prophetam vox *(Jes. XIV, 13.): In coelum conscendam.* Adgressus est primos homines in Paradiso; adortus est Prophetas; appetivit Apostolos, *ut*, quemadmodum loquitur apud Evangelistam Dominus *(Luc. XXII, 31.), cribraret eos sicut triticum;* ne ipsum quidem Christi Domini os erubuit. Itaque ejus inexplebilem cupiditatem, et immensam diligentiam S. Petrus expressit, cum dixit *(1 Pet. V, 8.): Adversarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens, circumit, quaerens quem devoret.* Quamquam non unus modo tentat homines Satan, sed gregatim interdum Daemones in singulos impetum faciunt: quod ille confessus est Daemon, qui rogatus a Christo Domino, quod sibi nomen esset, respondit (*Marc. V, 9.*), *Legio mihi nomen est;* nempe Daemonum multitudo, quae miserum illum divexarat. Et de alio scriptam est *(Matth. XII, 45.): Assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, et intrantes, habitant ibi.*

§. 810. Multi sunt, qui, quod impulsus atque impetus Daemonum in se minime sentiunt, totam rem falsam esse arbitrantur; quos ipsos a Daemonibus non oppugnari mirum non est, quibus se sponte dediderunt. Non est in illis pietas, non charitas, non virtus illa christiano homine digna; quare fit, ut toti sint in potestate Diaboli, nec ullis tentationibus opus est ad eos evertendos, in quorum jam animis, ipsis libentibus, commoratur. At vero, qui se Deo dicaverunt, in terris

coelestem vitam agentes, ii maxime omnium Satanae incursibus petuntur; hos acerbissime odit, his in singula temporis momenta struit insidias. Plena est historia divinarum literarum, sanctorum hominum, quos praesenti etiam animo stantes, vel vi, vel fraude pervertit. Adam, David, Salomon aliique, quos enumerare difficile sit, experti sunt Daemonum violentos impetus et callidam astutiam, cui resisti non possit consilio aut hominum viribus. Quis igitur se suo praesidio satis tutum existimet? Itaque pie casteque petendum a Deo est (1 *Cor.* X, 13.): *ne nos tentari sinat supra id, quod possumus, sed faciat etiam cum tentatione proventum, ut possimus sustinere.*

§. 811. Verum hic fideles confirmandi sunt, si qui animi imbecillitate, aut rei ignoratione Daemonum vim perhorrescunt, ut ipsi tentationum fluctibus agitati, in hunc precationis portum confugiant. Non enim Satan in tanta et potentia et pertinacia, in capitali odio nostri generis, nec quantum, nec quamdiu vult, tentare nos aut vexare potest; sed omnis ejus potestas Dei nutu et permissu gubernatur. Notissimum est exemplum Iob, de quo nisi Diabolo dixisset Deus (*Iob. I*, 12.): *Ecce universa, quae habet, in manu tua sunt*, nihil ejus Satanas attigisset: contra vero, nisi addidisset Dominus: *Tantum in eum ne extendas manum tuam*, uno Diaboli ictu cum filiis ipse facultatibusque concidisset. Ita autem alligata est Daemonum vis, ut ne porcos quidem illos, de quibus scribunt Evangelistae, non permittente Deo, invadere potuisset.

## CAPUT XIX.

*Quid sit* tentare, *et quot modis id contingat, ac qua ratione tam in bonam, quam in malam partem fideles tentari dicantur* §. 812. 813.; *quibus modis in tentationem ducamur* §. 814. 815.; *quid hac postulatione petamus* §. 816.

§. 812. Sed ad intelligendam hujus petitionis vim, dicendum est, quid hic *tentatio* significet, quid item *induci in tentationem.* Est autem tentare, periculum facere de eo, qui tentetur, ut ab ipso, quod cupimus, elicientes, verum exprimamus. Qui tentandi modus in Deum minime cadit. Quid enim est, quod nesciat Deus?

*Omnia* enim, inquit *(Hebr. IV, 13.)*, *nuda et aperta sunt oculis ejus.* Est alterum tentandi genus, cum, longius progrediendo, aliud quaeri solet in bonam vel in malam partem: in bonam, cum ea re tentatur alicujus virtus, ut, illa perspecta et cognita, is commodis et honoribus augeatur, ejusque exemplum caeteris imitandum proponatur, ac denique omnes ob id ipsum ad Dei laudes excitentur. Quae tentandi ratio sola convenit in Deum. Hujus exemplum tentationis est illud in Deuteronomio *(Cap. XIII, 3.)*: *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non.* Quo modo etiam tentare dicitur suos Deus, cum inopia, morbo, et aliis calamitatum generibus premit, quod probandae eorum patientiae causa facit, et ut aliis documentum sint christiani officii. In hanc partem legimus Abraham esse tentatum, ut filium immolaret *(Genes. XXII.)*. Quo facto, fuit is obedientiae et patientiae exemplum singulare ad memoriam hominum sempiternam. In eandem sententiam dictum est de Tobia *(Cap. XII, 13.)*: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.*

§. 813. In malam partem tentantur homines, cum ad peccatum aut exitium impelluntur, quod proprium Diaboli officium est: is enim eo animo tentat homines, ut decipiat, agatque praecipites. Quamobrem *Tentator* in divinis literis appellatur *(Matth. IV, 3.)*. In iis vero tentationibus modo intimos nobis admovens stimulos, animae affectiones et commotiones adhibet administras; modo nos exagitans extrinsecus, externis rebus utitur, vel prosperis ad efferendos, vel ad frangendos, adversis; nonnunquam habet emissarios et excursores perditos homines, inprimisque haereticos, qui sedentes in cathedra pestilentiae, malarum doctrinarum mortifera semina dispergunt, ut illos, qui nullum delectum aut discrimen habent virtutis et vitiorum, homines per se proclives ad malum, nutantes ac praecipitantes impellant.

§. 814. Dicimur autem *induci in tentationem*, cum tentationibus succumbimus. Inducimur vero in tentationem dupliciter: primum, cum de statu dimoti, in id ruimus malum, in quod tentando nos aliquis impulerit. At nemo quidem a Deo hoc modo in tentationem inducitur, quia nemini est peccati autor Deus, imo vero odit omnes, qui operantur iniquitatem. Sic vero etiam est apud sanctum Jacobum *(Cap. I, 13.)*: *Nemo, cum ten-*

*tatur, dicat, quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est.* Deinde dicitur nos in tentationem inducere is, qui, etsi non tentat ipse, neque operam dat, quo tentemur, tentare tamen dicitur, quia, cum possit prohibere, ne id accidat, aut ne tentationibus superemur, non impedit. Hoc modo Deus bonos et pios tentari quidem sinit, veruntamen sua gratia sustentatos non deserit. Nec vero non interdum justo et occulto Dei judicio, nostris id sceleribus postulantibus, nobis ipsi relicti, concidimus. Praeterea nos in tentationem Deus inducere dicitur, cum ejus beneficiis, quae nobis ad salutem dedit, abutimur ad perniciem, et patris substantiam, ut prodigus ille filius *(Luc. XV.)*, dissipamus vivendo luxuriose, nostris cupiditatibus obsequentes. Quamobrem id dicere possumus, quod de lege dixit Apostolus *(Rom. VII, 10.)*: *Inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem.* Opportunum rei exemplum est Hierosolyma, teste Ezechiele: quam Deus omni ornamentorum genere locupletarat, ut ejus ore Prophetae diceret Deus *(Ezech. XVI, 14.)*: *Perfecta eras in decore meo, quem posueram super te;* et tamen illa civitas divinis cumulata bonis, tantum abest, ut optime de se merito ac merenti Deo gratiam habens, coelestibus beneficiis ad beatitudinem consequendam, cujus gratia ea acceperat, uteretur, ut ingratissima in parentem Deum, abjecta spe, cogitatione coelestium fructuum, tantum praesenti abundantia luxuriose ac perdite frueretur. Quod Ezechiel eodem capite pluribus verbis persecutus est. Quare sunt eodem loco ingrati in Deum homines, qui praebitam sibi ab eo divinitus uberem materiam recte factorum, ad vitia, illo permittente, convertunt.

§. 815. Sed oportet hunc Divinae Scripturae morem diligenter attendere, quae Dei permissionem iis interdum verbis significat, quae proprie si accipiantur, tanquam actionem in Deo significant. Nam in Exodo sic est *(Cap. VII, 3.)*: *Indurabo cor Pharaonis;* et apud Jesaiam *(Cap. VI, 10.)*: *Excaeca cor populi hujus;* et ad Romanos scribit Apostolus *(Rom. I, 26. 28.)*: *Tradidit illos Deus in passiones ignominiae*, et *in reprobum sensum.* Quibus in locis, aliisque similibus, non id omnino esse actum a Deo, sed permissum, intelligendum est.

§. 816. His positis, non erit difficile scire, quid in hac precationis parte postulemus. Nec vero petimus, ne

omnino tentemur; est enim hominum vita, tentatio super terram. Est autem ea res utilis et fructuosa hominum generi: nam in tentationibus nos ipsos, id est, vires nostras, cognoscimus. Quamobrem etiam *humiliamur sub potenti manu Dei* (1 *Petr. V*, 6.) viriliterque decertantes, expectamus immarcessibilem coronam gloriae. *Nam et qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit* (2 *Tim. II*, 5.): et, vt inquit sanctus Jacobus (*Cap. I*, 12.): *Beatus vir, qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.* Quod si urgemur nonnunquam hostium tentationibus, magnae nobis erit levationi illa cogitatio, habere nos adjutorem *Pontificem, qui possit compati infirmitatibus nostris, tentatum* ipsum *per omnia* (*Hebr. IV*, 15.). Quid hic igitur petimus? Ne divino praesidio deserti, tentationibus vel decepti assentiamur, vel cedamus afflicti; ut praesto sit nobis Dei gratia, quae, cum defecerint nos propriae vires, in malis recreet ac reficiat. Quare et generatim Dei opem implorare debemus in omnibus tentationibus, et nominatim, cum singulis affligimur, ad precationem confugere oportet. Quod a Davide factum legimus pene in unoquoque tentationum genere: nam in mendacio sic precabatur (*Psal. CXVIII*, 43.): *Ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque;* in avaritia ad huc modum (*v.* 36.): *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam;* in rebus vero inanibus hujus vitae et illecebris cupiditatum, hac prece utebatur (*v.* 37.): *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Ergo postulamns, ne morem geramus cupiditatibus, neve defatigemur in tentationibus sustinendis, ne declinemus de via Domini, ut tam in rebus incommodis, quam in prosperis, aequitatem animi constantiamque servemus, et nullam nostri partem Deus sua tutela vacuam relinquat. Petimus denique, ut *Satanam conterat sub pedibus nostris* (*Rom. XVI*, 20.).

## CAPUT XX.

*De iis, quae in hac precatione maxime cogitanda sunt et observanda* §. 817—819.

§. 817. Reliquum est, ut fidelem populum ad ea Parochus cohortetur, quae in hac precatione maxime cogitare et meditari oporteat. In qua erit illa optima

ratio, si, quanta sit hominum infirmitas, intelligentes, viribus nostris diffidemus, et omni spe nostrae incolumitatis in Dei benignitate collocata, eo freti patrocinio, vel in maximis periculis magnum animum habuerimus; praesertim cogitantes, quam multos hac spe atque hoc animo praeditos, ex hiantibus Satanae faucibus liberarit Deus. An non Joseph undique circundatum ardentibus insanae mulieris facibus *(Genes. XXXIX. XLI.)*, e summo ereptum periculo, ad gloriam extulit? non Susannam, a Satanae ministris obsessam *(Dan. XIII.)* tum, cum nihil propius esset, quam ut nefariis sententiis interficeretur, servavit incolumem? Neque mirum: *Erat enim*, inquit, *cor ejus fiduciam habens in Domino.* Insignis est laus et gloria Iob, qui de Mundo, de Carne, de Satana triumphavit. Plurima sunt hujus generis exempla, quibus Parochus diligenter pium populum ad eam spem fiduciamque cohortari debebit. Cogitent etiam fideles, quem in hostium tentationibus ducem habeant, nempe Christum Dominum, qui victoriam ex illo certamine retulit. Vicit ipse Diabolum. Est is ille *fortior (Luc. XI, 22.)*, qui superveniens fortem superavit armatum, quem et armis nudavit et spoliis. De ejus victoria, quam de mundo reportavit, est apud sanctum Johannem *(Cap. XVI, 33.)*: *Confidite, ego vici mundum.* Et in Apocalypsi dicitur ipse *leo vincens*, et exisse *vincens, ut vinceret* (*V*, 5. *VI*, 2.): qua in victoria suis etiam cultoribus facultatem vincendi dedit. Est Apostoli ad Hebraeos epistola (*XI*, 33.), plena victoriis sanctorum hominum, *qui per fidem devicerunt regna, obduraverunt ora leonum*, et quae sequuntur. Ex his vero, quae sic acta legimus, eas victorias cogitatione complectamur, quas quotidie reportant ex intimis et externis Daemonum praeliis homines, fide, spe et charitate praestantes, quae tam multae sunt, tamque insignes, ut, si sub adspectum caderent oculorum, nihil frequentius accidere judicaremus, nihil gloriosius; de quorum hostium clade his verbis scripsit S. Johannes *(1 Joh. II, 14.)*: *Scribo vobis, juvenes, quoniam fortes estis, et verbum Dei manet in vobis, et vicistis malignum.*

§. 818. Vincitur autem Satanas non otio, somno, vino, comessatione, libidine; sed oratione, labore, vigilia, abstinentia, continentia, castitate. *Vigilate et orate*, inquit, ut jam diximus, *ut non intretis in tentationem.* Qui iis armis ad illam pugnam utuntur, in fugam con-

vertunt adversarios: *Qui enim resistunt Diabolo, is fugiet ab eis (Jac. IV, 7.).* In his tamen sanctorum hominum victoriis, quas diximus, nemo sibi placeat, nemo se efferat insolentius, ut se suis viribus hostiles Daemonum tentationes, impetusque sustinere posse confidat. Non est hoc naturae nostrae, non humanae imbecillitatis. Hae vires, quibus prosternimus Satanae satellites, dantur a Deo: *qui ponit ut arcum aereum brachia nostra (Ps. XVII, 35.)*: cujus beneficio *arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore (1 Reg. II, 4.)*; qui dat nobis protectionem salutis, *cujus nos dextera suscipit, qui docet manus nostras ad praelium et digitos nostros ad bellum (Psalm. XVII, 35. sq.)*: ut uni Deo pro victoria sint agendae et habendae gratiae, quo uno et autore, et adjutore vincere possumus. Quod fecit Apostolus: inquit enim *(1 Cor. XV, 57.)*: *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* Eundem autorem victoriae praedicat coelestis illa vox in Apocalypsi *(Cap. XII, 10. 11.)*: *Facta est salus et virtus, et regnum nostri, et potestas Christi ejus: quia projectus est accusator fratrum nostrorum — et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni.* Testatur idem liber Christi Domini partam ex mundo carneque victoriam eo loco *(Apocal. XVII, 14.)*: *Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincent illos.* Haec de causa et de modo vincendi.

§. 819. Quibus expositis, proponent fideli populo Parochi a Deo paratas coronas, et constitutam victoribus sempiternam praemiorum amplitudinem, quorum ex eadem Apocalypsi divina proferent testimonia *(Apocal. II, 11.)*: *Qui vicerit, non laedetur a morte secunda;* et alio loco *(III, 5. 12. 21.)*: *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitae, et confitebor nomen ejus coram patre meo, et coram Angelis ejus.* Et paulo post Deus ipse ac Dominus noster ita loquitur ad Iohannem: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius*: tum inquit: *Qui vicerit, dabo ei sedere in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum patre meo in throno ejus.* Denique cum Sanctorum gloriam et perpetuam illam bonorum vim, quibus in coelo fruentur, exposuisset, adjunxit *(Apocal. XXI, 7.)*: *Qui vicerit, possidebit haec.*

## CAPUT XXI.

*De postrema petitione, quae veluti epitome quaedam summatim caeteras petitiones complectitur. Et quidem de ejus ac praecedentis postulationis discrimine: deinde, de ejusdem necessitate vel utilitate propter eas, quibus hominum vita subjecta est, calamitates atque miserias* §. 820. 821.; *denique quis modus seu ordo in hac malorum deprecatione servandus, et quantum inter Infidelium et Christianorum preces intersit, ad quas etiam fiducia accedere debet* §. 822. 823.

§. 820. Postrema haec petitio: *Sed libera nos a malo*; est instar omnium, qua Dei filius divinam hanc orationem conclusit: cujus etiam vim et pondus ostendens, ea usus est orandi clausula, cum e vita migraturus, Deum Patrem pro hominum salute deprecaretur: *Rogo* enim, inquit *(Johan. XVII, 15.)*, *ut serves eos a malo.* Ergo hac precationis formula, quam et praecepto tradidit, et exemplo confirmavit, quasi quadam epitome summatim complexus est vim et rationem caeterarum petitionum. Cum enim id, quod ea prece continetur, impetraverimus, nihil, autore S. Cypriano *(Serm. VI. de Orat. Dom.)*, remanet, quod ultra adhuc debeat postulari; cum semel protectionem Dei adversus malum petamus: qua impetrata, contra omnia, quae Diabolus et Mundus operantur, securi stamus et tuti. Quare, cum tanti sit haec petitio quanti diximus, debebit Parochus in ea fidelibus explicanda summam adhibere diligentiam. Differt autem haec et proxima petitio, quod illa vitationem culpae, hac poenae liberationem postulamus.

§. 821. Quare non jam monendus est fidelis populus, quantopere et laboret ex incommodis et calamitatibus, et coelestis egeat adjumenti. Nam quot et quantis miseriis proposita sit hominum vita, praeterquam, quod et sacri et profani Scriptores hoc argumentum sunt copiosissime persecuti, nemo fere est, quin intelligat et suo et alieno periculo: persuasum enim est omnibus, quod exemplum patientiae Iob memoriae prodidit *(Iob XIV, 1. 2.)*: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis: qui, quasi flos, egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet.* Nec vero ullum praeterire diem, qui propria aliqua molestia aut incommodo

notari non possit. Testis est illa Christi Domini vox (*Matth. VI, 34.*): *Sufficit diei malitia sua.* Etsi conditionem humanae vitae declarat ipsius Domini monitum illud (*Luc. IX, 23.*), quo crucem quotidie sumi, seque docuit sequi oportere. Ut igitur quisque sentit, quam laboriosa sit et periculosa haec vivendi ratio; ita facile persuadebitur fideli populo, malorum liberationem a Deo implorandam esse, praesertim cum nulla re magis ad orandum adducantur homines, quam cupiditate et spe liberationis eorum incommodorum, quibus premuntur, aut quae impendeant. Est enim haec insita ratio in animis hominum, ut in malis statim ad Dei auxilium confugiant. Qua de re est illud scriptum (*Psalm. LXXXII, 17.*): *Imple facies eorum ignominia et quaerent nomen tuum, Domine.*

§. 822. Sed si illud fere sua sponte faciunt homines, ut in periculis et calamitatibus invocent Deum: certe, quo modo id recte facere possint, ab iis, quorum fidei ac prudentiae commissa est eorum salus, maxime docendi sunt. Non enim desunt, qui contra Christi Domini jussum praepostero utantur ordine precationis. Nam qui jussit nos ad se confugere in die tribulationis, idem orationis ordinem nobis praescripsit: voluit enim, ut prius, quam precaremur ut nos liberaret a malo, peteremus, uti nomen Dei sanctificaretur, et adveniret regnum ejus, et reliqua postularemus, quibus quasi gradibus quibusdam in hunc locum pervenitur. Sed quidam, si caput, si latus, si pes condoluit, si rei familiaris jacturam faciunt, si minae, si pericula ab inimicis intenduntur, in fame, in bello, in pestilentia, omissis mediis Dominicae precationis gradibus, tantum petunt, ut ex illis eripiantur malis. Ac huic consuetudini repugnat Christi Domini jussum (*Matth. VI, 33.*): *Quaerite primum regnum Dei.* Itaque qui recte faciunt, cum deprecantur calamitates, incommoda, malorum repulsionem, id referunt ad Dei gloriam. Sic David illi precationi (*Psalm. VI, 2.*): *Domine, ne in furore tuo arguas me*, subjecit rationem, qua se Dei gloriae cupidissimum ostendit; inquit enim (*v. 6.*): *Quia non est in morte, qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?* Et idem, cum oraret Deum, sibi ut misericordiam impertiret, subjungit illud (*Psalm. L, 15.*): *Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur.*

Ad hanc orandi salutarem rationem, et ad exemplum Prophetae incitandi sunt fideles auditores, et simul docendi, quantum intersit inter infidelium et christianorum hominum preces.

§. 823. Petunt vehementer illi etiam a Deo, ut possint ex morbis vulneribusque convalescere, sibi ut ex urgentibus vel imminentibus malis evadere liceat: sed tamen illius praecipuam spem liberationis ponunt in remediis, natura vel hominum industria comparatis: quin etiam sibi datum a quovis medicamentum, etiam si incantationibus, si veneficiis, si Daemonum opera confectum sit, sine ulla religione adhibent, modo aliqua valetudinis spes ostendatur. Longe alia est ratio Christianorum, qui in morbis et in omnibus adversis rebus habent summum perfugium et praesidium salutis Deum, unum illum omnis autorem boni et liberatorem suum agnoscunt ac venerantur: remediis vero, quae inest ad sanandum vis, insitam a Deo esse pro certo habent, tantumque illa aegrotis prodesse existimant, quantum ipse voluerit Deus. Est enim a Deo data hominum generi medicina, qua morbos sanaret. Hinc est illa Ecclesiastici vox *(Eccles. XXXVIII, 4.)*: *Altissimus creavit de terra medicinam, et vir prudens non abhorrebit illam.* Itaque qui Jesu Christo nomen dederunt, non in illis remediis summam spem reponunt recuperandae valetudinis, sed ipsi medicinae autori Deo maxime confidunt. Quare etiam in divinis literis *(2 Paral. XVI, 12.)* reprehenduntur ii, qui, medicinae fiducia, nullum Dei auxilium requirunt: imo vero, qui vitam agunt ex divinis legibus abstinent omnibus remediis, quaecunque ad curationem a Deo non adhibita esse constet. Quod si etiam eorum usu medicamentorum illis sit explorata spes sanitatis, tamen ab iis, ut incantationibus et Daemonum artificiis, abhorrent. Ad id autem fideles cohortari oportet, ut Deo confidant. Ea enim re jussit nos beneficentissimus Parens liberationem malorum postulare, ut in eo ipso, quod jussit, spem etiam impetrationis haberemus. Multa sunt in Sacris Literis hujus rei exempla, ut qui minus rationibus adducuntur ad bene sperandum, exemplorum multitudine confidere cogantur. Abraham, Jacob, Loth, Joseph, David sunt in oculis, locupletissimi testes divinae benignitatis. Sacrae Novi Testamenti literae tam multos enumerant, qui ex maximis discriminibus erepti sunt piae pondere precationis, ut res exem-

lorum commemoratione non egeat. Una igitur illa Prophetae (*Psalm.* XXXIII, 18.) sententia contenti erimus, quae vel infirmissimum quemque confirmare potest. *Clamaverunt* enim, inquit, *justi, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.*

## CAPUT XXII.

*Quae sit postremae hujus precationis vis atque ratio, et a quibus malis liberari petamus* §. 824.; *quot modis Deus nos a malis eripiat, et quas ob causas Daemon malus dicatur; cur etiam a malo, et non a malis, liberari petamus* §. 825. 826.; *quomodo nos affectos esse deceat, si in precibus non liberamur a malis; nimirum, ut ea non modo patienter, sed etiam gaudenti animo feramus* §. 827.

§. 824. Sequitur hujus vis et ratio petitionis, ut fideles intelligant, non omnino petere nos hoc loco, ut a malis omnibus liberemur: sunt enim quaedam, quae communiter mala putantur, quae tamen sunt illis fructuosa qui patiuntur; ut ille *stimulus* qui Apostolo erat adhibitus, ut, Dei gratia adjuvante, *virtus in firmitate* perficeretur (2 *Cor.* XII, 7. 9.). Haec, si cognita sit eorum vis, summa voluptate pios afficiunt: tantum abest, ut a Deo petant, ut auferantur. Quare tantum ea mala deprecamur, quae nullam animae utilitatem afferre possunt, reliqua minime, modo aliquis inde salutaris fructus existat. Omnino igitur huic voci ea subjecta vis est, ut a peccato liberati, a tentationis etiam periculo, ab intimis externisque malis eripiamur; ut tuti simus ab aqua, ab igne, a fulgure; ne grando noceat frugibus; ne annonae caritate, seditionibus, bello laboremus; petimus a Deo, ut morbos, pestem, vastitatem arceat; vincula, carcerem, exilium, proditiones, insidias, caeteraque omnia prohibeat incommoda, quibus maxime terreri ac premi solet hominum vita; omnes denique flagitiorum et facinorum causas avertat. Neque haec solum, quae omnium consensione mala sunt, deprecamur, sed illa etiam, quae pene omnes bona contentur, divitias, honores, valetudinem, robur, hanc ipsam vitam: petimus, inquam, ne ad malum et animae nostrae exitium haec convertantur. Oramus etiam Deum, ne morte opprimamur repentina, ne in nos iram Dei concitemus; ne, quae impios manent, supplicia subeamus; ne igne purgatorii torqueamur, a quo, ut alii libe-

rentur, pie et sancte precamur. Hanc petitionem et in Missa et in Litaniis sic interpretatur Ecclesia, nos videlicet ea praeterita, praesentia, futura mala deprecari.

§. 825. Non uno autem modo Dei nos benignitas eripit a malis. Nam impendentes prohibet calamitates; quomodo legimus magnum illum Iacob esse liberatum ab inimicis, quos in illum concitarat Sichimitarum caedes. Extat enim illud *(Genes. XXXV, 5.)*: *Terror Dei invasit omnes per circuitum civitates, et non sunt ausi persequi recedentes.* Et quidem beati omnes, qui cum Christo Domino in coelis regnant, omnibus malis Dei ope liberati sunt; nos autem, qui in hac peregrinatione versamur, ab omnibus incommodis solutos esse minime vult, sed eripit a quibusdam, etsi sunt instar liberationis màlorum omnium ea solatia, quae dat interdum Deus iis, qui rebus premuntur adversis. His se consolabatur Propheta, cum illa dicebat *(Psalm. XCIII, 19.)*: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam.* Praeterea a malis homines liberat Deus, cum illos in summum discrimen adductos, integros servat et incolumes: quod et pueris illis in ardentem fornacem conjectis, et Danieli contigisse legimus, quem leones nihil laeserunt, quemadmodnm neque pueros flamma violavit. Malus vero, etiam ex sententia Sanctorum, Basilii Magni, Chrysostomi et Augustini, praecipue dicitur Daemon, quod hominum culpae, id est, sceleris et peccati autor fuit; quo etiam ministro utitur Deus in repetendis poenis a sceleratis et facinorosis: dat enim Deus omne malum hominibus, quod illi peccati causa patiuntur. In quam sententiam loquuntur Divinae Literae illis verbis *(Amos III, 6.)*: *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* item *(Jes. XLV, 6. 7.)*: *Ego Dominus, et non est alter, formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem et creans malum.* Malus quoque dicitur Daemon ob eam causam, quod, etsi nihil eum laeserimus, tamen perpetuum bellum nobis infert, et capitali nos insectatur odio. Quod si nobis, et fide armatis et innocentia tectis, nocere non potest, tamen nullum finem facit tentandi nos externis malis et quacunque potest ratione divexandi.

§. 826. Quamobrem Deum precamur, ut nos a malo liberare velit. Dicimus autem *a malo*, non *a malis*, ob id, quod mala, quae in nos a proximis proficiscuntur, illi assignamus, tanquam autori et impulsori. Quo

minus etiam proximis irasci debemus: quin odium et iracundiam in ipsum Satanam convertere oportet, a quo homines ad inferendam injuriam impelluntur. Itaque si te aliqua re laeserit proximus, cum preces facis parenti Deo, pete, ut non modo te liberet a malo; id est ab iis, quas tibi proximus imponit, injuriis: sed illum ipsum eripiat proximum ex Diaboli manu, cujus impulsu homines in fraudem inducuntur.

§. 827. Illud denique sciendum est, si precibus et votis non liberamur a malis, debere nos, quae premant, ferre patienter, intelligentes placere divino numini, ut toleranter ea patiamur. Quare minime nos indignari ac dolere par est, quod preces nostras non audiat Deus, sed omnia ad ejus nutum ac voluntatem referre oportet; existimantes id utile, id esse salutare, quod Deo placet, ut ita sit: non autem id, quod secus nobis videatur. Postremo docendi sunt pii auditores, dum in hoc vitae curriculo versamur, eos ad omne incommodorum et calamitatum genus non solum aequo, sed etiam gaudenti animo ferendum, paratos esse debere. *Omnes* enim, inquit *(2 Tim. III, 12.), qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur;* item *(Actor. XIV, 21.): Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei;* rursum *(Luc. XXIV, 26.): Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Non enim aequum est, servum majorem esse Domino suo; sicuti turpe est, e sententia Sancti Bernardi, membra esse delicata sub spinoso capite. Praeclarum illud est exemplum Uriae propositum ad imitandum, qui, adhortante Davide, domi ut se contineret, inquit *(2 Reg. XI, 11.): Arca Dei, et Israel, et Juda habitant in papilionibus — et ego ingrediar domum meam?* His instructi rationibus ac meditationibus, si ad orandum veniemus, illud assequemur, ut si minus undique cincti, malisque circumdati, quemadmodum tres illi pueri intacti ab igne, sic nos inviolati servemur: certe, ut Machabaei, casus adversos constanter ac fortiter feramus. In contumeliis et cruciatibus sacros imitabimur Apostolos, qui caesi verberibus, vehementer laetabantur, quod digni habiti essent, qui pro Christo Jesu contumelias paterentur. *(Act. V, 41.)* Sic nos ita comparati canemus illa summa animi voluntate *(Psalm. CXVIII, 161. 162.): Principes persecuti sunt me gratis, et a verbis tuis formidavit cor meum: laetabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.*

## CAPUT XXIII.

*De postrema hac voce Amen, quae est clausula ac finis Dominicae Orationis, et quam uberes fructus ex eo percipiamus* §. 828. 829. 830.*; quae sit hujus clausulae vis atque sententia* §. 831.

§. 828. Hanc vocem *Amen*, sicuti est, signaculum Orationis Dominicae appellat Sanctus Hieronymus in Commentariis in Matthaeum. Quare, ut admonuimus antea, fideles de praeparatione, quae adhibenda sit priusquam aggrediantur ad divinam precationem: sic nunc faciendum duximus, ut clausulae ac finis ipsius praecationis causam rationemque cognoscant. Non enim pluris est, divinas preces diligenter ordiri, quam religiose absolvere.

§. 829. Sciat igitur fidelis populus multos esse, et eos uberes, fructus, quos ex Dominicae Orationis fine percipimus; sed omnium uberrimus ac laetissimus fructus est eorum impetratio, quae postulavimus: de quo supra satis dictum est. Non solum autem consequimur postrema hac parte praecationis, ut nostrae preces audiantur, sed quaedam etiam majora ac praeclariora, quam ut verbis explicari possint. Nam cum orando homines cum Deo colloquantur, ut Sanctus Cyprianus ante fine Sermon. de Oratione Domin. ait, fit quodam inexplicabili modo oranti divina Majestas propior, quam caeteris: quem praeterea singularibus ornat muneribus: ut qui pie Deum orant, quodammodo cum iis qui ad ignem accedunt, comparari possint: qui si algent, calescunt: si calent, aestuant: sic illi assistentes ad Deum, pro modo pietatis ac fidei ardentiores evadunt. Inflammatur enim eorum animus ad Dei gloriam, mens illustratur admirabilem in modum, omnino cumulantur divinis muneribus. Est enim illud proditum Sanctis Literis (*Psalm. XX*, 4.): *Praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Exemplo est omnibus magnus ille Moyses (*Exod. XXXIV*, 35.): qui a Dei congressu et colloquio digrediens, divino quodam fulgore collucebat, sic, ut Israelitae ejus oculos et os intueri non possent. Omnino qui vehementi illo studio preces faciunt, Dei benignitate ac majestate admirabiliter perfruuntur. *Mane adstabo*, inquit Propheta (*Psalm. V*, 5.), *et videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Haec quo magis noscunt homines, eo Deum vehementiori cultu ac pietate venerantur; eo etiam sentiunt jucundius, quam

suavis sit Dominus, et quam vere beati sint omnes, qui sperant in eo: tum vero clarissima illa luce circumfusi, quanta sit eorum humilitas, quanta sit Dei majestas, considerant. Est enim illa S. Augustini regula: *Noverim te, noverim me.* Itaque fit, ut suis viribus diffidentes totos se committant Dei benignitati, minime dubitantes, quin is ipsos paterna illa sua et admirabili charitate complexus, abundanter iis omnia suppeditet, quae sint ad vitam et salutem necessaria. Hinc se ad agendas Deo gratias convertant, quantas animo maximas capere possunt, quantas oratione complecti: quod magnum Davidem fecisse legimus, qui, cum ita precationem instituisset *(Psalm. VII, 2.)*: *Salvum me fac ex omnibus persequentibus me:* sic eam absolvit *(v. 18.)*: *Confitebor Domino secundum justitiam ejus, et psallam nomini Domini altissimi.*

§. 830. Sunt ejusmodi Sanctorum preces innumerabiles, quarum exordium est timoris plenum, clausula spei bonae, laetitiaeque referta. Sed mirabile est, quam eo in genere eniteant Davidis ipsius precationes. Nam cum metu perturbatus sic orare esset exorsus *(Ps. III, 2. 3.)*: *Multi insurgunt adversum me, multi dicunt animae meae, non est salus ipsi in Deo ejus*: confirmatus aliquando, gaudioque perfusus, subiunxit paulo post *(v. 7.)*: *Non timebo millia populi circumdantis me.* Alio etiam Psalmo, suam cum deplorasset miseriam, ad extremum Deo confisus, incredibiliter laetatur spe sempiternae beatitudinis *(Psal. IV, 9.)*: *In pace, in idipsum*, inquit, *dormiam et requiescam.* Quid illa? *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me:* quanto cum tremore et pallore Prophetam *(Psalm. VI, 2.)* dixisse credendum est? contra, quae deinceps sequuntur, quam fidenti ac laetanti animo? *Discedite a me*, inquit *(v. 6.)*, *omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.* Cum vero Saulis iram furoremque pertimesceret, quam humiliter ac demisse Dei opem implorabat *(Psalm. LIII, 3.)*: *Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me.* Et tamen hilare ac fidenter in eodem Psalmo subiecit *(v. 6.)*: *Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animae meae.* Quare qui se confert ad sacras preces, fide speque munitus. parentem adeat Deum, ut se id consequi posse, quod ei opus sit, nullo modo diffidat.

§. 831. Sunt autem in extremo hoc divinae precationis verbo *Amen*, multa quasi semina quaedam

earum rationum cogitationumque, quas diximus Et quidem adeo frequens fuit haec Hebraea vox in ore Salvatoris, ut Spiritui Sancto placuerit, ut in Ecclesia Dei retineretur. Cui voci illa quodammodo subiecta sententia est: Scito tuas auditas esse preces. Habet enim vim respondentis, et illum, qui precibus quod velit impetrarit, cum bona gratia dimittentis Dei. Hanc sententiam perpetua Ecclesiae Dei consuetudo comprobavit, quae in Sacrificio Missae, cum pronunciatur Oratio Dominica, non rei sacrae ministris, quorum partes sunt illa dicere: *Sed libera nos a malo*, attribuit hanc vocem *Amen*, sed ipsi Sacerdoti accommodatam reservavit: qui, cum Dei et hominum sit interpres, Deum exoratum esse populo respondet. Nec tamen hic ritus communis est omnium precationum, quippe cum in caeteris ministrorum sit munus respondendi, Amen: sed proprius Dominicae Orationis. Nam in aliis precibus consensum modo, desideriumque significat; in hac responsio est, Deum orantis postulationi consensisse. Ac varie quidem a multis est interpretatum hoc verbum, Amen. Septuaginta interpretes verterunt, Fiat: Alii reddiderunt, Vere: Aquila, Fideliter convertit. Sed parvi refert, hoc an illo modo sit redditum; modo habere intelligamus eam vim, quam diximus, confirmantis sacerdotis concessum id esse quod petebatur. Cujus sententiae testis est Apostolus in Epistola ad Corinthios (2 *Cor. I*, 20.): *Quotquot enim*, inquit, *promissiones Dei sunt, in illo est; ideo et per ipsum Amen Deo, ad gloriam nostram.* Est etiam haec nobis accommodata vox, in qua inest confirmatio quaedam earum petitionum, quas adhuc adhibuimus: quae etiam eos reddit attentos, qui dent operam sacris precibus: fit enim saepe, ut in precatione distracti homines variis cogitationibus, alio traducantur: imo vero summo studio petimus hac ipsa voce, ut omnia fiant, id est, concedantur, quae antea petivimus; vel potius intelligentes nos jam impetrasse omnia, ac sentientes praesentem vim divini auxilii, illud una cum Propheta canimus (*Psalm. LIII.* 6.): *Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animae meae.* Nec est, quod quisquam dubitet, quin et nomine Filii sui, et verbo quo saepissime is usus est, moveatur Deus, qui semper, ut ait Apostolus (*Hebr. V*, 7.), *exauditus est pro sua reverentia.*

IV.

# CHRESTOMATHIA

## SYMBOLICA.

A.

# ORTHODOXAE CONFESSIONIS

## CATHOLICAE ATQUE APOSTOLICAE ECCLESIAE ORIENTALIS

### I.

### INTRODUCTIO.

**Quaest. 1. Quid tenere atque observare orthodoxus et catholicus homo christianus debet, ut aeternae olim vitae heres fiat?** — *Rectam fidem et bona opera.* Qui enim haec duo servat, ille bonus Christianus est, certamque aeternae salutis spem habet, teste Sacra Scriptura *(Jac. II, 24.)*: *Videtis, quod ex operibus justificetur homo, non autem ex fide tantum;* tum paullo post *(v. 26.)*: *Nam quemadmodum corpus sine spiritu mortuum est; ita et fides sine operibus mortua est.* Idem alibi divinus ille Paulus adstruit *(1 Tim. I, 19.)*: *Habens fidem et bonam conscientiam, qua repulsa nonnulli fidei naufragium fecerunt.* Et alio idem loco *(1 Tim. III, 9.)*: *Habentes mysterium fidei in pura conscientia.*

**Qu. 2. Quid vero prius credere, tum deinde bona opera efficere debet Christianus?** — Quoniam sine fide nemo Deo placere potest, secundum dictum Pauli *(Hebr. XI, 6.)*: *Fieri non potest, ut sine fide quisquam placeat; nam qui ad Deum accedit, hunc credere oportet, et esse Deum et remuneratorem iis esse, qui illum sedulo quaerunt.* Ut acceptus igitur Deo homo christianus sit; ut illique grata ejus sint opera: primum fidem in Deum habeat oportet; postmodum ut vitam etiam suam ad fidei regulam componat ac conformet.

Qu. 3. Quibus in rebus haec duo consistunt? — In tribus hisce virtutibus theologicis: in Fide, in Spe, in Caritate; secundum quas etiam tres Confessionis hujus partes distribuere nobis animus est. Nimirum ut in *prima* parte, concordi Confessione de articulis Fidei agamus; in *secunda* de Spe et Oratione Dominica, et beatitudinibus evangelicis; in *tertia* denique de Praeceptis divinis, quibus Caritas in Deum et Proximum continetur.

## II.

## PARTIS PRIMAE, QUAE EST DE FIDE

Qu. 4. Quid est Fides? — Fides secundum b. Paulum *(Hebr. XI, 1.) est substantia earum rerum, quae sperantur, earumque quae non videntur demonstratio; per hanc enim testimonium consecuti sunt Seniores.* Aut hunc in modum: *Fides orthodoxa, catholica et apostolica est corde credere, et ore profiteri unum Deum, personis trinum;* idque secundum Pauli ipsius doctrinam *(Rom. X, 10.): Corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem.* Adhaec pro certo atque indubitato tenere debet orthodoxus Christianus, omnes fidei articulos, quos catholica et orthodoxa credit Ecclesia, a Domino nostro J. Christo, per Apostolos Ecclesiae traditos, atque ab oecumenicis Conciliis expositos approbatosque fuisse, quos et ipse vera fide complecti debet, secundum praeceptum Apostoli *(2 Thess. II, 15.): Vos igitur fratres perstate, Traditionesque tenete, quas sive ex sermone nostro, sive epistola didicistis;* rursus alibi *(1 Cor. XI, 2.): Collaudo ego vos fratres, quod mea omnia memoria tenetis, quodque Tradiones, prout illas vobis tradidi, retinetis.* Ex hisce manifestum est, articulos Fidei auctoritatem approbationemque suam, partim S. Scripturae, partim Traditioni ecclesiasticae, atque doctrinae Conciliorum Sanctorumque Patrum acceptam referre. Quam rem hunc in modum clarius illustrat S. Dionysius: *Quippe essentia Hierarchiae hujus nostrae tradita divinitus oracula sunt, quorum ea quam maxime venerabilia ducimus, quaecunque a divinis doctoribus nostris in sacris ac theologicis codicibus, nobis data sunt; itemque illa, in quibus a sanctissimis istis hominibus immateriali quadam initiatione,*

et coelesti Hierarchiae jam quodammodo vicina, de mente in mentem facta, ope quidem corporeae sermocinationis, sed minus tamen materiatae, nec ullis literis proditae, praeceptores et duces nostri initiati institutique fuere.* Scilicet quod gemina ac duplicia Ecclesiae dogmata sunt, alia literis mandata, quae divinis S. Scripturae libris comprehensa habentur; alia viva voce ab Apostolis tradita: atque haec ipsa sunt, quae postmodum a Conciliis Sanctisque Patribus plenius declarata fuerunt, binisque hisce fundamentis fides superstructa exstat. Quam neutiquam arcanis pectorum claustris duntaxat abstrudi oportet; verum etiam confessione oris intrepide atque indubitanter praedicari ac proferri, quemadmodum et sacer Psaltes loquitur *(Ps. CXVI, 10. et 2 Cor. IV, 14.)*: *Credidi, propterea et locutus sum; nos quoque credimus, ideoque etiam loquimur.*

Qu. 5. Quot catholicae atque orthodoxae Fidei Articuli sunt? — Orthodoxae et catholicae fidei Articuli numero *duodecim* sunt, secundum Symbolum Concilii primi Nicaeae, et secundi Constantinopoli habiti. Quibus in Conciliis ita sunt accurate exposita, quae ad fidem nostram attinent, omnia, ut neque plura, neque pauciora, a nobis credi oporteat, neque alio sensu intellectuque, quam quo Patres illi intellexerunt. Verum enimvero nonnulli horumce Articulorum clari per seque manifesti sunt: alii quaedam occultius complectuntur, unde cetera etiam intelliguntur.

Qu. 6. Primus Fidei Articulus quis est? — *Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, conditorem coeli et terrae, rerumque visibilium, atque invisibilium omnium.*

Qu. 9. Si *unus Deus* est, necesse videtur, illum etiam *unicam tantummodo personam* esse. — Nihil necesse est: quippe secundum naturam et essentiam Deus unus est; at personis trinus, quod ex ipsius Servatoris nostri, ad Apostolos suos loquentis, doctrina satis claret *(Matth. XXVIII, 9.)*: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii, et Spiritus Sancti.* Unde patet, in una et eadem Divinitate, tres omnino esse personas: Patrem, Filium, et Spiritum S.: Patrem, qui ante secula, de propria essentia sua, Filium gignit, ac Spiritum S. emittit: Filium, a Patre ante secula genitum, illique consubstan-

tialem; Spiritum S., ab omni aeternitate de Patre procedentem, Patrique ac Filio coëssentialem. Quam rem hisce verbis exponit divinus Damascenus: *Filius et Spiritus S., ad caussam unam, nempe Patrem, referuntur.* Idem alio loco: *Filius a Patre per modum Generationis exsistit: Spiritus S. itidem a Patre est; at non per modum Generationis, verum Processionis.* Porro et *Gregorius Theol.*, in verba Apostoli ad Rom. *(XI, 36.): Ex illo, et per illum, et in omnia,* sic loquitur. *Primum* (nimirum ex illo), *Patri reddemus; secundum Filio, tertium Spiritui S.;* ut inde palam fiat, existere revera in Divinitate Trinitatem. Tum praeterea aequali ideo ratione, nullaque differentia aut exceptione, in nomen Patris, Filii, et Spiritus S. baptizamur. Quapropter quod secundum naturam Pater est, idipsum et Filium, et Spiritus S. est. Atqui Pater natura verus et aeternus Deus est, rerumque omnium, quae sub adspectum veniunt, aut non veniunt, conditor; talis igitur omnino tum Filius est, tum Spiritus S.; sibique invicem consubstantiales sunt, docente ita Johanne Evang. *(1 Joh. V, 7.): Tres sunt qui testificantur in coelo: Pater, Verbum, et Spiritus S.; et hi tres unum sunt.* Unum illud tamen his in verbis singillatim excipiendum, quod in essentia divina, Filii, Sanctique Spiritus caussa, Pater est, quod ambaeque hae personae ab illo originem habent, at ipsemet ab nemine. Hunc in modum ab ipsa aeterna Veritate, Jesu Servatore nostro, edocti sumus; hunc in modum de SS. Apostolis accepimus; hunc omnino in modum, et non alium, universales particularesque Synodi, una cum Doctoribus Ecclesiae docuerunt, tradiderunt, sanxerunt; idemque consimiliter orthodoxa ac catholica Ecclesia nostra tenet docetque; hanc eandem ob fidem sanguinem suum SS. Martyres profuderunt, mortemque cum vita praesente commutarunt: hoc plane et nos modo, ex toto corde nostro, sine ulla titubatione credere, atque hanc firmam et inconcussam servare fidem, illiusque caussa, si necesse sit, mortem oppetere, debemus; ob spem nimirum aeternae salutis nostrae; adminiculantibus etiam bonis operibus nostris; quorum proemia fructusque sempiternos in coelo percepturi sumus.

Qu. 10. Vellem sane paullo clarius distinctiusque istuc *sacrae Trinitatis mysterium*

ercipere. — Atqui nulla profecto similitudine fieri otest, ut plene perfecteque res illustretur, ut evidenerque apud animum nostrum proponatur, quonam tanlam pacto Deus essentia unus, idemque personis trinus it. Quod nulla penitus imagine, nullo exemplo, satis leclarari posse, Deus ipsemet, cui Jehovae nomen est, er Prophetam testificatur *(Jes. XLVI, 5.): Cui me dsimilastis? cui me aequastis? et cui comparavistis me, onsimilemque fecistis; ut illi similis sim?* Adeo ut nulus intellectus, non modo humanus, sed ne angelicus uidem, hoc comprehendere, nulla eloqui valeat lingua. Quamobrem rectissime cum Apostolo dixerimus *(2 Cor. X, 5.): Destruentes ratiocinationes, omnemque celsiudinem, quae attollitur adversus cognitionem Dei: et aptivam ducentes omnem cogitationem in obedientiam Christi;* firma fide credimus, Deum Patrem ab aeterno t in aeternum reapse exsistentem, eundemque a nullo rorsus oriundum, generare Filium, Spiritumque Santum producere. Qua de re plenius uberiusque in *Symolo* suo magnus *Athanasius* tractat. Hac fidei simlicitate contenti, nihil ulterius exquirimus ac scrutaur: scrutator enim disputatorque divinae majestatis etatur a Scriptura dicente *(Sir. III, 20.): Difficiliora uam pro tuo captu ne require, et viribus tuis fortiora e scrutare. Quae tibi mandata sunt, ea meditare: non nim indiges iis, quae occulta sunt; in iis, quae superacua tibi sunt, ne curiosus esto.* Hoc igitur nobis satis it, quod Sacra legis antiquae Scriptura, dum Deum num proponit, simul nobis Trinitatem personarum expoit *(Genes. I, 26.): Dixit Dominus Deus, faciamus ominem ad imaginem nostram, et ad similitudinem;* et *(Cap. III, 22.): Ecce Adam ut unus nostrum jam fatus est;* et *(Cap. XI, 7.): Age descendamus, et confunamus illic linguas eorum, ut ne alii aliorum voces raudiant.* Declarat idipsum manifeste et Propheta, ui ait *(Jes. VI, 3.): Et clamabat alter* (Angelus) *alri, dixitque; sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Zeaoth; plena est omnis terra gloria illius.* Pariter et acer Fidicen *(Psalm. XXXIII, 6.): Verbo Domini eli firmati sunt; et Spiritu oris ejus, omnis exercitus orum;* de quo fusius latiusque Sacrae Literae, Doctosque ecclesiastici, agunt.

Qu. 19. Jam quoniam primo loco *Angelos* reavit Deus, dic quaeso quidnam de iis sta-

tuendum habemus? — Angeli sunt Spiritus, ex non ente in ens verum ea fini a Deo conformati, ut et ipsum hymnis suis concelebrent, illique adpareant, et praeterea hoc in orbe, suo ministerio hominibus adsint, illisque in regnum Dei viam praeeant. Est illis etiam urbium, regnorum, regionum, monasteriorum, Ecclesiarum, hominumquo item, tum religiosorum, tum secularium, cura et tutela commissa; cujus rei luculentum in Actibus Apost. commemoratur exemplum *(V, 19.)*: *Angelus autem Domini noctu fores carceris reclusit, illisque eductis dixit: ite, et in templo consistentes omnia vitae hujus verba populo exponite;* et rursus *(XII, 7.)*: *Ecce vero subito adstabat Angelus Domini, — dixitque Petro: accinge te ocyus, indue soleas, circumda tibi pallium, et sequere me;* et mox *(v. 12.)*: *Verum ut ad se rediit Petrus, dixit; nunc vero plane scio, emisisse Dominum Angelum suum, meque eripuisse de manu Herodis, et de omni exspectatione populi Judaeorum.* Pari modo parvulorum infantum curam agunt; docente ipso Servatore nostro *(Matth. XVIII, 10.)*: *Dico enim vobis, quod Angeli illornm in coelis perpetuo vultum patris mei, qui in coelis est, intuentur.* Iidem preces et eleemosynas nostras, et benefacta reliqua, ad divinam majestatem perferunt. Minime istuc quidem quasi eleemosynas non animadverteret nostras, aut preces non ipse satis exaudiret Deus, sed quod illi pro nobis intercedunt. Et in antiqua lege, lege Mosaica nondum lata, legem voluntatemque Dei omnem majores nostros Angeli edocebant, eisque rectum salutis iter commonstrabant; teste S. Dionysio. Postea vero quam promulgata lex erat, instruebant homines ducebantque ad bonum, prout ipsa satis Scriptura arguit, dum et adparuisse Prophetis Angelos, et futura aperuisse, prodit. Veluti quum Josephum Angelus praemonuit, caveret sibi a sanguinario Herodis proposito *(Matth. II, 13.)*: *Surge, inquit, acceptoque puerulo, illiusque matre, in Aegyptum effuge; et mane illic donec dixero tibi: certo enim puerulum ad necem quasiturus est Herodes;* rursus quando idem Virgini familiariter servire verebatur *(Matth. I, 20.)*; mox animum illi Angelus Domini addit, rectiusque edocet. Horum item indicio divina opera divulgantur; quemadmodum nascente Christo *(Luc. II.)*, illum Bethlehemi jam modo in lucem editum esse, pastoribus nunciabant. Illi etiam, mandatu Dei, localiter

ingulis hominibus praesto adsunt, periculis quibuslibet os eripiunt, animarumque nostrarum hostem propulant, qui crudelissime discruciare hominem solet, quanocunque id sibi divino permissu licere intelligit. Jam uod sua nos custodia coelestis ille genius noster sepiat ieaturque; id ex hoc Scripturae dicto, de eo qui Doiino unice confidit, satis adparet *(Psalm. XCI, 11.)*: *Angelis suis de te praecipiet, ut custodiant te in omnius viis tuis; attollent te manibus, ne ad lapidem pedem uum offendas.*

Qu. 12. In quod Classes distribuuntur ngeli? — Ex sententia *Dionysii* in *novem* distinuuntur *Choros;* qui denuo in *tres* distribuuntur *Classes.* rima in *Classe* aevum agitant, qui Deum propius cirumstant: *Throni, Cherubim et Seraphim;* in *secunda: Potestates, Dominationes, Exercitus* (sive etiam *Virtutes*); *tertia: Angeli, Archangeli, Principatus.* Sunt autem disposití ordine, ut inferiores a superioribus illuminationem ac divina beneficia accipiant. Hi Angeli in ratia Dei jugiter permanent; quippe quoniam Luciferi l rebellationem adversus Deum incitamentis aurem non raebuerunt, hanc gratiam adepti, non amplius labi ossunt; non illud quidem certe ulla naturae suae praeantia, sed mera Dei gratia. Haec ita praeviter adnota, ad notitiam Angelorum in tantum sufficere arbiamur, quantum compendiariae hujus orthodoxae dorinae modus exigere videatur. Itaque cognito jam tis, cum opem nobis auxiliumque Angelos ferre, tum ia nos intercessione juvare; merito omnibus in preciis nostris illos obtestamur, ut Deum nobis propitient; umque ante alios Angelum, qui praeses noster custosie est.

Qu. 21. Porro quid *de malis Angelis* sentendum nobis? — Ipsos quidem bonos omnino a eo creatos fuisse — quidquid enim fecit Deus, bonum cit — sed propria voluntate sua improbos evasisse; prout statur Dominus noster de principe Daemonum loquens *(Joh. VIII, 44.)*: *Ille homicida fuit ab initio, nec in ritate stetit; non enim est in illo veritas; quando ndacium loquitur, de suis loquitur: nam mendax est, iusque pater.* Hi impietatis omnis auctores et signiferi, vinaeque majestatis blasphemi obtrectatores sunt; hi mentm humanarum deceptores; tum ipsimet, tum instrumenta

ipsorum; tradente Scriptura (1 *Pet. V*, 8.): *Sobrii estot vigilate: nam adversarius vester Diabolus tanquam le rugiens obambulat, quaerens quem deglutiat.* Quae quam quam ita comparata sunt, sciendum tamen, non poss Daemones vim ac violentiam suam in hominem ullun ullamque rem aliam, nisi Deo indulgente, exercere teste Scriptura (*Matth. VIII*, 31.): *Rogabant vero illu Daemones, ac dicebant: siquidem nos expellis, permit nobis abire in gregem porcorum; ille vero dixit ei ite.* Porro illud etiam cuivis exploratum esse debe minime in illorum manu positum esse, ut peccare h minem cogant; quem suis duntaxat instigationibus ill cebrisque in fraudem et errorem deducunt. Est eni libertate sui arbitrii homo praeditus; cui libertati n Deus ipse vim ullam necessitatemque infert. Ceteru quoniam aeternis suppliciis poenisque multati Daemon sunt, idcirco nullo unquam tempore divinae gratiae m sericordiaeque participes fieri possunt; ut dictum e (*Matth. XXV*, 41.): *Discedite a me maledicti in igne aeternum, qui Diabolo angelisque ejus praeparatus e*

Qu. 24. Nunquid vero eidem omnes hom nes peccato sunt obnoxii? — Quemadmodum h mines omnes durante innocentiae statu in Adamo fu runt; eodem modo, ex quo lapsus ille fuit, in ipso or nes collapsi, simul in statu peccati permanserunt. Quai obrem non solum peccato, sed ejus caussa, poena ite tenentur, quae poena hoc Dei edicto promulgatur (*Ge II*, 17.): *Quacunque die de arbore ista comederit morte moriemini.* Refert id ipsum et Apostolus (*Ro V*, 12.): *Ut per unum hominem peccatum in mundi introiit, et per peccatum mors; quae hoc pacto in mo tales omnes pervasit, quod in illo omnes peccaveru* Quapropter etiam in utero materno mox cum hoc pe cato concipimur nascimurque, teste sacro Psalte (*LI*, 7. *Ecce* enim *in iniquitatibus conceptus sum, et in pecc tis mea me mater concepit.* Quod peccatum *avit* (sive *originale*), adpellatur; *primum* ideo, quod an illud, nullo dum alio peccato, infectus homo fuit, tame jam tum per lapsum suum corruptus esset Diabolu quo etiam instigante, pullulare in homine hoc ipsu *avitum peccatum* coepit, cui et Adamus, auctor eju dem effectorque, obnoxius erat, et nos omnes, qui a illo genus ducimus; *deinde*, quod nemo mortalium ni cum hac naturae contagione concipitur.

Qu. 25. **Quando autem lapsurum Adamum norat Deus, quid ita, quaeso, illum condidit?** — Non modo lapsum Adami, verum et malitiam Luciferi, priusquam utrumque conderet, planissime scivit Deus, imo et minutissimas quasque cogitationes actionesque singulas, quas cogitaturus acturusque aliquando esset; neque tamen aut peccato hominis, aut improbitate Diaboli, divinam bonitatem suam vinci superarique passus est. Itaque ut tanto illustrior illa testatiorque fieret; illum quidem Angelum bonum creabat, qui sua postmodum voluntate ac arbitrio impius sceleratusque evasit, consimiliter et hominem Daemonis instinctu deinde lapsum. Verum enimvero cum homine illum in modum egit Deus, ut per lapsum illius majorem in modum sua effulgeret bonitas, quippe unigenam filium suum in terrestrem hanc vallem demittere poterat, qui carne, de Virgine castissima, opera Spiritus Sancti adsumta, hominem redimeret; majoreque gloria, quam olim in Paradiso habuerat, exornatum, cum infamia ac dedecore Diaboli, in coeleste regnum suum subveheret; ideoque nec illud hominis peccatum, ab ipsius creatione Deum deducere atque revocare potuit.

Qu. 26. **Si norat igitur omnia Deus antequam conderet, an bona ac mala omnia item *praedestinavit*, ne aliter fiant, quam fiunt?** — Res equidem universas ante creationem *praescivit* Deus, sed bonas duntaxat *praedestinavit* (uti loquitur *S. Damascenus*): nam illud divinae bonitati repugnat, ut malas praefiniat; *malum* autem non aliud existimandum est, quam *peccatum*: nam praeter peccatum, quae divinae legis voluntatisque transgressio est, si proprie loquimur, nihil in orbe mali reperitur. At cetera, queis ob noxias nostras Deus in nos animadvertit, ut pestilentia, bella, morbi, aliaque ejusmodi, respectu nostri mala dicuntur, quoniam aerumnas nobis atque dolores adferunt, quos fugimus ac aversamur. Ceterum Deo nequaquam mala sunt; siquidem vim quandam boni habent: iis enim nos castigans ad bonum excitat; ideoque quum dicit Scriptura *(Amos III, 6.)*: *Nunquid ulla in civitate malitia est, quae Dominus non fecit?* tum justam Dei castigationem, malitiam vocat. Porro illa duntaxat *praedeterminat* Deus, secundum sapientiam justitiamque suam, quae utrum fiant nec ne, id in nostra potestate situm non est: verum bona illa, quae ut fiant, in nostra manu

est, *praecognoscit;* ita vero, ut simul et ipse, ex propensa voluntate sua, cum nostra voluntate concurrat, quod naturae liberi arbitrii nihil quidquam officit.

Qu. 27. Quid est *Arbitrium Liberum (αὐτεξούσιον)?* — Liberum hominis Arbitrium, est libera et absoluta illius voluntas, orta a ratione sive rationali anima, ad bonum aut malum efficiendum. Quibus enim in rebus mens ratioque inest, eas naturam cum potestate sui arbitrii conjunctam habere, eamque duce ratione libere exercere oportet. Haec autem ratio quamdiu in statu innocentiae homo stetit, hoc est, antequam peccaret, incorrupta et perfecta erat; per lapsum corrupta fuit. At voluntas, etiamsi quod ad adpetitum boni aut mali illaesa maneret; nihilominus in nonnullis haud paullo propensior, atque ad malum inclinatior evasit: in aliis rursus ad bonum; de quo ita loquitur magnus *Basilius: Per voluntatem quisque suam arbitriumque, aut semen sanctum, aut contrarium esse potest. Audi sodes Paulum dicentem (1 Cor. IV, 15.): Ego vos in Christo Jesu per Evangelium genui; audi et haec Scripturae verba (Joh. I, 12.): Quotquot illum receperunt, iis potestatem dedit ut filii Dei fierent.* Quo sane sanctus Doctor declarat, quamvis et ipsa hominis voluntas peccato originis misere labefactata fuerit; nihilominus etiam praesenti hoc tempore, in cujusque arbitrio positum esse, ut bonus Deique filius sit, aut e contrario improbus filiusque Diaboli. Hoc omne inquam, in manu atque potestate hominis situm est, ita tamen, ut in bonum divina gratia homini adjutrix sit, eumque item a malo retrahat; at non ut arbitrium hominis suis ingratiis compellat.

Qu. 28. Siquidem vero in Statu peccati nascuntur homines, *an igitur Corpus solum de semine Adami est, an vero etiam Anima?* — Corpus humanum ex femine Adami descendit, Anima vero a Deo oritur, teste Scriptura *(Zach. XII, 1.): Dominus qui expandit coelum, et fundat terram, et format Spiritum hominis in eo;* et alibi *(Eccles. XII, 7.): Et redeat pulvis in terram, quemadmodum fuerat, et Spiritus ad Deum revertatur, qui dedit illum.* Super haec si semine humano procrearetur Anima, haud dubie item cum Corpore commoreretur, solvereturque in pulverem. Atqui contrarium in Sacris Literis, quo loco cum latrone in

cruce colloquitur Christus, adstrui videmus (*Luc. XXIII, 43.*): *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso,* quippe corpus latronis in cruce remanebat, at anima, ut Spiritus immortalis, cum Christo Paradisum ingressa est, quae si humano satu genita fuisset, utique etiam suo cum corpore in cruce esset exstincta. Porro quo alio pacto hisce Domini nostri verbis ratio constare possit, quum dixit (*Matth. XXII, 31.*): *Annon legistis, quod vobis a Deo dictum fuit, ego sum Deus Abrahami et Deus Isaaci, et Deus Jacobi, at Deus, non mortuorum Deus est, verum viventium,* quae non de corpore, verum de anima exaudienda sunt, quippe dudum jam defunctorum patrum istorum in pulveres dissipata corpora erant; at de anima vera est oratio, quae ut omni tempore vivit, ita semper in conspectu Dei adstat. Sin autem eodem illo seminio, unde corporis constructa erat fabrica conflata anima fuisset; eadem haud dubie involuta ruina, cum corpore suo interierat. Inseritur autem a Deo anima corpori, membris suis organisque jam performato, animaeque recipiendae adcommodato inserta, continuo per totam ejusdem compagem diffunditur, more ignis, qui se in omnes ferri candentis sinus insinuat. Praecipuum tamen domicilium in capite, atque corde, habet.

Qu. 37. *Tertius* fidei *Articulus* quomodo se habet? — *Qui propter nos homines, et propter salutem nostram, descendit de coelo, et incarnatus est de Spiritu S., et Maria Virgine, et homo factus est.*

Qu. 43. *Quartus* fidei *Articulus* quis est? — *Qui pro nobis crucifixus est sub Pontio Pilato, passus, et sepultus.*

Qu. 50. Quodnam *sextum* est, quod hic tractat docetque Articulus? — Quoniam mentionem Crucis Christi, in qua Christus mortuus est, nosque salutem vindicavit, hic facit Articulus: eo et nobis ansam de Cruce commentandi offert; de qua hunc in modum Paulus Ap. disserit (*Gal. VI, 14.*): *Absit a me ut gloriari velim, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi; per quam mihi mundus crucifixus est, et ego mundo;* et alio loco (*1 Cor. I, 18.*): *Sermo Crucis iis qui pereunt stultitia est; at nobis, qui salutem consequimur, potentia Dei est.* Multis igitur magnisque de causis venerabilis nobis Crux erit; ut peculiare quoddam signum Christi; cui virtus mirifica fugandi Daemonem im-

pressa est; siquidem effuso in illam sanguine filii Dei, qui et animam in ea efflabat, imbuta fuit. Qua de re ita dicit S. *Cyrillus,* Episc. Hieros.: *Quando venerabilis Crucis signo nosmet ipsos signamus, tum Diabolus recogitans secum Christum Dominum, propter salutem nostram, potentiaeque diabolicae exstirpationem, Cruci clavis suffixum fuisse; diutius praesens esse, crucisque sufferre vim, nequit, sed fugit a nobis, nec ulterius nos pertentat; maxime quoniam simul sanctissimum Servatoris Christi invocare nomen solemus.* Est igitur necesse, ut Crucis signum in nobis saepe frequentemus; quoniam nimis frequentes Daemonis persentiscimus tentationes, quas haud alio profligare modo possumus, quam signo vivificae Crucis, et seria invocatione nominis Jesu Christi; quomodo non solum a nobis ipsis insultus Daemonum arcemus, sed a reliquis etiam omnibus rebus nostris; ut ab esculentis potulentisque, a vasis aliisque quibuslibet. Quapropter ita idem ille *Cyrillus* docet: *Fac venerabilis Crucis signum, dum edis bibisque: dum sedes, aut stas: dum loqueris, aut ambulas; nullam coeptabis rem, nullum opus, nisi facto prius venerabilis Crucis signo; domi tuae, in via, diu noctuque, omnibusque in locis.*

Qu. 51. Quo ritu *signum* venerabilis et vivificae *Crucis* in nobis formare debemus? — Crucem hoc modo dextra manu formabis. Primum tribus majusculis digitis frontem tanges, dicesque: *In nomine Patris;* tum manum, eodem gestu conformatam, in pectus deduces, addesque: *et Filii;* hinc in brachium (sive potius humerum) dextrum traducens manum, dices: *et Spiritus S.;* simul ductum manus in humerum sinistrum usque continuabis, atque ubi sacro hocce Crucis signaculo temet signasti, claudes verbo *Amen.* Potes etiam in Cruce formanda haec adhibere verba: *Domine Jesu Christe, fili Dei, miserere mei peccatoris; Amen.*

Qu. 52. *Quintus* fidei *Articulus*, quis est? — *Qui resurrexit die tertio secundum Scripturas.*

Qu. 55. *Sextus* fidei *Articulus* quis est? — *Qui adscendit in coelos, sedetque ad dexteram Patris.*

Qu. 57. *Septimus* fidei *Articulus* quis est? — *Qui iterum venturus est in gloria, judicatum vivos et mortuos; cujus regni nullus finis erit.*

Qu. 58. Quid iste nos Articulus docet? — *Tria. Primum* est, rediturum Christum, judicatum vi-

vos ac mortuos; sicut ipse suis verbis testatur (*Matth. XXV, 31.*): *Quando venerit Filius hominis in gloria sua, et sancti omnes Angeli cum illo.* Venturus autem est usque adeo velociter (*Matth. XXIV, 27.*): *Ut fulgur, quod exit ab oriente, et adparet ad occasum usque; ejusmodi item erit adventus Filii hominis* (*ib.* 26.); *atqui diem et horam adventus illius, nemo novit; ne quidem Angeli.* Prius tamen ut eveniant haec ipsa, necesse est, nimirum (v. 14.): ut adnuncietur Evangelium omnibus gentibus; ut veniat Anti-Christus; ut fiant bella horrida ac immania, itemque fames frugumque penuria, et pestilentia, aliaque consimilia. Atque ut summatim absolvam, multae antea magnaeque adflictationes, secundum verbum Domini, exsistent (v. 21.): *Eo tempore magna erit adflictio, ejusmodi ab origine mundi, ad hoc usque tempus nec fuit, nec inposterum futura est.* De hoc judicio manifeste hunc in modum disserit Apostolus (2 *Tim. IV,* 1.): *Testificor igitur ego coram Deo, et Domino Jesu Christo, qui vivos mortuosque in adparitione sua et regno suo judicaturus est.*

Qu. 59. Quid *secundo* loco hic docet Articulus? — Quod extremo in judicio cogitationum, dictorum, factorumque suorum omnium rationem redditurі sunt homines, teste Scriptura (*Matth. XII,* 36.): *Dico ego vobis, quod de quovis otioso verbo, quod locuti homines fuerint, rationem in die judicii reddent;* et Apostolus ait (1 *Cor. IV,* 5.): *Ne itaque, ne ante tempus quidquam judicetis, donec venerit Dominus: qui et abscondita tenebrarum illustrabit, et consilia cordium manifestabit, et tunc sua cuique laus a Deo reddetur.*

Qu. 60. Quid *tertio* loco hic Articulus docet? — Quod illo die unusquisque secundum promerita sua plenam, eamque sempiternam, accepturus est mercedem. Quippe alii hanc audient sententiam (*Matth. XXV,* 34.): *Venite benedicti Patris mei, et hereditario jure possidete praeparatum vobis a mundi exordio regnum.* Alii e contrario tristissimum hocce carmen audient (*v.* 41.): *Discedite a me maledicti in ignem illum sempiternum, qui Diabolo atque Angelis ejus structus paratusque est* (*Marc. IX,* 44.): *ubi vermis eorum non emoritur, et ignis non exinguitur.*

Qu. 61. Illo igitur fortasse die universi homines actionum rerumque suarum reddi-

turi rationem sunt: an vero singulatim unusquisque, dum lucis hujus usuram relinquit, vitae suae rationem reddit, atque particulare quoddam exercetur judicium? — Quemadmodum illo extremi judicii die ratio de uno quoque singillatim non exigitur: siquidem Deo res simul omnes per se manifestissimae sunt, atque ut unusquisque in articulo mortis suae, satis suorum sibi delictorum conscius est; ita eodem prorsus modo post mortem operum suorum remunerationem unusquisque probe novit. Quoniam itaque opera ipsius manifesto patent; patet etiam Dei in illum sententia; sicuti ait *Gregorius Theol.: Ego vero sapientum sermonibus adductus credo, bonam quamlibet Deoque acceptam animam, ut e conjugato soluta corpore hinc discedit, confestim intellectu ac contemplatione boni illius, quod ipsam manet, fruentem (quippe eo, quod caliginem antea offundebat, perpurgato jam, aut deposito, aut — sed haud scio satis quod usurpem verbum) — singulari, et mirifica quadam efferri atque exsultare laetitia: hilaremque admodum ad Dominum suum properare (dum ita nimirum ex hac vita, tanquam ex aerumnoso quodam ergastulo aufugit, et circumjectas excutit pedicas, quibus gravatae antea mentis alae deprimebantur), jamque adeo velut imaginando reservatam sibi degustare felicitatem: verum paullo post, ubi cognatum corpusculum, quocum olim aetheriam illam vitam religiosissime vivebat, de terra, quae illud et dederat, et suae traditum fidei adservarat, receperit: modo eo, quem solus novit, qui ista duo tum colligavit, tum dissolvit, Deus, tum una cum illo coelestis gloriae hereditatem cernere.* Pari ratione de facinorosorum animis, e contrario, existimandum; illos videlicet extemplo sensum item intellectumque destinatorum sibi cruciatuum habere. Quamvis vero neque justi, neque damnati, plenam rerum actionumque suarum mercedem, ante extremum adsequantur judicium; non tamen in uno et eodem omnes statu sunt, nec in unum compelluntur locum. Hinc facile patet, hoc ipsum ante postremum illud judicium, sine particulari aliquo judicio, non fieri, atque hujuscemodi particulare judicium omnino esse. Quando igitur dicimus, non exigere a nobis Deum vitae nostrae rationem, tum intelligendum est, non reddi hanc rationem secundum proprium nostrorum judiciorum morem.

Qu. 62. Nunquid vero in eodem beatitudinis gradu, postquam e vita excesserunt, collocatae Sanctorum animae sunt? — Quoniam animae non in uno et eodem gratiae divinae gradu ex hoc mundo emigrant, pari modo postquam hinc emigrarunt, non in uno eodemque beatitatis gradu consistunt, Christo ipso his illud docente verbis *(Joh. XIV, 1.)*: *In domo Patris mei multae sunt mansiones;* et alibi *(Luc. VII, 47.)*: *Remissa sunt multa illius peccata, quoniam dilexit multum, at parum diligit, cui parum remittitur.* Consimiliter et Apostolus ait *(Rom. II, 6.)*: *Quod redditurus sit cuique secundum opera sua.*

Qu. 63. Quid de iis vero judicandum, qui decedentes in offensa apud Deum sunt? — Horum alios, ultimo peracto judicio, gravioribus, alios levioribus, sed aeternis omnes tormentis, cruciatum iri, dicente ita Scriptura *(Luc. XII, 47.)*: *Servus ille, qui novit voluntatem Domini sui, neque tamen praeparavit fecitque secundum voluntatem illius, vapulabit multis. Sed qui non cognovit, et plagis tamen digna admisit, paucis vapulabit.*

Qu. 64. Annon et aliqui sic diem suum obeunt, ut beatorum damnatorumque medii sint? — Hujusmodi homines nulli reperiuntur: at illud probe constat, sceleratos homines non paucos de Orci claustris eripi atque liberari, non sua equidem ipsorum poenitentia, sive confessione, quemadmodum Scriptura dicit *(Psalm. VI, 6.)*: *Quis enim confiteatur tibi in inferno?* et loco alio *(Psalm. CXV, 17.)*: *Non laudabunt te mortui, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum;* verum piis superstitum officiis, et Ecclesiae pro ipsis deprecationibus, praecipue vero per incruentum (Liturgiae) Sacrificium, quod Ecclesia pro vivis mortuisque omnibus communiter, quemadmodum et Christus pro iis pariter mortuus est, quotidie offert. Ceterum haud quaquam suapte opera animas hujusmodi ex inferis liberari docet *Theophylactus* in Cap. VI. Lucae, ea Christi verba, *quibus potestatem remittendi peccata in terra,* sibi vindicat, exponens. *Observa*, inquit, *remitti peccata in terra: quamdiu enim in hac terra commoramur, peccata nostra expungere possumus, at postquam e terra demigravimus, non possumus deinde ipsimet ope confessionis peccata nostra inducere: jam enim oppessulatae*

*sunt fores.* Et in Cap. XXII. Matth. enarrans haec verba *(v. 13.), Colligantes manus illius ac pedes*, per quae animae facultates activae designantur, ait: *In seculo quidem praesenti agere operarique licet; at in futuro vinciuntur omnes activae facultates animae, nec tum boni quidpiam efficere possumus in compensationem nostrarum noxiarum.* Et in Cap. XXV. ejusdem Evangelii: *Non est poenitentiae operationisque tempus post discessum ex hac vita.* Quibus ex verbis clarum evadit, ab excessu suo, liberari per se animam, poenitentiamque agere non posse nihilque ejusmodi moliri, quo infernis eximatur vinculis. Solae igitur sacrae Liturgiae, precesque, et eleemosynae, quae animae caussa a viventibus praestantur, illam plurimum adjuvant atque ex Acheronte redimunt.

Qu. 65. Quid igitur sentiendum *de Eleemosynis, piisque officiis, quae in refrigerium mortuorum praestantur?* — Ea de re idem *Theophylactus* in Cap. XII. Lucae exponens verba Christi *(v. 5.): Timete illum qui potestatem conjiciendi in Gehennam habet*, ita commentatur: *Animadverte, sodes, non dicere Christum, timete illum, qui postquam occidit, in gehennam conjicit, sed qui potestatem conjiciendi habet: neque enim omnes omnino qui in peccatis suis moriuntur, in gehennam conjiciuntur. Sed id in Dei situm est manu, sicut et veniam illis largiri: quod propter pias oblationes erogationesque, quae dormientium bono fiunt, dico, quippe quae non parum conducunt, iis etiam, qui gravissimis sceleribus contaminati hinc decesserunt. Itaque non omnino postquam occidit, in gehennam sontes projicit, Deus; sed projiciendi potestatem habet. Ne igitur cessemus nos etiam atque etiam adniti, quo eleemosynis et intercessionibus nostris illum propitiemus, qui hac projiciendi potestate instructus, ea non semper utitur, sed veniam etiam indulgere potest.* Igitur e doctrina S. Spiritus, Patrisque hujus expositione, illud deducimus: oportere omnino a nobis preces pro defunctis concipi, atque offerri incruenta sacrificia, spargique liberali manu eleemosynas, siquidem non possunt pia hujusmodi opera, sua caussa, ipsimet praestare.

Qu. 66. De *Purgatorio* autem *Igne*, quid nobis judicandum? — Nihil usquam de eo in

Sacris Literis traditur, quod temporaria ulla poena, animorum expurgatrix, a morte exsistat. Imo vero eam praecipue ob caussam in secunda Synodo Constantinopolitana, ab Ecclesia *Origenis* damnata est sententia. Praeterea per se satis manifestum est, morte semel obita nullius Sacramenti ecclesiastici participem fieri posse animam; tum si fieri fortassean posset, ut admissas noxias sua satisfactione ipsamet expiaret; haud dubie etiam partem aliquam Sacramenti Poenitentiae accipere eadem posset, quod quoniam ab orthodoxa doctrina abhorret, jure meritoque Ecclesia, manium istorum caussa, Sacrificium incruentum offert; precesque ad Deum adlegat, ad impetrandam eorum veniam, quae olim in vita deliquerant, non vero ut ipsi nonnihil supplicii sustinentes, eo dein perpurgentur. Ceterum fabulas quorundam hominum, quas de animis comminiscuntur: quod videlicet, ubi poenitentia non procurati satis expiatique fato intercipiuntur, discrucientur subulis, aquis, lacubus, nostra nunquam admisit probavitque Ecclesia.

Qu. 67. Quinam locus peculiariter animabus eorum destinatus est, qui in gratia Dei vita concedunt? — Animae hominum, quae hoc mundo egredientes in gratia apud Deum sunt, criminumque suorum poenitentiam egerunt, locum suum *in manibus Dei* habent. Sic enim Sacra loquitur Scriptura *(Sap. III, 1.)*: *Animae justorum in manu Dei sunt, nec adtinget eas cruciatus.* Nuncupatur earum locus etiam *Paradisus*, quomodo Dominus noster Christus latroni in cruce dixit *(Luc. XXIII, 43.)*: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Vocatur et *Sinus Abrahami*, uti scriptum est *(Luc. XVI, 22.)*: *Contigit autem mori pauperem, et deferri ab Angelis in Sinum Abrahami.* Dicitur etiam *Regnum Coelorum*, secundum dictum Domini *(Matth. VIII, 11.)*: *Dico vobis, multi ab oriente et occidente venient, et adcumbent cum Abrahamo, Isaaco, Jacobo, in Regno Coelorum.* Nihil igitur erraverit, quisquis locum illum aliquo istorum nominum, quae recensuimus, nominaverit, modo ut recte intelligat, esse animas in gratia Dei, et in regno coelesti, et, ut hymni ecclesiastici canunt, in coelo.

Qu. 68. At ubinam locorum illae agunt animae, quae e corporibus suis exeuntes, in offensa apud Deum sunt? — Variis locus ille designatur nominibus. Primum, nuncupatur *Infernus* (*Ἅδης*)

in quem exturbatus coelo Diabolus detrusus est, teste Propheta *(Jes. XIV, 14.)*: *Similis ero Altissimo* (dixit Diabolus), *nunc autem in infernum descendes, ei in fundamenta terrae.* Secundum est, *Ignis sempiternus*: dicit enim Scriptura *(Matth. XXV, 41.)*: *Discedite a me maledicti in Ignem illum sempiternum, qui Diabolo et Angelis illius paratus est.* Etiam *Tenebrae exteriores* (ibid. *v.* 30.): *Ejicite inutilem istum servum in Tenebras exteriores, ubi erit ejulatio et stridor dentium.* Adpellatur et aliis vocabulis, sed quae omnia locum condemnationis, iraeque divinae valent. Quem in locum animae eorum descendunt, qui hinc demigrant invisi offensique Deo, ac damnati. Porro et illud omnibus tenendum est, animas justorum, quamquam coelo jam receptas, neutiquam tamen, ante extremum judicium, plenam perfectamque gloriae coronam consequi, neque rursus animas damnatorum, plenam antea ultionem poenamque perpeti. Verum post summum illud atque decretorium judicium, animas una cum corporibus suis usquequaque, aut coronam gloriae, aut suppliciorum ferre cruciatus.

Qu. 69. *Octavus* fidei *Articulus* quomodo habet? — *Et in Spiritum S., Dominum et vivificantem: qui ex Patre procedit: et una cum Patre et Filio adoratur et glorificatur, qui item per Prophetas locutus est.*

Qu. 72. Quid *tertium* est, quod in hoc Articulo docetur? — Spiritum S. sacrae Scripturae, tam Veteris, quam Novae, genuinum esse auctorem; illamque per manus multorum administrorum ipsum edidisse, eaque re ut V. Testamenti Scripturam, ita etiam Novi, Spiritus S. doctrinam esse. Quamobrem quidquid SS. Patres, in omnibus universalibus atque particularibus orthodoxis Conciliis, quocumque tandem loco habitis, statuerunt, id a Spiritu S. profectum esse, credas oportet, quemadmodum in Synodo sua ipsimet loquuntur Apostoli *(Act. XV, 28)*: *Visum est Spiritui Sancto ac nobis*, quorum exemplo cetera item orthodoxa Concilia, simili modo decreta sua concluserunt.

Qu. 82. *Nonus* fidei *Articulus* quis est? — In unam sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam.

Qu. 83. Quid docet S. Ecclesia, in hoc fidei Articulo? — Res *quatuor.* *Primum* Ecclesiam esse unam, sanctam, catholicam et apostolicam, se-

cundum doctrinam Apostoli (2 *Cor. XI*, 2.): *Despondi vos viro uni, ut virginem castam exhiberem Christo.* Sicuti vero Christus unus est, ita et sponsa illius nonnisi una est, ut manifestum est ex Cap. IV. Ep. ad Ephes. (*v.* 5.): *Unus Dominus, una fides, unum baptisma et unus Deus, itemque Pater omnium.*

Qu. 84. *Secundum*, quod hoc Articulo docetur, quodnam est? — Hoc nimirum, Catholicam Ecclesiam, non uni alicui loco, etiam praecipuo et clarissimo, nominis sui decus acceptum referre: quotquot enim certis locis continentur Ecclesiae, particulares sunt, ut Ephesina, ut Philadelphiensis, ut Laodicena, ut Antiochena, ut Hierosolymitana, ut Romana, ut Alexandrina; ut ceterae item. Verum enim vero inter particulares istas Ecclesias, illa mater reliquarum dicitur, quae prima omnium praesentia Christi ornata fuit, ac salutem aeternam, veniamque peccatorum, accepit et ex qua adnunciatio Evangelii, in totum terrarum orbem primum propagata est, teste ipsa Scriptura (*Luc. XXIV*, 47.): *Sic pati oportuit Christum, et tertio die resurgere a mortuis, et praedicari in nomine ejus poenitentiam, ac remissionem peccatorum, in omnes gentes, facto initio ab Hierosolymis. Vos autem harum rerum testes estis;* et alibi (*Act. I*, 8.): *Eritis mihi testes, cum Hierosolymis, tum in universa Judaea et Samaria, et ad ultimos usque terrae fines.* Solet et illa prima salutari, quae doctrinae morumque sanctimonia, super reliquas omnes Ecclesias, clarius effulsit, et coram qua ipsimet Apostoli actionum suarum rationem exposuerunt, prout testatur Scriptura, quae dicit (*Act. XI*, 2.): *Quum autem adscendisset Hierosolymam Petrus; disceptabant adversus illum, qui ex circumcisione erant, dicentes: Atqui ad homines incircumcisos ingressus es, et una cum illis edisti.* Quibus respondebat Petrus (*v.* 17.): *Ego vero quis eram, ut Deum inhibere possem? quibus illi auditis adquieverunt, Deumque collaudarunt, dicentes: jam itaque et Gentibus poenitentiam ad vitam concessit Deus?* Et paullo post (*v.* 22.): *Pervenit is rumor ad aures Ecclesiae, quae Hierosolymis erat, de istis. Itaque Barnabam miserunt, qui Antiochiam usque iret.* Et alibi (*Act. XV*, 2.): *Statuerunt, ut adscenderent Paulus et Barnabas, et quidam praeterea alii de suis, ad Apostolos et Seniores Hierosolymam, super hac quaestione* (*v.* 22.): *Tum placuit Apostolis et Senioribus,*

*una cum tota Ecclesia, delectos ex sese viros, Antiochiam mittere, cum Paulo et Barnaba, cum literis hujusmodi (v. 28.): Visum est Spiritui Sancto, et nobis, ne quid amplius imponeremus vobis oneris, praeter haec necessaria.* Etiam alio loco (*Act. XVI,* 4.)*: Quum autem transirent per civitates, servanda illis tradebant dogmata, quae decreta erant ab Apostolis, et Senioribus, qui erant Hierosolymis.* Est itaque haud dubie mater et princeps Ecclesiarum omnium Ecclesia Hierosolymitana, quoniam ex illa in omnes orbis terminos diffundi coepit Evangelium, quamvis postea Imperatores *primos dignitatis gradus antiquae novaeque Romae* tribuerint, ob majestatem Imperii, quae iis locis domicilium habebat, secundum Canonem tertium secundae oecumenicae Synodi Constantinopolitanae. Eadem Ecclesia Hierosolymitana, postmodum Catholica evasit, fide illius et doctrina ab omnibus Gentibus communiter recepta.

Qu. 85. *Tertium,* quod in hoc Articulo docetur, quid est? — Nullum aliud *Ecclesiae fundamentum* esse, quam Christum solum, secundum verba Apostoli (1 *Cor. III,* 2.)*: Fundamentum aliud nemo jacere potest, praeter id quod jactum est, quod est Jesus Christus,* Quamvis autem semel alicubi Apostoli et Prophetae fundamenta fidei et Ecclesiae dicantur; veluti quum Johannes ait (*Apoc. XXI,* 14.)*: Magnam urbem Hierosolymam, muro super duodecim fundamenta exstructo, septam esse: fundamentisque inscripta esse nomina duodecim Apostolorum Agni.* Sed et Paulus adfirmat (*Eph. II,* 20.), *nos exaedificatos esse super fundamento Apostolorum et Prophetarum.* Id vero ita accipiendum est, quod Prophetae et Apostoli non simpliciter et primario fidei fundamenta sunt: nam ejusmodi fundamentum solus est Christus; sed secundum quid, et secundarium, quod illi ut propinquiores et viciniores, super salutarem Jesu Christi, Domini nostri, doctrinam, structi sint, primique omnium fuerint, qui fidem Christi per totum terrarum orbem propagarint: non enim super mortales homines, sed super semetipsum et divinam doctrinam suam, Ecclesiam fundavit Christus. Adhaec item ex hoc Articulo docemur, Christum solum Ecclesiae suae Caput esse, secundum doctrinam Apostoli (*Eph. V,* 23.)*: Quoniam vir uxoris caput est, ut et Christus Caput Ecclesiae, qui et corpori toti salutem*

dat; et alibi (*Col. I*, 18.): *Ipse corporis Ecclesiae Caput est, qui principium est, et primogenitus ex mortuis, ut in omnibus primas ipse teneat.* Tametsi vero Antistites in Ecclesiis, queis praesunt, Capita earum dicuntur, sic illud tamen accipiendum, quod ipsi Vicarii Christi, in sua quisque provincia, et particularia quaedam Capita sunt, dicente Scriptura (*Act. XX*, 28.): *Adtendite vobis et toti gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, ad pascendam Ecclesiam Dei, quam suo sibi sanguine adquisivit.* Ita nimirum, ut Christus ipse Pastorum princeps sit, teste Petro (1 *Pet. V*, 4.): *Cum adparuerit ille Pastorum princeps, reportabitis coronam gloriae nunquam marcescentem.*

Qu. 86. *Quartum*, quod hic docet Articulus, quid est? — Docet, unumquemque Christianum oportere ipsum morem gerere subjectumque esse Ecclesiae, secundum doctrinam Christi, quae ita habet (*Matth. XVIII*, 17.): *Quod si neque Ecclesiae obtemperet, sit tibi velut ethnicus ac publicanus.* Adhaec ea etiam instructa potestate est Ecclesia, ut per Synodos oecumenicas examinare atque adprobare queat Scripturas, cognoscere item ac judicare de actis Patriarcharum, Pontificum, Episcoporum, eosque pro gravitate delicti, mulctis poenisque canonicis mulctare: est enim columna atque fundamentum veritatis, dicente Apostolo (1 *Tim. III*, 15.): *Ut scias, quomodo versari oporteat in domo Dei; quae est Ecclesia Dei viventis; columna et firmamentum veritatis.*

Qu. 87. Quaenam sunt *Praecepta Ecclesiae?* — *Praecepta Ecclesiae* summa et praecipua novem sunt. *Primum* est, ut Deum quisque cum contritione et compunctione cordis adoret, ut singulis diebus dominicis ac festis, sollemnibus Ecclesiae sacris rite oporetur, hoc est, ut horas matutinas, Liturgiam, vesperas, concionem, diligenter audiat. Sic enim Scriptura (*Luc. XVIII*, 1.): *Oportet semper precari, et non defatigari;* et alibi (*Ephes. VI*, 18.): *Omni oratione et precatione orantes, omni tempore, in spiritu: et in hoc ipsum vigilantes, cum omni adsiduitate, et supplicatione, pro omnibus Sanctis;* rursus alibi idem ille Paulus (1 *Thess. V*, 17.): *Orate sine intermissione.*

Qu. 88. Quodnam *secundum* Ecclesiae praeceptum est? — Ut homo christianus quotan-

nis quatuor statuta *Jejunia* servet. *Primum* proximo ante nativitatem Christi tempore, cujus initium a quintodecimo mensis Novembris die ducitur. *Secundum,* quod *Magna Quadragesima* dicitur, Christo ipsi inedia actum, tradente Scriptura *(Matth. IV, 2.)*: *Et quum jejunasset dies quadraginta noctesque totidem, tandem esuriit. Tertium, Sanctorum Apostolorum* est, quod mox exacta sacrae Pentecostes hebdomade orditur Ecclesia. Apostolorum autem ideo nuncupatur, quod illo temporis spatio, jam ad divulgandum Evangelium ituri Apostoli, jejunium celebraverunt, id quod ex Actis ipsorum clarum est *(Cap. XIII, 3.)*: *Ubi jejunassent, et Deum comprecati essent, manus illis imponebant, eosque dimittebant. Quartum* jejunium proxime ante diem emortualem, (sive *Adsumtionis)* sanctissimae Deiparae et semper Virginis *Mariae,* agitur. Initium illi Calendis Sextilibus, finis d. 15. mensis ejusdem. *Porro* quarto etiam sextoque, cujusque hebdomadis die, jejunia observari oportet. Sabbato et die dominico, non item, vetante id Canone 66. SS. Apostolorum, excepto tamen *Magno Sabbato.* Sed et 14. Sept. diem, exaltationi S. Crucis dedicatum, jejunio coli jussit Ecclesia, siquidem eo die memoriam passionis dominicae, recitatis quae de ea agunt Evangeliis, recolimus. Itemque diem 29. Aug., nimirum ut Johannis, Christi praecursoris, obtruncationem, religiosa inedia celebremus. Adhaec etiam, ut ne statis quibusdam diebus cibo nos abstineamus, eadem tradidit Ecclesia, puta, a die Natali Christi, usque ad diem sacrorum Epiphaniorum totaque Paschali atque Pentecostali hebdomade, ut et illa, quae Dominicam *Septuagesimae* praecedit hebdomada (προφωνήσιμον dicunt), eaque itidem, quae inter Sexagesimam et Quinquagesimam interest (Graecis τυρινὴ est). Quae omnia orthodoxus quisque Christianus bona fide custodire debet.

Qu. 89. Quodnam *tertium* Ecclesiae praeceptum est? — Ut homines spirituales debita colamus observantia, velut ministros Dei ac sequestres, qui pro nobis apud Deum deprecatores se praebent; inprimisque illos, qui ut Patres spirituales, Confessiones nostras excipiunt, et quos a nobis in salutis negotio consuli fas est, de quo praecepto ita loquitur Scriptura *(1 Cor. IV, 1.)*: *Sic nos aestimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei;* et alibi *(1 Thess. V, 12.)*: *Rogamus vos fratres, ut agnoscatis illos, qui*

*laborant in vobis, et praesunt vobis in Domino, et commonefaciunt vos, ut eos summo in pretio habeatis, in caritate, propter opus ipsorum;* et loco alio (1 *Cor.* IX, 13.): *Nescitis, quod qui sacris operantur, ex sanctuario edunt? et qui altari adsidue ministrant, cum altari participant? Sic et Dominus constituit, ut qui Evangelium adnunciant, ex Evangelio vivant;* et rursus (1 *Tim.* V, 17.); *Presbyteri, qui bene praesunt, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo et doctrina.* Nefas vero est profanis et laicis hominibus in munia spiritualia inferre se atque immiscere, dicente Apostolo (*Gal.* VI, 1.): *Fratres, si forte occupatus aliquo lapsu homo fuerit, vos qui spirituales estis, instaurate hominem ejusmodi in spiritu lenitatis.*

Qu. 90. *Quartum* Ecclesiae praeceptum quodnam est? — Ut quater quotannis delicta nostra Sacerdoti, recte atque ex ordine creato, confiteamur: at qui in pietate ac religione longius progressi sunt, singulis mensibus noxas suas expiant; simpliciores minimum semel in anno, videlicet tempore sanctae Quadragesimae, lustralem peccatorum suorum Confessionem edere debent; morbo oppressi, id ante omnia operam dabunt, ut quamprimum conscientiae suae maculas, earum Confessione, Coenaeque Sacrae participatione, eluant, prius tamen summa cum reverentia rite usurpato sacro Chrismate.

Qu. 91. *Quintum* Ecclesiae praeceptum quod est? — Ut ne legantur Haereticorum libri: neque fando blasphema illorum audiatur doctrina, ab iis, qui in divinis ac humanis literis atque disciplinis inexercitati sunt, ne sermones cum ejusmodi hominibus conferant, ne ad familiaritatem eorum sese adplicent, monente Propheta Cantore (*Ps.* I, 1.): *Beatus vir, qui non ambulat in consilio impiorum, et in via peccatorum non consistit.* Et alibi praecipit Scriptura (*Tit.* III, 10.): *Haereticum hominem post unam alteramque admonitionem devita.*

Qu. 92. *Sextum* Ecclesiae praeceptum quodnam est? — Ut Deum optimum maximumque pro omni hominum ordine ac statu pie veneremur. *Primum* pro Spiritualibus, nimirum pro sanctissimo Patriarcha, pro Metropolita, et Episcopo nostrae Provinciae, Cleroque universo: *tum* pro Rege, pro Praeside provinciae, pro Senatu omni et Rep., pro Exercitu et Legio-

nibus, sed vero inprimis pro iis orandum, qui bene de Ecclesiis merentur, sedulamque navant operam, quo pacto orthodoxae ac catholicae religionis pomoeria terminosque proferant, auctore Apostolo, qui ait (1 *Tim. II*, 1.): *Adhortor igitur ante omnia, ut fiant deprecationes, orationes, intercessiones, gratiarumque actiones, pro omnibus hominibus: pro Regibus, omnibusque loco eminenti collocatis: ut quietam ac tranquillam vitam degamus, in omni pietate atque honestate: nam bonum hoc est et acceptum coram Deo Servatore nostro. Porro* et pro iis orandum, qui jam obdormierunt, nimirum qui in orthodoxa fide ex hominum vita demigrarunt: *denique* etiam pro Haereticis et Schismaticis, ut resipiscant, atque ad germanam pietatis sanctimoniam, ante supremum vitae diem, sese recipiant.

Qu. 93. Quodnam *septimum* Ecclesiae est praeceptum? — Ut probe inviolateque Jejunia illa Supplicationesque, quae seorsum a Metropolita aut Episcopo, in Dioecesi sua, indicuntur, ab omnibus provinciae incolis, serventur, scilicet quando necessaria aliqua de caussa indicuntur; sive ad expiandas justas Numinis violati iras, populum suum urgentes: populumque a pestilentia, a fame, a bello, a siccitate, aut pluvia nimia, eripiendum sive ad sanandos aegrotos, consolandosque oppressos, prout adparet ex Actis Apostolorum, ubi scribitur (*XII*, 6.): *Et Petrus quidem in carcere adtinebatur, adsiduae vero pro eo ad Deum ab Ecclesia fiebant preces.*

Qu. 94. Quodnam *octavum* Ecclesiae est praeceptum? — Ut ne profani homines bona numosque Ecclesiae vi auferre, aut ad privatas necessitates suas intervertere, ausint. Ceterum ad Sacrorum Antistites haec cura pertinet, ut de bonis Ecclesiae, mundum aliaque illi necessaria, comparent; ut victum et vestitum iis, qui Ecclesiae ministrant, et egenis et peregrinis, suppeditent, docente ita Scriptura (*Act. XI*, 29.): *Discipuli autem, prout cuique suppetebat, statuerunt in usum fratrum in Judaea habitantium mittere: quod etiam fecerunt, mittentes Senioribus per Barnabam et Saulum.* Praeterea minime aequum est, sive seculares, sive Pontifices ipsos, qui in Ecclesia aliqua Sacrorum Antistites sunt, numos illius, aut res mobiles alias, sive testamento legatas, sive dono datas, quovis modo in-

tercipere, in propriosque usus suos convertere; ne vim et subversionem pia donantis intentio perpetiatur.

Qu. 95. *Nonum* Ecclesiae praeceptum quodnam est? — Ne solemnia nuptiarum vetitis Ecclesiae diebus celebrentur; tum ne orthodoxi Christiani in ludis prohibitis theatralibusque spectaculis intersint, nec peregrinos et barbaros consectentur mores, verum ut ab iis, quantum potest, sibi temperent.

Qu. 96. Verumenimvero quo pacto profitemur nos in Ecclesiam, rem creatam, credere, qui in solum Deum credere debemus? — Nempe quamquam res creata, ab hominibusque conflata Ecclesia est; habet illa tamen Caput Christum ipsum, verum Deum; habet Spiritum Sanctum, qui illam perpetuo docet et instruit, eamque efficit, teste Apostolo: *Sponsam immaculatam et inculpatam Christi (Eph. V, 27.); et columnam atque stabilimentum veritatis (1 Tim. III, 15.)*; sed et dogmata et doctrina illius, nequaquam humana, verum divina, sunt. Quando itaque nos in illam credere profitemur; intelligimus nos credere in traditas divinitus Sacras illius Scripturas, et inspirata a Deo dogmata: ait enim Scriptura *(1 Petr. I, 21.): Actos a Spiritu Sancto locutos fuisse sanctos Dei homines.* Similiter et Paulus *(1 Thess. II, 13.): Non ut sermonem hominum excepistis, sed (sicut revera est) ut sermonem Dei.* Hinc adducimur ad fidem habendam, non modo sacro Evangelio, ab Ecclesia recepto, de quo Christus ipse praecepit *(Marc. I, 15.): Credite Evangelio,* verum etiam reliquis omnibus sacris Scripturis, et synodicis Decretis.

Qu. 97. *Decimus* fidei *Articulus* quis est? — *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.*

Qu. 98. Quid hic fidei Articulus docet? — Quandoquidem Baptismatis mentionem facit, quod primum Ecclesiae mysterium est, locum nobis opportunum praebet disserendi, de *septem Mysteriis* Ecclesiae, quae sunt *Baptisma, Unguentum Chrismatis, Eucharistia, Poenitentia, Sacerdotium, honorabile Conjugium et Oleum consecratum* (Extrema Unctio), quae septem Sacramenta septenis Spiritus Sancti donis respondent, quoniam per ea dona sua ac gratiam animis recte et legitime utentium Spiritus Sanctus infundit. Qua de re pluribus egit

Patriarcha *Jeremias* in libro, quem convertendis *Lutheranis* scripsit.

Qu. 99. **Quid est Mysterium, s. Sacramentum?** — *Mysterium est sacra quaedam caerimonia, quae sub specie aliqua visibili, caussa est, et in animam hominis fidelis invisibilem Dei gratiam infert, institutum a Domino nostro, per quem unusquisque fidelium divinam gratiam accipit.*

Qu. 100. **Quot res ad Mysterium opus sunt?** — *Tres: Materia idonea,* utpote Aqua in Baptismate, Panis et Vinum iu Eucharistia, Oleum et cetera, in suis quaeque mysteriis; secunda, *Sacerdos,* legitimis suffragiis ordinatus, aut Episcopus; tertia, *Invocatio Spiritus S. et sollemnis verborum formula,* quibus verbis, vi et efficacia Spiritus S., mysterium Sacerdos rite sanctificat, accedente fixa et deliberata ejusdem intentione sanctificandi mysterii.

Qu. 101. **Quem in finem instituta sunt Mysteria?** — *Primo,* ut signa atque tesserae verorum Dei filiorum, sive Ecclesiae orthodoxae, catholicae et apostolicae, sint: nam quisquis, ut oportet, hisce utitur mysteriis, is verum et genuinum Ecclesiae Dei membrum est, et secundum gratiam, Dei filius; *secundo,* ut certum nostrae in Deum fiduciae habeamus pignus, si videlicet in fide bonisque operibus constanter perseveraverimus, tum vitae nos ac salutis aeternae compotes omnino fore; *tertio,* ut explorata atque praesentanea habeamus remedia, quibus infirmitates peccatorum nostrorum depellamus.

Qu. 102. **Quid est *primum Mysterium,* s. *Baptismatis*?** — *Baptisma est ablutio quaedam et exstirpatio peccati originalis, terna in aquam immersione facta, pronunciante haec verba Sacerdote: In nomine Patris,* Amen; *et Filii,* Amen; *et Spiritus S.,* Amen. Post hanc ex Aqua et Spiritu regenerationem, homo in gratiam cum Deo reducitur, patetque illi coelestis regni aditus, secundum verba Servatoris nostri *(Joh. III, 5.): Nisi quis ex Aqua et Spiritu genitus fuerit, non potest ingredi in regnum Dei.* Hoc autem Mysterium, semel acceptum, iterum non repetitur, modo si is, qui baptissat, orthodoxe in unum Deum, personis trinum, credat et adcurate nullaque immutatione praedicta verba: *In nomine Patris et Filii et Spiritus S. Amen,* secun-

dum cătholicae et orthodoxae Ecclesiae sententiam proferat.

Qu. 103. Quidnam in hoc Mysterio observandum? — *Primum* necesse infantulo est, per susceptorem suum, qui orthodoxus esse debet, penitus renunciare familiaritati Diaboli, illumque cum operibus suis omnibus, cum cultu pompaque omni, repudiare: quod si baptissandus justam ingressus est aetatem, ut ille ipse, suo ore, repudium Diabolo renunciet, respondendo ad interrogationes Sacerdotis, Satanamque et omnia opera illius consputando. *Dein*, ut Symbolum fidei aperte profiteatur; sin infans est, ut ipsius nomine idem Symbolum sponsor edat, et Christo sacramentum dicat. *Porro* illud etiam in Baptismate adcurandum est, ut Aqua pura, nullaque re alia permista, neque artificialis, nec alius liquor ullus, adhibeatur. *Tum* legitimum Baptisma a nemine alio administrari oportet, quam ordinario verbi ministro; veruntamen urgente aliqua necessitate, etiam alius quisque homo, sive mas sive foemina, hoc peragere Sacramentum potest, sumta in manus debita materie, Aqua simplici atque naturali, verbisque sollemnibus: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus. S.*, ad trinam immersionem rite adjectis. Ea vero Baptismatis hujus, etsi non amplius iterandi, vis et efficacitas est, ut indubium aeternae salutis signaculum ac pignus sit. Qui *fructus* vero, quodve emolumentum, hujus Mysterii sit, id per se facile quisque videt. *Primum* enim peccata omnia abolet, in infantibus originale; in adultis, tum illud, tum voluntarium; *deinde* hominem plane renovat, in eumque justitiae sanctitatisque restituit locum, quo innocens adhuc intactusque peccato olim steterat, quemadmodum testatur Apostolus (1 *Cor. VI*, 11.): *Sed abluti estis, sed sanctificati, sed justificati, in nomine Domini Jesu, et in Spiritu Dei nostri. Super haec* membra corporis Christi baptissati evadimus, Dominumque nostrum induimus, teste Apostolo (*Gal. III*, 27.): *Quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis.*

Qu. 104. Quodnam *secundum* in Ecclesia Christi *Mysterium* est? — Secundum Mysterium, *Unguentum Chrismatis* (sive *Confirmationis*) est, quod ab eo tempore initium habuit, (*Act. II.*), quo super Apostolos coelo devectus consedit Spiritus Sanctus, eosque divina gratia sua obsignavit, quo constanter, et sine intermissione, fidem Christi praedicarent. Eodem

numine auxilioque iis omnino opus est, qui Christianismo initiantur: rursus uti tunc temporis visibili ignis specie delapsus Spiritus Sanctus, charismata sua Apostolis impertivit, pariter et hodie, quando Sacerdos oleo sacro recens baptissatum inungit, desuper idem Spiritus S. donis perfunditur, quod manifeste arguunt verba, Sacerdoti mysterium hoc peragenti, de more pronuncianda: *Signaculum muneris Spiritus S. Amen,* quasi si dicat, inunctione sacri hujus unguenti obsignaris confirmarisque in Spiritus Sancti donis, qua in confirmationem christianae fidei tuae accipis. Quod cum verbis Apostoli congruit (2 *Cor. I,* 21.): *Qui confirmat nos vobiscum in Christo et qui unxit nos Deus, qui etiam obsignavit nos, indiditque arrbabonem Spiritus in cordibus nostris.* Haec vero unguenti inunctio, aut potius, haec unctionis hujus efficientia, aevo Apostolorum, per impositionem manuum fiebat, dicente ita Scriptura (*Act. VIII,* 7.): *Tunc imponebant illis manus, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Postmodum inunctione unguenti fieri coepit, teste *S. Dionysio Areopagita,* b. Pauli discipulo.

Qu. 105. Quot ad hoc Mysterium necessariae res sunt? — *Primum* necesse est, ut ab summi loci ordinisque Episcopo hoc consecretur unguentum; *secundo,* ut aptam congruentemque sibi materiam habeat, nimirum oleum, balsamum, unguenta cetera; *tertio,* ut e vestigio post Baptismum, certis definitisque membris, baptissatum Sacerdos inungat, cum hac formula: *Signaculum muneris Spiritus S., Amen.* Ex hoc Mysterio hi proveniunt *Fructus: Primum,* velut per Baptisma renascimur, ita per sacrum hocce unguentum Spiritus S. participes efficimur, confirmamur in fide Domini, atque in gratia divina sensim adolescimus, docente Apostolo (*Tit. III,* 5.): *Salvavit nos secundum misericordiam suam, per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus S., quem copiose super nos effudit, per Jesum Christum Salvatorem nostrum; secundo,* quod adjutorio Spiritus S., ita confirmamur et corroboramur, ut nihil penitus animae nostrae spiritualis hostis noster nocere valeat; *denique* neque hoc unquam repetitur Mysterium, nisi in illis, qui ab nominis Christi ejuratione, ad professionem ejusdem postliminio redeunt.

Qu. 106. Quodnam *tertium* est Mysterium? — Sancta *Eucharistia,* sive Corpus et Sanguis

Domini nostri J. Christi, sub visibili specie Panis et Vini, in quo vere, et proprie, hoc est, secundum rem ipsam, praesto adest J. Christus. Hoc Mysterium inter reliqua omnia unum praecipue eminet, atque plus ceteris ad salutem consequendam nobis confert: namque in eo gratiae benignitatisque Domini Jesu opes universae fidelibus monstrantur exhibenturque, ut postea patebit.

Qu. 107. Quid in hoc Mysterio observandum? — *Primum*, quod hoc Mysterium nemo homo, nisi legitime creatus Sacerdos, quantacumque urgente necessitate, administrare possit; *secundo*, providendum Sacerdoti, ut quo loco Sacrificium facturus est, altare aut tapes saltem mensalis consecratus ad manum sit, absque quo, nullo modo integrum est incruentum offerre Sacrificium; *tertio* curabit, ut in promtu sit materia debita, sive panis ex frugibus confectus, fermentatus, et quantum potest, purus, et vinum, haud alio humore confusum, in seque purum et sincerum, adfunditur in actu ipso, et aqua (calida) implendae Scripturae, quae dicit *(Joh. XIX, 34.)*: *Quod quum unus quispiam militum hasta latus Christi hausisset, sanguis continuo et aqua profluxerit*; *quarto*, eo temporis articulo, quo sacra munera consecrat Sacerdos, ita omnino secum statuere debet, quod substantia ipsa Panis et Vini, in substantiam veri Corporis et Sanguinis Christi, opera Spiritus S. immutetur, cujus numen illo interim spatio implorat, his nimirum verbis, ut rite hoc ipse perficiat Mysterium, exoptans: *Demitte o Deus de coelo Spiritum tuum Sanctum, super nos et super proposita haecce dona, et panem hunc effice pretiosum Corpus Christi tui, idque quod in calice hoc inest, effice pretiosum Sanguinem Christi tui, transformans ea per Spiritum tuum Sanctum.* Quippe pronunciatis hisce verbis, confestim *Transsubstantiatio* peragitur, mutaturque Panis in verum Corpus Christi, Vinum in verum ejusdem Sanguinem, manentibus tantummodo, per divinam dispositionem, speciebus, quae visu percipiuntur. *Primum*, ut ne ipsummet Corpus Christi oculis nostris cernamus, sed fide potius credamus, id ipsum esse: propter Christi ipsius verba: *Hoc est Corpus meum, hoc est Sanguis meus*, plus videlicet fidei habentes verbis et potentiae illius, quam nostris ipsorum sensibus, quae res beatitudinis fidei nos compotes facit *(Joh. XX, 29.)*: *nam*

*beati illi qui credunt, etsi non viderunt. Secundo,* quoniam ab esu crudae carnis humana abhorret natura, et tamen in hoc mysterio, per participationem Carnis et Sanguinis Christi, arctissimam cum illo conjunctionem homo christianus initurus erat: ut ne igitur participationem istam idem abominaretur et respueret, familiari rem ratione divina temperavit providentia, propriamque carnem et sanguinem suum fidelibus in cibum potumque, sub panis et vini involucris, tradidit. Qua de re fusius uberiusque disserunt *Gregorius Nyss.*, et *S. Damascenus.* Ceterum communio Mysterii hujus secundum utramque speciem, panis videlicet et vini, tam ab ecclesiasticis, quam secularibus hominibus, omnino fieri debet: ita enim Christus, sine ulla cujusquam exclusione, praecipit *(Joh. VI,* 54.*): Amen, amen, dico vobis, nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis Sanguinem illius, non habebitis vitam aeternam in vobis. Qui Carnem meam edit, et Sanguinem meum bibit, is in me manet, et ego in illo. Quare* ad eundem etiam modum, prout a Christo acceperant, ita aliis hoc Mysterium SS. Apostoli (peragendum) tradiderunt, aequali nimirum tum Secularium, tum Religiosorum usu, et utraque specie. Quemadmodum Corinthiis scribit Paulus Ap. *(*1 *Cor. XI,* 23.*): Namque ego a Domino accepi, quod et tradidi vobis, quod Dominus Jesus ea nocte, qua traditus est, accepit Panem, et actis gratiis fregit, dixitque: accipite, edite, hoc meum est Corpus, quod pro vobis frangitur, hoc facite in mei recordationem. Similiter et poculum, postquam coenaverant, dicens. Hoc poculum novum Testamentum est, in meo sanguine, hoc facite, quotiescunque biberitis in mei recordationem.* Porro *honor*, quem tremendis hisce Mysteriis exhibere convenit, par illi similisque esse debet, qui Christo ipsi habetur, ut quemadmodum de eo Petrus, ore ac nomine reliquorum Apostolorum, dixit *(Matth. XVI,* 16.*): Tu es Christus Filius Dei viventis,* consimili et nos ratione, quisque illum sancte venerantes, dicamus: *Credo Domine, ac confiteor, te revera esse Christum, Filium Dei viventis: qui in mundum venisti, ut salvos faceres peccatores, quorum ego primus sum.* Offertur etiam Sacrificii vicem hoc Mysterium, pro orthodoxis Christianis omnibus viventibus pariter, et in spe resurrectionis vitae aeternae consopitis, quod Sacrificium usque supremum orbis diem non intermittetur. *Fructus* hujus Mysterii,

ii fere sunt: *Primum*, recordatio supplicii, quo ob nullam plane noxiam suam adfectus fuit, et mortis Christi, quemadmodum dicitur (1 *Cor. XI*, 26.): *Quotiescunque enim comederitis panem hunc, et biberitis hoc poculum, mortem Domini adnunciabitis, donec venerit; secundum*, quod hoc Mysterium est propitiatio reconciliatioque apud Deum, pro peccatis nostris, sive viventium sive mortuorum, unde nulla etiam sacrarum Liturgiarum celebratur, in qua non fiant supplicationes deprecationesque ad Deum, pro peccatis nostris; *tertium*, quod Christianus quisque, qui crebro huic Sacrificio interest de eoque participat, per illud eximitur quibusvis tentationibus et objectis a Diabolo periculis: nihil enim iste animae nostrae hostis nocere illi audet, quem Christum in sese manentem habere animadvertit; *denique*, *Praeparatio* hominis ad tremenda haecce Mysteria percipienda, secundum praescriptum ordinem orthodoxae nostrae Ecclesiae, fieri debet, nimirum per sinceram peccatorum Confessionem, per Jejunia cordisque compunctionem, atque perfectam cum omnibus reconciliationem, aliaque his consimilia.

Qu. 108. Quodnam *quartum* est Mysterium? — *Sacerdotium*, quod duum est generum, alterum spirituale, alterum sacramentale. Communione sacerdotii spiritualis orthodoxi omnes Christiani fruuntur, sicut docet Petrus Ap. (1 *Pet. II*, 9.): *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus in adquisitionem*; et Johannes in Apocalypsi (*V*, 9.): *Occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro reges et sacerdotes*. Atque prout Sacerdotium hocce est, ita ejusdem modi etiam fiunt oblationes, nimirum preces, gratiarum actiones, exstirpationes pravarum corporis cupiditatum adfectionumque, voluntaria martyrii propter Christum susceptio ac perpessio, ceteraque hujusmodi. Ad quae ita cohortatur Ap. Petrus (1 *Pet. II*, 5.): *Ipsi quoque veluti viri lapides aedificemini in domum spiritualem, sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum*; et Paulus (*Rom. XII*, 1.): *Adhortor vos fratres per misericordias Dei, ut praebeatis corpora vestra, hostiam viventem, sanctam, acceptam Deo, rationalem cultum vestrum.*

Qu. 109. Quo pacto fit *sacramentale Sacerdotium?* — Sacerdotium id, quod Mysterium est Apostolis a Christo mandatum fuit: deinceps per manuum illorum impositionem, usque in hodiernum diem Ordinatio ejusdem peragitur, succedentibus in locum Apostolorum Episcopis, ad distribuenda divina mysteria, salutisque humanae obeundum ministerium, teste Apostolo (1 *Cor. IV,* 1.): *Ita nos aestimet homo, ut ministros Christi, et oeconomos mysteriorum Dei.* Haec oeconomia res praecipue *duas* complectitur. *Una* est facultas ac potestas solvendi delicta hominum; quamobrem sic ad illam dictum fuit (*Matth. XVIII,* 18.): *Quidquid solveritis super terram, id solutum erit in coelo; altera* potestas et facultas docendi est, quae his verbis exponitur (*Matth. XXVIII,* 19.): *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti.* Emisit igitur Apostolos ad praedicandum Evangelium Christus; rursus Apostoli alios postea ad idem opus, impositis manibus ordinatos miserunt, ut ex verbis S. Lucae colligitur (*Act. VIII,* 17.): *Tunc imponebant illis manus, et accipiebant Spiritum Sanctum;* similiter (*XIII,* 2.): *Illis sacrum officium celebrantibus* (h. e. hostiam incruentam Deo offerentibus) *ac jejunantibus, dixit Spiritus Sanctus: segregate mihi Barnabam et Saulum in id opus, in quod vocavi illos; cumque jejunassent et orassent et imposuissent eis manus, dimiserunt eos.* Et Paulus (1 *Tim. V,* 22.), *manus nemini cito imponas.* Hujusmodi ordinatione, nulloque tempore interrupta successione, facultatem docendi doctrinam satis habent, qui ad hoc opus mittuntur; non missi vero, nec ad hoc opus delecti, illi nullo modo manus eidem admovere debent, dicente Paulo (*Rom. X,* 15.): *Quomodo praedicabunt, nisi mittantur?*

Qu. 110. Quid in hoc Mysterio spectandum? — Probe examinandi explorandique sunt, quotquot ad hoc adscensuri sunt Mysterium, ut *tribus* inprimis rebus instructi veniant. *Primum,* bona mundaque conscientia, adeo ut procul ab iis flagitiis absint, quae capessendo sacro Ordini obstaculo sunt; *secundo,* scientia atque sapientia exornati sint, tam in dispensandis divinis Mysteriis, quam aedificanda et instruenda per conciones suas, rudi plebecula; *tertio,* ut membris omnibus sanis integrisque utantur, quae muneri exsequendo necessaria sunt.

Qu. 111. Aliine etiam *Ordines* quidam sunt, qui ante Sacerdotium conferuntur? — Sacerdotium ceteros omnes in se continet gradus, qui nihilosecius legitimo ordine conferri debent: ut *Lector, Cantor, Lampadarius, Subdiaconus, Diaconus;* de quibus latius in *Euchologiis pontificalibus*, quae *Tactica* nuncupantur, agitur. Satis autem in praesens est, ut ad doctrinam orthodoxae hujus Confessionis paucis dicamus, ad officium Episcopi pertinere, ut in quocunque gradu quempiam constituit, clare et dilucide muneris illius rationes homini exponat, quod ipsi committit, sive divinum Liturgiae officium sit, sive lectio Evangelii sive Apostolicarum Epistolarum, sive ut sacra vasa gestet, sive ut Imundum Ecclesiae servet. Est enim cuique ordini peculiare insigne suum, quo singillatim alius ab alio distinguitur, quod explanare debet Episcopus.

Qu. 112. Quodnam *quintum* est Mysterium? — *Quintum* Mysterium *Poenitentia* est, quae vera quaedam penitusque infixa tristitia est, ob ea, quae in se quisquam admisit peccata, quae cum firmo animi proposito emendandae in posterum vitae suae, plenaque volnntate observandi efficiendique, quidquid mulctae suppliciique irroget Sacerdos, pater suus spiritualis, illi accusatorie detegit. Hoc Mysterium tum potissimum valet vimque exserit suam, quum absolutio peccatorum per Sacerdotem, secundum constitutionem atque morem Ecclesiae, conceditur: quippe ut delictorum suorum veniam quispiam consequitur, extemplo omnia illius peccata, a Deo, per Sacerdotem, illi remissa sunt, secundum Christi ipsius verba, qui dixit *(Joh. XX, 23.)*: *Accipite Spiritum S., si quorum peccata remiseritis, remittuntur illis: si quorum retinueritis, retenta sunt.*

Qu. 113. Quid observandum in hoc Mysterio? — *Primo*, videndum. ut Poenitens sit christianus, fidei orthodoxae et catholicae: namque Poenitentia, quae vera destituitur fide, non est poenitentia, nec Deo accepta; *secundo*, ut Confessarius, qui Confessionem Christianorum resipiscentium audit et excipit, pariter orthodoxus sit: nam Haereticus et Apostata nullam solvendi piacula potestatem habet; *tertio*, necesse est habere poenitentem Contritionem cordis, seriumque de admissis noxis dolorem, queis Dei iram lacessivit, aut

damnum proximo dedit, de qua Contritione ait Davi( *(Psalm. LI, 19.): Cor contritum et humiliatum Deu. non despiciet.* Hanc cordis Contritionem sequi debet viva voce sigillatim facta omnium peccatorum Confessio nihil enim solvere pater spiritualis potest, ubi nihil sol vendum deprehendit, nec poenam mulctamque ideo imponere: cujusmodi Confessio in Sacra Scriptura apert( memoratur *(Act. XIX, 18.): Multi credentium veniebant, confitentes et renunciantes facta sua;* et alib *(Jac. V, 16.): Confitemini invicem alius alii delicta,* e *orate pro vobis invicem, ut sanemini;* et rursus *(Marc. I, 5.): Egrediebatur ad illum omnis regio Judaeae, e Hierosolymitae; et baptizabantur omnes ab illo* (Johanne) *in Jordane fluvio, confitentes peccata sua.* Confessio ista has habere debet proprietates, ut sit humilis, religiosa, vera, sincera, sui ipsius accusatrix cum dolore gemituque, quando exercetur. *Postrema* Poenitentiae pars est *Canon* poenitentialis et piaculare supplicium quod definit et imponit Confessarius. Quod genus, preces, eleemosynae, jejunia, peregrinationes ad loca sacra religiosae poplitum inflexiones, et his similia sunt, quae nimirum patri spirituali convenientissima videbuntur. Qui expiatus a Confessione recedit, merito illa secum reputabit, quae ait auctor Psalmorum *(XXXIV, 15.): Declina a malo, et fac bonum;* et quae Servator noste dicit *(Joh. V, 14.): Ecce sanus factus es, ne posthac pecces, ne quid deterius tibi contingat;* et alibi *(Joh. VIII, 11.): Vade, et ne pecces amplius.* Quamvis vero impossibile homini sit, ut omnino et in totum peccata vitet, debet tamen pius quisque, secundum censcientiam, quam habet, ab una Confessione ad aliam, quantam poterit maximam emendationi vitae suae dare operam.

Qu. 114. Qui *Fructus* hujus Mysterii sunt? — Primum illud emolumentum est, quod quemadmodum per peccatum jacturam facimus ejus innocentiae, quam in sacro Baptismate adquisivimus; ita rursus ad illam per Poenitentiam propius accedimus, et ut per peccatum divinae excidimus gratia, ita resipiscendo eandem recuperamus; atque ut per peccatum in captivitatem Diaboli incidimus, ita per Poenitentiam ab illa liberamur; denique, ut per peccatum pudor terrorque conscientiam nostram invadunt, ita per Poeniten-

tiam redit nobis pax et fiducia ejusmodi, qualem erga parentes suos liberi habent.

Qu. 115. Quodnam *sextum* est Mysterium? — *Honorabile Conjugium*, quod primo quidem mutuo viri foeminaeque in se invicem consensu, nullo interveniente legitimo impedimento, instituitur; sed ejusmodi consensus, non videtur justarum nuptiarum stipulatio conventioque esse, nisi iidem illi sponsalia sua, mutua testificatione, eorum Sacerdote, adfirment, junctisque dextris fidem dent. quod alter alteri fidem, honorem, amoremque conjugalem, ad finem usque vitae, quocunque rerum discrimine, constanter servaturus, nec alter alterum deserturus sit. Deinde sancitur consecraturque haec illorum consensio ac promissio per Sacerdotem, itque illud, quod scriptum est *(Hebr. XIII, 4.)*: *Honorabile in omnibus conjugium, et torus impollutus.*

Qu. 116. Qui *Fructus* ex hoc Mysterio nascuntur? — *Primum*, quod homo per nuptias a periculo scortationis ac incontinentiae cujusvis deflectit; quippe ideo honorabile matrimonium institutum est, ut exstinguatur libidinis ardor, docente Paulo *(1 Cor. VII, 2.)*: *Propter scortationem, unusquisque suam habeat uxorem; secundo*, quod merito in honore habeatur, quae honesto satu fit sobolis procreatio; *tertio*, quod si quando morbus incidit, aut aliud quodcumque periculum, tum fidum sese sodalem maritus uxori, et uxor invicem marito, ob summam caritatem, et arctissima mutui ipsorum amoris vincula, praebet, qua de re testimonium perhibet Scriptura *(Gen. I, 14.)*: *Idcirco relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit propriae uxori suae; eruntque duo illi in carnem unam.*

Qu. 117. Quodnam *septimum* Ecclesiae Mysterium est? — *Oleum consecratum*, quod a Christo ipso institutum est: quando enim discipulos suos, binos et binos, misit *(Marc. VII, 13.)*, *illi oleo aegrotos multos ungebant ac sanabant:* quod postmodum universa Ecclesia in sollemnem consuetudinem recepit, ut adparet ex Ep. S. Jacobi *(Cap. V, 14.)* ubi ait: *Si quis vestrum aegrotat, advocet Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum: ungentes eum oleo, in nomine Domini, et oratio fidei servabit aegrotum, et excitabit eum Dominus, et si peccata commisit, id illi condonabitur.*

Qu. 118. Quid observandum nobis in hoc Mysterio? — *Primum*, ut hoc Mysterium cum omni consequentia sua, per Sacerdotes, non vero per alium, ullum, ministretur; *secundo*, ut oleum purum inconditumque sit, atque ut aegrotus tum orthodoxus fideique catholicae addictus sit, tum ut paullo antea patri suo spirituali quidquid deliquerat confessus fuerit; *tertio*, ut interea dum unctio peragitur, recitetur illa oratio, qua Mysterii hujus vis et efficacia exponitur.

Qu. 119. Quinam hujus Mysterii *fructus* sunt? — Emolumenta ac fructus Mysterii hujus enarrat Ap.: nimirum criminum admissorum gratiam, sive salutem animae; atque sanitatem etiam corporis, quae ut non semper obtineatur, certe remisso peccatorum animae in poenitente semper obtinetur.

Qu. 120. *Undecimus* fidei *Articulus* quis est? — *Exspecto resurrectionem mortuorum.*

Qu. 124. *Duodecimus* fidei *Articulus* quis est? — *Et vitam venturi seculi.*

## PARTIS TERTIAE, QUAE EST CHARITATE

Qu. 55. Quid statuendum *de Imaginibus*, quas adorat ac colit orthodoxa Ecclesia? — Ingens inter *Imagines* (εἴδωλα) et *Simulacra* (εἴκονες) discrimen est: nam *Idola* seu *Simulacra*, sunt figmenta, et mera inventa hominum, quemadmodum testificatur Apostolus (1 *Cor. VIII*, 4.): *Novimus nullum in mundo idolum esse.* Verum *Imago* est repraesentamen exhibens rem veram, reapse in mundo exsistentem, veluti imago Servatoris nostri Christi, et S. Virginis Mariae, et omnium Sanctorum. Praeterea pagani idola Dei instar adorabant, illisque hostias immolabant: existimantes, aurum argentumque verum Numen esse; ut Nebuchadnozar olim: quando autem nos imagines veneramur, et adoramus, non adoramus illitos tabulis colores, aut ligna ipsa, sed Sanctos, suis imaginibus repraesentatos, eo adorationis genere, quod δουλείαν adpellitant, colimus, sic eorum videlicet praesentiam animo usurpantes, quasi ipsosmet oculis nostris contueremur: verbi caussa, dum *Crucifixum* adoramus, tum in conspectu animi nostri, Christum ipsummet, in cruce, salutis no-

strae caussa, pendentem, ponimus, illique cum religiosa gratiarum actione, capita ac genua submittimus. Pariter quum imaginem Virginis Mariae veneramur; tum animo nostro ad sanctissimam Deiparam adscendimus, illi caput inclinamus, illi genua flectimus, illamque cum Archangelo Gabriele, virorum omnium foeminarumque beatissimam praedicamus. Patet igitur adorationem sacrarum Imaginum, in orthodoxa Ecclesia receptam, nihil huic praecepto derogare, quippe quae non una eademque illi est, quam Deo tribuimus; tum neque arti pictoriae ab Orthodoxis tribuitur, sed personis Sanctorum illorum, quos imagines referunt. Quemadmodum enim *Cherubim*, qui tabernaculum Foederis inumbrarunt, genuinos ipsos Cherubim, qui in coelo Deo adparent, repraesentabant, et adumbratos tamen illos adorabant Israëlitae, ac venerabantur; sic ut nullo modo hoc Dei violarent praeceptum. Eodem modo quum Judaei *Tabernaculum foederis* venerabantur, convenientique honoris cultu excipiebant (2 *Samuel. VI*, 13.), eo nihil peccabant, neque hoc Decalogi praeceptum irritum faciebant, quin potius eximia Deum gloria honorabant. Pari ratione nos etiam, sacras venerantes imagines, decalogicum hoc praeceptum non migramus, *sed Deum, in Sanctis suis admirabilem (Ps. LXVIII*, 35.) maximopere collaudamus, illud modo curandum nobis, ut cuique imagini sua addita sit inscriptio, quae cujus Sancti imago sit, indicet, ut eo facilius intentioni animoque adorantis satisfieri possit. Porro ad majorem adorationis sacrarum imaginum corroborationem, Ecclesia Dei in *septima synodo oecumenica* Iconomachos omnes terribili anathematis fulmine perculit, et venerabilium imaginum cultum stabilivit, atque in aevum omne sanxit, quod ex uno Synodi illius Canone manifestum est.

Qu. 56. Qua igitur de caussa ille in Veteri Testamento laudem adeptus est, *qui Serpentem aeneum confregit* (2 *Reg. XVIII*, 4.), quem olim Moses sublimem dedicaverat? — Quoniam Judaei deficere coeperunt ab adoratione veri Dei, adorantes Serpentem pro vero Deo, illique tura et odores cremantes, teste Scriptura. *Chiskijas* itaque hoc malum, ne latius serperet, excisurus, Serpentem confregit, ne quam amplius idololatriae caussam Israëlitis daret, cui antequam divinus latriae honos haberetur,

nec Israëlitas quisquam idololatriae damnabat; nec Se pentem fregit ac comminuit. At Christiani imagines hau quaquam pro Diis colunt, nec earum cultu a lätria, ve Deo debita, abscedunt, immo vero potius ope imag num, quasi manu ad Deum ducuntur, dum sub expre sis Sanctorum imaginibus, Sanctos cultu duliae, ut D familiares, honorant, ab iisque contendunt, ut Dom num sibi propitium reddant, quod si fortassean ex sin plicitate sua quisquam, paullo aliter, quam hactenus e positum est, imagines veneratur; melius quidem cer fuerit, ut rectius ille hoc in negotio edoceatur, qua ut venerandarum imaginum adoratio ex Ecclesia pr scribatur.

---

## B.

## CONFESSIONIS ET EXPOSITIONIS BREVIS ET SIMPLICIS SINCERAE RELIGIONIS CHRISTIANAE

s. *Confessionis Helveticae primae.*

### CAPUT I.

*De Scriptura sancta, vero Dei verbo.*

Credimus et confitemur, Scripturas canonicas SS Prophetarum et Apostolorum utriusque Testamenti, ipsu verum esse verbum Dei, et auctoritatem sufficientem e semetipsis, non ex hominibus habere. Nam Deus ips loquutus est Patribus, Prophetis et Apostolis, et lo quitur adhuc nobis per Scripturas SS. Et in hac Scr ptura S. habet universalis Christi Ecclesia plenissim exposita, quaecunque pertinent cum ad salvificam fiden tum ad vitam Deo placentem, recte informandam. Qu nomine distincte a Deo praeceptum est, ne ei aliqui vel addatur vel detrahatur (*Deuter. IV*, 2. *Apoca XXII*, 12.). Sentimus ergo ex hisce Scripturis peten dam esse veram sapientiam et pietatem, Ecclesiarun quoque reformationem et gubernationem, omniumque of ficiorum pietatis institutionem, probationem denique dog matum, reprobationemque aut errorum confutationen omnium. — —

## CAPUT II.

### *De interpretandis Scripturis SS. et de Patribus, Conciliis et Traditionibus.*

Scripturas SS. dixit Apostolus Petrus *non esse interpretationis privatae (2 Petr. I, 20.)*. Proinde non probamus interpretationes quaslibet: unde nec pro vera aut genuina Scripturarum interpretatione agnoscimus eum, quem vocant sensum Romanae Ecclesiae, quem scilicet, simpliciter, Romanae Ecclesiae defensores, omnibus obtrudere contendunt recipiendum; sed illam duntaxat Scripturarum interpretationem pro orthodoxa et genuina agnoscimus, quae ex ipsis est petita Scripturis (ex ingenio utique ejus linguae, in qua sunt scriptae, secundum circumstantias item expensae, et pro ratione locorum vel dissimilium, plurium quoque et clariorum expositae) cum regula fidei et charitatis congruit, et ad gloriam Dei hominumque salutem eximie facit.

Proinde non aspernamur sanctorum Patrum Graecorum Latinorumque interpretationes, neque reprobamus eorundem disputationes ac tractationes rerum sacrarum, cum Scripturis consentientes: a quibus tamen recedimus modeste, quando aliena a Scripturis aut his contraria adferre deprehenduntur. Nec putamus illis ullam a nobis hac re injuriam irrogari, cum omnes uno ore nolint sua scripta aequari canonicis, sed probare jubeant, quatenus vel consentiant cum illis, vel dissentiant, jubeantque consentientia recipere, recedere vero a dissentientibus. Eodem in ordine collocantur etiam Conciliorum definitiones vel canones.

Qua propter non patimur, nos in controversiis religionis vel fidei causis urgere nudis Patrum sententiis, aut Conciliorum determinationibus, multo minus receptis consuetudinibus, aut etiam multitudine idem sentientium, aut longi temporis praescriptione. Ergo non alium sustinemus in causa fidei judicem, quam ipsum Deum, per Scripturas SS. pronunciantem, quid verum sit, quid falsum, quit sequendum sit, quidve fugiendum.

Ita judiciis non nisi spiritualium hominum ex verbo Dei petitis acquiescimus. —

Pariter repudiamus *Traditiones humanas*, quae tametsi insigniantur speciosis titulis, quasi divinae apostolicaeque sint, viva voce Apostolorum, et ceu per manus

Virorum apostolicorum, succedentibus Episcopis Ecclesiae traditae, compositae tamen cum Scripturis, ab his discrepant discrepantiaque illa sua ostendunt, se minime esse apostolicas. Sicut enim Apostoli inter se diversa non docuerunt, ita et Apostolici non contraria Apostolis ediderunt. Quinimo impium esset asseverare, Apostolos viva voce contraria scriptis suis tradidisse Paulus diserte dicit *eadem se in omnibus Ecclesiis docuisse (1 Cor. IV, 17.)*; et iterum *Non alia*, inquit, *scribimus vobis, quam quae legitis aut etiam agnoscitis (2 Cor. I, 13)*; alibi rursus testatur *se et discipulos suos, i. e.* Viros Apostolicos, *eadem ambulare via et eodem spiritu pariter facere omnia (2 Cor XII, 18.)*. Habuerunt quondam et Judaei suas Traditiones Seniorum, sed refutatae sunt graviter a Domino, ostendente, quod earum observatio legi Dei officiat, *et his Deus frustra colatur (Matth. XV, 8. 9. Marc. VII, 6. 7.)*.

## CAPUT III.

### *De Deo, Unitate ejus et Trinitate.*

## CAPUT IV.

### *De Idolis vel Imaginibus Dei, Christi et Divorum.*

Quoniam vero Deus spiritus est invisibilis et immensa essentia, non potest sane ulla arte aut imagine exprimi: unde non veremur, cum Scriptura, simulacra Dei mera nuncupare mendacia. Rejicimus itaque non modo Gentium idola, sed et Christianorum simulacra. Tamesti enim Christus humanam assumpserit naturam, non ideo tamen assumpsit, ut typum praeferret statuariis atque pictoribus. Negavit se *venisse ad solvendum Legem et Prophetas (Matth. V, 17.)*: at Lege et Prophetis prohibitae sunt imagines *(Deut. V, 7—9. Jes. XL, 18.)*. Negavit, corporalem suam Ecclesiae profuturam praesentiam. Spiritu suo se nobis perpetuo affuturum promisit *(Joh. XVI, 7. 2 Cor. V, 5.)*. Quis ergo crederet, umbram vel simulacrum corporis aliquam conferre piis utilitatem? Cumque maneat in nobis per Spiritum suam, sumus utique templa Dei *(1 Cor. III, 16. 2 Cor. VI, 16.)*. Quid autem convenit templo Dei cum simulacris? Et quando beati spiritus ac divi coelites, dum hic viverent, omnem cultum sui averterunt, et sta-

tuas oppugnarunt (*Act. XIV*, 15. *Apoc. XIV*,7. *XXII*, 8. 9.), cui verisimile videatur, divis Coelitibus et Angelis suas placere imagines, ad quas genua flectunt homines, detegunt capita, aliisque prosequuntur honoribus? —

## CAPUT V.

### *De adoratione, cultu, et invocatione Dei per unicum mediatorem Jesum Christum.*

Deum verum docemus solum adorare et colere. — Eundem solum invocamus in omnibus discriminibus et casibus vitae nostrae, idque per interventum unici mediatoris et intercessoris nostri Jesu Christi. —

Proinde sanctos Coelites sive Divos nec adoramus, neque colimus, nec invocamus, neque illos coram Patre in coelis pro intercessoribus aut mediatoribus nostris agnoscimus. Sufficit enim nobis Deus et mediator Christus, neque honorem soli Deo et filio eius debitum aliis communicamus: quod ille diserte dixerit: *Gloriam meam alteri non dabo*, (*Jes. XLI*, 8.); et quod Petrus dixit: (*Act. IV*, 12.): *Non aliud hominibus nomen datum, in quo oporteat salvos fieri, nisi nomen Christi.* In quo sane, qui per fidem acquiescunt, non quaerunt extra Christum quicquam.

Interim Divos nec contemnimus, nec vulgariter de iis sentimus. Agnoscimus enim eos esse viva Christi membra, amicos Dei, qui carnem et mundum gloriose vicerunt. Diligimus ergo illos ut fratres, et honoramus etiam, non tamen cultu aliquo, sed honorabili de eis existimatione, denique laudibus iustis. Imitamur item eos. — Atque hac in parte approbamus illam S. Augustini de vera religione sententiam: „Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum. Quia si pie vixerint, non sic habentur, ut tales quaerant honores, sed illum a nobis coli volunt, quo illuminante, laetantur meriti sui nos esse conservos. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem“ etc.

Multo vero minus credimus, Reliquias Divorum adorandas esse aut colendas. Veteres isti Sancti satis honorasse videbantur mortuos suos, si honeste mandassent terrae reliquias, postquam astra petiisset spiritus: ac omnium nobilissimas reliquias maiorum aestimabant esse virtutes, doctrinam et fidem: quas ut commendabant cum

laude mortuorum, ita eas exprimere annitebantur, dum vivebant in terris. — Rejicimus ergo — doctrinam divis coelitibus plus nimium tribuentem.

### CAPUT VI.

*De providentia Dei.*

### CAPUT VII.

*De creatione omnium rerum, de Angelis, Diabolo et Homine.*

### CAPUT VIII.

*De lapsu hominis, et peccato, et causa peccati.*

Fuit homo ab initio a Deo conditus ad imaginem Dei, in justitia et sanctitate veritatis, bonus et rectus, sed instinctu Serpentis et sua culpa, a bonitate et rectitudine deficiens, peccato, morti, variisque calamitatibus factus est obnoxius. Et qualis factus est a lapsu, tales sunt omnes, qui ex ipso prognati sunt, peccato inquam, morti, variisque obnoxii calamitatibus. Peccatum autem intelligimus esse nativam illam hominis corruptionem, ex primis illis nostris parentibus, in nos omnes derivatam vel propagatam, qua concupiscentiis pravis immersi, et a bono aversi, ad omne vero malum propensi, pleni omni nequitia, diffidentia, contemptu et odio Dei, nihil boni ex nobis ipsis facere, imo ne cogitare quidem possumus. Quinimo accedentibus iam etiam annis, cogitationibus, dictis et factis pravis, contra legem Dei admissis, corruptos fructus, mala arbore dignos, proferimus: quo nomine, merito nostro, irae Dei obnoxii, poenis subjicimur justis: adeoque a Deo abiecti essemus omnes, nisi reduxisset nos Christus liberator. —

Agnoscimus ergo in omnibus hominibus esse *originale peccatum*; agnoscimus, omnia alia peccata, quae ex hoc oriuntur, et dici et vere esse peccata, qualicúnque nomine nuncupentur, sive *mortalia*, sive *venialia*, sive illud quoque, quod vocatur *peccatum in Spiritum Sanctum, nunquam quod remittitur* (*Marc. III*, 29. 1 *Joh. V*, 16.). Fatemur etiam, peccata non esse aequalia, licet ex eodem corruptionis et incredulitatis fonte exoriantur, sed alia aliis esse graviora. —

Reliquas quaestiones, an Deus voluerit labi Adamum, aut impulerit ad lapsum? aut, quare lapsum non

impediverit? et similes quaestiones deputamus inter curiosas — scientes, Dominum prohibuisse, ne homo ederet de fructu prohibito, et transgressionem punivisse: sed et mala non esse, quae fiunt respectu providentiae Dei, voluntatis ac potestatis Dei, sed respectu Satanae et voluntatis nostrae, voluntati Dei repugnantis.

## CAPUT IX.

### *De libero arbitrio adeoque viribus hominis.*

Docemus in hac causa, quae semper in Ecclesia nultas peperit conflictationes, conditionem vel statum hominis triplicem esse considerandum. Principio qualis uerit homo ante lapsum: rectus nimirum et liber, qui et in bono manere et ad malum potuit declinare; declinaverit autem ad malum, implicaveritque peccato et morti, et se, et omne genus mortalium, sicuti dictum est antea.

Deinde considerandum est, qnalis fuerit homo post apsum. Non sublatus est quidem homini intellectus, non erepta ei voluntas, et prorsus in lapidem vel truncum est commutatus; caeterum illa ita sunt immutata et mminuta in hominibus, ut non possint amplius, quod potuerunt ante lapsum. Intellectus enim obscuratus est, voluntas vero ex libera facta est voluntas serva. Nam servit peccato, non nolens, sed volens. Etenim *Voluntas* non *Noluntas* dicitur. Ergo quoad malum sive peccatum, homo non coactus vel a Deo vel a Diabolo; sed sua sponte, malum facit, et hac parte liberrimi est arbitrii. Quod vero non raro cernimus, pessima hominis facinora et consilia impediri a Deo, ne finem suum consequantur, non tollit homini libertatem in malo, sed Deus potentia sua praevenit, quod homo alias libere nstituit. Sicut fratres Josephi Josephum libere instiuunt tollere; sed non possunt, quod Dei consilio aliud visum esset.

Quantum vero ad bonum et ad virtutes, intellectus hominis non recte judicat de divinis ex semetipso. Requirit enim Scriptura evangelica et apostolica regenerationem abs quolibet nostrum, qui salvari velimus. Unde nativitas prior ex Adamo ad salutem nihil nobis confert. Paulus, *animalis homo*, ait. *non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei etc.* (1. *Cor. II*, 14.). Idem negat alicubi

*nos idoneos esse, ex nobis ipsis cogitare aliquod boni (2 Cor. III, 5.).*

Constat vero, mentem et intellectum ducem esse voluntatis; cum autem coecus sit dux, claret, quousque et voluntas pertingat. Proinde nullum est ad bonum homini arbitrium liberum, nondum renato, vires nullae ad perficiendum bonum. Dominus in Evangelis dicit: *Amen, amen, dico vobis, quod omnis, qui facit peccatum, servus est peccati (Joh. VIII, 34.)*; et Paulus Ap.: *affectus carnis*, inquit, *inimicitia est adversus Deum: nam legi Dei non subditur, imo ne potest quidem (Rom. VIII, 7.).*

Porro terrenarum rerum intelligentia in lapso homine non est nulla. Reliquit enim Deus ex misericordia ingenium, multum tamen distans ab eo, quod inerat ante lapsum. Jubet Deus excolere ingenium, et addit dona simul et profectum, Et manifestum est, quam nihil proficiamus in artibus omnibus sine benedictione Dei. Scriptura certe omnes artes ad Deum refert. Nam et Ethnici retulerunt artium origines ad inventores Deos.

Postremo videndum, an regenerati sint liberi arbitrii, et quatenus. In regeneratione intellectus illuminatur per Spiritum S., ut et mysteria et voluntatem Dei intelligat. Et voluntas ipsa non tantum mutatur per Spiritum, sed etiam instruitur facultatibus, ut sponte velit et possit bonum *(Rom. VIII, 5. 6.)*. Nisi hoc dederimus, negabimus christianam libertatem, et inducemus legalem servitutem. Sed et Propheta facit Deum loquentem: *Dabo legem meam in mentes illorum, et in cordibus eorum inscribam eam (Jerem. XXXI, 33.)*. Dominus quoque dicit in Evangelio: *Si filius vos liberaverit, vere liberi estis (Joh. VIII, 36.)*; Paulus quoque ad Philippenses *(I, 24.)*: *vobis donatum est*, inquit, *pro Christo, non solum, ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini;* et iterum: *persuasum habeo, quod is, qui coepit in vobis bonum opus, perficiet usque ad diem Domini Jesu (Phil. I, 6.)*; item: *Deus est, qui agit in vobis, et ut velitis, et ut efficiatis (Phil. II, 15.).* Ubi interim duo observanda esse docemus: Primum, regeneratos in boni electione et operatione, non tantum agere passive, sed active: aguntur enim a Deo, ut agant ipsi, quod agunt. Recte enim Augustinus adducit illud, quod Deus dicitur noster adjutor. Nequit

autem adjuvari, nisi is qui aliquid agit. Manichaei spoliabant hominem omni actione, et veluti saxum et truncum faciebant.

Secundum, in regeneratis remanere infirmitatem. Cum enim inhabitet in nobis peccatum, et caro in renatis obluctetur spiritui, in finem usque vitae nostrae non expedite omnia perficiunt regenerati, quod instituerant. Confirmantur haec ab Apostolo (*Rom. VII*, 17. *Gal. V*, 17.). Proinde infirmum est nostrum illud liberum arbitrium, propter reliquias remanentes in nobis, ad finem usque vitae nostrae, veteris Adami, agnataeque corruptionis humanae. Interim cum carnis vires et reliquiae veteris hominis non ita sint efficaces, ut extinguant penitus spiritus operationem, idcirco fideles liberi dicuntur, ita tamen, ut agnoscant infirmitatem, et nihil glorientur de libero arbitrio. Semper enim animis fidelium obversari debet, quod toties inculcat b. Augustinus ex Apostolo: *Quid habes, quod non accepisti et si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis* (1 *Cor. IV*, 7.). His accedit, quod non statim evenit, quod institueramus. Eventus enim rerum positi sunt in manu Dei. Unde Paulus orat Dominum, ut prosperet iter suum (*Rom. I*, 10.). Unde vel hac causa infirmum est liberum arbitrium.

Caeterum nemo negat, in externis et regenitos et non regenitos habere liberum arbitrium. Habet enim homo hanc constitutionem cum animalibus aliis (quibus non est inferior) communem, ut alia velit, alia nolit. Ita loqui potest aut tacere, domo egredi, vel domi manere, etc. Quamvis semper et hic potentia Dei observanda sit, quae effecit, ut Balaam eo non posset pertingere, quo volebat (*Num. XXIV.*), neque Zacharias, rediens ex templo, loqui posset, prout volebat (*Luc. I*, 22.).

Damnamus hac in causa Manichaeos, qui negant, homini bono ex libero arbitrio fuisse initium mali. Damnamus etiam Pelagianos, qui dicunt, hominem malum sufficienter habere liberum arbitrium, ad faciendum praeceptum bonum. Redarguuntur utrique a Scriptura S., quae illis dicit: *Fecit Deus hominem rectum* (*Gen. I*, 27.); his vero dicit: *Si filius vos liberaverit, vere liberi estis* (*Joh. VIII*, 36.).

## CAPUT X.

### *De Praedestinatione Dei, et Electione Sanctorum.*

Deus ab aeterno praedestinavit vel elegit libere et mera sua gratia, nullo hominum respectu, Sanctos, quos vult salvos facere in Christo, juxta illud Apostoli: *Deus elegit nos in ipso, antequam jacerentur fundamenta mundi (Eph. I, 4.)*; et iterum: *Qui salvos fecit nos, et vocavit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum et gratiam, quae data quidem est nobis, per Jesum Christum, ante tempora aeterna, sed palam facta est nunc per apparitionem Servatoris nostri Jesu Christi (2 Tim. I, 9. 10.)*.

Ergo non sine medio, licet non propter ullum meritum nostrum, sed in Christo et propter Christum, nos elegit Deus, ut qui jam sunt in Christo insiti per fidem, illi ipsi etiam sint electi, reprobi vero, qui sunt extra Christum, secundum illud Apostoli: *Vos ipsos tentate, num sitis in fide. An non cognoscitis vosmetipsos, quod Jesus Christus in vobis est? nisi forte reprobi estis (2 Cor. VIII, 5.)*.

Denique electi sunt Sancti in Christo per Deum ad finem certum, quem et ipsum exponit Apostolus et ait: *Elegit nos in ipso, ut essemus sancti et irreprehensibiles coram illo per charitatem; qui praedestinavit nos, ut adoptaret in filios per Jesum Christum, in sese, ut laudetur gloria gratiae suae (Eph. I, 4. 5. 6.)*.

Et quamvis Deus norit, qui sint sui, et alicubi mentio fiat paucitatis Electorum, bene sperandum est tamen de omnibus, neque temere reprobis quisquam est adnumerandus. Paulus certe ad Philippenses: *Gratias ago*, inquit, *pro omnibus* (loquitur autem de tota Ecclesia Philippensi), *quod veneritis in communionem Evangelii, persuasum habens, quod is, qui coepit opus bonum in vobis, perficiet, sicut justum est, ut hoc sentiam de vobis omnibus* (*Phil, I*, 3 — 7). Et cum rogaretur Dominus: an pauci sint, qui salventur, non respondet Dominus ac dicit, paucos aut plures fore servandos aut perdendos, sed hortatur potius, ut quisque contendat ingredi per portam arctam *(Luc. XIII, 23. 24.)*. Quasi dixerit, vestrum non est, de his curiosius inquirere, sed magis adniti, ut per rectam viam coelum ingrediamini.

Proinde non probamus impias quorundam voces, qui dicunt: pauci sunt electi, et cum mihi non constet, an sim in illo paucorum numero, genium meum non fraudabo. Alii dicunt: si praedestinatus vel electus sum a Deo, nihil impediet me a salute certo jam definita, quicquid tandem designavero; si vero sum de reproborum numero, nulla me vel fides vel poenitentia juvabit, cum definitio Dei mutari non possit. Itaque inutiles sunt doctrinae et admonitiones omnes. Nam contra hos pugnat illud Apostoli: *Oportet servum Domini propensum esse ad docendum, erudientem eos, qui obsistunt, si quando det Deus illis poenitentiam, ad agnoscendum veritatem, ut resipiscant a laqueo Diaboli, capti ab eo ad ejus voluntatem* (2 *Tim. II*, 24 — 26.). Sed et Augustinus ostendit, utrumque esse praedicandum, et liberae electionis praedestinationisque gratiam, et admonitiones et doctrinas salutares.

Improbamus itaque illos, qui extra Christum quaerunt: an sint ab aeterno electi? et quid ante omnem aeternitatem de ipsis statuerit Deus? Audienda est enim praedicatio Evangelii, eique credendum est, et pro indubitato habendum, si credas ac sis in Christo, electum te esse. Pater enim praedestinationis suae aeternam sententiam, sicut modo ex Apostolo (2 *Tim. I.*) exposuimus, in Christo nobis aperuit. Docendum ergo et considerandum ante omnia, quantus amor Patris erga nos in Christo nobis sit revelatus; audiendum, quid nobis quotidie in Evangelio ipse Dominus praedicet, quomodo vocet et dicat: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, ego vos reficiam* (*Matth. XI*, 28.); *Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum dederit pro mundo, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam* (*Joh. III*, 16.); item: *Non est voluntas Patris, ut quisquam de his pusillis pereat* (*Matth. XVIII*, 14.). Christus itaque sit speculum, in quo Praedestinationem nostram contemplemur. Satis perspicuum et firmum habebimus testimonium, nos in libro vitae inscriptos esse, si communicaverimus cum Christo, et is in vera fide noster sit, nos ejus simus.

Consolatur nos in tentatione Praedestinationis, qua vix alia est periculosior, quod promissiones Dei sunt universales fidelibus, quod ipse ait: *Petite et accipietis. Omnis qui petit, accipit* (*Matth. VII*, 7. 8.); quod

denique cum universa Dei Ecclesia oramus: *Pater noster, qui es in coelis;* et quod Baptismo sumus insiti corpori Christi, et pascimur in Ecclesia ejus carne et sanguine frequenter ad vitam aeternam. His confirmati cum *timore et tremore,* juxta Pauli praeceptum, *nostram salutem operari* jubemur *(Phil. II,* 12.*)*.

## CAPUT XI.

### *De Jesu Christo, vero Deo et homine, unico mundi Salvatore.*

## CAPUT XII.

### *De Lege Dei.*

## CAPUT XIII.

### *De Evangelio J. Christi, de promissionibus; item spiritu et litera.*

## CAPUT XIV.

### *De Poenitentia et Conversione hominis.*

Habet Evangelium conjunctam sibi doctrinam de Poenitentia. Ita enim dixit in Evangelio Dominus: *Oportet praedicari in nomine meo Poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes (Luc. XXIV,* 47.*)*. Per Poenitentiam autem intelligimus mentis in homine peccatore resipiscentiam, verbo Evangelii et Spiritu S. excitatam, fideque vera acceptam, qua protinus homo peccator, agnatam sibi corruptionem peccataque omnia sua, per verbum Dei accusata, agnoscit, ac de his ex corde dolet, eademque coram Deo, non tantum deplorat et fatetur ingenue cum pudore, sed etiam cum indignatione exsecratur, cogitans jam sedulo de emendatione, et perpetuo innocentiae virtutumque studio, in quo sese omnibus diebus vitae reliquis sancte exerceat. Et haec quidem est vera Poenitentia, sincera nimirum ad Deum et omne bonum conversio, sedula vero a Diabolo et omni malo aversio. Diserte vero dicimus, hanc Poenitentiam merum esse Dei donum, et non virium nostrarum opus. Jubet enim Apostolus, *fidelem ministrum diligenter erudire obsistentes veritati, si quando Deus his det Poenitentiam ad agnoscendum veritatem* (2 *Tim. II,* 25.). —

Credimus Confessionem ingenuam, quae soli Deo fit, vel privatim inter Deum et peccatorem, vel palam in templo, ubi generalis illa peccatorum Confessio recitatur, sufficere, nec necessarium esse ad remissionem peccatorum consequendam, ut quis peccata sua confiteatur Sacerdoti, susurrando in aures ipsius, ut vicissim cum impositione manuum ejus audiat ab ipso absolutionem; quod ejus rei nec praeceptum ullum, nec exemplum exstet in Scripturis Sanctis. —

De Clavibus regni Dei, traditis a Domino Apostolis, multi admiranda garriunt, et ex his cudunt enses, lanceas, sceptra et coronas, plenamque in maxima regna, denique in animas et corpora potestatem: nos simpliciter, judicantes secundum verbum Dei, dicimus, omnes ministros legitime vocatos, habere et exercere Claves vel usum Clavium, cum Evangelium annunciant, id est, populum suae fidei creditum docent, hortantur, consolantur et increpant, inque disciplina retinent. Ita enim regnum coelorum aperiunt obsequentibus, et inobsequentibus claudunt.

Has Claves promisit Apostolis Dominus (*Matth. XVI.*) et praestitit (*Joh. XX. Marc. XVI. et Luc. XXIV.*) dum ablegat discipulos et jubet eos universo mundo praedicare Evangelium, et condonare peccata. Apostolus in Ep. II. ad Cor. *(V,* 18. 19.*)* dicit: Dominum Ministris dedisse *reconciliationis ministerium;* et quale hoc sit, mox explicat et ait, *sermonem vel doctrinam reconciliationis.* Et adhuc clarius sua illa exponens addit, *ministros Christi, nomine Christi fungi legatione, tanquam ipso Deo, per Ministros adhortante populos, ut reconcilienter Deo,* nimirum per fidelem obedientiam. — Exercent ergo Claves, cum suadent fidem et poenitentiam. Sic illi reconciliant Deo; sic remittunt peccata; sic aperiunt regnum coelorum, et credentes introducunt: multum distantes ab istis, de quibus dixit in Evangelio Dominus: *Vae vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiae, ipsi non introistis, et eos, qui introibant, vetuistis (Luc. XI,* 52.*)*.

Rite itaque et efficaciter Ministri absolvunt, dum Evangelium Christi, et in hoc remissionem peccatorum, quae singulis promittitur fidelibus, sicuti et singuli sunt baptizati, praedicant, et ad singulos peculiariter pertinere testantur. Nec putamus, absolutionem hanc effi-

caciorem fieri, per hoc, quod in aurem alicui, aut super caput alicujus singulariter immurmuratur. Censemus tamen, sedulo annunciandam esse hominibus remissionem peccatorum, in sanguine Christi, admonendosque singulos, quod ad ipsos pertineat remissio peccatorum. — —

## CAPUT XV.

### *De vera fidelium Justificatione.*

*Justificare* significat Apostolo in disputatione de Justificatione, peccata remittere, a culpa et poena absolvere, in gratiam recipere, et justum pronunciare. Etenim ad Romanos dicit Apostolus: *Deus est, qui justificat, quis ille, qui condemnet (Rom. VIII, 33.)?* Opponuntur *justificare* et *condemnare.* Et in Actis App. dicit Apostolus: *per Christum annunciatur nobis remissio peccatorum; et ab omnibus, a quibus non potuistis per legem Mosis justificari, per hunc omnis, qui credit, justificatur (Act. XIII, 38. 39.).* Nam in Lege quoque et Prophetis legimus: *Si lis fuerit orta inter aliquos, et venerint ad judicium, judicent eos judices justificentque justum, et impient vel condemnent impium (Deut. XXV, 1.).* Et Esaias: *Vae illis, qui justificant impium pro muneribus* (*Jes. V*, 23.).

Certissimum est autem, omnes nos esse natura peccatores et impios, ac coram tribunali Dei convictos impietatis et reos mortis. Justificari autem, id est, absolvi a peccatis et morte, a judice Deo, solius Christi gratia, et nullo nostro merito aut respectu. Quid enim apertius, quam quod Paulus dixit? *Omnes peccaverunt, et destituuntur gloria Dei. Justificantur autem gratis, per illius gratiam, per redemptionem, quae est in Christo Jesu* (*Rom. III*, 23. 24.).

Etenim Christus peccata mundi in se recipit et sustulit, divinaeque justitiae satisfecit. Deus ergo propter solum Christum passum et resuscitatum, propitius est peccatis nostris, nec illa nobis imputat; imputat autem justitiam Christi pro nostra ita, ut jam simus non solum mundati a peccatis et purgati, vel sancti, sed etiam donati justitia Christi, adeoque absoluti a peccatis, morte vel condemnatione, justi denique ac haeredes vitae aeternae. Proprie ergo loquendo, Deus solus nos justi-

ficat, et duntaxat propter Christum justificat, non imputans nobis peccata, sed imputans ejus nobis justitiam.

Quoniam vero nos justificationem hanc recipimus, non per ulla opera, sed per fidem in Dei misericordiam et Christum, ideo docemus et credimus cum Apostolo, hominem peccatorem justificari sola fide in Christum, non lege, aut ullis operibus. —

Loquimur autem in hac causa non de ficta fide, de inani et otiosa, aut mortua, sed de fide viva vivificanteque, quae propter Christum, qui vita est et vivificat, quem comprehendit, viva est et dicitur, ac se vivam esse vivis declarat operibus. Nihil itaque contra hanc nostram doctrinam pugnat Jacobus; qui de fide loquitur inani et mortua, quam quidam jactabant, Christum autem intra se viventem per fidem non habebant. Idem ille dixit, opera justificare, non contradicens Apostolo (rejiciendus alioqui) sed ostendens, Abrahamum vivam justificantemque fidem suam declaravisse per opera. Id quod omnes pii faciunt, qui tamen soli Christo, nullis suis operibus fidunt. Iterum enim Apostolus dixit: *Vivo jam non ego, sed vivit in me Christus. Vitam autem, quam nunc vivo in carne, per fidem vivo filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. Non aspernor gratiam Dei. Nam si per legem est justitia; igitur Christus frustra mortuus est*, etc. (*Gal. II*, 20. 21.).

## CAPUT XVI.

### *De Fide et bonis Operibus, eorumque mercede et merito hominis.*

Fides enim christiana non est opinio ac humana persuasio, sed firmissima fiducia et evidens ac constans animi assensus, denique certissima comprehensio veritatis Dei, propositae in Scripturis et Symbolo apostolico, atque adeo Dei ipsius summi boni, et praecipue promissionis divinae et Christi, qui omnium promissionum est colophon. Haec autem Fides merum est Dei donum, quod solus Deus ex gratia sua Electis suis, secundum mensuram, et quando, cui, et quantum ipse vult, donat, et quidem per Spiritum S., mediante praedicatione Evangelii et oratione fideli. Haec etiam sua habet incrementa, quae nisi et ipsa darentur a Deo, non dixissent Apostoli: *Domine! adauge nobis fidem* (*Luc. XVII*, 5.).

Et haec quidem omnia, quae hactenus de Fide diximus, ante nos ita docuerunt Apostoli. Paulus enim: *Est autem fides*, inquit, *eorum, quae sperantur, ὑπόστασις, vel subsistentia firma, et earum rerum, quae non videntur, ἔλεγχος, id est, evidens et certa rei comprehensio (Hebr. XI, 1.):* et idem iterum: *quotquot sunt promissiones Dei*, inquit, *per Christum sunt etiam et per ipsum Amen (2 Cor. I, 20.):* Ad Philipp. idem ait: *Donatum esse ipsis, ut credant in Christum (Phil. I, 29.);* item: *Deus unicuique partitus est mensuram fidei (Rom. XII, 3. 2 Thess. III, 2.);* rursus: *non omnium est fides*, ait, *neque obediunt omnes Evangelio (Rom. X,* 16.). Sed et Lucas testatur et ait: *Et crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam (Act. XIII,* 48.). Unde Paulus idem iterum Fidem nuncupat, *fidem electorum Dei (Tit. I,* 1.); et iterum: *Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei (Rom. X,* 17.). Alibi saepe jubet orare pro fide.

Idem ille Apostolus *Fidem* vocat *efficacem* et *sese exserentem per dilectionem (Gal. V,* 6.). Illa conscientiam quoque pacificat, et liberum ad Deum aditum aperit, ut cum fiducia ad ipsum accedamus, et obtineamus ab eo utilia et necessaria. Eadem retinet nos in officio, quod Deo debemus et proximo, et in adversis patientiam firmat, et confessionem veram format atque facit, et, ut uno verbo omnia dicam, omnis generis bonos fructus et bona opera progignit.

Docemus enim, vere bona Opera enasci ex viva Fide, per Spiritum S., et a fidelibus fieri secundum voluntatem vel regulam verbi Dei. Nam Petrus Apostolus: *omni adhibito studio*, inquit, *subministrate in fide vestra virtutem, in virtute vero scientiam, in scientia vero temperantiam* etc.(2 *Petr. I,* 5—7.). Diximus autem antea, legem Dei, quae voluntas Dei est, formulam nobis praescribere bonorum Operum. Et Apostolus ait: *Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis ab immunditie, et ne quis opprimat aut fraudet in negotio fratrem suum* (1 *Thess. IV,* 4—6.). Etenim non probantur Deo opera, et nostro arbitrio delecti cultus, quos Paulus nuncupat: ἐθελοθρησκείας (*Col. II,* 18.). De quibus et Dominus in Evangelio *frustra me colunt*, ait, *docentes doctrinas, praecepta hominum (Matth. XV,* 9.).

Improbamus ergo hujusmodi opera: approbamus et ırgemus illa, quae sunt ex voluntate et mandato Dei. lla ipsa fieri debent, non ut his promereamur vitam ıeternam. Donum Dei enim est, ut Apostolus ait, vita ıeterna, neque ad ostentationem, quam rejecit Dominus, ıeque ad questum, quem et ipsum rejecit, sed ad glo-·iam Dei, ad ornandam vocationem nostram, gratitudi-ıemque Deo praestandam, et ad utilitatem proximi. Rursus enim Dominus noster in Evangelio dicit: *Sic 'uceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra ɔpera bona, et glorificent Patrem, qui in coelis est* (*Matth. V*, 16.). Sed et Apostolus Paulus: *Ambulate ligne vocatione vestra* (*Eph. IV*, 1.); item, *quidquid ·geritis*, inquit, *aut sermone aut facto, omnia in no-nine Jesu facite, gratias agentes Deo et Patri per illum* (*Col. III*, 17.). ıdem: *Nemo, quod suum est quaerat, ed quisque quod alterius* (*Phil. II*, 4.); et: *Discant ·t nostri, bona opera tueri ad necessarios usus, ut non int infrugiferi* (*Tit. III*, 14.).

Quamvis ergo doceamus cum Apostolo, hominem ;ratis justificari per fidem in Christum, et non per ulla ·pera bona, non ideo tamen vilipendimus aut condemnamus pera bona, cum sciamus, hominem nec conditum nec egenitum esse per fidem, ut otietur, sed potius, ut ıdesinenter, quae bona et utilia sunt, faciat. Etenim n Evangelio dicit Dominus: *Bona arbor bonum fru-tum affert* (*Matth. XII*, 38.); et iterum: *Qui in me ıanet, plurimum fructum affert* (*Joh. XV*, 5.). Denique ıpostolus *Dei sumus creatura*, ait, *conditi in Christo 'esu ad opera bona, quae praeparavit Deus, ut in is ambulemus* (*Eph. II*, 10.); et iterum: *Qui tradidit emetipsum pro nobis, ut redimeret ab omni iniquitate t mundaret sibi populum peculiarem, sectatorem bono-um operum* (*Tit. II*, 14.).

Damnamus itaque omnes, qui bona opera contem-unt, non curanda et inutilia esse blaterant. Interim, uod et antea dictum est, non sentimus, per opera ona nos servari, illaque ad salutem ita esse necessa-ia, ut absque illis nemo unquam sit servatus. Gratia nim soliusque Christi beneficio servamur. Opera ne-essario ex Fide progignuntur. At improprie his salus ttribuitur, quae propriissime adscribitur gratiae. No-ssima enim est illa Apostoli sententia: *Si per gra-'am, jam non ex operibus; quandoquidem gratia, jam*

*non est gratia. Sin ex operibus, jam non ex gratia; quandoquidem jam opus, non est opus* (*Rom. XI*, 6.).

Placent vero approbanturque a Deo opera, quae a nobis fiunt per Fidem. Quia illi placent Deo, propter Fidem in Christum, qui faciunt opera bona, quae insuper per Spiritum S. ex gratia Dei sunt facta. S. Petrus enim: *in quavis gente*, inquit, *qui timet ipsum et operatur justitiam, is acceptus est illi (Act. X*, 35.*)*; et Paulus: *Non desinimus orare pro vobis, ut ambuletis digne Domino, ut per omnia placeatis, in omni opere bono fructificantes (Col. I*, 9. 10.*)*. Itaque veras, non falsas aut philosophicas virtutes, vere bona opera et genuina christiani hominis officia sedulo docemus et quanta possumus, diligentia vehementiaque omnibus inculcamus, vituperantes omnium illorum et desidiam et hypocrisin, qui ore Evangelium laudant et profitentur, vita autem turpi dedecorant, proponentes hac in causa horribiles Dei minas, amplas denique promissiones Dei, et liberalia praemia, exhortando, consolando et objurgando.

Etenim docemus, Deum bona operantibus amplam dare mercedem, juxta illam Prophetae sententiam: *Cohibe vocem tuam a fletu: quoniam erit merces operi tuo (Jerem. XXXI*, 16.*)*. In Evangelio quoque dixit Dominus: *Gaudete et exultate, quia merces vestra multa est in coelis (Matth. V*, 12.*)*; *et qui dederit uni ex minimis meis poculum aquae frigidae, amen dico vobis, non perdet mercedem suam (Matth. X*, 42.*)*. Referimus tamen mercedem hanc, quam Dominus dat, non ad meritum hominis accipientis, sed ad bonitatem, vel liberalitatem, et veritatem Dei promittentis atque dantis, qui, cum nihil debeat cuiquam, promisit tamen, se suis cultoribus fidelibus mercedem daturum, qui interim dat eis etiam, ut ipsum colant. Sunt multa praeterea indigna Deo, et imperfecta plurima inveniuntur in operibus etiam Sanctorum: quia vero Deus recipit in gratiam et complectitur propter Christum operantes, mercedem eis promissam persolvit. Alioqui enim *justitiae nostrae comparantur panno menstruato (Jes. LXIV*, 6.*)*. Sed et Dominus dicit in Evangelio: *Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus (Luc. XVII*, 10.*)*.

Tametsi ergo doceamus, mercedem dari a Deo nostris benefactis, simul tamen docemus cum Augustino, coronare Deum in nobis non merita nostra, sed dona sua. Et proinde quidquid accipimus mercedis, dicimus gratiam quoque esse, et magis quidem gratiam, quam mercedem: quod, quae bona facimus, per Deum magis, quam per nos ipsos facimus et quod Paulus dicat: *Quid habes, quod non accepisti? Si vero accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? (1 Cor. IV, 7.)*. Et quod hinc collegit b. martyr Cyprianus, in nullo nobis gloriandum esse, quando nostrum nihil sit. Damnamus ergo illos, qui merita hominum sic defendunt, ut evacuent gratiam Dei.

## CAPUT XVII.

### *De catholica et sancta Dei Ecclesia, et unico Capite Ecclesiae.*

— — Caput est quod in corpore eminentiam habet, et undė corpus vitam haurit, cujus spiritu regitur in omnibus, unde et incrementa, et ut crescat, habet. Unicum item est corporis caput, et cum corpore habet congruentiam. Ergo Ecclesia non potest ullum aliud habere Caput, quam Christum. Nam ut Ecclesia est corpus spirituale, ita Caput habeat sibi congruens spirituale utique oportet. Nec alio potest regi spiritu, quam Christi. Paulus quoque: *Ipse est Caput*, inquit, *corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit ipse in omnibus primas tenens. (Col. I, 18.)*. Et idem iterum: *Christus est*, inquit, *Caput Ecclesiae, qui idem salutem dat corpori (Eph. V, 23.)*. Et rursus: *Qui est Caput Ecclesiae*, ait, *quae corpus illius, complementum ejus, qui omnia in omnibus adimplet (Eph. I, 22. 23.)*. Item: *Adolescamus in illum per omnia, qui est Caput, nempe Christus, in quo totum corpus, si compingatur, incrementum capit (Eph. IV, 15. 16.)*.

Non probamus ergo doctrinam Cleri Romani, facientis suum illum Romanum Pontificem catholicae in terris Ecclesiae militantis Pastorem universalem, et Caput summum, adeoque verum Christi Vicarium, qui habeat in Ecclesia plenitudinem, ut vocant, potestatis, et dominium supremum. Docemus enim, Christum dominum esse et manere unicum Pastorem universalem, summum item Pontificem coram Deo patre, ac in Ecclesia

ipsum omnia Pontificis vel Pastoris obire munia, ad finem usque saeculi, ideoque nullo indigere vicario, qui absentis est: Christus vero praesens est Ecclesiae, et Caput vivificum. Hic Apostolis suis Apostolorumque successoribus primatum et dominium in Ecclesia severissime prohibuit. Quicumque ergo huic illustri veritati contradicentes reluctantur, et in Ecclesiam Christi diversam inducunt gubernationem, quis non videat, eos illis potius esse accensendos, de quibus Apostoli Christi vaticinantur, Petrus *(2 Petr. II.)* et Paulus *(Act. XX. 2 Cor. XI, et 2 Thess. II.)* et aliis quoque in locis?

Sublato autem Capite Romano, nullam inducimus in Ecclesiam Christi *ἀταξίαν*, vel perturbationem: cum doceamus, gubernationem Ecclesiae, ab Apostolis traditam, nobis sufficere ad retinendam in justo ordine Ecclesiam, quae ab initio, dum hujusmodi Capite Romano, quale hodie dicitur Ecclesiam conservare in ordine, caruit, atactica vel inordinata non fuit. Servat quidem Caput Romanum tyrannidem suam, et corruptelam inductam in Ecclesiam; sed impedit interim, oppugnat, et, quantis potest viribus, exscindit justam Ecclesiae reformationem.

Objicitur nobis, varia esse in Ecclesiis (nostris) certamina atque dissidia, posteaquam se a Romana separarunt Ecclesia: proinde non esse eas Ecclesias veras. Quasi vero nullae unquam fuerint in Ecclesia Romana Sectae, nulla unquam dissidia atque certamina, et quidem de religione, non tam in scholis, quam in cathedris sacris, in medio populi instituta. Agnoscimus sane, dixisse Apostolum: *Deus non est Deus dissensionis, sed pacis (1 Cor. XIV, 33.)*; et: *cum sit in vobis aemulatio et contentio, an non carnales estis? (1 Cor. III, 3.)*: negari tamen non potest, Deum fuisse in Ecclesia apostolica, et apostolicam Ecclesiam fuisse Ecclesiam veram, in qua tamen fuerunt concertationes et dissidia. Reprehendit enim Petrum Apostolum Apostolus Paulus, ab hoc dissidet Barnabas. Certamen grave exoritur in Ecclesia Antiochena inter eos, qui unum Christum praedicabant: sicut commemorat Lucas in Actis App. *(Act. XV.)*. Gravia semper fuerunt in Ecclesia certamina, et dissenserunt inter sese de rebus non levibus Doctores Ecclesiae praeclarissimi, ut ex his contentionibus interim Ecclesia non id esse de-

sineret, quod erat. Ita enim placet Deo, dissidiis ecclesiasticis uti ad gloriam nominis sui, ad illustrandam denique veritatem, et ut qui probati sunt, manifesti fiant.

Ceterum, ut non agnoscimus aliud Caput Ecclesiae quam Christum, ita non agnoscimus quamlibet Ecclesiam, quae se venditat pro vera, veram esse Ecclesiam; sed illam docemus veram esse Ecclesiam, in qua signa vel notae inveniuntur Ecclesiae verae, inprimis vero Verbi divini legitima vel sincera praedicatio, prout nobis est tradita in libris Prophetarum et Apostolorum, qui omnes ad Christum deducunt, qui in Evangelio dixit: *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum (Joh. X, 4. 5. 27. 28.)*. — —

## CAPUT XVIII.

### *De Ministris Ecclesiae, ipsorumque institutione et officiis.*

. — Data est omnibus in Ecclesia Ministris una et aequalis potestas sive functio. Certe ab initio Episcopi vel Presbyteri Ecclesiam communi opera gubernaverunt; nullus alteri se praetulit, aut sibi ampliorem potestatem dominiumve in Coëpiscopos usurpavit. Memores enim verborum Domini: *qui voluerit inter vos primus esse, sit vester servus (Luc. XXII. 26.)*; continuerunt se in humilitate, et mutuis officiis juverunt se invicem in gubernanda et conservanda Ecclesia.

Interea propter ordinem servandum, unus aut certus aliquis Ministrorum coetum convocavit, et in coetu res consultandas proposuit, sententias item aliorum collegit, denique, ne qua oriretur confusio, pro virili cavit. Sic legitur fecisse in Actis App. S. Petrus, qui tamen ideo nec aliis fuit praepositus, nec potestate majore ceteris praeditus. Rectissime enim Cyprianus martyr: hoc erant utique, inquit, et ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potetatis; sed exordium ab unitate profiscitur, ut Ecclesia una monstretur. Refert item S. Hieronymus non disparia in Comment. ad Ep. ad Tit. Pauli, et dicit: Antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent, communi Presbyterorum consilio Ecclesiae gubernabantur, postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat, non

Christi; decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret, et schismatum semina tollerentur. Hoc tamen decretum Hieronymus non pro divino venditat. Mox enim subjicit: sicut Presbyteri sciunt, se ex Ecclesiae consuetudine, ei, qui sibi praepositus fuerit, esse subjectos; ita Episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispositionis dominicae veritate, Presbyteris esse majores, et in commune debere Ecclesiam regere. Haec ille. Ideoque nemo jure prohibuerit, ad veterem Ecclesiae Dei constitutionem redire, et illam prae humana consuetudine recipere.

Officia Ministrorum sunt varia, quae tamen plerique ad duo restringunt, in quibus omnia alia comprehenduntur: ad doctrinam Christi evangelicam, et ad legitimam Sacramentorum administrationem. Ministrorum enim est, congregare coetum sacrum, in hoc exponere verbum Dei, et universam doctrinam accommodare ad rationem usumque Ecclesiae, ut ea, quae docentur, prosint auditoribus, et aedificent fideles. Ministrorum, inquam, est, docere imperitos, hortari item et urgere ad progrediendum in via Domini cessantes, aut etiam tardius procedentes, consolari item et confirmare pusillanimes, munireque contra Satanae tentationes varias, corripere peccantes, revocare in viam errantes, lapsos erigere, contradicentes revincere, lupos denique ab ovili dominico abigere, scelera item et sceleratos prudenter et graviter increpare, neque connivere aut tacere ad conscelerationem: sed et Sacramenta administrare, usumque eorum justum commendare, et omnes ad illa percipienda per sanam doctrinam praeparare, in unitate quoque sancta fideles conservare, et schismata prohibere, denique catechisare rudes, pauperum necessitatem commendare Ecclesiae, aegrotantes et variis impexos tentationibus visitare, instruere, et in via vitae retinere: praeterea orationes publicas, vel supplicationes necessitatis tempore, una cum jejunio, id est, abstinentia sancta procurare; et omnia, quae pertinent ad Ecclesiarum tranquillitatem, pacem et salutem, quam diligentissime curare.

Ut autem haec omnia rectius faciliusque possit Minister praestare, requiritur ab eo inprimis, ut sit Dei timens, oret sedulo, lectioni sacrae intendat, et in om-

nibus et semper vigilet, et puritati vitae omnibus praeluceat.

Cumque omnino oporteat esse in Ecclesia disciplinam, et apud Veteres quondam usitata fuerit Excommunicatio, fuerintque judicia ecclesiastica in populo Dei, in quibus per viros prudentes et pios exercebatur haec disciplina, Ministrorum quoque fuerit, ad aedificationem, disciplinam moderari hanc, pro conditione temporum, status publici, ac necessitate. Ubi semper tenenda est regula, omnia fieri debere ad aedificationem, decenter, honeste, sine tyrannide et seditione. Apostolus enim testatur: *sibi a Deo traditam esse in Ecclesia potestatem ad aedificationem et non destructionem (2 Cor. X, 8.)*: Nam ipsemet Dominus vetuit, lolium in agro dominico eradicari, quando periculum sit, ne et triticum evellatur *(Matth. XIII, 29.)*. —

## CAPUT XIX.

### *De Sacramentis Ecclesiae Christi.*

Praedicationi verbi sui adjunxit Deus, mox ab initio, in Ecclesia sua Sacramenta vel signa sacramentalia. Ita enim clara testatur universa Scriptura S. Sunt autem Sacramenta symbola mystica, vel ritus sancti aut sacrae actiones, a Deo ipso institutae, constantes verbo suo, signis, et rebus significatis, quibus in Ecclesia summa sua beneficia, homini exhibita, retinet in memoría, et subinde renovat, quibus item promissiones suas obsignat, et quae ipse nobis interius praestat, exterius repraesentat, ac veluti oculis contemplanda subjicit, adeoque fidem nostram, Spiritu Dei in cordibus nostris operante, roborat et auget: quibus denique nos ab omnibus aliis populis et religionibus separat, sibique soli consecrat et obligat, et quid a nobis requirat, significat.

Et sunt quidem alia Veteris, alia Novi Populi Sacramenta. Veteris Populi Sacramenta fuerunt: Circumcisio et Agnus paschalis, qui immolabatur: quo nomine ad Sacrificia refertur, quae fuerunt celebrata ab origine mundi. Novi Populi Sacramenta sunt Baptismus et Coena dominica.

Sunt, qui septem Sacramenta Novi Populi numerent. Ex quibus nos Poenitentiam, Ordinationem Mi-

nistrorum, non papisticam quidem illam sed apostolicam, et Matrimonium agnoscimus instituta esse Dei utilia, sed non Sacramenta. Confirmatio et Extrema Unctio inventa sunt hominum, quibus nullo cum damno carere potest Ecclesia. Neque illa nos in nostris Ecclesiis habemus. Nam habent illa quaedam, quae minime probare possumus. Nundinationem omnem, quam exercent Romanenses in dispensatione Sacramentorum, omnino execramur.

Auctor autem Sacramentorum omnium non est homo ullus, sed Deus solus. Homines Sacramenta instituere non possunt. Nam pertinent illa ad cultum Dei. At hominum non est, instituere et formare cultum Dei; sed traditum a Deo recipere et custodire. — —

## CAPUT XX.

### *De S. Baptismo.*

— Unus est duntaxat Baptismus in Ecclesia Dei, e satis est semel baptizari vel initiari Deo. Durat autem semel susceptus Baptismus per omnem vitam, et es perpetua obsignatio adoptionis nostrae. Etenim baptizar in nomine Christi est: inscribi, initiari et recipi in foedus atque familiam adeoque in haereditatem filiorum Dei imo, jam nunc nuncupari nomine Dei, i. e. appellari filium Dei, purgari item a sordibus peccatorum, et donar varia Dei gratia ad vitam novam et innocentem. Baptismus ergo in memoria retinet et reparat ingens De beneficium generi mortalium praestitum.

Nascimur enim omnes in peccatorum sordibus, e sumus filii irae. Deus autem, qui dives est misericordia, purgat nos a peccatis gratuito, per sanguinem Fili sui, et in hoc adopat nos in filios, adeoque foeder sancto nos sibi connectit, et variis donis ditat, ut pos simus novam vivere vitam. Obsignantur haec omni Baptismo. Nam intus regeneramur, purificamur, et re novamur a Deo per Spiritum S.: foris autem accipimu obsignationem maximorum donorum in aqua, qua etiam maxima illa beneficia repraesentantur et veluti oculi nostris conspicienda proponuntur. Ideoque baptizamu i. e. abluimur, aut adspergimur aqua visibili. Aqu enim sordes mundat, deficientia et aestuantia recreat

refrigerat corpora. Gratia vero Dei haec animabus praestat, et quidem invisibiliter vel spiritualiter. —

Credimus perfectissimam esse baptizandi formam, qua Christus ipse baptizatus est, et qua baptizarunt Apostoli. Ergo, quae humana inventione postea adjecta et usurpata sunt in Ecclesia, non arbitramur necessaria esse ad perfectionem Baptismi: cujus generis est Exorcismus, usus item ardentis Luminis, Olei, Salis, Sputi et similium rerum, ut quod Baptismus singulis annis pluribus ceremoniis bis consecratur. Nos enim credimus, unum Ecclesiae Baptisma in prima Dei institutione sanctificatum esse, et consecrari per verbum, efficaxque esse nunc etiam propter primam Dei benedictionem.

Docemus, Baptismum in Ecclesia non administrari debere a mulierculis, vel ab obstetricibus. Paulus enim removit mulierculas ab officiis ecclesiasticis. Baptismus autem pertinet ad officia ecclesiastica. —

## CAPUT XXI,

### *De S. Coena Domini.*

Coena Domini, quae et Mensa Domini, et Eucharistia, i. e., Gratiarum Actio nuncupatur, ideo Coena nuncupatur vulgo, quod a Christo in ultima illa coena sua instituta sit, eamque adhuc repraesentet, ac in ipsa spiritualiter cibentur et potentur fideles. Auctor enim Coenae dominicae non est Angelus aut homo ullus, sed ipse Dei filius, Dominus noster J. Christus, qui primus eam Ecclesiae suae consecravit. —

Retinere vult Dominus ritu hoc sacro in recenti memoria maximum generi mortalium praestitum beneficium, nempe quod, tradito corpore et effuso suo sanguine, omnia nobis peccata nostra condonavit; ac a morte aeterna et potestate Diaboli nos redemit, jam pascit nos sua carne et potat suo sanguine, quae vera fide spiritualiter percepta, alunt nos ad vitam aeternam. Et hoc tantum beneficium renovatur toties, quoties Coena Domini celebratur. Dixit enim Dominus: *hoc facite in mei commemorationem (Luc. XXII, 19.).* Obsignatur item hac Coena S., quod revera Corpus Domini pro nobis traditum et Sanguis ejus in remissionem peccatorum nostrorum effusus est, ne quid fides nostra vacillet.

Et quidem visibiliter hoc foris Sacramento per Mi
nistrum repraesentatur, et veluti oculis contemplandun
exponitur, quod intus in anima invisibiliter per ipsun
Spiritum S. praestatur. Foris offertur a Ministro Panis
et audiuntur voces, Domini: *Accipite, edite, hoc es*
*Corpus meum, accipite et dividite inter vos, bibite e.*
*hoc omnes, hic est Sanguis meus.* Ergo accipiunt fide
los, quod datur a Ministro Domini, et edunt panen
Domini, ac bibunt de poculo Domini: intus interim oper
Christi per Spiritum S. percipiunt etiam Carnem et San-
guinem Domini, et pascuntur his in vitam aeternam
Etenim Caro et Sanguis Christi verus cibus et potu
est ad vitam aeternam; et Christus ipse, quatenus pr
nobis traditus et salvator noster est, illud praecipuum
Coenae est, nec patimur, quidquam aliud in locum eju
substitui.

Ut autem rectius et perspicacius intelligatur, qu
modo Caro et Sanguis Christi sint cibus et potus fide-
lium, percipianturque a fidelibus ad vitam aeternam
paucula haec adjiciemus. Manducatio non est unius ge-
neris. Est enim manducatio corporalis, qua cibus i
os percipitur ab homine, dentibus atteritur et in ven-
trem deglutitur. Hoc manducationis genere intellexerun
olim Capernaitae sibi manducandam carnem Domini, sed
refutantur ab ipso Johanne *(Cap. VI.)*. Nam ut Carc
Christi corporaliter manducari non potest, citra flagi-
tium aut truculentiam, ita non est cibus ventris. Id
quod omnes fateri coguntur. Improbamus Canonem
in Decretis itaque Pontificum. Neque enim credidit ve-
tustas pia, neque nos credimus, Corpus Christi mandu-
cari ore corporis corporaliter vel essentialiter.

Est et spiritualis manducatio Corporis Christi, non
ea quidem, qua existimemus cibum mutari in spiritum
sed qua, manente in sua essentia et proprietate Cor-
pore et Sanguine Domini, ea nobis communicantur spi-
ritualiter, utique non corporali modo, sed spirituali,
per Spiritum S., qui videlicet ea, quae per Carnem et
Sanguiuem Domini pro nobis in mortem tradita parata
sunt, ipsam, inquam, remissionem peccatorum, libera-
tionem et vitam aeternam, applicat et confert nobis,
ita ut Christus in nobis vivat et nos in ipso vivamus,
efficitque, ut ipsum, quo talis fit cibus et potus spiri-
tualis noster, id est, vita nostra, vera fide percipia-

mus. Sicut enim cibus et potus corporalis corpora nostra non tantum reficiunt ac roborant, sed et in vita conservant: ita et Caro Christi tradita pro nobis, et Sanguis ejus effusus pro nobis, non tantum reficiunt et roborant animas nostras, sed etiam in vita conservant, non quatenus quidem corporaliter eduntur et bibuntur, sed quatenus spiritualiter nobis a Spiritu Dei communicantur, dicente Domino: *Et panis, quem ego dabo, Caro mea est, quam dabo pro mundi vita.* Item: *Caro* (nimirum corporaliter manducata) *non prodest quidquam, spiritus est, qui vivificat,* Et: *verba, quae loquor vobis, Spiritus et vita sunt (Joh. VI,* 52. 63.*).* Et sicut oportet cibum in nosmetipsos edendo recipere, ut operetur in nobis, suamque in nobis efficaciam exserat, cum extra nos positus nihil nobis prosit: ita necesse est, nos fide Christum recipere, ut noster fiat, vivatque in nobis et nos in ipso. Dicit enim: *Ego sum panis vitae. Qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam.* Item: *qui ederit me, vivet et ipse propter me: ac manet in me et ego in ipso (Joh. VI,* 51. 57.*).*

Ex quibus omnibus claret, nos per spiritualem cibum minime intelligere imaginarium, nescio quem, cibum sed ipsum Domini Corpus pro nobis traditum; quod tamen percipiatur a fidelibus, non corporaliter, sed spiritualiter per fidem. In qua re sequimur per omnia doctrinam ipsius Salvatoris Christi Domini apud Joh. VI. Et hic esus Carnis et potus Sanguinis Domini ita est necessarius ad salutem, ut sine ipso nullus servari possit. Fit autem hic esus et potus spiritualis etiam extra Domini Coenam, et quoties, aut ubicunque homo in Christum crediderit. Quo fortassis illud Augustini pertinet: „Quid paras dentem et ventrem? crede, et manducasti."

Praeter superiorem manducationem spiritualem est et sacramentalis manducatio Corporis Domini, qua fidelis non tantum spiritualiter et interne participat vero Corpore et Sanguine Domini, sed foris etiam accedendo ad mensam Domini accipit visibile Corporis et Sanguinis Domini Sacramentum. Prius quidem, dum credidit fidelis, vivificum alimentum percepit, et ipso fruitur adhuc, sed ideo, dum nunc Sacramentum quoque accipit, non nihil accipit. Nam in continuatione communicationis Corporis et Sanguinis Domini pergit, adeoque magis magis-

que incenditur et crescit fides, ac spirituali alimonia reficitur. Dum enim vivimus, fides continuas habet accessiones. Et qui foris vera fide Sacramentum percipit, idem ille non signum duntaxat percipit, sed re ipsa quoque, ut diximus, fruitur. Praeterea idem ille institutioni et mandato Domini obedit, laetoque animo gratias pro redemptione sua totiusque generis humani agit, ac fidem mortis dominicae memoriam peragit, atque coram Ecclesia, cujus corporis membrum sit, attestatur; obsignatur item percipientibus Sacramentum, quod Corpus Domini non tantum in genere pro hominibus sit traditum, et Sanguis ejus effusus, sed peculiariter pro quovis fideli communicante, ejus cibus et potus sit ad vitam aeternam.

Ceterum qui nulla cum fide ad hanc sacram Domini Mensam accedit, Sacramento duntaxat communicat, et rem Sacramenti, unde est vita et salus, non percipit. Et tales indigne edunt de Mensa Domini. Qui autem indigne edunt de pane Domini et de poculo ejus bibunt, rei fiunt Corporis et Sanguinis Domini, et ad judicium sibi edunt et bibunt. Nam cum vera fide non accedant, mortem Christi contumelia adficiunt, et ideo damnationem sibi ipsis edunt et bibunt.

Ergo Corpus Domini et Sanguinem ejus cum Pane et Vino non ita conjungimus, ut panem ipsum dicamus esse Corpus Christi, nisi ratione sacramentali, aut sub pane corporaliter latitare Corpus Christi: ut etiam sub speciebus Panis adorari debeat, aut quicunque signum percipiat, idem et rem percipiat ipsam. Corpus Christi in coelis est ad dextram Patris. Sursum ergo elevanda sunt corda, et non defigenda in pane. Et tamen non est absens Ecclesiae suae celebranti Coenam Dominus. Sol absens a nobis in coelo, nihilominus efficaciter praesens est nobis: quanto magis sol justitiae Christus, corpore in coelis absens nobis, praesens est nobis, non corporaliter quidem, sed spiritualiter per vivificam operationem, et ut ipse se nobis praesentem futurum exposuit in ultima Coena *(Joh. XIV, 15. 16.)*. Unde consequens est, nos non habere Coenam sine Christo, interim tamen habere Coenam incruentam et mysticam, sicuti universa nuncupavit vetustas.

Admonemur praeterea celebratione Coenae domini-ae, ut memores simus, cujus corporis membra facti imus, et idcirco concordes simus cum omnibus fratri-ous, ut sancte vivamus, et non polluamus nos flagitiis t peregrinis religionibus, sed in vera fide in finem sque vitae perseverantes, studeamus excellere sancti-nonia vitae.

Decet ergo, ut accessuri ad Coenam, prius nos psos juxta praeceptum Apostoli probemus, imprimis uali simus fide praediti: an credamus, Christum ve-isse servandis peccatoribus, et ad poenitentiam vo-andis, et an quisque credat, se in horum esse numero, ui per Christum liberati servantur, et an mutare vitam ravam instituerit, ac vivere sancte, perseverareque, uxiliante Domino, in vera religione et in concordia um fratribus, dignasque Deo pro liberatione agere ratias, etc.

Ritum, modum vel formam Coenae illam existima-nus esse simplicissimam et praestantissimam, et quae roxime accedit ad primam Domini institutionem et apo-tolicam: quae videlicet constat annunciatione verbi Dei, recibus piis, ipsa actione dominica et repetitione ejus, nanducatione Corporis et potu Sanguinis Domini, me-noria item mortis dominicae salubri, et gratiarum actione ideli, nec non sancta consociatione in corporis eccle-iastici unionem. Improbamus itaque illos, qui alteram peciem, poculum, inquam, Domini, fidelibus subtraxe-unt. Graviter enim hi peccant contra institutionem Do-nini, dicentis: „*Bibite ex hoc omnes.*" Id quod ad pa-nem non ita expresse dixit.

*Missa*, qualis aliquando apud Veteres fuerit, tolera-bilis an intolerabilis, modo non disputamus; hoc autem ibere dicimus, Missam, quae hodie in usu est per uni-versam Romanam Ecclesiam, plurimas et justissimas quidem ob causas in Ecclesiis nostris esse abrogatam, quas sigillatim ob brevitatem nunc non commemoramus. Certe approbare non potuimus, quod ex actione salubri spectaculum inane est factum, quod item facta est me-ritoria, vel celebrata pro pretio, quodque in ea Sacer-dos dicitur conficere ipsum Domini Corpus, et hoc offerre realiter pro remissione peccatorum Vivorum et Mortuo-rum, adde et in honorem et celebrationem, vel memo-riam Sanctorum in coelis etc.

## CAPUT XXII.

### *De Coetibus sacris et ecclesiasticis.*

## CAPUT XXIII.

### *De Precibus Ecclesiae, Cantu et Horis Canonicis.*

Licet sane privatim precari quavis lingua, quam quis intelligat, sed publicae Preces in sacris coetibus vulgari lingua vel omnibus cognita fieri debent. Oratio fidelium omnis per solum Christi interventum soli Deo fundatur ex fide et charitate. Divos Coelites invocare, aut his uti pro intercessoribus, prohibet sacerdotium Christi Domini et vera religio. Orandum est autem pro Magistratu, pro Regibus aut omnibus in eminentia constitutis, pro Ministris Ecclesiae et omnibus necessitatibus Ecclesiarum. In calamitatibus vero et potissimum Ecclesiae absque intermissione et privatim et publice precandum est.

Sponte item precandum est, non coacte, neque pro ullo pretio. Neque decet orationem superstitiose adstrictam esse loco, quasi alibi non liceat, nisi in templo precari. Neque oportet Preces publicas, quoad formam et tempus, in omnibus Ecclesiis esse pares. Libertate enim sua utantur Ecclesiae quaelibet. Socrates in historia: „in omnibus, ubique religionibus, inquit, non poteris invenire duas Ecclesias, quae orando plene consentiant. Hujusmodi discrepantiae autores eos esse puto, qui singulis temporibus Ecclesiis praefuerunt. Si tamen sunt congruentes, maximopere commendandum id et aliis imitandum videtur."

Sed et modum esse decet, ut in re quavis, ita et in Precibus publicis, ne nimis sint prolixae et molestae. Cedant ergo potiores partes in coetibus sacris doctrinae evangelicae, caveaturque, ne nimis prolixis Precibus fatigetur in coetu populus, ut cum audienda est praedicatio Evangelii, vel exegredi ex coetu, vel hunc in universum solvi cupiant defatigati. Talibus in concione nimis videtur prolixum esse, quod alias succinctum est satis. Nam et Concionatores modum tenere decet.

Sic et Cantus in coetu sacro est moderandus, ubi is est in usu. Cantus, quem *Gregorianum* nuncupant, plurima habet absurda: unde rejectus est merito nostris et pluribus Ecclesiis. Si Ecclesiae sunt, quae Oratio-

nem fidelem legitimamque habent, Cantum autem nullum habent, condemnari non debent. Non enim canendi commoditatem omnes habent Ecclesiae. Ac certum ex testimoniis vetustatis, ut Cantus usum fuisse vetustissimum in orientalibus Ecclesiis, ita sero tandem receptum esse ab occidentalibus.

Horas canonicas, id est, preces ad certas in die horas compositas, a Papistis cantatas aut recitatas, nescivit vetustas: quod ex ipsis Horarum lectionibus et argumentis pluribus demontrari potest. Sed et absurda non pauca habent, ut nihil dicam aliud: proinde omittuntur recte ab Ecclesiis substituentibus in locum ipsarum res salutares Ecclesiae Dei universae.

## CAPUT XXIV.

### *De Feriis, Jejuniis, Ciborumque delectu.*

## CAPUT XXV.

### *De Catechesi, et Aègrotantium Consolatione vel Visitatione.*

Dominus veteri suo populo injunxit, maximam curam ut impenderent ab infantia recte instituendae juventuti, adeoque mandavit diserte in lege sua, ut erudirent, et Sacramentorum mysteria interpretarentur. Cum autem ex evangelicis et apostolicis Literis constet, Deum non minorem rationem habere novi sui populi pubis, cum palam testetur et dicat: *Sinite pueros venire ad me, talium enim est regnum coelorum (Marc. X, 14.)*, consultissime faciunt Ecclesiarum Pastores, qui juventutem mature et diligenter catechisant, prima fidei fundamenta facientes, ac rudimenta religionis nostrae fideliter docentes, explicando Decalogum mandatorum Dei, Symbolum item Apostolorum, Orationem quoque dominicam, et Sacramentorum rationem, cum aliis ejus generis primis principiis, et religionis nostrae capitibus praecipuis. Fidem vero et diligentiam hic suam in adducendis ad Catechismum liberis praestet Ecclesia, cupiens et gaudens, liberos suos recte institui.

Cum vero nunquam gravioribus tentationibus expositi sint homines, quam dum infirmitatibus exercentur aut aegrotant, morbis cum animi tum corporis fracti; nunquam sane convenit Pastores Ecclesiarum saluti suae gre-

gis invigilare accuratius, quam in hujusmodi morbis et infirmitatibus. Visitent ergo mature aegrotantes, vocentur item mature ab aegrotantibus, siquidem res ipsa postulaverit; consolentur autem illos, et in vera fide confirment, muniant denique contra perniciosas Satanae suggestiones: instituant item preces apud aegrotantem domesticas, ac si necesse sit precentur pro aegrotantis salute etiam in coetu publico, curentque, quo feliciter ex hoc seculo migret. Papisticam visitationem cum sua illa Unctione Extrema, diximus superius, nos non approbare, quod absurda habeat, et a Scriptura canonica non approbetur.

## CAPUT XXVI.

*De Sepultura fidelium, curaque pro Mortuis gerenda, de Purgatorio, et apparitione Spirituum.*

— Quod quidam tradunt de Igne purgatorio, fidei christianae: *credo remissionem peccatorum et vitam aeternam*, purgationique plenae per Christum, et Christi Domini hisce sententiis adversatur: *Amen, Amen dico vobis, qui sermonem meum audit, et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam, et in judicium non veniet, sed transivit a morte in vitam* (*Joh. V*, 24.). Item: *qui lotus est, non opus habet, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus, et vos mundi estis.* (*Joh. XIII*, 10.).

Jam quod traditur de Spiritibus vel Animabus Mortuorum apparentibus aliquando Viventibus, et petentibus ab eis officia, quibus liberentur; deputamus apparitiones eas inter ludibria, artes et deceptiones Diaboli, qui, ut potest se transfigurare in Angelum lucis, ita satagit fidem veram vel evertere, vel in dubium revocare. Dominus in V. T. vetuit veritatem sciscitari a Mortuis, et ullum cum spiritibus habere commericum. (*Deut. XVIII*, 10. 11.). Epuloni vero, poenis mancipato, sicut narrat veritas evangelica, negatur ad fratres suos reditus, pronunciante interim divino oraculo atque dicente: *Habent Mosen et Prophetas, audiant illos. Si Mosen et Prophetas, non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* (*Luc. XVI*, 31.).

## CAPUT XXVII.

### *De Ritibus et Cerimoniis et Mediis.*

— Quodsi in Ecclesiis dispares inveniuntur Ritus, nemo Ecclesias existimet ex eo esse dissidentes. Socrates „Impossibile fuerit“ inquit, „omnes Ecclesiarum, quae per civitates et regiones sunt, ritus conscribere. Nulla religio eosdem ritus custodit, etiamsi eamdem de illis doctrinam amplectitur. Etenim, qui ejusdem sunt fidei, de ritibus inter se dissentiunt.“ Haec ille. Et nos hodie ritus diversos in celebratione Coenae Domini et in aliis nonullis rebus habentes in nostris Ecclesiis in doctrina tamen et fide non dissidemus, neque unitas societasque Ecclesiarum nostrarum ea re disciuditur. Semper vero Ecclesiae in hujusmodi ritibus, sicut mediis, usae sunt libertate. Id quod nos hodie quoque facimus.

At cavendum interim monemus, ne inter media deputentur, ut quidam solent, Missam et usum imaginum in templo pro mediis reputare, quae revera non sunt media. *Indifferens* (dixit ad Augustinum Hieronymus) *illud est, quod nec bonum nec malum est, ut sive feceris sive non feceris, nec justitiam habeas nec injustitiam.* Proinde, cum ἀδιάφορα rapiuntur ad fidei confessionem, libera esse desinunt: sicuti Paulus ostendit, licitum esse carnibus vesci, si quis non submoneat, idolis esse litatas, alioqui fore illicitas, quod qui his vescitur jam vescendo, idololatriam approbare videatur (1 *Cor. VIII,* 10. *X,* 28. 32.).

## CAPUT XXVIII.

### *De Bonis Ecclesiae.*

## CAPUT XXIX.

### *De Coelibatu, Conjugio et Oeconomia.*

## CAPUT XXX.

### *De Magistratu.*

Magistratus omnis generis ab ipso Deo est institutus ad generis humani pacem ac tranquillitatem, ac ita, ut primum in mundo locum obtineat. Si hic sit adversarius Ecclesiae, et impedire et obturbare potest plurimum; si autem sit amicus, adeoque membrum Ecclesiae, utilissimum excellentissimumque membrum est Ecclesiae, quod

ei permultum prodesse, eam denique peroptime juvare potest.

Ejus officium praecipuum est, pacem et tranquillitatem publicam procurare et conservare. Quod sane nunquam fecerit felicius, quam cum fuerit vere timens Dei ac religiosus, qui videlicet ad exemplum sanctissimorum Regum Principumque populi Domini, veritatis praedicationem et fidem sinceram promoverit, mendacia et superstitionem omnem cum omni impietate et idololatria exciderit, Ecclesiamque Dei defenderit. Equidem docemus, religionis curam imprimis pertinere ad Magistratum sanctum.

Teneat ergo ipse in manibus verbum Dei, et ne huic contrarium doceatur, procuret, bonis item legibus ad verbum Dei compositis moderetur populum sibi a Deo creditum, eundemque in disciplina, officio, obedientiaque contineat. Judicia exerceat juste judicando, ne respiciat personam, aut munera accipiat; viduas, pupillos et adflictos asserat; injustos, impostores et violentos coërceat atque adeo et exscindat. *Neque enim frustra accepit a Deo gladium (Rom. XIII, 4.).* Stringat ergo hunc Dei gladium in omnes maleficos, seditiosos, latrones vel homicidas, oppressores, blasphemos, perjuros et in omnes eos, quos Deus punire ac etiam caedere jussit. Coërceat et Haereticos (qui vere Haeretici sunt) incorrigibiles, Dei majestatem blasphemare et Ecclesiam Dei conturbare, adeoque perdere non desinentes. Quod si necesse sit etiam bello populi conservare salutem, bellum in nomine Dei suscipiat, modo prius pacem modis omnibus quaesierit, nec aliter nisi bello suos servare possit. Et dum haec ex fide facit Magistratus, illis ipsis operibus, ut vere bonis, Deo inservit, ac benedictionem a Domino accipit.

Damnamus Anabaptistas, qui ut Christianum negant fungi posse officio Magistratus: ita etiam negant, quemquam a Magistratu juste occidi, aut Magistratum bellum gerere posse, aut juramenta Magistratui praestanda esse, etc.

Sicut enim Deus salutem populi sui operari vult per Magistratum, quem mundo veluti patrem dedit; ita subditi omnes, hoc Dei beneficium in Magistratu agnoscere jubentur. Honorent ergo et revereantur Magistratum, tamquam Dei ministrum: ament eum, faveant ei, et orent

ro illo, tanquam pro patre; obediant item omnibus ejus ıstis et aequis mandatis, denique pendant vectigalia tque tributa, et quae hujus generis debita sunt, fideliter tque libenter; et si salus publica patriave et justitia reuirat, et Magistratus ex necessitate bellum suscipiat, eponant etiam vitam et fundant sanguinem pro salute ublica Magistratusque, et quidem in Dei nomine, lienter, fortiter et alacriter. Qui enim Magistratui se pponit, iram Dei gravem in se provocat.

Damnamus itaque omnes Magistratus contemtores, reelles, reipublicae hostes et seditiosos nebulones, denique nnes, quotquot officia debita praestare, vel palam vel te renunt.

---

## C.

## ALLICARUM ECCLESIARUM CONFESSIO FIDEI CAROLO IX. REGI ANNO MDLXI. EXHIBITA.

I. Credimus et agnoscimus unicum Deum, qui sit ıica et simplex essentia spiritualis, aeterna, invisibilis, ımutabilis, infinita, incomprehensibilis, inenarrabilis, nnipotens, summe sapiens, bona, justa et misericors Deut. IV, 35. 39. et VI, 4. 1 Cor. VIII, 4. 6. Gen. I. h. IV, 24. Ex. III, 15. 16. Rom. I, 20. 1 Tim. I, 17. lal. III, 6. Rom. XI, 33. Jer. X, 6. Luc. I, 37. Rom. VI, 17. Matth. XIX, 17. Jer. XII, 1. Ex. XXXIV, 6.).

II. Hic unicus Deus talem se patefecit hominibus, imum in operum suorum tum creatione, tum conseritione et gubernatione; deinde multo clarius in Verbo o, quod quidem initio certis quibusdam Visis et Oralis Patribus patefecit, deinde vero iis libris perscribi luit, quos *Sacram Scripturam* vocamus (*Rom. I,* 19. *ebr. I. Exod. XXIV. Gen. XV.).*

V. Credimus, Verbum his libris comprehensum ab o Deo esse profectum, quo etiam uno, non autem minibus, nitatur ipsius auctoritas. Cumque haec sit nnis veritatis summa, complectens quicquid ad cultum ei et salutem nostram requiritur, neque hominibus, nee ipsis etiam Angelis fas esse dicimus, quicquam ei erbo adjicere vel detrahere, vel quicquam prorsus in

eo immutare. Ex hoc autem efficitur, neque antiquitatem, neque consuetudines, neque multitudinem, neque humanam sapientiam, neque judicia, neque edicta vel decreta ulla, neque Concilia, neque visiones, neque miracula, Scripturae illi Divinae opponere licere, sed potius omnia ad ejus regulam et praescriptum examinar et exigi oportere (2 *Tim. III*, 16. 2 *Petr. I*, 2. *Joh III*, 31. *et XV*, 11. *Act. XX*, 27. *et V*, 28. *Deut. IV*, 2 11. 32. *Gal. I*, 8. *Apoc. XXII*, 48. *Matth. XV*, 9.) Quamobrem etiam tria illa Symbola, nempe *Apostolicum*, *Nicaenum* et *Athanasianum*, idcirco approbamus quod sint illi Verbo Dei scripto consentanea

XVIII. Credimus, totam nostram justitiam positam esse in peccatorum nostrorum remissione, quae sit etiam ut testatur David, unica nostra felicitas. Itaque ceteras omnes rationes, quibus homines existimant se coram Deo posse justificari, plane repudiamus, omnique statutum et meritorum opinione abjecta, in sola J. Christi obedientia prorsus acquiescimus, quae quidem nobis imputatur, tum ut tegantur omnia nostra peccata, tum etiam ut gratiam coram Deo nanciscamur. Denique credimus non posse nos, si vel tantillum ab hoc fundamento declinemus, reperire ubi conquiescamus, sed potius inquietos semper fore, quoniam pacem cum Deo habere non possumus, donec certo nobis sit persuasum, nos in J. Christo diligi, quoniam in nobis ipsis omni odio digni sumus (*Ps. XXXII. Rom. IV*, 7. 2 *Cor. V*, 19. 2( *Act. IV*, 12. *Rom. V*, 19. 1 *Tim. II*, 5. 2 *Joh. II*, 1.)

XIX. Credimus, nos hac una ratione libertatem obtinere Dei invocandi, certa cum fiducia futurum, ut ses nobis Patrem demonstret. Nec enim ullus nobis ad Patrem aditus nisi hoc Mediatore, patet, atque, ut in ejus nomine exaudiamur, convenit, ut ab eo vitam nostram tanquam a capite nostro teneamus (*Rom. V*, 10. *et VII* 15. *Gal. IV*, 6. *Ephes. III*, 12.).

XX. Credimus, nos sola Fide fieri hujus justitia participes, sicut scriptum est, ipsum passum esse acquirendae nobis saluti, ut quicunque crediderit in eum non pereat. Hoc autem ideo fit, quod promissiones vitae nobis in ipso oblatae, tunc usui nostro applicantur, e nobis redduntur efficaces quum eas amplectimur, nihil ambigentes nobis obventura de quibus ore Dei certiores fimus. Itaque justitia, quam Fide obtinemus, pendet

gratuitis promissionibus, quibus nos a se diligi Deus declarat et testificatur (*Rom. III, 27. Gal. II, 16. et III, 24. Joh. III, 15. 16. Matth. XVII, 20. Rom. I, 17. et III, 24. 25.*).

XXI. Credimus, nos arcana S. Spiritus gratia donari Fidei lumine, quae sit gratuitum Dei donum, et iis unis proprium, quibus Deo libuit illud tribuere, ut non habeant fideles, de quo in seipsis glorientur, cum potius duplo sint obligatiores, quod ceteris praeferantur. Sed et illud credimus, Fidem electis dari, non ut semel tantum in rectam viam introducantur, quin potius, ut in ea ad extremum usque pergant, quia sicut a Deo initium est, ita etiam est complementum (*Eph. I, 18. et II, 8. 1 Thess. I, 5. 2 Petr. I, 3. 1 Cor. I, 8. Phil. I, 6. et II, 1.*).

XXII. Credimus, nos qui natura servi sumus peccati, hac eadem Fide intercedente in novam vitam regenerari. Recipimus autem per Fidem hanc sancte vivendi gratiam, dum promissionem illam evangelicam amplectimur, quod daturus sit nobis Dominus Spiritum S. Tantum abest igitur, ut bene et sancte vivendi studium Fides extinguat, ut etiam illud cieat et inflammet in nobis, unde bona opera necessario consequuntur. Ceterum quamvis Deus, ut nos plene servet, regeneret nos et ad sanctam vitam formet: tamen profitemur, bona opera, quae duce ipsius Spiritu edimus, non respici a Deo, ut per ea justificemur, aut filii Dei censeri mereamur, quoniam perpetua dubitatione, et trepidatione fluctuaremus, nisi satisfactione illa niteremur, per quam nos omni noxae Jesus Christus exemit (*Rom. VI. et VII. Col. II, 13. et III, 10. 1 Petr. I, 3. Gal. V, 6. Jac. II, 14. 1 Joh. II, 3. et III, 3. 18. Deut. XXX, 6. Joh. III, 5. Ps. XVI, 2. Rom. IV, 1. Tit. III, 3.*).

XXIII. Credimus, omnes *Legis* figuras adventu J. Christi sublatas esse, quamvis earum veritas et substantia nobis in eo constet, in quo sunt omnes impletae. Legis tamen doctrina et Prophetis nobis utendum est, tum ad vitam nostram formandam, tum ut eo magis in promissionibus evangelicis confirmemur (*Rom. X, 4. Gal. III. et IV. Col. II, 17. 1 Tim. III, 16. 2 Petr. I, 19.*).

XXIV. Credimus, quoniam J. Christus datus est nobis unicus advocatus, qui etiam praecipit, ut ad Patrem suo nomine confidentur accedamus, neque nobis

licet alia forma preces concipere, nisi ea, quam nobis Deus verbo suo dictavit: quicquid homines de mortuorum Sanctorum intercessione commenti sunt, nihil aliud esse quam fraudem et fallacias Satanae, ut homines a recta precandi forma abduceret. Repudiamus etiam quaecunque alia media excogitarunt homines, ut sese irae divinae eximant, utpote quae sacrificio et morti J. Christi tantumdem derogent, quantum illis tribuitur. Denique *Purgatorium* arbitramur figmentum esse ex eadem officina profectum, unde etiam manarunt Vota monastica, Peregrinationes, interdicta Matrimonii, et usus ciborum, ceremonialis certorum dierum observatio, Confessio auricularis, Indulgentiae, ceteraeque res omnes ejusmodi, quibus opinantur quidam se gratiam et salutem mereri. Ea vero omnia non tantum rejicimus, propter falsam meriti opinionem ipsis adjunctam, sed etiam quoniam sunt humana commenta et jugum ex hominum auctoritate conscientiis impositum (*1 Tim. II,* 5. 1 *Joh. II,* 1. *Joh. XVI,* 23. *Matth. VI,* 9. *Luc. XI,* 2. *Act. X,* 25 *sq. XIV,* 15. *Apoc. XIX,* 10. *Matth. XV,* 11. *Rom. XIV. Gal. IV,* 9. *Col. II,* 16. 1 *Tim. IV.*).

XXV. Credimus, quoniam non nisi per Evangelium fimus Christi compotes, oportere sacram et inviolabilem εὐταξίαν ejus auctoritate in Ecclesia sancitam conservari, ac proinde requiri in Ecclesia Pastores, quibus onus docendi Verbi et administrandorum Sacramentorum incumbat, quos etiam honore prosequi et reverenter audire oporteat, siquidem legitime vocati officio suo fungantur: minime id quidem quasi Deus ejusmodi adminiculis et subsidiis inferioribus egeat, sed idcirco potius, quoniam ita illi videtur nos hoc veluti fraeno adhibito regere. Itaque *Fanaticos* illos omnes detestamur, qui quantum in se est, sacrum Ministerium sive praedicationem Verbi et administrationem Sacramentorum abolita cupiunt (*Rom. I,* 16. *X,* 17. *Matth. XVIII,* 20. *Eph. IV,* 11. *Matth. X,* 40. *Joh. XIII,* 20. *Rom. V,* 5. 14.).

XXVI. Credimus igitur, nemini licere sese coetibus subducere et in seipso acquiescere, sed potius omnibus simul tuendam et conservandam esse Ecclesiae unitatem, sese communi institutioni et jugo Christi subjiciendo, ubicunque Deus veram illam disciplinam ecclesiasticam constituerit, etiamsi Magistratuum edicta reclament, a quo

ordine quicunque seipsos sejungunt, ordinationi Dei resistunt (*Ps. V. XLII. Eph. IV,* 11. *Hebr.* X, 25. *Act. IV,* 19. *V,* 29.).

XXVII. Credimus summo studio et prudentia discernendam esse *veram Ecclesiam*, cujus nomine nimium multi abutuntur. Itaque affirmamus ex Dei verbo, Ecclesiam esse fidelium coetum, qui in verbo Dei sequendo et pura religione colenda consentiunt, in qua etiam quotidie proficiunt, crescentes et confirmantes se mutuo in Dei timore, ut qui quotidiano progressu et profectu indigeant, quos etiam, quantumcunque promoveant, oporteat tamen assidue ad remissionem peccatorum confugere. Minime tamen inficiamur, quin fidelibus hypocritae et reprobi multi sunt permixti, sed quorum malitia Ecclesiae nomen delere non possit (*Jer. VII,* 4. *VIII,* 11. *Matth. III,* 9. *VII,* 22. *Eph. II,* 20. *IV,* 11. 1 *Tim. III,* 15. *Rom. III,* 24. *Matth. XIII,* 3. 2 *Tim. I,* 8.).

XXVIII. Itaque dum hoc ita esse credimus, simul etiam palam affirmamus; ubi verbum Dei non recipitur, nec ulla est professio obedientiae quae illi debetur, nec ullus Sacramentorum usus, ibi, proprie loquendo, non posse nos judicare ullam esse Ecclesiam. Papisticos igitur conventus damnamus, quod pura Dei veritas ab illis exulet, in quibus etiam Sacramenta fidei corrupta sunt, adulterata, falsificata, vel penitus etiam abolita, in quibus denique omnes superstitiones et idolomaniae vigent. Ac proinde arbitramur, omnes eos, qui sese ejusmodi actionibus adjungunt, et iis communicant, a Christi corpore seipsos separare. Quia tamen in Papatu exigua quaedam Ecclesiae vestigia, ac praesertim *Baptismi* substantia remansit, cujus etiam efficacia ab eo non dependet a quo administratur, fatemur illic Baptizatos, secundo Baptismo non egere, quamvis propter admixtas corruptiones nemo baptizandos illic infantes offerre possit, quin seipsum polluat (*Matth. X,* 14. *Joh. X,* 4. 1 *Cor. III,* 9. *et VI,* 14. *Matth. III,* 11. *et XXVIII,* 19. *Marc. I,* 8. *Act. I,* 5.).

XXIX. Credimus, veram Ecclesiam gubernari debere ea politia sive disciplina, quam Dominus noster J. Christus sancivit, ita videlicet, ut in ea sint *Pastores, Presbyteri* sive *Seniores,* et *Diaconi,* ut doctrinae puritas retineatur, vitia cohibeantur, pauperibus et reliquis calamitosis, prout opus est, consulatur, et sacri coetus

aedificandi tum parvis tum magnis habeantur (*Act. VI* 4. *Eph. IV,* 11. 1 *Tim. III,* 1. *Tit. I,* 5.).

XXX. Credimus, omnes veros Pastores, ubicunque locorum collocati fuerint, eadem et aequali inter se potestate esse praeditos sub unico illo Capite summoque et solo universali Episcopo, J. Christo: ac proinde nulli Ecclesiae licere sibi in aliam imperium aut dominationem vendicare (*Matth. XX,* 26. *et XVIII,* 2. 2 *Cor I,* 27. 1 *Petr. V,* 3.).

XXXI. Credimus, nulli fas esse, suapte auctoritate invadere Ecclesiae gubernacula, sed legitima electione quoad ejus fieri potest, et quamdiu Dominus ejus rei potestatem facit, praeeunte, adscisci unumquemque oportere. Addimus autem nominatim illam exceptionem, quoniam interdum, ut nostris etiam temporibus, interrupto Ecclesiae statu necesse fuit, nonnullos extra ordinem divinitus excitari, qui Ecclesiae collapsae ruinas instaurarent. Utcunque sit, tamen credimus, semper sequendam esse hanc normam, ut omnes Pastores, Seniores et Diaconi suae vocationis testimonium habeant (*Matth. XXVIII,* 10. 16. *Marc. XVI,* 15. *Joh. XV,* 16. *Act I,* 21. *Rom. X,* 15. *Tit. I,* 5. *Gal. I,* 15. 1 *Tim. III,* 7. 8.)

XXXII. Credimus, expedire, ut qui electi sunt Ecclesiae alicujus praefecti, inter se dispiciant, qua ratione totum corpus commode regi possit. Ita tamen ut ab eo, quod Dominus noster J. Christus instituit nusquam deflectant. Hoc autem non impedit, quominus quaedam singulis locis peculiaria sint instituta, prout commodum visum fuerit (*Act. XIV,* 23. *XV,* 6. 7 25. 28. 1 *Cor. XIV,* 40. 1 *Petr. V.*).

XXXIII. Excludimus autem humana omnia commenta, et leges omnes, quae cultus Dei praetextu, astringendis conscientiis invehuntur, et eas tantum admittimus, quae fovendae concordiae, et unicuique in obedientia debita retinendo subserviunt; qua in re sequendum nobis putamus, quod Dominus noster J. Christus de *Excommunicatione* statuit, quam quidem approbamus et una cum suis appendicibus necessariam esse arbitramur (*Rom. XVI,* 16.).

XXXVI. Affirmamus, *S. Coenam Domini*, alterum videlicet Sacramentum, esse nobis testimonium nostrae cum Domino nostro J. Christo unitionis, quoniam non est duntaxat mortuus semel et excitatus a mortuis pro

nobis, sed etiam vere nos pascit et nutrit carne sua et sanguine, ut unum cum ipso facti vitam cum ipso communem habeamus. Quamvis enim nunc sit in coelis, ibidem etiam mansurus, donec veniat mundum judicaturus; credimus tamen, eum arcana et incomprehensibili Spiritus sui virtute nos nutrire et vivificare sui corporis et sanguinis substantia per fidem apprehensa. Dicimus autem hoc *spiritualiter* fieri, non ut efficaciae et veritatis loco, imaginationem aut cogitationem supponamus: sed potius, quoniam hoc mysterium nostrae cum Christo coalitionis tam sublime est, ut omnes nostros sensus totumque adeo ordinem naturae superet; denique quoniam cum sit divinum ac caeleste, non nisi fide percipi et apprehendi potest.

XXXVII. Credimus — tam in Coena quam in Baptismo Deum nobis reipsa, id est, *vere* et *efficaciter* donare quicquid ibi sacramentaliter figurat, ac proinde cum signis conjungimus *veram possessionem ac fruitionem* ejus rei, quae ibi nobis offertur. Itaque affirmamus, eos qui ad S. Mensam Domini puram fidem tanquam vas quoddam afferunt, vere recipere quod ibi signa testificantur, nempe corpus et sanguinem J. Christi, non minus esse cibum ac potum animae, quam panis et vinum sunt corporis cibus *(Joh. VI,* 51. 1 *Cor. XI,* 24.*)*.

XXXVIII. Dicimus itaque elementum aquae, quantumvis caducum, nobis nihilominus vere testificari interiorem animi nostri ablutionem in sanguine J. Christi per S. Spiritus efficaciam *(Rom. VI,* 3. *Eph. V,* 26.*)*. Itemque panem illum et vinum illud, quod nobis in Coena datur, vere nobis fieri spirituale alimentum, quatenus videlicet velut oculis nostris spectandum praebent Carnem Christi nostrum cibum esse, et ejusdem Sanguinem nobis esse potum. Itaque Fanaticos illos omnes rejicimus, qui haec signa et symbola repudiant, cum Christus Dominus noster pronuntiarit: *Hoc est corpus meum;* et: *Hoc poculum est sanguis meus (Joh. VI,* 51. 1 *Cor. I,* 24. *et II,* 24.*)*.

XXXIX. Credimus, Deum velle mundum legibus et politia gubernari, ut aliqua sint fraena, quibus immoderatae mundi cupiditates coërceantur: ideoque constituisse Regna, Respublicas et reliquas Principatuum species, sive haereditario jure obveniant, sive minus: neque id duntaxat, sed etiam quicquid spectat ad statum justitiae, quam vocant, cujus auctor agnosci po-

stulat. Ideo etiam *gladium* in Magistratuum manus tradidit, reprimendis nimirum delictis, non modo contra secundam tabulam, sed etiam contra primam commissis. Oportet igitur propter illum hujus ordinis auctorem non tantum pati, ut ii dominentur, quos ille nobis praefecit, sed etiam honore et omni reverentia eos prosequi, tanquam ejus legatos ac ministros ad legitimum et sanctum munus obeundum ab ipso designatos *(Ex. XVIII*, 20. *Matth. XVII*, 24. *Rom. XIII*, 1. 1 *Pet. II*, 13. 1 *Tim. II*, 2.*)*.

XL. Affirmamus ergo, parendum esse legibus et statutis, solvenda tributa, et reliqua onera perferenda, subjectionis denique jugum voluntarie tolerandum, etiam si infideles fuerint Magistratus, dummodo Dei summum imperium integrum et illibatum maneat *(Matth. XVII*, 24. *Act. IV*, 17. *et V*, 29. *Ep. Judae v.* 8.*)*. Itaque detestamur omnes eos, qui dominationes repudiant, communitatem et confusionem bonorum invehunt, omnem denique juris rationem evertere moliuntur.

---

## D.

## ECCLESIAE ANGLICANAE ARTICULI TRIGINTA ET NOVEM.

### ART. I.

*De fide in sacro - sanctam Trinitatem.*

### ART. II.

*De Verbo, s. Filio Dei, qui verus homo factus est.*

### ART. III.

*De Descensu Christi ad inferos.*

### ART. IV.

*De Resurrectione Christi.*

### ART. V.

*De Spiritu Sancto.*

### ART. VI.

*De Divinis Scripturis, quod sufficiant ad salutem.*

Scriptura S. continet omnia, quae ad salutem sunt necessaria, ita ut quicquid in ea nec legitur, neque inde

probari potest, non sit a quoquam exigendum, ut tanquam articulus fidei credatur aut ad salutis necessitatem requiri putetur.

S. Scripturae nomine, eos *canonicos libros* V. et N. Testamenti intelligimus, de quorum auctoritate, in Ecclesia nunquam dubitatum est.

ART. VII.

*De V. Testamento.*

ART. VIII.

*De tribus Symbolis.*

ART. IX.

*De Peccato originis.*

*Peccatum originis* non est (ut fabulantur *Pelagiani*) in imitatione Adami situm, sed est vitium et depravatio naturae cujuslibet hominis ex Adamo naturaliter propagati: qua fit, ut ab originali justitia quam longissime distet, ad malum sua natura propendeat, et caro semper adversus spiritum concupiscat, unde in unoquoque nascentium iram Dei atque damnationem meretur. Manet etiam in renatis haec naturae depravatio. Qua fit, ut affectus carnis (Graece *φρόνημα σαρκὸς*, quod alii sapientiam, alii sensum, alii affectum, alii studium carnis interpretantur), legi Dei non subiiciatur. Et quanquam renatis et credentibus, nulla propter Christum est condemnatio, peccati tamen in sese rationem habere concupiscentiam fatetur Apostolus.

ART. X.

*De libero Arbitrio.*

Ea est hominis post lapsum Adami conditio, ut sese naturalibus suis viribus et bonis operibus ad fidem et invocationem Dei convertere ac praeparare non possit. Quare absque gratia Dei quae per Christum est nos praeveniente ut velimus, et cooperante dum volumus, ad pietatis opera facienda, quae Deo grata sunt et accepta nihil valemus.

ART. XI.

*De hominis Justificatione.*

Tantum propter meritum Domini ac Servatoris nostri J. Christi, per fidem, non propter opera et merita nostra.

justi coram Deo reputamur. Quare sola fide nos justificari doctrina est saluberrima, ac consolationis plenissima, ut in Homilia de Justificatione hominis fusius explicatur.

### ART. XII.

### *De bonis Operibus.*

Bona opera, quae sunt fructus fidei et justificatos sequuntur, quamquam peccata nostra expiare et divini judicii severitatem ferre non possunt, Deo tamen grata sunt et accepta in Christo, atque ex vera et viva fide necessario profluunt, ut plane ex illis aeque fides viva cognosci possit, atque arbor ex fructu judicari.

### ART. XIII.

### *De Operibus ante Justificationem.*

Opera, quae fiunt ante gratiam Christi et Spiritus ejus afflatum, cum ex fide Jesu Christi non prodeant, minime Deo grata sunt, neque gratiam (ut multi vocant) de congruo merentur. Imo cum non sint facta ut Deus illa fieri voluit et praecepit, peccati rationem habere non dubitamus.

### ART. XIV.

### *De Operibus supererogationis.*

Opera, quae *Supererogationis* appellant, non possunt sine arrogantia et impietate praedicari. Nam illis declarant homines, non tantum se Deo reddere quae tenentur, sed plus in ejus gratiam facere quam deberent, cum aperte Christus dicat: *Cum feceritis omnia, quaecunque praecepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus.*

### ART. XV.

### *De Christo, qui solus est sine peccato.*

Christus in nostrae naturae veritate per omnia similis factus est nobis, excepto peccato, a quo prorsus erat immunis, tum in carne, tum in spiritu. Venit ut agnus absque macula, qui mundi peccata per immolationem sui semel factam tolleret, *et peccatum* (ut in-

quit Johannes) *in eo non erat:* sed nos reliqui etiam baptizati, et in Christo regenerati, in multis tamen offendimus omnes. Et si dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.

### ART. XVI.

*De peccato post Baptismum.*

### ART. XVII.

*De Praedestinatione et Electione.*

Praedestinatio ad vitam est aeternum Dei poppositum, quo ante jacta mundi fundamenta suo consilio, nobis quidem occulto, constanter decrevit, eos, quos in Christo elegit ex hominum genere, a maledicto et exitio liberare, atque (ut vasa in honorem efficta) per Christum ad aeternam salutem adducere. Unde qui tam praeclaro Dei beneficio sunt donati, illi spiritu ejus, opportuno tempore operante, secundum propositum ejus vocantur, vocationi per gratiam parent, justificantur gratis, adoptantur in filios Dei, unigeniti ejus J. Christi imagini efficiuntur conformes, in bonis operibus sancte ambulant, et demum ex Dei misericordia pertingunt ad sempiternam felicitatem.

Quemadmodum Praedestinationis et Electionis nostrae in Christo pia consideratio dulcis, suavis et ineffabilis consolationis plena est vere piis, et his qui sentiunt in se vim Spiritus Christi, facta carnis et membra quae adhuc sunt super terram mortificantem, animumque ad coelestia et superna rapientem; tum quia fidem nostram de aeterna salute consequenda per Christum plurimum stabilit atque confirmat, tum quia amorem nostrum in Deum vehementer accendit; ita hominibus curiosis, carnalibus, et Spiritu Christi destitutis ob oculos perpetuo versari Praedestinationis Dei sententiam, perniciosissimum est praecipitium, unde illos Diabolus protrudit vel in desperationem, vel in aeque perniciosam impurissimae vitae securitatem. Deinde promissiones divinas sic amplecti oportet, ut nobis in Sacris Literis generaliter propositae sunt, et Dei voluntas in nostris actionibus ea sequenda est, quam in verbo Dei habemus diserte revelatam.

### ART. XVIII.

### *De speranda aeterna salute tantum in nomine Christi.*

Sunt et illi anathematizandi qui dicere audent, unumquemque in Lege aut Secta quam profitetur esse servandum, modo juxta illam et lumen naturae accurate vixerit, cum SS. Literae tantum J. Christi nomen praedicent, in quo salvos fieri homines oporteat.

### ART. XIX.

### *De Ecclesia.*

Ecclesia Christi visibilis est coetus fidelium, in quo verbum Dei purum praedicatur, et Sacramenta quoad ea, quae necessario exigantur, juxta Christi institutum recte administrantur. Sicut erravit Ecclesia *Hierosolymitana, Alexandrina* et *Antiochena;* ita et erravit Ecclesia *Romana,* non solum quoad Agenda et Ceremoniarum ritus, verum in his etiam quae credenda sunt.

### ART. XX.

### *De Ecclesiae auctoritate.*

Habet Ecclesia Ritus s. Ceremonias statuendi jus, et in fidei controversiis auctoritatem; quamvis Ecclesiae non licet quicquam instituere, quod verbo Dei scripto adversetur, nec unum Scripturae locum sic exponere potest, ut alteri contradicat. Quare licet Ecclesia sit divinorum librorum testis et conservatrix, attamen ut adversus eos nihil decernere, ita praeter illos nihil credendum de necessitate salutis debet obtrudere.

### ART. XXI.

### *De auctoritate Conciliorum generalium.*

Generalia Concilia sine jussu et voluntate Principum congregari non possunt; et ubi convenerint, quia ex hominibus constant, qui non omnes spiritu et verbo Dei reguntur et errare possunt, et interdum erraruut etiam in his, quae ad normam pietatis pertinent: ideoque quae ab illis constituuntur ut ad salutem necessaria, neque robur habent neque auctoritatem, nisi ostendi possint e SS. Literis esse desumpta.

### ART. XXII.
### *De Purgatorio.*

Doctrine Romanensium de Purgatorio, de Indulgentiis, de Veneratione et Adoratione tum Imaginum tum Reliquiarum, nec non de Invocatione Sanctornm, res est futilis, inaniter conficta, et nullis Scripturarum testimoniis innititur, imo verbo Dei contradicit.

### ART. XXIII.
### *De Vocatione Ministrorum.*

Non licet cuiquam sumere sibi munus publice praedicandi, aut administrandi Sacramenta in Ecclesia, nisi prius fuerit ad haec obeunda legitime vocatus et missus. Atque illos legitime vocatos et missos existimare debemus, qui per homines, quibus potestas vocandi Ministros atque mittendi in vineam Domini publice concessa est in Ecclesia, cooptati fuerint et adsciti in hoc opus.

### ART. XXIV.
### *De Precibus publicis dicendis in lingua vulgari.*

Lingua populo non intellecta publicas in Ecclesia preces peragere, aut Sacramenta administrare, verbo Dei et primitivae Ecclesiae consuetudini plane repugnat.

### ART. XXV.
### *De Sacramentis.*

Sacramenta a Christo instituta non tantum sunt notae professionis Christianorum, sed certa quaedam potius testimonia et efficacia signa gratiae atque bonae in nos voluntatis Dei, per quae invisibiliter ipse in nos operatur, nostramque fidem in se non solum excitat, verum etiam confirmat.

Duo a Christo Domino nostro in Evangelio instituta sunt Sacramenta, scilicet: *Baptismus* et *Coena Domini.*

Quinque illa vulgo nominata Sacramenta, scilicet: *Confirmatio*, *Poenitentia*, *Ordo*, *Matrimonium* et *Extrema Unctio*, pro Sacramentis evangelicis habenda non sunt, ut quae, partim a prava Apostolorum imitatione profluxerunt, partim vitae status sunt in Scripturis quidem probati, sed Sacramentorum eandem cum Baptismo

et Coena Domini rationem non habentes, ut quae signum aliquod visibile seu ceremoniam a Deo institutam non habeant.

Sacramenta non in hoc instituta sunt a Christo ut spectarentur aut circumferrentur, sed ut rite illis uteremur, et in his duntaxat, qui *digne* percipiunt salutarem habent effectum: qui vero indigne percipiunt, damnationem (ut inquit Paulus) sibi ipsis acquirunt.

### ART. XXVI.

### *De vi institutionum divinarum, quod eam non tollat malitia Ministrorum.*

Quamvis in Ecclesia visibili, bonis mali semper sunt admixti, atque interdum ministerio verbi et Sacramentorum administrationi praesint; tamen cum non suo sed Christi nomine agant, ejusque mandato et auctoritate ministrent, illorum ministerio uti licet cum in verbo Dei audiendo tum in Sacramentis percipiendis. Neque per illorum malitiam effectus institutorum Christi tollitur, aut gratia donorum Dei minuitur, quoad eos qui fide et rite sibi oblata percipiunt, quae propter institutionem Christi et promissionem efficia sunt, licet per malos administrentur.

Ad Ecclesiae tamen disciplinam pertinet, ut in malos Ministros inquiratur, accusenturque ab his, qui eorum flagitia noverint, atque tandem justo convicti judicio deponantur.

### ART. XXVII.

### *De Baptismo.*

Baptizmus non est tantum professionis signum ac discriminis nota, qua Christiani a Non-Christianis discernantur, sed etiam est signum regenerationis, per quod, tanquam per instrumentum, recte Baptismum suscipientes Ecclesiae inseruntur, promissiones de remissione peccatorum atque adoptione nostra in filios Dei per Spiritum S. visibiliter obsignantur, fides confirmatur, et vi divinae invocationis gratia augetur.

*Baptismus parvulorum* omnino in Ecclesia retinendus est, ut qui cum Christi institutione optime congruat.

ART. XXVIII.

*De Coena Domini.*

Coena Domini non est tantum signum mutuae benevolentiae Christianorum inter sese, verum potius est Sacramentum nostrae per mortem Christi redemptionis. Atque adeo rite, digne et cum fide sumentibus Panis, quem frangimus, est communicatio Corporis Christi: similiter Poculum benedictionis est communicatio Sanguinis Christi.

Panis et Vini *Transubstantiatio* in Eucharistia ex SS. Literis probari non potest, sed apertis Scripturae verbis ıdversatur, Sacramenti naturam evertit et multarum ›uperstitionum dedit occasionem.

Corpus Christi datur, accipitur et manducatur in ˀoena, tantum coelesti et spirituali ratione. Medium ıutem, quo Corpus Christi accipitur et manducatur in ˀoena, fides est.

Sacramentum Eucharistiae, ex institutione Christi non ervabatur, circumferebatur, elevabatur, nec adorabatur.

ART. XXIX.

*De manducatione Corporis Christi, et impios illud non manducare.*

Impii et fide viva destituti, licet carnaliter et viibiliter (ut *Augustinus* loquitur) Corporis et Sanguinis 'hristi Sacramentum dentibus premant, nullo tamen ıodo Christi participes efficiuntur, sed potius tantae :i Sacramentum s. Symbolum ad judicium sibi manucant et bibunt.

ART. XXX.

*De utraque specie.*

Calix Domini Laicis non est denegandus: utraque ıim pars dominici Sacramenti, ex Christi institutione praecepto, omnibus Christianis ex aequo adminirari debet.

ART. XXXI.

*De unica Christi oblatione in cruce perfecta.*

Oblatio Christi semel facta perfecta est redemptio, ]opitiatio et satisfactio pro omnibus peccatis totius ıındi, tam originalibus quam actualibus. Neque prae-

ter illam unicam est ulla alia pro peccatis expiatio; unde Missarum Sacrificia, quibus vulgo dicebatur Sacerdotem offerre Christum in remissionem poenae aut culpae pro vivis et defunctis, blasphema figmenta sunt et perniciosae imposturae.

### ART. XXXII.

### *De Conjugio Sacerdotum.*

Episcopis, Presbyteris et Diaconis nullo mandato divino praeceptum est, ut aut coelibatum voveant, aut a matrimonio abstineant. Licet igitur etiam illis, ut ceteris omnibus Christianis, ubi hoc ad pietatem magis facere judicaverint, pro suo arbitratu matrimonium contrahere.

### ART. XXXIII.

### *De Excommunicatis vitandis.*

Qui per publicam Ecclesiae denuntiationem rite ab unitate Ecclesiae praecisus est et excommunicatus, is ab universa fidelium multitudine (donec per poenitentiam publice reconciliatus fuerit arbitrio judicis competentis) habendus est tanquam Ethnicus et Publicanus.

### ART. XXXIV.

### *De Traditionibus ecclesiasticis.*

Traditiones atque Ceremonias easdem non omnino necessarium est esse ubique aut prorsus consimiles. Nam ut variae semper fuerunt, et mutari possunt pro regionum, temporum et morum diversitate, modo nihil contra verbum Dei instituatur.

Traditiones et Ceremonias ecclesiasticas, quae cum verbo Dei non pugnant et sunt auctoritate publica instituae atque probatae, quisquis privato consilio volens et data opera publice violaverit, is, ut qui peccat in publicum ordinem Ecclesiae, quique laedit auctoritatem Magistratus, et qui infirmorum fratrum conscientias vulnerat, publice, ut ceteri timeant, arguendus est.

Quaelibet Ecclesia particularis, s. nationalis, auctoritatem habet instituendi, mutandi aut abrogandi Ceremonias aut Ritus ecclesiasticos, humana tantum auctoritate institutos; modo omnia ad aedificationem fiant.

ART. XXXV.

*De Homiliis.*

Tomus secundus *Homiliarum* — continet piam et salutarem doctrinam et his temporibus necessariam, non minus, quam prior Tomus Homiliarum, quae editae sunt tempore *Edwardi VI.* Itaque eas in Ecclesiis per Ministros diligenter et clare, ut a populo intelligi possint, recitandas esse judicavimus.

ART. XXXVI.

*De Episcoporum et Ministrorum Consecratione.*

Libellus de Consecratione Archiepiscoporum et Episcoporum, et de Ordinatione Presbyterorum et Diaconorum, editus nuper temporibus *Edwardi VI.* et auctoritate Parlamenti illis ipsis temporibus confirmatus, omnia ad ejusmodi Consecrationem et Ordinationem necessaria continet, et nihil habet, quod ex se sit aut superstitiosum aut impium: itaque quicunque juxta ritus illius libri consecrati aut ordinati sunt, ab anno secundo praedicti regis Edwardi usque ad hoc tempus, aut in posterum juxta eosdem ritus consecrabuntur aut ordinabuntur, rite atque ordine atque legitime statuimus esse et fore consecratos et ordinatos.

ART. XXXVII.

*De civilibus Magistratibus.*

Regia Majestas in in hoc Angliae regno ac ceteris ejus dominiis summam habet potestatem, ad quam omnium statuum hujus regni, sive illi ecclesiastici sint sive civiles, in omnibus causis suprema gubernatio pertinet, et nulli externae jurisdictioni est subjecta, nec esse debet.

Cum Regiae Majestati summam gubernationem tribuimus, quibus titulis intelligimus animos quorundam calumniatorum offendi, non damus Regibus nostris aut Verbi Dei, aut Sacramentorum administrationem, quod etiam Injunctiones ab *Elisabetha* Regina nostra nuper editae apertissime testantur. Sed eam tantum praerogativam, quam in SS. Scripturis a Deo ipso omnibus piis Principibus videmus semper fuisse attributam: h. e., ut omnes status atque ordines fidei suae a Deo commissos, sive illis ecclesiastici sint sive civiles, in of-

ficio contineant, et contumaces ac delinquentes gladio civili coërceant.

Romanus Pontifex nullam habet jurisdictionem in hoc regno Angliae.

Leges regni possunt Christianos, propter capitalia et gravia crimina, morte punire. Christianis licet ex mandato Magistratus arma portare et justa bella administrare.

ART. XXXVIII.

*De illicita bonorum communicatione.*

Facultates et bona Christianorum non sunt communia, quoad jus et possessionem (ut quidam *Anabaptistae* falso jactant); debet tamen quisque de his quae possidet, pro facultatum ratione, pauperibus eleemosynas benigne distribuere.

ART. XXXIX.

*De Jurejurando.*

Quemadmodum Juramentum vanum et temerarium a Domina nostro J. Christo et Apostolo ejus Jacobo christianis hominibus interdictum esse fatemur: ita Christianorum religionem minime prohibere censemus, quin, jubente magistratu, causa fidei et caritatis jurare liceat, modo id fiat juxta Prophetae doctrinam in justitia, in judicio et veritate.

---

## E.

## CATECHESIS HEIDELBERGENSIS.

*De S. Domini Coena.*

Qu. 75. Qua ratione in Coena Domini admoneris et confirmaris, te unici illius Sacrificii Christi in cruce oblati, atque omnium ejus bonorum participem esse? — Quod Christus me atque omnes fideles de hoc fracto pane edere, et de poculo distributo bibere jussit in sui memoriam, additis his promissis: Primum, corpus suum non minus certo pro me in cruce oblatum ac fractum, sanguinem-

que suum pro me fusum esse; quam oculis cerno, panem Domini mihi frangi et poculum mihi communicari: deinde animam meam non minus certo ipsius corpore, quod pro nobis crucifixum, et sanguine, qui pro nobis fusus est, ad vitam aeternam ab ipso pasci; quam panem et vinum, symbola corporis et sanguinis Domini, e manu ministri accepta, ore corporis percipio (*Matth. XXVI,* 26. *XXVII,* 28. *Marc. XIV,* 22—24. *Luc. XXII,* 19. 20. 1 *Cor. X,* 16. 17. *XI,* 23—25. *XII,* 13.).

Qu. 76. Quid est crucifixum Corpus Christi edere, et fusum ejus Sanguinem bibere? — Est non tantum totam passionem et mortem Christi certa animi fiducia amplecti, ac per id remissionem peccatorum et vitam aeternam adipisci, sed etiam per Spiritum S., qui simul in Christo et in nobis habitat, ita sacrosancto ejus corpori magis ac magis uniri, ut quamvis ipse in coelo, nos vero in terra simus, nihilominus tamen caro simus de carne ejus, et os de ossibus ejus, atque omnia corporis membra ab una anima, sic nos uno eodemque Spiritu vivificemur et gubernemur (*Joh. VI,* 35. 40. 47. 48. 50 — 56. *Col. III,* 1. *Act III,* 21. 1 *Cor. XI,* 26. *Eph. V,* 30. *III,* 16. 1 *Cor. VI,* 15. 1 *Joh. III,* 24. *IV,* 13. *Joh. VI,* 57. *XV,* 1—6. *Eph. IV,* 15. 16.).

Qu. 77. Quo loco promisit Christus, se credentibus tam certo corpus et sanguinem suum sic edendum et bibendum daturum, quam fractum hunc panem edunt, et poculum hoc bibunt? — In institutione Coenae, cujus haec sunt verba: *Dominus noster J. Christus, ea nocte, qua proditus est, accepit panem, et gratiis actis, fregit ac dixit: accipite,* [*comedite*] *hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur: hoc facite in mei recordationem. Itidem et poculum postquam coenassent, dicens: hoc poculum est novum foedus per meum sanguinem: hoc facite, quotiescunque biberitis, in mei recordationem. Quotiescumque enim ederitis panem hunc et poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate donec venerit.* Haec promissio a Paulo repetitur, cum inquit: *Poculum gratiarum actionis, quo gratias agimus, nonne communio est sanguinis Christi? Panis, quem frangimus, nonne communio est corporis Christi? quoniam unus panis, unum corpus multi sumus. Nam omnes unius panis participes sumus* (1 *Cor.*

*XI*, 23—25. *Matth. XXVI*, 26—28. *Marc. XIV*, 22—24. *Luc. XXII*, 19. 20. 1 *Cor. X*, 16. 17.).

Qu. 78. Num ergo Panis et Vinum fiunt ipsum Corpus et Sanguis Christi? — Nequaquam; verum ut Aqua Baptismi in Sanguinem Christi non convertitur, nec est ipsa peccatorum ablutio, sed symbolum tantum et pignus earum rerum, quae nobis in Baptismo obsignantur; ita nec Panis Coenae dominicae est ipsum Corpus Christi, quamquam pro ratione Sacramentorum, et usitata Spiritui S. de his loquendi forma, Panis *Christi corpus* appellatur (*Matth. XXVI*, 29. *Eph. V*, 26. 1 *Cor. X*, 16. *XI*, 26. *Gen. XVII*, 10. 11. *Exod. XII*, 11. 13. *XIII*, 9. *Tit. III*, 5. 1 *Petr. III*, 21. 1 *Cor. X*, 4.).

Qu. 79. Cur ergo Christus Panem appellat suum Corpus, Calicem vero suum Sanguinem, seu Novum Foedus per suum Sanguinem; Paulus item Panem et Vinum communionem Corporis et Sanguinis Christi? — Christus non sine gravi causa sic loquitur: videlicet, non solum ut nos doceat, quemadmodum Panis et Vinum corporis vitam sustentant: sic etiam crucifixum suum corpus et effusum suum sanguinem, vere esse animae nostrae cibum ac potum, quo ad vitam aeternam nutriatur: verum multo magis, ut hoc visibili signo ac pignore nobis certum faciat, nos non minus vere corporis et sanguinis sui, per operationem Spiritus S., participes esse, quam sacra ista symbola in ejus memoriam ore corporis percipimus. Tum etiam, quod ejus passio et obedientia tam certo nostra sit, quam si ipsimet pro nostris peccatis poenas dedissemus, et Deo satisfecissemus (*Joh. VI*, 55. 1 *Cor. X*, 16.).

Qu. 80. Quid isterest inter Coenam Domini, et Missam papisticam? — Coena Domini nobis testatur, nos perfectam remissionem omnium nostrorum peccatorum habere, propter unicum illud Christi sacrificium, quod ipsemet semel in cruce peregit: tum etiam nos per Spiritum S. inseri Christo, qui jam secundum naturam suam humanam, tantum in coelis est ad dextram Patris, ibique vult a nobis adorari (*Hebr. X*, 10. 12. *VII*, 26. *IX*, 12. 25. *Joh. XIX*, 30. *Matth. XXVI*, 28. *Luc. XXII*, 19. 1 *Cor. X*, 13. 16. *VI*, 17 *Col. III*, 1. *Hebr. I*, 3. *VIII*, 1. *Matth. VI*, 21. *Joh.*

IV, 21. *XX,* 17. *Luc. XXIV.* 52. *Act. VII,* 55. *Col. III,* 1. *Phil. III,* 20. 1 *Thess. I,* 9.).

In Missa autem negatur, vivos et mortuos habere remissionem peccatorum propter unicam Christi passionem, nisi etiamnum quotidie Christus pro ipsis a Sacrificulis offeratur: tum etiam docetur, Christum corporaliter sub speciebus panis et vini esse, ideoque in illis adorandum esse. Atque ita ipsum Missae fundamentum, nihil aliud est, quam abnegatio unici illius sacrificii et passionis J. Christi, et execranda idololatria.

In Canone Missae et de Cons. distinct. 2.; Concil. Trid. §. 175. *Hebr. IX,* 26. *X,* 12. 14.

Qu. 81. Quibus accedendum est ad Mensam Domini? — Iis tantum qui vere dolent se suis peccatis Deum offendisse: confidunt autem sibi ea propter Chrisium remissa esse, et quas reliquas habent infirmitates, eas passione et morte illius obtectas esse, magisque ac magis desiderant in fide et integritate vitae proficere. Hypocritae autem et qui non vere resipiscunt damnationem sibi edunt et bibunt (1 *Cor. XI,* 28. *X,* 19—22.).

Qu. 82. Suntne illi etiam ad hanc Coenam mittendi, qui confessione et vita se infideles et impios esse declarant? — Nequaquam. Nam eo pacto foedus Dei profanatur et ira Dei in universum coetum concitatur. Quocirca Ecclesia, ex praescripto Christi et Apostolorum, clavibus regni coelorum utens, hos a Coena arcere decet, quoad resipuerint et mores mutaverint (1 *Cor. XI,* 30. 31. *Jes. I,* 11. 12. *LXVI,* 3. *Jer. VII,* 21. *Psal. L,* 15. 16.).

Qu. 83. Quid sunt Claves regni coelorum? — Praedicatio Evangelii et ecclesiastica disciplina: quibus coelum credentibus aperitur, infidelibus autem clauditur (*Matth. XVIII,* 18. *XVI,* 18. *Joh. XX,* 21.).

Qu. 84. Quo pacto aperitur et clauditur regnum coelorum praedicatione Evangelii? — Cum ex mandato Christi credentibus universis et singulis publice annunciatur, omnia peccata ipsis divinius propter meritum Christi condonari, quoties promissionem Evangelii vera fide amplectuntur: contra vero omnibus infidelibus et hypocritis denunciatur, tantisper

ipsis iram Dei et aeternam condemnationem incumber dum in suis sceleribus perseverant: secundum quc Evangelii testimonium, Deus tam in praesenti quam i futura vita judicaturus est (*Joh. XX*, 22. 23. *Matt. XI*, 18. 19.).

Qu. 86. Quo pacto clauditur et aperitu regnum coelorum per disciplinam ecclesi sticam? — Cum ex mandato Christi ii, qui nomin quidem sunt Christiani, verum doctrina aut vita se oster dunt a Christo alienos, postquam aliquoties fratern admoniti, ab erroribus aut flagitiis discedere nolunt Ecclesiae indicantur, aut iis qui ab Ecclesia ad ear rem sunt constituti: ac si ne horum quidem admonition pareant, ab iisdem interdictione Sacramentorum ex coet Ecclesiae, et ab ipso Deo ex regno Christi excludun tur: ac rursum, si emendationem profiteantur et reips declarent, tanquam Christi et Ecclesiae membra reci piuntur (*Matth. XVIII*, 15. 1 *Cor. V*, 4. 5. 2 *Thess III*, 14. 15. 2 *Joh. I*, 10. 11, 2 *Cor. II*, 6—8.).

---

## F.

## ROB. BARCLAII THESES DE DOCTRINA QUACKERORUM.

Thesis I. *De vero cognitionis fundamento.* Cum summa felicitas hominis posita sit in vera Dei cognition secundum *Joh. XVII.*, vera et genuina intelligentia recta originis et fundamenti cognitionis cognitu et credit omnino necessaria est.

Thesis II. *De interna et immediata revelatione* Cum nemo Patrem noverit nisi Filius et cuicunque vo luerit Filius ipsum retegere, et cum revelatio Filii sit i et per Spiritum; ideo testimonium Spiritus illud est, qu et hactenus revelata est et nunc revelatur, et solum modo revelari potest vera cognitio Dei, qui sicut Spiri tus sui motu hujus mundi Chaos ad praeclarum illum et mirabilem ordinem, quo initio fuit, reduxit hominem que animam vivam, qui eum gubernaret ibique regna ret, creavit; sic ejusdem Spiritus revelatione seipsum semper filiis hominum patefecit, Patriarchis nimirum Prophetis et Apostolis, quae revelationes Dei per Spi

ritum, s. externis vocibus et apparitionibus, s. somniis, s. internis objectivis in corde manifestationibus olim formale eorum fidei objectum fuere, et adhuc ita permanent, cum objectum fidei Sanctorum idem sit in omnibus seculis, licet sub diversis administrationibus exhibitum. Porro divinae revelationes internae, quas ad fundandam veram fidem absolute necessarias esse adstruimus, externo Scripturarum testimonio aut sanae rationi ut nec contradicunt, ita nec contradicere possunt. Non tamen inde sequitur, quod hae revelationes divinae ad externum Scripturarum testimonium, aut etiam ad rationem naturalem s. humanam, tanquam ad nobiliorem aut certiorem normam et amussim, examinari debeant. Nam divina revelatio et illuminatio interna est quiddam per se evidens, et clarum intellectum bene dispositum propria evidentia et claritate cogens ad assentiendum, atque insuperabiliter movens et flectens non minus, quam principia communia veritatum naturalium movent flectuntque animum ad assensum naturalem.

Thesis III. *De Scripturis.* A sanctis his revelationibus Spiritus Dei processerunt Scripturae veritatis, quae continent: 1) fidelem narrationem historicam actorum populi Dei in non paucis seculis, nec non singularia quaedam et adspectabilia divinae erga illos providentiae testimonia; 2) narrationem propheticam multarum rerum, quarum quaedam praeteritae quaedam adhuc futurae sunt; 3) amplum et copiosum de praecipuis christianae fidei doctrinis testimonium exhibitum in praeclaris quibusdam declarationibus, exhortationibus et sententiis, quae divini Spiritus afflatu variis temporibus quibusdam Ecclesiis et Ecclesiae Pastoribus secundum diversas, quae sese obtulerunt, occasiones dictae et scriptae sunt. Nihilominus, quoniam solummodo sunt declaratio fontis et non ipse fons, ideo non existimandae sunt principalis origo omnis veritatis et cognitionis, nec adaequata primaria regula fidei et morum, licet, cum dent verum et fidele testimonium primae originis, sint et possint existimari regula secundaria subordinata Spiritui, a quo quam habent excellentiam et certitudinem derivant. Nam sicut interno Spiritus testimonio earum certitudinem solummodo novimus, ipsae etiam testantur, Spiritum esse illum Rectorem Sanctis traditum, quo ducendi sunt in omnem veritatem. Itaque secundum Scripturas Spiritus est primus et principalis Ductor, et cum

ideo recipiamus, et credamus Scripturis, quod a Spiritu processerunt. Igitur etiam Spiritus magis originaliter et principaliter est regula secundum receptum illud in Scholis axioma: Propter quod unumquodque est tale, illud magis est tale.

Thesis IV. *De statu naturalis hominis in lapsu.* Tota posteritas Adamica s. gens humana, cum Judaei tum Ethnici, quoad primum Adam s. hominem terrestrem lapsa, degenerata et mortua est, deprivata sensu vel tactu interni hujus testimonii et seminis Dei, et subjecta est potentiae, naturae et semini Satanae, quod ille sevit in cordibus hominum, dum in naturali et corrupto statu permanent: unde fit, ut non solum dicta et facta, sed et omnes imaginationes eorum malae sint perpetuo in conspectu Dei, utpote a depravato hoc et maligno semine provenientes. Homo igitur, quatenus in hoc statu subsistit, nihil recte potest cognoscere, imo et cogitationes et conceptus ejus de Deo rebusque divinis, donec a pravo illo semine disjunctus divinoque lumini adjunctus sit, et ipsi et aliis omnibus omnino inutiles sunt. Hinc rejiciuntur errores Socinianorum et Pelagianorum, qui lumen naturale exaltant, nec non Pontificiorum et complurium Protestantium, qui affirmant, posse hominem, absque vera Dei gratia, esse Evangelii Ministrum et animabus prodesse. Non tamen hoc semen infantibus imputatur, nisi quando et actualiter sese peccando conjungunt. Nam ii sunt natura filii irae, qui ambulant secundum Principem aëris etc. *(Ephes. II.).*

Thesis V. *De universali Redemtione Christi, et salutifero nec non supernaturali lumine, unumquemque hominem illuminante.* Deus ex infinita sua bonitate, qui non delectatur morte improbi, sed ut omnes vivant et serventur, ita dilexit mundum, ut filium suum unigenitum, Lumen, dederit, ut quisquis credat in eum servetur; qui illuminavit omnem hominem venientem in mundum, et omnia vituperabilia manifestat, docetque omnem justitiam, temperantiam et pietatem. Atque hoc Lumen illucet cordibus omnium pro tempore in ordine ad salutem, et hoc est quod redarguit peccatum omnium individuorum, perfecturum omnium salutem, ni obstarent, nec minus est universale, quam semen peccati: ejus enim mortis beneficium est, qui pro omnibus mortem gustavit. Sicut enim in Adamo omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.

Thesis VI. Secundum quam hypothesin omnes objectiones contra mortis Christi universalitatem facile solvuntur; nec opus est recurrere ad ministerium Angelorum ceterosque prodigiosos illos modos, quibus ajunt Deum uti ad manifestandam doctrinam et historiam passionis Christi iis (in illis orbis angulis, ubi externa Evangelii praedicatio ignota est, habitantibus), qui prima et communi gratia bene usi sunt. Hinc etiam diserte sequitur, quod sicut ex antiquis Philosophis aliqui vitam aeternam consecuti sunt, ita et nunc possint quidam (quos nativitatis sors posuit in remotis mundi partibus, ubi historiae cognitio deest) participes fieri divini mysterii, si gratiam illam, cujus manifestatio datur unicuique ad utilitatem, recipiant; qua doctrina certissima recepta, nempe Evangelium et salutiferum Lumen et gratiam omnibus inesse, universalitas amoris et misericordiae divinae erga genus humanum (cum in morte Filii ejus dilecti Domini Jesu Christi, tum in manifestatione Lucis ejus in cordibus) stabilitur et confirmatur contra omnes objectiones denegantium. Christus igitur pro omnibus mortem gustavit, non solum pro generibus singulorum ut quidam garriunt, sed etiam pro singulis generum, cujus oblationis et victimae beneficium extenditur non solum ad eos, qui distinctam aeternam mortis passionisque ejus habent cognitionem, sicut ea in Scripturis declarata est, sed ad illos etiam, qui ab hujus cognitionis beneficio casu aliquo inevitabili necessario excluduntur: quam cognitionem libenter concedimus esse perutilem et consolabundam, sed non absolute necessariam illis, quibus ipse Deus eam impossibilem fecit; tales enim participes fiunt beneficii mysterii mortis ejus (licet historiae ignari), si sc. obtemperent semini et lumini ejus, illucenti cordibus suis, in quo lumine communio habetur cum Patre et Filio, ita ut ex impiis sancti fiant, et amatores potentiae illius, cujus internis et secretis viribus et contactibus se a malo ad bonum converti sentiunt, et doceri, quod sibi fieri non volunt alteri non facere, in quibus ipse Christus affirmat omnia includi. Sicut igitur falso et haeretice docuerunt, qui Christum pro omnibus mortuum esse denegarunt, ita nec satis abunde veritatem annuntiarunt, qui, affirmantes Christum pro omnibus mortuum esse, absolutam externae historiae cognitionis necessitatem addiderunt ad assequendum salutiferum ejus effectum. Inter quos

praecipue Remonstrantes Belgici fuerunt, et alii complures Redemtionis universalis affirmatores, eo quod non posuerunt salutis hujus extensionem et exhibitionem in divino illo et evangelico principio luminis et vitae, qua Christus illuminavit omnem hominem venientem in mundum, quod praeclare et perspicue exhibetur his Scripturis: *Gen. VI*, 3. *Deut. XXX*, 14. *Ps. L*, 1. *Iob XXVIII*, 28. *Joh. I*, 7. 8. 9. 16. *Rom. X*, 8. *Tit. II*, 11.

Thesis VII. *De Justificatione.* Quotquot non obstant hujus Lucis illuminationi, sed religiose eam recipiunt, fit in illis sanctus, purus et spiritualis partus, pietatem, justitiam, puritatem ceterosque praeclaros illos fructus Deo gratissimos producens, per quem sanctum partum, videl. Jesum Christum intus formatum, opera sua in nobis producentem, ut sanctificamur ita et justificamur in conspectu Dei secundum Apostoli verba: *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini Jesu et per Spiritum Dei nostri.* Ideo non fit nostris operibus nostra voluntate productis, nec item bonis operibus per se consideratis, sed per Christum fit, qui est donum et donator atque causa producens effectus in nobis, qui cum reconciliavit nos, dum adversarii fuimus, secundum sapientiam suam hoc modo nos salvat et justificat, sicut alibi idem Apostolus: *Ex misericordia sua salvavit nos per lavacrum regenerationis et revocationis Spiritus S.*

Thesis VIII. *De possibilitate non peccandi.* In quibus sancta haec et immaculata genitura plene producta est, corpus peccati et mortis crucifigitur et amovetur, cordaque eorum veritati subjecta evadunt et unita, ita ut nullis Diaboli suggestionibus pareant, et liberentur ab actuali peccato et legem Dei transgrediendo, eoque respectu perfecti fiunt; ista tamen perfectio semper incrementum admittit, remanetque semper aliqua ex parte possibilitas peccandi, ubi animus non diligentissime et observantissime ad Deum attendit.

Thesis IX. *De perseverantia et possibilitate amittendi gratiam.* Licet donum hoc et interna gratia sufficiens sit ad perficiendam salutem, illorum tamen, in quibus resistitur, et fieri potest et fit condemnatio, praeterea, in quorum cordibus nonnihil operata est, ad purificandos et sanctificandos illos ultra ad eorum per-

fectionem tendens, inobedientia ab illa regredi possunt et in concupiscentiam reverti, fidei naufragium facere, et post gustatum donum coeleste et participes factos Spiritus S. denuo prolabi; ejusmodi tamen incrementum in hac vita et in veritate stabilitas acquiri potest, a qua nulla datur apostasia.

Thesis X. *De Ministris et Pastoribus Ecclesiae.* Sicut dono hoc et gratia s. Lumine Dei omnis vera cognitio in rebus spiritualibus recipitur et revelatur, ita et illo, prout manifestatur et in intima cordis receptum est, per ejus vim et potentiam unusquisque verus Evangelii Minister constituitur, praeparatur et suppeditatur in opere Ministerii, et hoc movente, docente et trahente oportet Evangelistam, Pastorem christianum, duci et mandari in labore et ministerio suo evangelico, et quoad loca, ubi, quoad personas, quibus et quoad tempora, quando ministraturus est. Porro qui hujus habent autoritatem, possunt et debent Evangelium annuntiare, licet humanis mandatis carentes et humanae litteraturae ignari. E contra vero, qui hujus divini doni autoritate carent, quamquam eruditione et scientia praediti, et Ecclesiarum mandatis et hominum autoritate ut plurimum pollentes, impostores tantum et fraudatores, non veri Evangelii Ministri s. praedicatores habendi sunt. Praeterea qui sanctum et immaculatum donum acceperunt, uti et gratis acceperunt, ita et gratis distributuri sunt absque mercede vel pacto stipendio. Absit ut eo utantur, sicut arte ad lucrandam pecuniam. Si autem Dominus aliquem avocaverit a negotio s. arte sua, qua solitus est sibi et familiae comparare panem, licet ei secundum libertatem sibi in Domino concessam recipere temporalia, videl. quae ad victum et amictum pertinent, ab illis, quibus spiritualia communicavit, quae libere et ex animo data sunt.

Thesis XI. *De Cultu.* Omnis verus Cultus et Deo gratus oblatus est Spiritu suo movente interne ac immediate ducente, qui nec locis, nec temporibus, nec personis praescriptis limitatur. Nam licet semper nobis colendus sit, quod oporteat indesinenter timere coram illo, tamen quoad externam significationem in precibus, eloquiis aut praedicationibus, non licet ea perficere nostra voluntate ubi et quando nos volumus, sed ubi et quando eo ducimur motu et secretis inspirationibus Spi-

ritus Dei in cordibus nostris, quae Deus exaudit et acceptat, qui nunquam deest nos ad precandum movere quando expedit, cujus ille solus est Judex idoneus. Omnis ergo alius Cultus, eloquia, preces, praedicationes, quas propria voluntate suaque tempestivitate homines peragunt, quas et ordiri et finire ad libitum possunt, perficere vel non perficere ut ipsismet videtur, s. formae praescriptae sint, sicut Liturgiae etc., seu preces ex tempore per vim facultatemque naturalem conceptae, omnes ad unum sunt Cultus superstitiosus, graece ἐθελοθρησκεία, et idololatria abominabilis in conspectu Dei, quae nunc in die spiritualis resurrectionis ejus deneganda et rejicienda sunt, a quibus separare nos oportet, utcunque illi placuerit (qui temporibus ignorantiae connixit, habito respectu ad simplicitatem et integritatem quorundam, causa innocentis sui seminis hominum cordibus, quasi sub superstitionis illius massa sepulti) istis afflare, et suspiria aliqua sua suscitare et exaudire, idque quoad dies clarius illuxerit et exorietur.

Thesis XII. *De Baptismo.* Sicut unus est Deus et una fides, ita et unum Baptisma, non quo carnis sordes abjiciuntur, sed stipulatio bonae conscientiae apud Deum per resurrectionem Jesu Christi; et hoc Baptisma est quid sanctum et spirituale, sc. Baptisma Spiritus et ignis, per quod consepulti sumus Christo, ut a peccatis abluti et purgati novam vitam ambulemus, cujus Baptisma Johannis erat figura, quod pro tempore fuit et non ad perpetuum mandatum. Quoad Baptisma infantum mera traditio humana est, cujus nec exemplum nec praeceptum in universa Scriptura invenire est.

Thesis XIII. *De Communicatione et participatione Corporis et Sanguinis Christi.* Communio Corporis et Sanguinis Christi est quid spirituale et internum, h. e. participatio Carnis et Sanguinis Christi, quo homo interior quotidie nutritur in cordibus eorum, quibus Christus inhabitat, cujus rei fractio panis per Christum cum discipulis erat figura, qua aliquando in Ecclesia etiam utebantur illi, qui rem figuratam receperunt, imbecillium causa, sicut abstinere a rebus strangulatis et a sanguine, lavare invicem pedes, infirmos oleo ungere, quae omnia jussa sunt non minore autoritate et solennitate, quam priora illa duo; sed cum tantum fuerint umbrae meliorum, illis cessant, qui substantiam assecuti sunt.

Thesis XIV. *De potestate Magistratus civilis in rebus pure religiosis et ad conscientiam pertinentibus.* Quoniam Deus sibi assumsit dominium et potestatem conscientiae, qui unus potest eam recte instruere et gubernare, ideo nemini licet, quaecunque sit auctoritas s. principatus in hujus Orbis gubernaculo, aliorum conscientiam adurgere, et omnes caedes, exilia, proscriptiones, incarcerationes ceteraque id genus, quibus homines affliguntur propter solum conscientiae exercitium, vel diversam cum in cultu tum in rebus religiosis opinionem, proveniunt a Spiritu Cain trucidatoris, et contraria sunt veritati. Nemini tamen licet sub praetextu conscientiae, proximo vel in vita vel in bonis nocere, aut quicquid humanae societati et commercio incommodum est aut perniciosum perpetrare, in quo casu lex sit delinquenti, et jus cuique administretur, nulla habita personarum ratione.

Thesis XV. *De Salutationibus, Recreationibus idque genus aliis.* Cum omnis religio praecipue huc tendat, ut redimantur homines a Spiritu vano et hujus Seculi consortio, et introducantur ad interiorem cum Deo communionem, coram quo, si semper timemus, beati existimandi sumus; igitur vani et inanes ejus habitus et consuetudines et verbo et opere ab iis rejiciendae et derelinquendae sunt, qui ad hunc timorem accedunt, qualia sunt detectio capitis, suffraginationes, corporisque quam plures in salutationibus deflexiones, ceteraeque stultae et superstitiosae formalitates malo usu in nimis multis gentibus inveteratae, quae omnia homo in statu degenerato ad fovendam superbiam in vana hujus Seculi pompa et gloria commentus est, nec non inutiles ludi, frivolae recreationes et nugae, quae inventa sunt ad pretiosum tempus conterendum, quaeque animam divertunt a teste Dei in corde, et a sensu vivaci timoris ejus et ab evangelico Spiritu, quo debent Christiani caementari, qui ad sobrietatem, gravitatem et sincerum Dei timorem perducit, in quo dum ambulamus, benedictio Dei adest nobiscum in actionibus istis, quibus necessario versamur, dum ea quae ad exterioris hujus partis sustentationem spectant curamus.

## G.

# CATECHESIS RACOVIENSIS.

### I. *De Essentia Dei.*

Qu. 75. Christiani non solum Patrem, verum etiam Filium et Spiritum S. personas esse in una Deitate vulgo statuunt? — Non me clam est, sed graviter in eo errant, argumenta ejus rei afferentes e Scripturis male intellectis.

Qu. 76. Quaenam sunt argumenta, quibus eam rem probare nituntur? — Ea sunt praecipua: Primum, cum ajunt in Scripturis non solum Patrem, verum etiam Filium et Spiritum S. Deum vocari, et quoniam eaedem Scripturae asserunt, Deum esse unum tantum, hinc colligunt hos tres Deum illum unum esse.

Qu. 77. Qua ratione hoc argumentum dissolvi debet? — Prius de Filio, postea de Spiritu S. responsum feres.

Qu. 78. Quid autem de Filio respondebis? — Ea vox Deus duobus potissimum modis in Scripturis usurpatur. Prior est, cum designat illum, qui in coelis et in terra omnibus ita dominatur et praeest, ut neminem superiorem agnoscat: ita omnium auctor est et principium, ut a nemine dependeat; posterior modus est, cum eum denotat, qui potestatem aliquam sublimem ab uno illo Deo habet, aut Deitatis unius illius Dei aliqua ratione particeps est. Etenim in Scripturis propterea Deus ille unus Deus Deorum vocatur *(Psalm. L,* 1.). Atque ea quidem posteriore ratione Filius Dei vocatur Deus in quibusdam Scripturae locis.

Qu. 79. Qua ratione doces Filium Dei hac posteriore significatione in Scripturis vocari Deum? — Ex ipsius Filii Dei verbis. Si (inquit idem) eos vocavit Deos, ad quos Dei sermo factus est, et non potest solvi Scriptura; quem Deus sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quod dixerim: *Filius Dei sum (Joh. X,* 35. 36.*).* His verbis apertissime indicat Christus, hanc vocem, Deus, etiam iis in Scriptura attribui, qui uno illo Deo multo inferiores sunt. Tum etiam, quod nullam aliam ob caussam majorem se ipsum

Dei Filium ac proinde Deum asseruerit, nisi quod a Patre sanctificatus et in mundum missus fuerit.

Qu. 80. De Spiritu autem Sancto quid respondes? — Spiritus S. nusquam in Scripturis vocatur expresse Deus. Quia vero quibusdam locis ea attribuit ipsi Scriptura, quae Dei sunt; non eo facit, ac si ipse vel Deus sit vel persona divinitatis, sed longe aliam ob causam, quemadmodum suo loco audies.

Qu. 81. Quodnam est secundum ipsorum argumentum, quo tres illas Personas in una Deitate approbare nituntur? — Argumentum secundum sumunt ex iis locis, in quibus fit mentio Patris, Filii et Spiritus S.

Qu. 82. Quinam ii loci sunt? — Primus est, in quo Jesus mandat baptizari in nomen Patris et Filii et Spiritus S. (*Matth. XXVIII,* 19.). Secundus est, in quo Apostolus ad eum modum scribit (1 *Cor. XII,* 4. 5. 6.): *Discrimina donorum sunt, at idem Spiritus, et discrimina ministeriorum sunt, at idem Dominus, et discrimina operationum sunt, at idem est Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Et inferius ad eum modum loquitur (*v.* 11.): *Omnia autem haec operatur unus et idem Spiritus, distribuens unicuique, prout vult.* Tertius est apud Johannem, ubi legimus (1 *Joh. V,* 7.): *Tres sunt, qui testantur in coelo, Pater et Verbum et Spiritus S., et hi tres unum sunt.*

Qu. 83. Quid vero de his testimoniis sentiendum est? — Generatim ad ea respondeo, ea testimonia tantum docere, Patrem, Filium et Spiritum S. esse, quod nos non solum agnoscimus, verum etiam constanter asserimus; ita, ut ne Christianum quidem eum esse posse, qui id ignoret aut non credat, pronunciemus. Verum ea testimonia, quod controversum est, nempe Patrem, Filium et Spiritum S. esse tres Personas in una essentia divina, non demonstrare planum est.

Qu. 84. Attamen ex ejusmodi in locis citatis conjunctione istorum trium in operationibus divinis, tres esse Personas in una divina essentia videtur posse colligi? — Nullo pacto. Nam quod ad primum attinet, etiamsi Pater, Filius et Spiritus S. sint conjuncti in Baptismo, effici tamen non potest, eos personas esse in una essentia di-

vina. Nam in Scripturis minime novum est, in aliis rebus non minus quam Baptismus divinis Deo conjungi et personas et res, quae ad essentiam Dei nullo modo pertinent. De personis exemplum habes in libro Regum (*1 Sam. XII, 18.*): *Et timuit populus omnis Deum vehementer et Samuelem.* Et apud Mosem, ubi juxta hebraicam veritatem legitur (*Exod. XIV, 31.*): *Et timuit populus Jehovam, et credidit in Jehovah et in Mose servo ejus.* Deinde de rebus: *Commenda vos Deo et verbo gratiae ejus* (*Act. XX, 32.*); et alibi (*Ephes. VI, 10.*): *Confortamini in Domino et virtute roboris ejus.*

Qu. 85. Verum tamen ipsi statuunt, eum oportere prorsus esse Deum, in cujus nomen baptizamur? — Errant vehementer: nam legimus in Scripturis, Israëlitas baptizatos fuisse in Mosen et quosdam discipulos in Baptisma Johannis. Licet nec Moses Deus sit, nec Baptisma Johannis persona, nedum Deus (*1 Cor. X, 2. Act. XIX, 3.*).

Qu. 86. Verum longe aliud videtur: In nomen alicujus baptizari, aliud vero, in aliquem baptizari? — Nequaquam. Etenim ex vi idiotismi hebraici idem saepe in nomen alicujus facere, quod in aliquem facere significare notum est: ut ea in re ipsa cernere est. Etenim, quod in quibusdam locis legitur, fuisse baptizatos in nomine Christi, hoc idem legimus in aliis scriptum simpliciter, fuisse in Christum baptizatos.

Qu. 87. Ad secundum testimonium vere quid respondes? — Id, quod etiamsi divinae operationes attribuantur Deo, et illi Domino ac Spiritui S., hinc tamen effici non potest, hos tres unius esse essentiae. Imo hinc contrarium colligitur non obscure, eos nempe unius esse non posse essentiae, cum apertissime hic a Deo ille Dominus et Spiritus S. distinguantur, quem alium non esse, nisi Patrem Domini Jesu, evidenter superius docuimus. Quia vero hic cum Deo Domini et Spiritus S. fit mentio, ideo fit, quod Dominus sit ille, per quem Deus ista omnia operetur: et Spiritus itidem S., quod de ejusmodi rebus hic agatur, quae ad solos credentes pertinent, quas Deus non alia virtute sua, quam per Spiritum S. operetur et efficiat.

Qu. 88. Ad tertium quid respondes? — Primum, cum notum sit in graecis exemplaribus vetustio-

ibus ac in Syriaco, denique in latinis versionibus antiuioribus ea verba non haberi, quemadmodum praecipui nostris adversariis id ostendunt, ex iis nihil certi effici otest. Deinde, etiamsi in Scripturis haberentur, ex eis imen concludi non posset, tres Personas esse in una ivinitate. Nam is locus nulla alia de re agit, quam de stimonio ejusmodi, Jesum nempe esse Dei filium; hoc utem perhiberi posse etiam ab iis, qui personae non int, sequentia verba apud Johannem indicant: *Tres int, qui testantur supra terram, Spiritus, Aqua et Sanuis.* Quia vero ait unum esse, eos uno testimonio, non utem essentia, dici, in sequenti versiculo eadem prorus verba addita indicio sunt.

Qu. 89. E superiore oratione unam esse i Deitate personam perspicio; jam igitur ognoscere velim, qui hujus rei notitia ad alutem est admodum utilis? — Id facile conoscees, si, quam sit adversae partis perniciosa opinio, eprehenderis. Etenim ista opinio primum unius Dei fidem cile convellere et labefactare potest, idque dum unum eum modo fatetur, modo tres Personas, quarum unaquaeie Deus sit, praedicat. Secundo gloriam unius Dei, qui ntum Pater Christi est, obscurat, dum eam ad alium ii Pater non sit transfert. Tertio, viam salutis facile otest pariter subvertere, dum inter primam et secundam ilutis causam discrimen tollit, et, quis sit primus norae salutis auctor et quemadmodum eandem Deus per hristum et Spiritum S. operetur, recte agnoscere non ermittit. Denique alienis a religione christiana magno t ad eam amplectendam impedimento, dum ea, quae eritati divinae et rationi sanae adversa sunt, tradit; iibus omnibus incommodis vacat ea sententia, quae iam tantum Personam in divinis asserit.

### *De Persona Christi.*

Qu. 94. Quoniam ea per J. Christum pafacta esse dixisti, quae ad voluntatem Dei ectant, et ad eos proprie pertinent, qui tam illam immortalem assecuturi sunt, roitum te velim, ut mihi ea de J. Christo exonas, quae me scire oporteat? — Bene. Scienm itaque tibi est, quaedam ad essentiam J. Christi, aedam ad illius munus referri, quae te scire oportet.

58 *

Qu. 95. Quaenam ea sunt, quae ad personam ipsius referuntur? — Id solum, quod natura sit homo verus, quemadmodum ea de re crebro Scripturae S. testantur; inter alias (1 *Tim. II*, 5.): *Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus*; et (1 *Cor. XV*, 21.): *Quoniam per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum.* Qualem Deus olim per Prophetas promiserat, et qualem etiam testatur fidei Symbolum, quod vulgo Apostolicum vocant, quod nobiscum universi Christiani amplectuntur.

Qu. 96. Ergo Dominus Jesus est purus homo? — Nullo pacto. Etenim est conceptus e Spiritu S., natus ex Maria virgine, eoque ab ipsa conceptione et ortu Filius Dei est, ut ea de re *Luc. I*, 55. legimus, ubi Angelus Mariam ita alloquitur: *Spiritus S. superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod ex te nascetur Sanctum vocabitur Filius Dei.* Ut alias caussas non afferam, quas postmodum in J. Christi persona deprehendes, quae evidentissime ostendunt, Dominum Jesum pro puro homine reputari nullo modo posse.

Qu. 97. Dixeras paullo superius Dominum Jesum natura esse hominem, an idem habet naturam divinam? — Nequaquam: nam id non solum rationi sanae, verum etiam divinis literis repugnat.

Qu. 98. Cedo, qui ratione sanae repugnet? — Primo ad eum modum, quod duae substantiae proprietatibus adversae coire in unam personam nequeant, ut sunt, mortalem et immortalem esse; principium habere et principio carere; mutabilem et immutabilem existere. Deinde, quod duae naturae personam singulae constituentes in unam personam convenire itidem nequeant. Nam loco unius duas personas esse oporteret, atque ita duos Christos existere, quem unum esse et unam ipsius personam, omnes citra omnem controversiam agnoscunt.

Qu. 99. Cum vero illi ostendunt, Christum sic natura divina et humana constare, quemadmodum homo ex anima et corpore constet, quid illis respondendum? — Permagnum hic esse discrimen. Illi enim ajunt, duas naturas in Christo ita unitas esse, ut Christus sit Deus et homo: anima vero et corpus ad eum modum in homine

conjuncta sunt, ut nec anima nec corpus ipse homo sit. Nec enim anima nec corpus sigillatim personam constituunt. At ut natura divina per se constituit personam, ita humana per se constituat necesse est.

Qu. 100. Doce etiam, qui id repugnet Scripturae, Christum habere naturam divinam? — Primum ea ratione, quod Scriptura nobis unum tantum natura Deum proponit, quem superius demonstravimus esse Christi Patrem. Secundo eadem Scriptura testatur, J. Christum natura esse hominem, ut superius ostensum est: quo ipso naturam illi adimit divinam. Tertio, quod quicquid divinum Christus habeat Scriptura eum Patris dono habere aperte doceat. Denique cum eadem Scriptura apertissime ostendat, J. Christum omnia sua facta divina, non sibi nec alicui naturae divinae suae, sed Patri suo vendicare solitum fuisse, planum facit, eam divinam in Christo naturam prorsus otiosam ac sine omni caussa futuram fuisse (*Matth. XXVIII,* 18. *Phil. II,* 9. 1 *Cor. XV,* 27. *Joh. V,* 19. *X,* 25.).

Qu. 101. Atqui illi e Scripturis illam divinam in Christo naturam asserere conantur? — Conantur quidem variis modis, idque dum student aut e Scripturis quibusdam evincere quae in iis non habentur, aut dum ex iis quae in Scripturis habentur perperam ratiocinantur ac male rem suam conficiunt.

Qu. 102. Quae vero sunt illa, quae illi de Christo e Scripturis evincere laborant, quae illic non habentur? — Est illius, ut loquuntur, *praeaeternitas*, quam duplici Scripturarum genere approbare nituntur. Primum ejusmodi est, in quo praeaeternitatem hanc expressam putant; secundum, in quo licet expressa non sit, eam tamen colligi arbitrantur.

Qu. 103. Quaenam sunt testimonia Scripturae, quae videntur ipsis eam praeaeternitatem exprimere? — Sunt ea, in quibus Scriptura testatur de Christo, ipsum fuisse in principio, fuisse in coelo, fuisse ante Abrahamum (*Joh. I,* 1. *VI,* 62. *VIII,* 58.).

Qu. 104. Quid vero ad primum respondes? — In loco citato nihil habetur de ista praeaeternitate, cum hic principii mentio fiat, quod praeaeterni-

tati opponitur. Principii vero vox in Scriptura fere semper ad subjectam refertur materiam, ut videre est *Dan. VIII*, 1. *Joh. XV*, 27. *et XVI*, 4. *Act. XI*, 15. Cum igitur hic subjecta sit materia, Evangelium, cujus descriptionem suscepit Johannes, sine dubio per vocem hanc *principii*, principium Evangelii Johannis intellexit.

Qu. 105. Ad secundum autem quid respondes? — Neque hic ullam praeaeternitatis mentionem factam expresse. Nam hoc in loco Filium hominis, i. e. hominem in coelis fuisse testatur Scriptura, quem citra ullam controversiam praeaeternum non extitisse certum est.

Qu. 106. At vero quid ad tertium? — In hoc loco non solum non exprimitur praeaeternitas Christi, cum aliud sit ante Abrahamum fuisse, aliud praeaeternum. Verum ne hoc quidem expressum est, ipsum ante Mariam virginem fuisse. Etenim ea verba aliter legi posse (nimirum hac ratione: *Amen, Amen, dico vobis, priusquam Abraham fiat, ego sum*) apparet ex iis locis, apud eundem Evangelistam, ubi similis et eadem locutio graeca habetur *(Cap. XIII, 19.)*: *A modo dico vobis, priusquam fiat, ut, cum factum fuerit credatis* et *(Cap. XIV, 29.)*: *Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis.*

Qu. 107. Quae vero ejus sententia foret lectionis? — Admodum egregia. Etenim admonet Christus Judaeos, qui eum in sermone capere volebant, ut, dum tempus haberent, crederent ipsum esse mundi lucem, antequam divina gratia, quam Christus iis offerebat, ab iis tolleretur et ad gentes transferretur. Quod vero ea verba: *Ego sum*, sint ad eum modum supplenda, ac si ipse subjecisset iis *Ego sum lux mundi*, superius e principio ejus orationis v. 12. et hinc, quod Christus bis seipsum iisdem verbis *Ego sum*, lucem mundi vocaverit, v. 24 et 28. *patet.* Ea vero verba, *priusquam Abraham fiat*, id significare quod diximus, e notatione nominis Abraham deprehendi potest. Constat inter omnes, Arahamum notare Patrem multarum gentium. Cum vero Abraham non sit factus prius Abraham, quam Dei gratia in Christo manifestata in multas gentes redundaret, quippe quod Abrahamus unius tantum gentis antea pater fuerit, apparet sententiam horum verborum quam attulimus esse ipsissimam.

Qu. 108. Quae vero sunt testimonia Scripturae, in quibus putant non exprimi quidem praeaeternitatem Christi, ex iis tamen eam effici posse? — Ea quae videntur Dn. Jesu quasdam res attribuere ab aeterno, quasdam vero tempore certo et definito.

Qu. 109. Quaenam sunt testimonia, quae Domino Jesu ab aeterno res quasdam tribuere videntur? — Sunt ea, ex quibus conantur exstruere Christum ab aeterno ex essentia Patris genitum.

Qu. 110. E quibus vero locis exstruere conantur, Christum ab aeterno ex essentia Patris genitum? — Ex his potissimum *(Mich. V, 2.)*: *Et tu Bethlehem Ephrata, minima es in millibus Juda, ex te mihi egredietur Dux, qui pascet populum meum Israel, et egressiones ejus ab initio, et a diebus seculi.* Et *(Ps. II, 7.)*: *Tu es Filius meus, ego hodie genui te;* et *(Ps. XC, 10.)*, ubi secundum Vulgatam legitur: *Ex utero ante Luciferum genui te;* et *(Prov. VIII, 23.)*, ubi Sapientia ait de se: *Ab aeterno genita sum.*

Qu. 111. Qui vero ad haec testimonia respondendum est? — Antequam ad singula testimonia respondeam sciendum est, eam ex essentia Patris generationem esse impossibilem. Nam si Christus ex essentia Patris genitus fuisset, aut partem essentiae sumsisset aut totam. Essentiae partem sumere non potuit eo, quod sit impartibilis divina essentia; neque totam, cum sit una numero, ac proinde incommunicabilis.

Qu. 112. Qui tamen ad primum Scripturae testimonium respondendum est? — Id testimonium de generatione ex essentia Patris nihil prorsus habet, generationem vero praeaeternam nulla probat ratione. Hic enim mentio fit initii et dierum, quae in aeternitate locum non habent, et verba haec, quae in Vulgata leguntur „a diebus aeternitatis“ in hebraeo extant „a diebus seculi“. *Dies* vero *seculi* idem, quod *dies antiqui* notant, ut *Jes. LXIII, 9.* et *Malach. III, 4.* Sententia vero loci hujus est: Christum originem nativitatis suae ab ipso principio, et annis antiquis ducturum i. e. ab eo tempore, quo Deus in populo suo regem stabilivit, quod reipsa in Davide factum est, qui et Bethlehemita fuit et auctor stirpis et familiae Christi.

Qu. 113. Ad secundum vero quid? — Neque in eo de generatione ex essentia Patris, nec de generatione praeaeterna prorsus quidquam haberi. Etenim vox *hodie*, cum certum tempus designet, praeaeternitatem denotare non potest. Quod vero Deus eum genuerit, non evincit eum ex essentia ejus genitum. Id quod patet cx eo, quod haec eadem verba: *Ego hodie genui te;* primo sensu de Davide dicantur, quem constat, neque ab aeterno nec ex essentia genitum. Deinde, quod Paullus Ap. eadem verba ad approbandam resurrectionem Christi afferat *(Act. XIII,* 33.*)*, et Auctor ad *Ebraeos I,* 5. et *V,* 5. ad glorificationem Domini Jesu demonstrandam citet. Denique ex ea re, quod constet, Deum aliter quam ex essentia generare, dum e Deo genitos credentes Scriptura pronunciat, ut videre est *Joh. I,* 13. et 1 *Joh. III,* 9. et *Jac. I,* 18.

Qu. 114. Quid vero ad tertium? — Sciendum est in Vulgata et Graeca versione, eum locum male esse redditum. In Hebraeo enim aliter legitur, nempe: *ab utero ante auroram, tibi ros nativitatis tuae.* In quibus verbis vaticinatur David de multitudine populi christiani instar roris matutini multiplicandi.

Qu. 115. Ad quartum vero quid? — Ut rem melius accipias, scito eos ex hoc loco, ad eum modum argumentari: Sapientia Dei ab aeterno est genita, Christus est Dei sapientia, ergo est ab aeterno genitus *(*1 *Cor. I,* 24.*)*. Id argumentum firmum non esse hinc patet: primum, quod Salomon agat de sapientia simpliciter et absolute considerata, sine additione vocis Dei; Paullus vero non simpliciter et absolute, sed cum additione, nempe Dei; deinde Salomon agit de sapientia, quae neque est persona nec esse potest, ut e variis effectis quae huic sapientiae attribuit apparet, et hoc VII—IX Cap. ex quibus sunt ea: *Per me Reges regnant et Principes justa decernunt.* Et initio Cap. IX. introducit sapientiam omnes ad se invitantem et mittentem virgines suas; Paullus vero agit de sapientia, quae Persona est. Tertio verba haec quae sunt reddita: *ab aeterno*, in Hebraeo extant *a seculo.* Aliud vero esse ab aeterno, aliud a seculo, indicant loci *Jes. LXIV,* 4. *Jerem. II,* 20. *Luc. I,* 70. et alii permulti similes.

Qu. 116. Quaenam sunt ea loca Scripturae, quae videntur Christo quaedam tempore

certo et definito attribuere? — Ea sunt duplicia. Quorum alia nomina, alia facta respiciunt, quae Christo a Scriptura attribui opinantur.

Qu. 117. Quaenam sunt, quae Christi nomina respiciunt? — Ea, ubi illi arbitrantur Jesum a Scriptura vocari Jehovam, Dominum Exercituum, Deum verum, Solum herum, Deum magnum, Dominum Deum omnipotentem, Qui fuit, qui est, et qui venturus est; Deum, qui acquisivit proprio sanguine Ecclesiam; Deum, qui animam posuit pro nobis *(Jer. XXIII,* 6. *Zach. II,* 8. 1 *Joh. V,* 20. *Jud. v.* 4. *Tit. II,* 13. *Apoc. I,* 8. *IV,* 8. *Act. XX,* 28. 1 *Joh. III,* 16.*)*.

Qu. 118. Quid vero tu ad ea ordine respondes, ac ante omnia ad primum? — Primum, quod ex eo confici non possit necessario nomen Jehovae Christo attribui. Ea enim verba: *Et hoc est nomen ejus, quo vocabunt eum, Jehovah justitia nostra,* referri possunt ad Israëlem, de quo paullo superius eodem versu loquitur. *In diebus ejus servabitur Juda et Israël habitabit secure, et hoc est nomen ejus* etc. ut e loco simili perspici potest, apud eundem Prophetam, ubi ait: *In diebus ejus et in illo tempore faciam, ut existat Davidi surculus justitiae, et faciet judicium et justitiam in terra. In diebus illis servabitur Juda et Jerusalem habitabit secure, et hoc* (supple *nomen*) *quo vocabunt eum Jehovah justitia nostra.* Etenim in Hebraeo expresse legitur: *Vocabunt eam,* quam vocem posteriorem ad Jerusalem referri, prorsus est necesse, et hoc quidem loco Israëli, qui in priore loco positus est, respondet. Videtur igitur prorsus verisimile, quod in priore etiam loco haec verba: *Vocabunt eum,* ad Israëlem referantur. Ac licet concedamus, nomen Jehovae ad Christum posse referri, ex altero tamen testimonio apparet, asseri non posse, Jehovam simpliciter Christum vocari: neque ex eo nomine sequi, Christum reipsa esse Jehovam. Sive igitur de Christo sive de Israële postrema verba in testimonio Jeremiae accipiantur, sententia ipsorum est, tum Jehovam, unum Deum nostrum, nos justificaturum. Etenim illo tempore, cum Christus apparitarus esset, Deus id in Israële facturus erat.

Qu. 119. Ad secundum vero quid respondes? — Locum Zachariae ad eum modum citant: *Hoc dicit Dominus Exercituum: Post gloriam misit me ad*

*gentes, quae vos spoliarunt. Qui enim vos tanget, tanget pupillam oculi mei* etc. Quae ad Christum torquent, quod hic, ut arbitrantur, dicatur, Dominum Exercituum missum esse a Domino Exercituum. Verum ea hic non habentur. Quod hinc perspicuum est, quod ea verba: *Post gloriam misit me* etc. sunt ab alio prolata, nempe ab Angelo, qui cum Zacharia et alio Angelo colloquebatur, ut idem eodem capite paullo ante planum est, a v. 4. initio facto, ubi is Angelus loquens introducitur. Quod idem ea ex re videre est, quod ea quae citant verba: *Hoc dicit Dominus Exercituum*, in Hebraeo leguntur: *Sic dicit Dominus Exercituum*; item illa: *tangit pupillam oculi mei* leguntur: *pupillam oculi ejus*, quae non ad Dominum Exercituum, sed ad Legatum referri necesse est.

Qu. 120. Quid respondes ad tertium? — In hoc testimonio: *scimus Filium Dei venisse, et dedisse nobis sensum, ut agnoscamus illum verum Deum, et sumus in illo vero in Filio ejus J. Christo. Hic est verus Deus et vita aeterna;* haec verba: *Hic est verus Deus*, nego referri ad Dei Filium; non, quod negem Christum esse verum Deum, sed quod is locus ea de Christo accipi non admittat. Etenim hic agitur non solum de vero Deo, sed de illo uno vero Deo, ut articulus in Graeco additus indicat. Christus vero etsi Deus verus sit, non est tamen ille ex se unus Deus, qui per se et perfectissima ratione Deus est, cum is Deus tantum sit Pater. Nec vero quidquam juvat adversarios, qui propterea haec ad Christum referri volunt, quod verba: *Hic est verus Deus* etc. Christi mentio proxime antecesserit. Etenim pronomina relativa, ut hic et similia, non semper ad proxime antecedentia, verum saepenumero ad id de quo potissimum sermo est referuntur, ut patet ex locis *Act. VII*, 19. 20. et *X*, 6., et 2 *Joh. v.* 7. E quibus locis apparet, pronomen relativum hic non ad proxime praecedentes personas, sed ad remotiores referri.

Qu. 121. Ad quartum testimonium quid respondes? — Quartum testimonium sic habet: *Solum herum et Dominum J. Christum negantes.* E quo testimonio, cum in Graeco articulus unus duntaxat praefixus sit, id evincere conantur pro more graeci sermonis ad unam personam, ac proinde ad Christum ea verba debere referri. Verum tenendum est, eam apud Graecos

regulam non esse perpetuam; ubi vero locus ei non sit, id e rei circumstantia deprehendi. Non esse vero eam regulam perpetuam, testimonia ipsius Novi Foederis demonstrant, ut illud, ubi scriptum est: *Ejecit omnes vendentes et ementes (Matth. XXI, 12.)*, ubi in Graeco est unus tantum articulus, praefixus iis vocibus: *ementes et vendentes.* Quibus similia habes *Marc. II,* 15. *Luc. XIX,* 45. Ac praeterea locus *Eph. V,* 5. aperte indicat eam regulam non esse perpetuam.

Qu. 122. Ad quintum quid respondes? — Quintum testimonium est: *Exspectantes illam beatam spem et apparationem gloriae magni Dei et Servatoris nostri J. Christi.* Quo in loco epitheton *Magni Dei* ad Christum referri duabus rationibus evincere conantur. Prior est superius de articulo uno praefixa regula; posterior quod adventum non exspectemus Patris, sed Filii. Verum ad primum argumentum responsum habes in responsione ad quartum testimonium. Ad alterum respondeo, Paullum non dicere: *Exspectantes adventum magni Dei,* verum dicere: *exspectantes apparationem gloriae magni Dei.* Posse vero dici, gloriam Dei Patris illustratum iri, cum Christus ad judicium venerit, verba Christi ostendunt, cum ait: *Quod venturus sit in gloria,* i. e. *cum gloria Dei Patris sui (Matth. XVI,* 27. *Marc. VIII,* 28.*).* Praeterea quod est inconveniens, si dicatur Deus Pater venturus (prout illi e Vulgata citant), cum Filius ad mundum judicandum venerit? An Christus Dei Patris personam in judicio mundi, tanquam ejus, a quo munus judicandi accepit, non sustinebit?

Qu. 123. Quid ad sextum respondes? — Sextum testimonium est: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est.* Eum vero locum propterea ad Christum referunt, quod arbitrentur neminem venturum, nisi Christum. Is enim venturus est ad judicandum vivos et mortuos. Verum tenendum est, eam vocem quam illi reddidere: *Venturus est*, reddi aeque posse *futurus est.* Ut *Joh. XVI,* 13., ubi Dominus ait de Spiritu, quem Apostolis promittebat, quod illis esset futura annunciaturus, et *Actor. XVIII,* 21., ubi legimus diem festum futurum, in quibus locis duobus vox graeca est ἐρχόμενος. Deinde quis est, qui nesciat, cum prius dictum sit, qui erat, et qui est, et posterius hoc, quod additum est,

per futurum esse reddi debere, ut ubique de existentia ea oratio accipiatur, et non in prioribus duobus membris de existentia, in postremo de adventu. Nec est quisquam qui non animadvertat, hic describi aeternitatem Dei, quae tempus praeteritum, praesens et futurum comprehendit. Sed quod crassum errorem hunc detegit est, quod *Apoc. I*, 4. 5. legimus: *Gratia vobis et pax ab eo, qui est, et qui erat, et qui futurus est, et a septem Spiritibus, qui sunt ante faciem throni ejus, et a J. Christo, qui est testis fidelis.* E quo testimonio apparet, J. Christum ab eo, qui est, qui erat et qui futurus est, vel ut illi credunt venturus, esse longe alium.

Qu. 124. Quid ad septimum respondes? — Septimum est, quod ita legimus: *Attendite vobis ipsis et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit per proprium sanguinem.* Respondeo, nomen Dei hoc loco non referri ad Christum necessario, sed ad ipsum Deum Patrem referri posse, cujus Apostolus eum sanguinem, quem Christus fudit, sanguinem vocat, eo genere loquendi, et eam ob caussam, quo genere loquendi et quam ob caussam Propheta ait, *eum, qui tangit populum Dei, tangere pupillam oculi Dei ipsius.* Etenim summa quae est inter Deum Patrem et Christum conjunctio, etsi essentia sint prorsus diversi, in caussa est, cur Christi sanguis, sanguis ipsius Dei Patris dicatur: praesertim, si quis expendat, quatenus in est pro nobis fusus. Etenim Christus est *agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, unde sanguis in eum finem fusus, ipsius Dei sanguis jure vocari potest. Nec vero praetereundum est silentio, quod in editione syriaca loco *Dei* legatur *Christi.*

Qu. 125. Ad octavum vero? — Octavum ita habet: *In eo cognovimus charitatem Dei, quod is animam suam posuit pro nobis.* Primum igitur sic habeto: neque in graeca editione ulla (excepta Complutensi) nec in editione syriaca vocem *Deus* haberi. Verum etiamsi haec vox haberetur in omnibus exemplaribus, num idcirco ea vox *ille*, ad Deum erit referenda? Non certe; non solum ob eam caussam, quam paullo superius attulimus, in responsione ad testimonium tertium, quod verba ejusmodi non semper ad propinquiores personas referantur; verum etiam, quod ἐκεῖνος vocem graecam Johannes in hac Epistola, saepe ad eum refert, qui longe antea

nominatus fuerat, ut e *v.* 3. 5. 7. ejusdem Cap. in Graeco apparet, ubi inquit: *Et qui habet hanc spem in eo, sanctificat seipsum, sicut et ipse* (Christus nimirum), *sanctus est; Et nostis, quia ipse* (Christus nempe) *apparuit, ut peccata nostra tolleret.* Et, *Qui facit justitiam justus est, quemadmodum ipse* (Christus) *justus est.*

Qu. 126. Satisfecisti mihi quoad nomina J. Christi. Exponi mihi velim testimonia, quae facta et operationes respiciant, quas Adversarii Christo a Scriptura attribui opinantur? — Eä sunt, in quibus illi existimant a Scriptura eidem attribui, quod coelum et terram crearit: quod res omnes creatas conservet: quod eduxerit populum Israël ex Egypto; quod cum eo existens in deserto, eum deduxerit eique benefecerit: quod ab Jesaia gloria ipsius visa fuerit: quod incarnatus fuerit.

Qu. 127. Expone igitur mihi, quibus testimoniis approbare contendunt, Christum coelum et terram creasse? — Iis, ubi scriptum extat, quod *per eum omnia facta sint, et sine eo factum sit nihil, quod factum sit (Joh. I, 3.)*: Et iterum (*v.* 10.): *Mundus per ipsum factus est.* Et rursus, *quod in eo omnia sint condita et ea, quae in coelis, et ea, quae in terris, et visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates; omnia per ipsum et in ipsum creata sunt (Col. I, 16.). Et quod Deus per eum secula fecerit (Hebr. I, 2.).* Denique et ex eo: *Tu in principio Domine! terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes, ut vestimentum veterascent, et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur. Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient (Hebr. I, 10—12.).*

128. Qui vero ad primum testimonium respondes? — Primum non habetur in primo testimonio *creata* sunt, verum *facta* sunt; deinde ait Johannes, facta esse per eum, qui modus loquendi non eum, qui prima caussa sit alicujus rei, verum caussam secundam aut mediam exprimit. Denique vox *omnia* non pro omnibus prorsus rebus hic sumitur, sed ad subjectam materiam restringitur omnino. Quod frequentissimum est in literis divinis, praesertim N. T., cujus rei exemplum singulare extat *(2 Cor. V, 17.)*, in quo habetur sermo de re, huic de qua Johannes tractat admodum simili,

ubi dicitur, omnia nova facta esse, cum certum sit multa extare, quae nova facta non sint. Cum vero subjecta apud Johannem materia sit Evangelium, apparet, vocem *omnia* de iis omnibus, quae quoquo modo ad Evangelium pertineant, accipi debere.

Qu. 129. Cur vero addidit Johannes, quod sine ipso factum est nihil, quod factum est? — Addidit haec Johannes, ut eo melius illustraret illa superiora; *Omnia per ipsum facta sunt;* quae eam vim habere videntur, per solum Verbum vel Filium Dei omnia illa facta esse, licet ejus generis quaedam, et quidem magni momenti, non per ipsum, verum per Apostolos facta fuerint. Ut est vocatio gentium et legalium ceremoniarum abolitio. Licet enim haec originem ab ipsis sermonibus et operibus Domini Jesu traxerint, ad effectum tamen non sunt perducta per ipsum Christum, sed per ipsius Apostolos, non tamen sine ipso: Apostoli enim omnia nomine et auctoritate ipsius administrarunt, ut etiam ipse Dominus ait: *Sine me nihil facere potestis (Joh. XV, 1.).*

Qu. 130. Quid vero respondes ad secundum? — Primum, quod hic non scribat Johannes, mundum esse creatum, sed factum, deinde eodem loquendi modo utitur, qui mediam caussam designet: ait enim, mundum per eum factum. Denique haec vox *mundus*, quemadmodum et aliae quae prorsus idem in Scripturis valent, non solum coelum et terram denotant; verum praeter alias significationes vel genus humanum designat, ut locus praesens ostendit, ubi ait: *in mundo erat, et mundus eum non agnovit (Joh. I, 10.). Et mundus eum secutus est (Joh. XII, 19.).* Aut etiam futuram immortalitatem, ut apparet *(Hebr. I, 6.)*, ubi ait: *Et cum iterum introducit primogenitum in mundum, ait, et adorent eum omnes Angeli Dei.* Quod de futuro mundo accipi apparet e Cap. II, 5. ejusdem Epistolae, ubi ait: *Etenim non Angelis subjecit mundum futurum,* de quo loquimur. At nusquam de eo locutus fuerat, nisi I, 6. Praeterea habes locum Cap. X, 5., ubi de Christo loquens ait; *Propterea ingrediens in mundum ait: Hostiam et oblationem noluisti, verum corpus aptasti mihi*, ubi cum palam sit, eum loqui de mundo, in quem ingressus Jesus, Sacerdos noster factus est (ut circumstantiae omnes demonstrant), apparet non de praesenti, sed de futuro mundo agi, quandoquidem VIII, 4. de Christo dixerat: *Si in terris esset, ne Sacerdos quidem esset.*

Qu. 131. Quid vero per haec: Mundus per :um factus est, intelligis? — Duplex eorum ensus dari potest: Prior, quod genus humanum per ]hristum reformatum et quasi denuo factum sit, eo quod lle generi humano, quod perierat et aeternae morti subectum erat, vitam attulit, eamque sempiternam (quod :tiam mundo Johannes exprobat, qui per Christum ab ineritu vindicatus, eum non agnoverit sed spreverit et reecerit). Is enim mos hebraici sermonis, quod in ejusnodi loquendi modis verba *facere*, *creare*, idem vaeant, quod *denuo facere* et *denuo creare*; idque proptea, quod verbis, quae composita vocant, ea lingua caeat. Posterior vero sensus est: Quod illa immortalitas, quam exspectamus per Christum, quantum ad nos, facta it. Quemadmodum eadem futurum seculum, habita raione nostri, vocatur, licet jam Christo et Angelis sit raesens.

Qu. 132. Quid ad tertium? — Praeter id, quod :t hoc testimonium loquatur de Christo, tanquam media :t secunda caussa, verbum *creata sunt*, non solum de etere sed etiam de nova creatione in Scriptura usurpari onstat, cujus rei exempla habes *(Eph. II*, 10.*)*: *Ipsius actura sumus, creati in Christo Jesu, in operibus bonis.* :t paullo inferius *(v.* 15.*)*. *Ut duos condat in semetipso n unum novum hominem;* et *Jac. I*, 18. *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod ejus reaturae.* Praeterea ea verba, *omnia in coelis et in erra*, non usurpari pro omnibus prorsus, apparet non olum ex verbis paullo inferius subjectis *(v.* 20.*)* ubi Apostolus ait, quod per eum reconciliata sint omnia in oelis et in terra; verum etiam ex iis ipsis verbis, in quibus Apostolus non ait coelum et terram creata esse; erum ea omnia, quae in coelis et in terra sunt.

Qu. 133. Qui vero istud testimonium intelligis? — Ad eum modum, quod per Christum omnia, quae sunt in coelis et in terra, postquam eum Deus a mortuis excitavit, reformata sint, et in alium staum et conditionem translata: id vero, cum Deus et Angelis et hominibus Christum Caput dederit, qui antea tanum Deum solum pro Domino agnoverunt.

Qu. 134. Qui respondes ad quartum testimonium? — Eo pacto, quod hic palam scriptum sit, non Christum fecisse, sed Deum per Christum fecisse

secula. Vocem vero *secula*, non solum praesentia et prae terita, verum etiam futura significare posse, in confess est. Hic vero de futuris agi id demonstrat, quod idem auctor affirmet, per eum quem haeredem universorum constituerit Deus etiam secula esse condita. Nam Jesu Nazarenus non prius constitutus haeres universorum fuit quam eum Deus ex mortuis excitavit. Quod hinc patet quod tum demum omnis potestas in coelo et in terr eidem data a Patre fuerit, cujus potestatis donatione, e non alia re, ista universorum haereditas continetur.

Qu. 135. Ad quintum quid respondes? — Ad id testimonium id respondeo: Quod non de Christo verum de Deo accipiendum sit. Quia vero idem Scripto illud ad Filium Dei referat, expendendum est, sermonem in testimonio non de una re, sed duabus potissimum ha beri expresse. Una est coeli et terrae creatio, altera rerum creatarum abolitio. Quod vero is Auctor priorem ad Christum non referat, hinc perspicuum est, quod in eo Cap. praestantiam Christi demonstrare sibi proposuerit non eam, quam a seipso habeat, verum eam, quam he reditavit, et qua praestantior Angelis effectus sit, ut e *v.* 4. cuivis planum est. Cujus generis praestantia crea tio coeli et terrae cum non sit nec esse possit, apparet manifeste, non in eum finem testimonium ab eo Scriptore allatum, ut Christum creasse coelum et terram probaret Cum igitur prior ad Christum referri nequeat, apparet posteriorem tantum ad eam referendam esse: id vero propterea, quod Deus coelum et terram per eum abolitu rus sit, tum cum judicium extremum per eum est exe cuturus. Quo quidem tantopere praestantia Christi prae Angelis conspicua futura est, ut ipsi Angeli sint ei ipsa in re ministraturi. Quae posterior oratio, cum sine ver bis superioribus, in quibus fit coeli terraeque mentio, in telligi non potuerit, cum sit cum eis per vocem *ipsi* con juncta, et eadem illa verba priora idem Auctor commemo rare necesse habuit. Nam si alii Scriptores SS. ad eum modum citant testimonia Scripturae nulla adacti necessitate, multo magis huic necessitate compulso id fa ciendum fuit.

Qu. 136. Ubi vero Scriptores SS. id fece runt? — Inter alia multa testimonia habes *Matth. XII,* 18 — 21., ubi nimis apertum est, versiculum 19. tantum ad propositum Evangelistae Matthaei pertinere, cum id

voluerit probare, cur Christus, ne palam fieret, interdiceret. Deinde *Act. II.* 17—21., ubi etiam tantum *v.* 17 et 18. ad propositum Petri Apostoli facit: quod quidem est, ut Spiritum S. esse effusum supra discipulos doceat; et ib. *v.* 25—28., ubi palam est, versum tantum 27. ad propositum facere. Quandoquidem id approbet Apostolus, Christum a morte detineri fuisse impossibile. Denique in hoc ipso Capite, *v.* 9., ubi verba haec: *Dilexisti justitiam et odio habuisti iniquitatem*, apparet nihil pertinere ad rem, quam probat Apostolus, quae est, Christum praestantiorem factum Angelis.

Qu. 137. Quo vero testimonio docere volunt, Christum conservare omnes res creatas? — Ex eo, ubi scriptum extat: *Christum portare omnia verbo virtutis suae (Hebr. I, 3.).*

Qu. 138. Quid vero ad id respondes? — Id, hic verbum *omnia* non minus, ut in pluribus locis aliis, non omnia in universum, sine ulla exceptione, designare; verum ad ea tantum, quae ad Christi regnum pertineant, referri, de quibus vere dici potest, Dominum Jesum omnia verbo virtutis suae portare, conservare. Quod vero vox *omnia* hoc loco ad ea duntaxat referatur, ex ipsa materia subjecta satis apparet. Praeterea verbum, quo hic utitur Scriptor, *portare* magis gubernandi vel administrandi rationem quam conservandi significat, quemadmodum illa quae annexa sunt, *verbo virtutis suae*, innuere videntur.

Qu. 139. Quo vero testimonio eum eduxisse populum ex Aegypto docent? — Ex *Ep. Jud.* 5. *Jesus populum de terra Aegypti salvans, secundo eos, qui non crediderunt, perdidit.*

Qu. 140. Tu vero quid respondes? — Hanc vocem *Jesus* in nullo graeco exemplari prorsus haberi, verum loco illius passim legi vocem *Dominus.* Quare id testimonium nullo modo probat id, quod sibi adversarii proposuerunt.

Qu. 141. Id vero, quod cum Israëlitis in deserto fuerit, eum duxerit, ei benefecerit, unde probant? — Ex hoc Pauli testimonio 1 *Cor.* X, 4.: *Et omnes eundem potum spiritualem biberunt. Biberunt autem ex spirituali eos consequente petra: Petra autem erat Christus.* Et ex eo, quod inferius paullo Apostolus ait *(v. 9.)*: *Neque tentemus Christum, quemadmodum alii tentaverunt et a serpentibus perierunt.*

59

Qu. 142. Qui vero ad ea respondendum est? — Quod ad primum attinet, nullo modo Apostolus ait Christum in deserto fuisse cum populo Israëlis et ei benefecisse. Licet enim scribat, illam petram, e qua bibit populus Israël, fuisse Christum, nulla ratione tamen asserit, Christum illic revera fuisse. Id vero propterea, quod ea verba Paulli figurate possint accipi. Quod vero eam petram vocet spiritualem, adversam partem nihil juvat, cum ea petra potuerit appellari *spiritualis*, licet fuerit materialis, propter eandem caussam, propter quam et ille cibus spiritualis appellatus fuit, quod in se quiddam mysticum contineret. Quemadmodum et in *Apoc. II*, 8. Johannes ait, urbem illam magnam, in qua Dominus noster crucifixus est, vocari spiritualiter Sodomam et Aegyptum. Quod vero ait, quod illa petra eos sit secuta, accipi debet de aqua, quae e petra fluxit et populum secuta fuit per desertum, quod antea fluente aqua, aut certe ad bibendum idonea, caruit, qua de re illud extat apud Jesaiam, ubi Dominus ait: *Glorificabit me agri bestia, Dracones et Struthiocameli: etenim dedi eis aquas in deserto, fluvios in locis inviis, ad potandum electum populum meum (Jes. XLIII,* 20.*)*. Quod vero ad secundum testimonium spectat; *ne tentemus Christum, sicut quidam tentaverunt*, ex iis etiam verbis doceri non potest, Apostolum affirmare, Christum in deserto tentatum revera fuisse. Ut e simili ratione, si quis ita diceret, deprehendi potest: Ne sitis refractarii magistratui, quemadmodum quidam nostrorum majorum fuerunt; non illico concluderes eundem numero magistratum utrobique designari. Quodsi reperiuntur in Scripturis ejusmodi loquendi modi, in quibus similis oratio ad eum, cujus nomen paullo ante expressum est, sine ulla ejusdem repetitione referatur, tum hoc ibi fit, ubi nullus alius praeter eum, cujus expressum est nomen, subintelligi possit: ut exemplum ejus rei habes in illo testimonio *(Deut. VI,* 16.*)*: *Non tentabis Dominum Deum tuum, quemadmodum tentasti in loco tentationis.* Verum in ea oratione Apostoli, de qua agimus, potest subintelligi alius praeter Christum, ut Moses, Aaron etc. de quo vide *Num. XXI*, 5.

Qu. 143. E quo vero testimonio docere volunt, gloriam Christi Jesaiae visam? — Ex eo *Joh. XII*, 41.: *Hoc dixit Jesaias, quando vidit gloriam ejus et locutus est de eo.*

Qu. 144. Quod vero responsum ad eam rem affers? — Primum ea verba ad Christum non necessario referri hinc apparet, quod de Deo Patre accipi possint. Etenim verba paullo superiora de eodem dicuntur: *Excoecavit, induravit, sanavit.* Deinde gloria, quam Jesaias vidit, poterat esse, imo erat non praesens sed futura. Etenim proprium est Vatibus futura videre, unde etiam Videntes appellati fuere 1 *Sam. IX*, 9. Denique etiamsi de gloria ea, quae tum praesens erat, Jesaiae visa, haec verba accipias, longe tamen aliud est, gloriam alicujus videre et aliud, ipsummet videre. Et in gloria illius unius Dei vidit etiam Jesaias *VI*, 3. gloriam Christi Domini. Ait enim ibidem Vates: *plena est terra gloria Dei.* Tum autem hoc reipsa factum est, cum J. Christus illi populo primum apparuit, et post toti mundo annunciatus est.

Qu. 144. E quibus vero testimoniis Scripturae demonstrare conantur, Christum, ut loquuntur, incarnatum esse? — Ex iis, ubi secundum eorum versionem legitur: *Verbum caro factum est (Joh. I,* 14.*)*; et *qui* (Christus), *cum esset in forma Dei, non arbitratus est rapinam, se esse aequalem Deo, verum se ipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo (Phil. II,* 6. 7.*)*; et: *Deus manifestatus est in carne (1 Tim. III,* 16.*)*; et: *Nec enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit (Hebr. II,* 16.*)*; et: *Omnis Spiritus, qui confitetur Jesum in carne venisse, ex Deo est (1 Joh. IV,* 2. 3.*)*; et: *Ingrediens in mundum* (Christus) *dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi (Hebr. X,* 5.*)*.

Qu. 145. Quomodo ad primum respondes? — Ea ratione, quod in eo testimonio non habeatur, Deum (ut loquuntur) incarnatum esse, aut quod natura divina assumserit humanam. Aliud enim est: *Verbum caro factum est*, aliud: *Deus incarnatus est* (ut loquuntur) vel natura divina assumsit humanam. Praeterea haec verba: *Verbum caro factum est,* vel potius, *Sermo caro factus est*, possunt et debent ita reddi; *Sermo caro fuit.* Posse reddi e testimoniis, in quibus vox ἐγένετο (quae hic per *factum est* translata est) verbo *fuit* reddita invenitur, apparet: ut in eodem *Cap. V,* 6. et *Luc. XXIV,* 19. *Fuit homo missus a Deo* etc. et, *qui fuit vir Pro-*

*pheta* etc. Debere vero reddi per verbum *fuit*, ordo verborum Johannis docet, qui valde inconvenienter locutus fuisset, Sermonem carnem factum esse, i. e. ut adversarii interpretantur, naturam humanam assumsisse, postquam ea jam de illo Sermone exposuisset, quae nativitatem hominis J. Christi subsecuta sunt; ut sunt haec: Johannem Baptistam de illo testatum esse; illum in mundo fuisse: a suis non fuisse receptum, quod iis, a quibus receptus fuisset, potestatem dederit, ut Filii Dei fierent.

Qu. 146. Qua ratione istud intelligendum est *Sermonem carnem fuisse?* — Quod is, per quem Deus voluntatem suam omnem perfecte exposuisset et propterea a Johanne Sermo appellatus fuisset, homo fuerit, omnibus miseriis et afflictionibus ac morti denique subjectus. Etenim vocem *caro* eo sensu Scriptura usurpat, ut ex iis locis perspicuum est, ubi Deus loquitur *(Gen. VI,* 3.*)*: *Non contendet Spiritus meus cum homine in aeternum, quia caro est;* et Petrus *(*1 *Petr. I,* 24.*)*: *Omnis caro ut foenum.*

Qu. 147. Ad secundum quid respondes? — Neque hic extare, quod adversa pars confectum velit. Aliud enim est, quod hic Apostolus ait: *Cum in forma Dei esset, formam servi assumsit;* aliud vero: *natura divina assumsit humanam.* Etenim hic forma Dei designare non potest Dei naturam, cum Apostolus scribat, eam formam Christum exinanivisse, Deus vero naturam suam exinanire nullo modo potest. Nec vero forma Servi denotat naturam humanam, cum Servum esse ad fortunam et conditionem hominis referatur. Ac ne illud quidem dissimulandum est, Scripta N. T., hanc vocem *formae* semel fortassis tantum alibi usurpare *(Marc. XVI,* 12.*)* idque eo sensu, quo non naturam sed exteriorem speciem significat, cum ait: Jesum duobus discipulis suis apparuisse in alia forma.

Qu. 148. Ex iis vero verbis, quae Apostolus paullo post subjecit: *Habitu inventus est ut homo;* nonne apparet, eum, ut loquuntur, incarnatum esse? — Nullo modo: etenim ea oratio nihil in se habet ejusmodi. De Samsone enim in Literis Sacris legimus, quod idem futurus erat, ut homo *(Jud. XVI,* 7. *et* 11.*)* et *Ps. LXXXII.* Asaph iis hominibus, quos Deos et Filios Altissimi vocaverat, denunciat, quod essent morituri ut homines, de quibus certum est, non posse dici eos, ut adversarii dicunt, incarnatos fuisse.

Qu. 149. Qua ratione vero locum hunc totum intelligis? — Ad eum modum, quod Christus, qui in mundo instar Dei opera Dei efficiebat, et cui sicut Deo omnia parebant, et cui divina adoratio exhibebatur, ita volente Deo et hominum salute exigente, factus est tanquam servus et mancipium, et tanquam unus ex aliis vulgaribus hominibus, cum ultro se rapi, vinciri, caedi et occidi permiserit.

Qu. 150. Ad tertium vero quid respondes? — Primum quidem, quod in multis exemplaribus vetustis et in ipsa Vulgata non legatur vox *Deus.* Quare ex eo loco certum nihil concludi potest. Deinde, etiamsi ea vox legeretur, nullam esse caussam, cur ad Patrem referri non possit, cum haec de Patre affirmari possint, eum apparuisse in Christo et Apostolis, qui caro fuerunt. Quod autem inferius legitur, secundum usitatam versionem: *receptus est in gloriam,* id in graeco habetur; *receptus est in gloria:* i. e. *cum gloria* aut *gloriose.*

Qu. 151. Quae vero futura est hujus testimonii sententia? — Ut eo melius sententiam testimonii hujus assequi valeas, integrum illud recitabo, siquidem Apostolus ait: *Deus manifestatus est in carne, iustificatus est in Spiritu, apparuit Angelis, praedicatus est gentibus, fides habita est illi in mundo, receptus est in gloria.* Cujus testimonii sententia est haec: Religionem Christi plenam esse mysteriis. Nam Deus, i. e. voluntas ipsius de servandis hominibus, per homines infirmos et mortales perfecte patefacta est. Et nihilominus tamen propter miracula et virtutes varias, quae per homines illos infirmos et mortales editae fuerant, pro vera est agnita; eadem ab ipsis Angelis fuit demum perspecta; non solum Judaeis, verum etiam gentibus fuit praedicata; omnes ei crediderunt, et insignem in modum et summa cum gloria recepta fuit.

Qu. 152. Ad quartum ut respondes? — In eo, ne similitudinem quidem incarnationis (ut vocant) apparere; cum is Scriptor non dicat Christum *assumsisse* (ut quidam reddunt, et vulgo eo sensu accipiunt), sed *assumere;* nec dicit *naturam humanam,* sed *semen Abrahae:* quod in Literis Sacris notat eos, qui in Christum crediderunt, ut *Gal. III,* 29. videre est.

Qu. 153. Quis vero sensus erit hujus loci? — Id sibi vult is Scriptor, Christum non esse Servatorem Angelorum, sed Hominum credentium, qui, quoniam et afflictionibus et morti subjecti sunt (quam rem superius

expressit per participationem carnis et sanguinis), pro pterea Christus ultro illis se submisit, ut fideles suos a mortis metu liberaret et in omni afflictione iisdem open afferret.

Qu. 154. Quomodo vero respondes ad quin tum testimonium? — Etiam in eo nihil prorsus de incarnatione, quam vocant, haberi. Etenim quod apud quosdam legitur: *Venit in carnem*, in Graeco habetur *in carne venit.* Praeterea non scribit Johannes, quod Spiritus, qui confitetur, quod J. Christus in carne venerit ex Deo est, verum quod is Spiritus, qui confitetur J Christum qui in carne venit, ex Deo est. Quorum verborum sensus est; eum Spiritum ex Deo esse, qui confitetur Jesum illum, qui munus suum in terris sine ulla pompa et ostentatione mundana, summa cum humilitate quoad exteriorem speciem, summoque cum contemtu obiverit, mortem denique ignominiosam oppetierit, esse Christum aut populi Dei regem.

Qu. 155. Quid ad sextum respondes? — Nec hic quidem de incarnatione (ut vocant) ullam mentionem factam; cum is mundus, in quem ingressus Jesum is Auctor ait, sit ille mundus futurus, ut superius demonstratum est. Unde etiam *ingredi* in illum *mundum*, non *nasci in mundum*, sed *in coelum ingredi* significat. Deinde illis verbis; *corpus aptasti mihi*, corporis vox (ut ex eo apparuit, ubi de ingressu hoc in mundum actum est) pro corpore immortali accipi potest.

Qu. 156. Quae sententia ejus loci est? — Deum Jesu tale corpus aptasse, postquam in coelum est ingressus, quod ad obeundum munus Pontificis Summi aptum et accommodatum foret.

Qu. 157. Exposuisti hactenus Scripturas e quibus id docere de Christo volunt, quod in iis non habetur: cedo etiam eas Scripturas, e quibus illi perperam conclusiones suas astruere instituunt? — Eae Scripturae, e quibus illi conclusiones suas perperam conficiunt, aut Christum directe respiciunt, aut per quandam accommodationem ad eum referuntur.

Qu. 158. Quaenam sunt, quae directe Christum respiciunt? — Sunt eae, in quibus Christus aut Deus, aut unum esse cum Deo, aut aequalis Deo aut Filius Dei proprius, aut unigenitus, aut primogenitus totius creaturae, aut omnia habens quae Pater habeat aut Pater aeternitatis, aut verbum Dei, aut imago De

invisibilis, aut Character substantiae ejus, aut is quo viso videtur Pater, dicitur; aut in quo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, aut is, qui gloriam habuit apud Patrem, antequam mundus esset, aut, quod Spiritus ipsius in Prophetis fuerat, aut is, qui de coelo descendit, a Patre exivit et in mundum venit, a Patre missus fuerat in mundum, aut, quod unicus esset Dominus, Dominus gloriae, Rex Regum, Dominus Dominorum, et ad quem fides et honor divinus pertinet.

Qu. 159. In quibus vero Scripturis vocatur Deus? — *Joh. I*, 1. *Et verbum fuit Deus;* et *Cap. XX*, 28. Thomas ad Christum ait: *Dominus meus et Deus meus;* et *Rom. IX*, 5. Apostolus scribit, *Deum* (esse) *supra omnes benedictum in secula.*

Qu. 160. Quid his testimoniis effici potest? — Naturam divinam in Christo ex iis demonstrari non posse, praeter ea, quae superius allata sunt, hinc manifestum est, quod in primo testimonio agatur de Verbo, quod Johannes testatur apud illum Deum fuisse. In secundo Thomas eum appellat Deum, in cujus pedibus et manibus clavorum, et latere lanceae vestigia deprehendit. Et Paulus eum, qui secundum carnem ex patribus erat, Deum supra omnia benedictum vocat. Quae omnia dici de eo, qui natura Deus sit, nullo modo posse planum est. Etenim ex eo sequeretur, duos esse Deos, quorum alter apud alterum fuerit. Haec vero, vestigia vulnerum habere, ex patribus esse, hominis sunt prorsus, quae ei, qui natura Deus sit, ascribi nimis absonum esset. Quod si illud distinctionis naturarum velum quis praetendat, jam superius illud amovimus et docuimus, hanc distinctionem nullo modo posse sustineri.

Qu. 161. Ubi vero Scriptura testatur Christum cum Patre esse unum? — *Joh. X*, 29. 30., ubi Dominus ait: *Pater, qui mihi* (oves) *dedit, major est omnibus, et nemo eas rapere potest e manibus Patris mei. Ego et Pater unum sumus.*

Qu. 162. Qua ratione respondes ad id testimonium? — Ex eo, quod dicatur Christus esse cum Patre unum, effici non posse, esse unum cum eo natura, verba Christi, quae ad Patrem de discipulis habuit, demonstrant: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, ut sint unum, quemadmodum et nos unum sumus (Joh. XVII, 11.);* et paullo inferius *v.* 22.: *Ego gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, quemadmodum nos unum sumus.* Quod vero Christus sit unum

cum Patre, hoc aut de voluntate aut de potentia, in salutis nostrae ratione, accipi debet, unde naturam divinam non probari, ex eodem loco constat, ubi Christus ait; Patrem omnibus esse majorem, ac proinde etiam ipso Domino, quemadmodum idem Dominus expresse fatetur, et, quod eas oves ei dederit *(Joh. XIV, 28.)*.

Qu. 163. Ad Deo aequalem ubi eum Scriptura vocat? — *Joh. V*, 18.: *Propterea ergo magis quaerebant Judaei eum tollere, quod non solum Sabbathum solveret, verum etiam Patrem suum Deum diceret, aequalem se ipsum faciens Deo;* et *Philipp. II*, 6.: *Qui* (Christus) *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse aequalem Deo.*

Qu. 164. Qui porro ad ea loca respondes? — Quod Christus sit aequalis Deo, id divinam in eo naturam nullo modo probat. Imo hinc res adversa colligitur. Nam si Christus Deo, qui natura Deus est, aequalis est, efficitur, quod is idem Deus esse non possit. Aequalitas vero Christi cum Deo in eo est, quod ea virtute, quam in eam contulit Deus, ea omnia effecerit et efficiat, quae ipsius Dei sunt, tanquam Deus ipse.

Qu. 165. Filium autem Dei viventis, Filium Dei proprium et unigenitum esse Christum ubi habetur? — De hoc *Matth. XVI*, 16. legimus, ubi Petrus ait: *Tu es Christus Filius Dei viventis;* et *Rom. VIII*, 32., ubi Apostolus ait: *Qui* (Deus) *proprio Filio non pepercit, verum eum propter nos tradidit* etc.; et *Joh. III*, 16.: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;* et paullo inferius *v.* 18. *Et qui non credit, jam judicatus est, quod non crediderit in nomen unigeniti Filii Dei.*

Qu. 166. Quomodo vero ad haec loca respondetur? — Ex iis omnibus attributis Christi nullo modo probari posse naturam ejus divinam. Nam quod ad primum attinet, notissimum est, Petrum fateri, quod Filius hominis sit Christus et Filius Dei viventis, quem constat divinam naturam, qualem illi comminiscuntur, non habuisse. Praeterea testatur Scriptura de aliis hominibus, quod sint Filii Dei viventis. Ut ex Hosea *Rom. IX*, 26.: *Et erit loco ejus, ubi eis dictum est, non populus meus* (estis) *vos, illic vocabuntur Filii Dei viventis.* Quod vero secundum et tertium locum attinet, in his legimus proprium et unigenitum Dei Filium in mortem traditum, quod de eo, qui natura Deus sit, dici non potest. Imo vero ex eo, quod Christus Filius Dei sit, apparet, Deum illum

non esse, alioquin sibi ipse Filius esset. Caussa vero cur Christo ista attributa competant haec est, quod inter omnes Dei Filios et praecipuus sit et Deo charissimus. Quemadmodum Isaac, quia Abrahamo charissimus et haeres extitit, unigenitus vocatus est, licet fratrem Ismaëlem habuerit: et Salomon unigenitus coram matre sua, licet plures ex eadem matre fratres fuerint (*Hebr. II*, 17. *Prov. IV*, 3. 1 *Paralip. III*, 1—6. *etc.*).

Qu. 167. Quae Scriptura eum vocat primogenitum omnis creaturae? — *Ep. ad Coloss. I*, 15.

Qu. 168. Quid ad eam respondes? — Neque hinc naturam divinam Christum habere, exsculpi posse. Etenim cum Christus primogenitus omnis creaturae sit, eum unum e numero creaturarum esse oportere, necesse est. Ea enim in Scripturis vis est primogeniti, ut primogenitum unum ex eorum genere, quorum primogenitus est, esse necesse sit (*Col. I*, 18. *Rom. VIII*, 29. *Ap. I*, 5.). Ut vero unus e rebus conditis creationis veteris existat Dominus Jesus, nec adversarii quidem concedent, nisi Arriani esse velint; unum igitur esse e novae creationis genere Dominum Jesum concedant oportet, unde non solum divina Christi natura effici non potest, verum etiam, quod nullam naturam divinam Christus habeat, firmiter conficitur. Quod vero eo nomine vocatur ab Apostolo Jesus eo fit, quod tempore et praestantia res omnes novae creationis longe antecedat.

Qu. 169. Ubi vero Scriptura eum omnia, quae Pater habeat, habere asserit? — *Joh. XVI*, 15. Christus ait: *Omnia, quae Pater habet, mea sunt;* et infra *Cap. XVII*, 10.: *Mea omnia tua sunt, et tua mea.*

Qu. 170. Quid tu ad haec? — Vox *omnia* ad subjectam materiam, ut superius aliquoties demonstravimus, fere semper refertur. Quare ex ejusmodi vocis non potest ullo modo quod volunt effici. Materia vero subjecta *Cap. XVI.* est, id nimirum Spiritus S. Apostolis ad Christi regnum spectans revelaturus erat; et *XVII. Cap.* constat apertissime, agi de discipulis ipsius Jesu, quos ipsi Deus dederat, unde eos etiam suos vocat. Praeterea, cum quicquid Christus habeat habeat Patris dono, non autem a seipso, hinc apparet, ipsum divinam istam naturam habere nullo modo posse. Cum natura Deus omnia a seipso habeat.

Qu. 171. At quae Scriptura Christum patrem aeternitatis vocat? — *Jesaiae IX*, 6.

Qu. 172. Tu vero quid ad haec? — Ex eo naturam divinam probari non posse, cum certam ob caussam *pater aeternitatis* Christus sit vocatus, ex ipsis verbis ibidem paullo superius expressis videre est. Mirum vero est, adversarios hunc locum, ubi agitur de Patre aeterno, ad Filium referre, quem constat secundum eos ipsos Patrem non esse. *Pater* vero *aeternitatis* aut futuri seculi propterea dictus est Christus, quod sit princeps et auctor vitae aeternae, quae futura est.

Ou. 173. At his encomiis, quod verbum Dei imago Dei inconspicui et character hypostaseos ejus sit, et qui videat Jesum, eum videre Patrem, et in Jesu habitare omnem plenitudinem divinitatis corporaliter, quae Scripturae Jesum insigniunt? — *Joh. I*, 1.: *In principio erat Verbum*, conjuncto eo, quod *Apoc. XIX*, 13. scribitur a Johanne: *Verbum Dei (Col. I*, 15, *Hebr. I*, 3. *Joh. XIV*, 9. *Col. II*, 9.),

Qu. 174. Quid tu ad haec? — Ex eo, quod *Verbum Dei* sit Christus, doceri divina in Christo natura non potest, imo adversum potius colligitur. Cum enim ipsius unius Dei Verbum sit, apparet eum non esse ipsum unum Deum. Quod etiam ad singula haec testimonia simul responderi poterit. *Verbum* vero vel *Sermo Dei* Jesus ideo nuncupatur, quod omnem Dei voluntatem nobis exposuerit, ut ibidem Johannes inferius exposuit. *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui in sinu Patris est, ipse nobis enarravit (Joh. I*, 18.). Quemadmodum etiam eodem sensu et *Vita et Veritas* dicitur. Atque hoc idem dici potest de eo, quod *imago Dei inconspicui* vocatur. Quod vero *character hypostaseos* ejus dictus sit, hoc intelligi debet, Deum quicquid nobis promisit jam reipsa in eo exhibuisse. Quod vero attinet ad dictum Domini Jesu: *Qui me videt videt Patrem*, neque hinc naturam divinam probari, certum cuique esse potest, cum ea ratio videndi non possit de essentia Dei accipi, quae invisibilis sit prorsus, verum de cognitione eorum, quae dixit et fecit Christus, ut ibidem *v.* 10. Christus declarat. Nec illis denique verbis, quod plenitudo divinitatis in eo habitat corporaliter, probatur natura divina. Primum enim vox haec *divinitas* designare potest voluntatem Dei, eamque orationem cum Apostolus opponat non personae, sed philosophiae et legi; hinc perspicuum est, eam de

doctrina Domini Jesu non de persona accipi. De hac vero voce *corporaliter*, quid ea notet, inferius suo loco audies.

Qu. 175. At, ubi Scriptura ait de Christo, eum habuisse gloriam apud Patrem, antequam mundus fieret? — *Joh. XVII*, 5. ipse Dominus in sua ad Deum precatione ait: *Et nunc glorifica me Pater apud temetipsum, ea gloria, quam apud te habui, antequam mundus fieret.*

Qu. 176. Quid ad hoc respondes? — Neque hinc naturam divinam probari. Posse enim aliquem gloriam habere antequam mundus fieret apud Patrem, nec tamen hinc effici, eum esse Deum, apparet. 2 *Tim. I*, 9., ubi ait Apostolus de credentibus, illis *datam fuisse gratiam, ante tempora secularia.* Praeterea hic scriptum est, Jesum rogare hanc gloriam, quod naturae divinae prorsus repugnat. Loci vero sententia est: Christum rogare Deum, ut ei gloriam reipsa det, quam habuerit apud Deum, in ipsius decreto, antequam mundus fieret.

Qu. 177. Quo autem loco Scriptura ait, Spiritum Christi fuisse in Prophetis? — 1 *Petr. I*, 10. 11.: *De qua salute exquisierunt et perscrutati sunt Prophetae, qui de illa in eos gratia prophetaverunt, scrutantes, in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi* etc.

Qu. 178. Quid ad hoc respondes? — Neque hinc naturam in Christo divinam effici. Nam hic Spiritus, qui in Prophetis erat, Christi dici potest, non quod a Christo datus fuerit, sed quod ea quae Christi fuerunt praenunciarit, ut ibidem Petrus ait: *praenuntians illas in Christum passiones, et post haec glorias.* Quem loquendi modum etiam 1 *Joh. IV*, 6., habes. Hinc cognoscimus Spiritum veritatis et Spiritum erroris, ubi non propterea Spiritus veritatis et erroris Spiritus dicitur, quod veritas et error tanquam personae eum Spiritum conferant; verum eo, quod Spiritus veritatis loquatur quae veritatis sunt, et Spiritus erroris quae sunt erroris.

Qu. 179. Ubi vero Scriptura de Christo ait, quod coelo descendit, a Patre exivit et in mundum venit? — *Joh. III*, 13.: *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit e coelo, Filius hominis, qui est*, vel erat, *in coelo;* et inferius *Cap. X*, 36.: *Me, quem Pater sanctificavit, et in mundum misi;* et inferius *Cap. XVI*, 28: *Exivi a Patre et veni in mundum: rur-*

*sus relinquo mundum, et eo ad Patrem;* et inferius *Cap. XVII,* 18.: *Sicut me misisti in mundum* etc.

Qu. 180. Quid ad haec respondes? — Ex iis non probari divinam naturam hinc apparere, quod primi testimonii verba: *Descendit e coelo,* possint figurate accipi. Quemadmodum *Jac. I,* 17.: *Omne datum bonum et donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum;* et *Apoc. XXI,* 2. 10. *Vidi civitatem sanctam Jerusalem novam, descendentem a Deo in coelo* etc. Quodsi proprie accipi debeant, quod nos perlibenter admittimus, apparet, non de alio illa dicta, quam de Filio hominis, qui cum personam humanam necessario habeat, Deus natura esse non potest. Porro quod Scriptura testatur de Christo, quod Pater eum miserit in mundum, idem de Apostolis Christi legimus, in iisdem verbis citatis superius: *Quemadmodum me misisti in mundum, et ego eos misi in mundum (Joh. XVII,* 18.*).* Ea vero verba, quod Christus a Patre exierit, idem valent, quod de coelo descendit. Venire vero in mundum id ejusmodi est, quod Scriptura post nativitatem Christi exstitisse ostendit *(Joh. XVIII,* 37.*),* ubi ipse Dominus ait: *Ego in hoc natus sum et in mundum veni, ut testimonium perhibeam veritati;* et 1 *Joh. IV,* 1. scriptum est, multos falso Prophetas exiisse in mundum. Quare ex ejusmodi loquendi modis natura divina in Christo probari non potest. In omnibus vero his locutionibus, quam divinum muneris Christi principium fuerit, duntaxat describitur.

Qu. 181. At quae Scriptura Christum Dominum unum, Dominum gloriae, Regem Regum et Dominum Dominorum perhibet? — 1 *Cor. VIII,* 6.: *Nobis unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per eum;* 1 *Cor. II,* 8.: *Nam, si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent;* et *Apoc. XVII,* 14 : *Cum agno pugnabunt, et agnus vincet eos, quod Dominus Dominorum sit et Rex Regum;* et inferius *Cap. XIX,* 16.: *Et habet in veste et foemore suo nomen scriptum: Rex Regum et Dominus Dominorum.*

Qu. 183. At quid affers ad hoc testimonium? — Quod ad primum attinet, ex eo, quod Christum Apostolus Dominum unum vocet, natura divina effici nequit. Nam eum primo manifeste ab illo Patre, quem ibidem Deum unum fatetur, secernit, quem solum natura Deum esse, superius docuimus. Deinde, hoc

ipsum, quod de eo dicit: *Omnia, per ipsum;* eum natura Deum esse, non ostendit. Cum, ut superius demonstratum est, hac particula *per* non primam, verum secundam caussam, designari constet. Quod de eo, qui natura Deus est, dici nullo modo potest. Et licet de Patre interdum Scriptura loquatur: *per eum omnia;* aliter haec tamen de Patre, quam de Christo accipiuntur. De Patre enim haec ideo dici constat, quod omnes caussae mediae, per quas fit aliquid, non aliunde sint, nisi ab ipso, nec sint ejusmodi, ut sine iis ille agere non possit. De Christo vero dicuntur, quod per eum alius quis, nempe Deus, omnia operetur, ut *Eph. III*, 9. expresse habetur. Ne commemorandum mihi sit, verbum *omnia* (uti superius ostensum est) ad subjectam materiam referri. Quod ita habere inde apparet, quod Apostolus agit de iis omnibus rebus, quae ad populum christianum pertinent, ut duo haec verba demonstrant: *Nobis* et *Pater.* Unde efficitur, Christum non simpliciter et absolute, verum certa de caussa vocatum Dominum unum, per quem omnia. Quare hinc natura divina non probatur. Quod vero attinet ad secundum testimonium, cum in eo agatur de eo, qui crucifixus sit, apparet ex eo, naturam divinam non probari, cum de hac illud dici nequeat; verum de homine, qui ideo *Dominus gloriae* dicitur, hoc est Dominus gloriosus, quod a Deo gloria et honore coronatus sit. In tertio vero testimonio, cum agatur de eo, qui agnus est et qui vestimenta habet, quem et occisum et sanguine suo nos redemisse apertissime idem Johannes fatetur, quae referri ad divinam naturam nulla ratione possunt, apparet, eo naturam divinam Christi adstrui non posse. Omnia vero, quae hic Christo in his testimoniis tribuuntur, singularem ipsius potestatem, quam Deus Christo, in iis quae ad novum foedus pertinent dedit, arguunt.

Qu. 183. At quae testimonia Scripturae proferri possunt, pro fide in Christum et honore divino asserendo? — *Joh. XIV*, 1. ait ipse Dominus: *Creditis in Deum et in me credite;* et *Joh. V*, 22. 23.: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio; ut omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem;* et *Phil. II*, 9—11.: *Propterea eum Deus superexaltavit et donavit ei nomen super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu curvetur, coelestium, terrestrium et inferorum, et omnis lingua confiteatur, quod Jesus Christus est Dominus in gloriam Dei Patris;* et aliis multis in locis.

Qu. 184. Quid ad haec respondes? — Quod ad primum locum attinet, tantum abest, ut ex eo probetur Christum natura esse Deum, ut potius longe diversum effici perspicuum sit. Etenim aperte hic Christus inter se et Deum unum discrimen ponit. De quo hic agi, articulus in Graeco additus est indicio. Quod vero ipsi ajunt, fidem non attribui nisi Deo ipsi, hoc Christus in alio loco solvit ipse, dum ait: *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me (Joh. XII, 44.)*. Unde perspicuum est, Christum eam fidem sibi non arrogare, quam ipsi Deo debemus. Etenim ea fides ipsi Deo attribuitur, quae in ipso terminatur, quaeque eum, ut rerum omnium primum auctorem respicit: eam vero fidem Christo non attribui constat. Etenim eo in Christum fidem collocamus, quod nos felices efficiendi potestatem a Deo acceperit, et ei muneri sit praepositus, atque ad eum modum fides nostra in Christum per eum, ad ipsum Deum, tanquam ultimum finem, dirigitur. Quod etiam testatur Petrus 1 *Epist. I*, 21. cum ait: *Per eum creditis in Deum, qui eum a mortuis excitavit et gloriam ei dedit, ut fides et spes vestra in Deo sit.*

Qu. 185. Verum illi ex Jeremia afferunt, quod maledictus sit, qui confidit in homine? — Respondeo: Non dictum est absolute *maledictum esse, qui confidat in homine;* verum qui ita confidit, quod carnem ponat brachium suum, hoc est, in ipsis tantum viribus humanis suam spem defigat, sine Spiritus et virtutis divinae auxilio. Id enim per vocem *caro* prorsus intelligitur. Cui etiam addita sunt verba: *Et a Domino recedit cor ejus.* Verum qui in Christo spem collocamus, non statuimus carnem brachium nostrum, neque recedimus corde a Deo, imo Christo confidendo Deo confidimus. Et sic cor nostrum accedit ad Deum, non a Deo recedit.

Qu. 186. Ad alia vero testimonia quid respondes, quae de honore Christi divino agunt? — Cum omnia testimonia, quae de divino Christi honore testantur, testentur etiam aperte satis, honorem Christo divinum certo tempore certamque ob caussam datum et concessum esse, naturam in Christo divinam iis non probari planum est. Quod vero opponunt illud *Jes. XLII*, 8.: *Gloriam meam alteri non dabo;* respondeo, satis apparere quid sibi velit haec particula *alteri*. Etenim illico ea consequuntur: *neque ho-*

*norem meum sculptilibus.* De his itaque eo loco Deus loquitur, qui cum eo communionem nullam habent, et quibus si gloria et honor aliquis tribueretur, in eum non redundaret. Verum nequaquam dicit, se cum eo non communicaturum gloriam suam, qui ex eo pendeat et qui sit ei subordinatus. Hac ratione enim nihil decedit ejus gloriae, cum universa in eum referatur. Etenim cum Dominus Jesus a Deo pendeat, et ei subordinatus sit, quicquid honoris ei exhibetur, id totum in ipsum Deum redundat.

Qu. 187. De iis Scripturis, quae directe Dei Filium videntur respicere, audivi. Velim de iis cognoscere, quae per quandam applicationem Christo accommodantur, et naturam in Christo divinam videntur probare? — Ea testimonia sunt apud Jesaiam. Primum *Cap. VIII*, 24.: *Quod futurus erat lapis offensionis et petra scandali;* quod Lucas *Cap. II*, 34. et Petrus 1 *Epist. II*, 7. repetunt: secundum *Jes. XLV*, 23., ubi Deus ait: *Juravi per me ipsum, quod mihi curvabitur omne genu;* quod de Christo legitur *Rom. XIV*, 11.: tertium legimus *Jes. XLI*, 4. *XLIV*, 6. *et XLVIII*, 12.: *Ego sum primus, ego sum novissimus;* de Christo vero idem legimus *Apoc. I*, 17.: quartum *Jes. XXXV*, 4—6.: *Deus ipse veniet et servabit nos, tum oculi caecorum et aures surdorum aperientur, tum claudus instar cervi saliet, et mutorum lingua solvetur;* de Christo vero haec sunt repetita *Matth. II*, 5.: quintum *Zach. XII*, 10. scriptum est: *Et aspicient me, quem transfixerunt;* quod *Johannes XIX*, 37. scripsit de Christo: sextum *Ps. LXVIII*, 19.: *Ascendisti in altum, captivam duxisti captivitatem, accepisti dona in hominibus;* quod idem de Christo repetitum est ap. Paullum *Eph. IV*, 8. E quibus testimoniis ad eum modum argumentantur: Quandoquidem quae dicta sunt de Deo sub lege, eadem dicuntur de Christo sub Evangelio, apparet, Christum esse illum Israëlis Deum, ac proinde natura Deum.

Qu. 188. Ad haec quid respondes? — Ad omnia ita responderi potest, ut appareat, nullo modo ex iis effici, divinam in Christo es e naturam. Etenim aliam ob caussam ea, quae dicta sunt de Deo sub lege, dici potuerunt sub Evangelio de Christo, quemadmodum et dicta sunt. Nimirum propter illam summam quae inter Deum et Christum est, ratione potestatis atque muneris, conjunctionem, quae omnia illum Dei dono con-

junctionem, quae omnia illum Dei dono consecutum esse Scripturae N. T. passim testantur. Quod si Scriptura ea tradit de Mose, eum Israëlem ex Aegypto eduxisse *(Exod. XXXII, 7.)*, et quod redemtor illius populi fuerit *(Act. VII, 35.)*, et de aliis idem, quod de ipso Deo apertissime scriptum extat, cum nec Moses neque alii tantam cum Deo conjunctionem haberent, quanta inter Deum et Christum intercessit, multo justius haec, quae de Deo primo respectu dicta sunt, Christo accomodari possunt, propter summam illam et arctissimam inter Deum et Christum conjunctionem.

Qu. 189. Perspexi Christum divinam naturam non habere, sed verum hominem esse, nunc cedo, qui cognitio ejus rei ad salutem utilis existat? — Hoc perspicere hinc potes, quod e cognitione ejus rei, quod Christus verus homo sit, spei nostrae certa eaque incorrupta subsequatur confirmatio, quae adversa sententia prorsus convellitur et tantum non tollitur.

Qu. 190. Qui vero istud? — Hac ratione, quod ex adversa sententia sequitur, Christum Jesum non esse verum hominem. Etenim cum in Christo negent personam hominis, quis non videt, eos una eademque opera Christum verum hominem negare? Nec enim verus homo esse potest, qui hominis persona careat. At si Christus verus homo non fuisset, nec mori ac proinde ne a mortuis quidem exsuscitari potuisset. Unde spes nostra, quae resurrectioni Domini Jesu ceu basi cuidam ac fundamento innititur, facile convelli ac fere ruere posset. Ea vero sententia, quae Christum pro vero homine agnoscit, qui in mundo existens obediens fuit Patri usque ad mortem, eundemque mortuum et a Deo a mortuis reductum et immortalitate donatum asserit et certo statuit, spem nostram de salute aeterna mirum in modum fulcit, et ante oculos nostros ipsissimam ejus rei imaginem proponit et constituit; nos etiam, licet mortales simus et moriamur, nihilominus tamen a mortuis tempore suo resurrecturos et in immortalitatis ejusdem, cujus ipse particeps jam extiterit, societatem esse venturos, si vestigiis ipsius institerimus.

# INDEX
## DOGMATUM, DECRETORUM ET ALIARUM RERUM MEMORABILIUM.

Nota D. significat Canones et Decreta Concilii Tridentini; — C. — Catechismum Romanum; — P. — Professionem fidei Tridentinae cum Additamentis, p. 307 sqq. — O. — Orthodoxam Confessionem Eccl. orientalis, p. 813 sqq. — H. — Confessionem Helveticam, p. 850 sqq. — G. — Ecclesiarum Gallicarum Confessionem, p. 883 sqq. — A. — Ecclesiae Anglicanae Articulos, p. 890 sqq. — Hg. — Catechesin Heidelbergensem, p. 900 sqq. — Q. — Barclaii Theses, p. 904 sqq. — R. — Catechesin Racoviensem p. 912 sqq. Numeri notis D. et C. appositi ad §§., caeteri ad paginas pertinent.

### A.

## B.

## C.

## D.

## E.

## F.

## G.



## H.

## I.

## L.

## M.

## N.

## O.

## P.

## S.

## T.

## X.



## Z

# CORRIGENDA.

I. *in numeris* §§. p. 59. l. 14. §. 128. p. 129. l. 22. §. 276. p. 162. l. 17. §. 352. et l. 23. §. 353. p. 173. l. 26. §. 381. In Variant. p. 193. §. 432. p. 195. §. 437. p. 197. §. 441. p. 200. §. 446. p. 211. pro 470. leg. 469

II. *in textu Canonum et Decretorum:* §. 1. l. 1. §. 157. et 158. l. 1. et §. 272 et 273. l. 1. Placetne. §. 22. l. 2. et non eius. §. 48. l. 3. communicantur. §. 50. l. 40. remissionis. l. 10. asserendum. §. 52. l. 17. est et humilis. §. 81. l. 2. observantiam. §. 83. l. 1. dixerit §. 84. l. 6. beata „*Virgine.*“ §. 95. l. 20. quo. §. 99. l. 8. puniri et corrigi. §. 116. l. 3. 4. aut sine peccato a Ministris. §. 118. l. 4. metaphoram. §. 142. l. 4. reparatione indigent. §. 144. l. 11. vero. l. 12. sint. §. 150. l. 4. vigesima prima Aprilis. §. 156. l. 13. quo. §. 159. l. 27. Ac. §. 163. l. 4. 5. exhibeant. l. 26. sic quidem. §. 176. l. 1. sancto. §. 182. l. 11. oportere. §. 183. l. 17. definitivam. §. 186. l. 20. ecclesiastica. §. 187. l. 5. minuuntur. §. 188. l. 4. quoquo. §. 189. l. 3. existimationis. l. 5. deposuerint. §. 191. l. 31. *ei interesse.* l. 34. magnam utriusque rei. §. 207. l. 9. sanctissimis et antiquissimis. §. 210. l. 5. eam esse. §. 215. l. 2. suggesserit. §. 249. l. 20. canone minime „*compreh.*“ §. 251. l. 16. „*precibus.*“ §. 265. l. 26. et afflictata. §. 269. l. 25. dominicae proximae fut. §. 270. l. ult. tranquillitatem. §. 286. l. 15. adstringantur. §. 301. l. 8. appellatione. §. 305. l. 11. restringere. §. 307. l. 26. per haec. §. 315. l. 11. inter cetera. §. 320. l. 2. sacrificio. §. 362. l. 2. abfuerit. l. 9. ecclesiasticam. §. 378. l. 10. commendaticiis. §. 380. l. 4. totos §. 383. l. 18. *contingit.* l. 38. aliquot. §. 410. l. 1. conjugum. §. 411. l. 8. primae. §. 416. l. 2. quamdiu. §. 418. l. 12. 13. Quod si. l. 15. conjugatae. l. 21. saeculari. §. 423. l. 3. „*uniformis ratio*“ ubique ex nationum, populorum, ac morum varietate potest adhiberi. §. 424. l. 11. salutis aeternae. §. 425. l. 13. potissimum. §. 427. l. 5. aliarum. §. 429. l. 4. cohortationibus et monitionibus ad relig. §. 439. l. 17. Capellanos. §. 441. l. 8. orthodoxae. §. 449. l. 15. sordidae avaritiae suspicionem. §. 452. l. 10. Cardinalatus. §. 456. l. 15. alioqui.

§. 460. in inscript. *alia id genus.* l. 7. sed nec aliae. §. 481. l. 1. Abbatissa. §. 495. l. 20. Abatiae sive Prioratus. §. 500. l. 14. hae eadem. §. 502. l. 11. alias. §. 506. l. 1. Excommunicatus. l. 3. Communionem. §. 507. l. 10. et utilius l. 17. defunctorum. §. 513. l. ult. *contingit.* §. 518. l. 7. nullatenus, nullave. §. 520. l. 8. repererint. §. 521. l. 2. longinquitatem. §. 524. l. 8. teneatur. l. 13. secuta. l. 17. Pastorum. §. 529. l. 19. secutae. §. 543. l. 5. Ea propter. l. 20. et fideliter.

III. *in documentis ad Conc. Trid. spectantibus.* p. 253. l. 12. a fin. diurnis nec nocturnis. l. 11. a fin. precati. p. 255. l. 14. a fin. quocumque. p. 259. l. ult. Poenitentiarii. p. 260. l. 23. Carolo. p. 263. l. 10. praesentibus pro sufficienter expressis et plene. p. 265. l. 5. catholice. l. 6. ab illis. l. 28. del. quod. p. 270. l. 10. Nos, ne id quod. p. 271. l. 19. *de Reliquiis et Venerat.* p. 272. l. 8. a fin. vocamur. p. 273. l. 11. publicum. l. 14. formidantur. p. 275. l. 12. necessaria necessariorum. p. 271. l. 2. Canonis. l. 7. decernentes collationes. l. 11. gerere possit. p. 275. l. 21. (nisi justo. p. 291. l. 5. in quibusdam partibus. p. 297. l. 17. recte. p. 299. l. 16. multitudini. l. 17. certae unusquisque. l. 35. accuratius. p. 300. l. 13. muneris. l. 14. PP. p. 301. l. 10. Lacedaemoniis. l. 22. Clarissimi. p. 302. l. 30. christiani. l. 42. quot labores. p. 303. l. 19. sanctae.

IV. *in Variantibus.* §. 13. l. 4. pro *Ven. 1. Brix.* leg. *Mediol. Dil.* §. 46. dum — *Ven. 1.* §. 112. spiritale. §. 191. l. 1. del. sumat. l. 2. leg. dicant, idem — *Ven. 2.* §. 192. l. 2. leg. sancta — *Lov. 3. Antv.* 5. *Col.* sancta synodo — *Rom. 2. 3. Ven. 2. Vird. Rhem.* §. 216. l. 1. nolunt. §. 249. l. 3. exempta. §. 259. l. 1. dilatos. §. 260. l. 3. Vniversis. §. 260. l. 2. *Ven. 2.* §. 261. l. 4. del. *Ven. 2.* §. 272. et in eo etc. §. 306. l. 2. Synodus etc. §. 327. l. 2. *Antv. 5.* §. 338. *Antv. 5.* §. 370. l. 2. *Rom. 1. Lov.* 2. §. 386. l. 1. *Rom. 2. 3.* 4. *6.* §. 423. leg. uniformis regula *Lov. 3.* etc. §. 437. *Rom. 2. 3.*

V. *in locis e S. S. excitatis.* §. 51. l. 12. *Jac. II, 24.* §. 52. l. 8. *1 Joan. V, 5.* §. 95. l. 21. *Act. XX, 28.* §. 163. l. 8. *Marc. XVI, 22.* §. 164. l. 3. *Jo. VI,* 48 *sqq.* §. 182. l. 10. *1 Tim. III, 2.* §. 187. l. 8. *Exod. XXXIII, 1.* §. 199. l. 16. *Ps. L, 6. 7.* §. 212. l. 18. *Eph. IV, 30.* §. 213. l. 12. *IV, 17.* §. 214. l. 4. *2 Cor. III, 4. 5.* §. 275. l. 5. *Jes. XLIX, 15.* §. 306. l. 3. a fin. *1 Cor. XI, 24. 25.*